ARCANA COELESTIA

QUAE IN

S C R I P T U R A   S A C R A

S E U

V E R B O   D O M I N I

M U N D O   S P I R I T U U M   &   C O E L O   A N G E L O R U M

Relig
Theol
S

13878

PARS PRIMA

LIBRI *EXODI.*

CAPUT PRIMUM.

6627. ANTE Capita Libri Exodi, præmittenda ſunt Doctrinalia, primum DOCTRINALIA CHARITATIS, & poſtea Doctrinalia fidei; ex cauſa, ut quæ in Explicationibus ſparſim tradita ſunt, in ſerie exponantur; & ſic appareat in ſuo ordine Doctrina, qualis eſt & eſſe debet Eccleſiæ, ut concordet cum bono & vero in Cœlo.

6628. In Explicationibus, quæ præcedunt, paſſim oſtenſum eſt, quod Doctrina Charitatis fuerit Doctrina in Antiquis Eccleſiis, & quod illa Doctrina conjunxerit omnes Eccleſias, ac ita ex pluribus unam fecerit; pro hominibus enim Eccleſiæ agnoſcebant omnes illos qui in bono charitatis vixerunt, & vocabant fratres, utcunque præterea in veris, quæ hodie fidei vocantur, diſcreparent: in his unus alterum inſtruebat, quod erat inter opera eorum Charitatis, & quoque non indignabantur, ſi unus ad alterius ſententiam non accederet; ſcientes quod quiſque tantum veri recipiat, quantum in bono eſt.

6629. Quia tales fuerunt Antiquæ Eccleſiæ, idcirco Interiores homines fuerunt, & quia interiores, fuerunt ſapientiores; nam qui in

bono amoris & charitatis ſunt, illi quoad Internum hominem in cœlo ſunt, & ibi in Societate Angelica, quæ in ſimili bono eſt; inde elevatio mentis eorum ad interiora, & conſequenter illis ſapientia; aliunde enim ſapientia non venire poteſt quam e cœlo, hoc eſt, per cœlum a Domino; ac in cœlo eſt ſapientia, quia ibi in bono ſunt.

6630. Sed ſapientia illa antiqua ſucceſſu temporis decrevit; quantum enim genus humanum a bono amoris in Dominum, & charitatis erga proximum, ſe removit, tantum etiam a ſapientia, quia tantum ſe removit e cœlo: inde eſt, quod homo ab Interno homine factus ſit Externus, & hoc ſucceſſive.

6631. Et cum homo factus eſt Externus, etiam factus eſt mundanus & corporeus; & cum talis, nihil amplius curat quæ cœli ſunt; ſunt enim ea tantum remota, ut non credantur quod ſint, nam tunc occupant totum jucunda amorum terreſtrium, & cum illis omnia mala, quæ ei ex amoribus illis jucunda ſunt; & tunc quod audit de vita poſt mortem, de cœlo, & de inferno, eſt ſicut palea in vento, quæ ad primum viſum evolat.

6632. Inde quoque eſt, quod Doctrina Charitatis, quæ tanti pretii fuerat apud Antiquos, hodie inter res deperditas ſit; quis enim hodie novit, quid in genuino ſenſu eſt Charitas, & quid in genuino ſenſu eſt Proximus; cum tamen illa Doctrina tot & tantis arcanis abundat, ut quoad milleſimam partem non deſcribi queat; tota Scriptura Sacra non aliud eſt, quam Doctrina amoris & charitatis; quod etiam Dominus docet, dicendo, "*Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc eſt primum & magnum mandatum: ſecundum ſimile eſt illi, amabis Proximum tuum ſicut teipſum: ex his duobus mandatis Lex & Prophetæ pendent,*" Matth: xxii: 35. 36. 37. 38. Lex & Prophetæ ſunt Verbum in omnibus & ſingulis.

6633. Quia Doctrina charitatis hodie inter res deperditas eſt, & inde doctrina fidei multum a vero abalienata, licet Doctrinam illam, ex Divina Domini Miſericordia, ante ſingula Capita Libri Exodi tradere, ac ita illam Eccleſiæ reſtituere.

CAPUT

CAPUT I.

1. ET hæc nomina filiorum Iſraelis venientium Ægyptum cum Jacobo, vir & domus ejus venerunt.

2. Reuben, Schimeon, Levi, & Jehudah.

3. Jiſaſchar, Sebulun, & Benjamin.

4. Dan & Naphtali, Gad & Aſcher.

5. Et fuit omnis anima, egreſſæ femur Jacobi, ſeptuaginta animæ: & Joſeph fuit in Ægypto.

6. Et mortuus eſt Joſeph, & omnes fratres ejus, & omnis generatio illa.

7. Et filii Iſraelis fructificabantur & producebantur, & multiplicabantur & numeroſi facti in valde valde, & impleta terra illis.

8. Et ſurrexit rex novus ſuper Ægyptum, qui non novit Joſephum.

9. Et dixit ad populum ſuum, ecce populus filiorum Iſraelis multus & numeroſus præ nobis.

10. Age, prudentia utamur illi; forte multiplicabitur, & erit, quod obveniant bella, & adjunget ſe etiam ille ad inimicos noſtros, & pugnabit in nos; & aſcendet e terra.

11. Et poſuerunt ſuper illum principes tributorum, propter ut affligere illum oneribus; & ædificavit urbes promptuariorum Pharaoni, Pithom, & Raamſes.

12. Et quemadmodum afflixerunt illum, ita multiplicabatur, & ita augebatur; & faſtidio affecti propter filios Iſraelis.

13. Et ſervire fecerunt Ægyptii filios Iſraelis in ſævitia.

14. Et amaram reddiderunt vitam illorum ſervitute gravi, in luto & in lateribus, & in omni ſervitio in agro, cum omni ſervitio illorum, quo ſervire fecerunt illos in ſævitia.

15. Et dixit rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum, quarum nomen unius Schiphra, & nomen alterius Puah.

16. Et dixit, in obſtetricando vos Hebræis, & videritis ſuper ſellis, ſi filius ille, & occidetis illum, & ſi filia illa, & vivat.

17. Et timebant obſtetrices Deum, & non fecerunt quemadmodum loquutus ad illos rex Ægypti, & vivificabant pueros.

18. Et

18. Et vocavit rex Ægypti obſtetrices, & dixit illis, quapropter facitis verbum iſtud, & vivificatis pueros.

19. Et dicebant obſtetrices ad Pharaonem, quia non ſicut mulieres Ægypticæ, Hebrææ, quia viventes illæ; antequam venit ad eas obſtetrix & pepererunt.

20. Et benefecit DEUS obſtetricibus, & multiplicabatur populus, & numeroſi facti valde.

21. Et fuit, quia timuerunt obſtetrices DEUM, & fecit illis domos.

22. Et præcepit Pharao omni populo ſuo vivendo, omnem filium, qui naſcitur, in flumen projicietis illum, & omnem filiam vivificetis.

CONTENTA.

6634. IN primo hoc Capite in ſenſu interno agitur de ſtatu Eccleſiæ inſtauratæ, cum Bonum primas agit, & fructificatur per multiplicationem verorum fidei.

6635. Poſtea de infeſtatione verorum illorum a falſis & malis in naturali; & quod per infeſtationem illam Bonum adhuc magis fructificaretur per vera: continuatur ad finem Capitis de infeſtatione illa & ejus increſcentia in ſerie qua fit, & de implantatione & confirmatione veri ex bono inde.

SENSUS INTERNUS.

6636. VERS: 1. 2 3. 4. 5. *Et hæc nomina filiorum Iſraelis venientium Ægyptum cum Jacobo, vir & domus ejus venerunt. Reuben, Schimeon, Levi & Jehudah. Jiſaſchar, Sebulun, & Benjamin. Dan & Naphtali, Gad & Aſcher. Et fuit omnis anima, egreſſæ femur Jacobi, ſeptuaginta animæ; & Joſeph fuit in Ægypto.* Hæc nomina filiorum Iſraelis, ſignificat quale Eccleſiæ: venientium Ægyptum cum Jacobo, ſignificat poſtquam vera initiata ſunt ſcientificis: vir & domus ejus venerunt, ſignificat quoad verum & quoad bonum: Reuben, Schimeon, Levi & Jehudah; Jiſaſchar, Sebulun & Benjamin: Dan & Naphtali, Gad & Aſcher, ſignificant proceſſum a principio ad finem: & fuit omnis anima egreſſæ femur Jacobi, ſignificat omnia quæ ex vero communi: ſeptuaginta animæ, ſignificat plenum: & Joſeph fuit in Ægypto, ſignificat quod Cœleſte Internum eſſet in naturali.

6637. Hæc nomina filiorum Iſraelis, quod ſignificet quale Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2628. 2724. 3006. 3421; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod

quod ſint vera ſpiritualia, de qua n: 5414. 5879. 5951; & ex repræſentatione Iſraelis, quod ſit bonum veri, ſeu bonum ſpirituale, de qua n: 3654. 4598. 5803. 5806. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833. Quia Iſrael repræſentat bonum veri ſeu bonum ſpirituale, ac filii ejus vera ſpiritualia in naturali, ideo filii Iſraelis repræſentant Eccleſiam, nam Eccleſia eſt Eccleſia ex Bono ſpirituali, & ex veris inde: qui non eſt in bono ſpirituali, hoc eſt, in bono charitatis, & in veris ſpiritualibus, hoc eſt, in veris fidei, non eſt ab Eccleſia, utcunque natus eſt intra Eccleſiam: totum enim Regnum cœleſte Domini eſt in Bono amoris & fidei, niſi Eccleſia ſit in ſimili, non poteſt eſſe Eccleſia, quia non conjuncta cum cœlo, nam Eccleſia eſt Regnum Domini in terris. Quod Eccleſia dicatur, non eſt ex eo, quod Verbum ibi ſit, & quod Doctrinalia inde, nec ex eo quod Dominus ibi notus ſit, & quod Sacramenta ſint ibi, ſed Eccleſia eſt ex eo, quod ſecundum Verbum, ſeu ſecundum Doctrinam e Verbo, vivatur, ac ut Doctrina ſit norma vitæ; qui non tales ſunt, non ab Eccleſia ſunt, ſed ſunt extra illam; & qui in malo vivunt, ita qui contra doctrinam, ſunt longius extra Eccleſiam, quam Gentiles qui prorſus nihil ſciunt de Verbo, de Domino, deque Sacramentis; nam illi, quia ſciunt bona & vera Eccleſiæ, apud ſe exſtinguunt Eccleſiam, quod Gentiles nequeunt facere, quia ignorant illa. Sciendum quoque, quod unuſquiſque qui in bono charitatis & fidei vivit, ſit Eccleſia, & quod ſit Regnum Domini, inde etiam vocatur Templum, ut & domus Dei: ex illis qui ſunt Eccleſiæ in particulari, utcunque diſſiti ſunt, conſtituitur Eccleſia in communi: hoc nunc eſt Eccleſia, quæ per filios Iſraelis, hic & in ſequentibus intelligitur.

6638. Venientium Ægyptum cum Jacobo, quod ſignificet poſtquam vera initiata ſunt ſcientificis, conſtat ex ſignificatione Ægypti, quod ſit Scientifica, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 6004. 5700. 5702. 6015. 6125; ex repræſentatione Jacobi, quod ſit verum, ut & bonum, in naturali, ſeu naturale quoad verum & bonum, de qua n: 3305. 3509. 3525. 3544. 3576. 3599. 3659. 3669. 3677. 3775. 3829. 4009. 4234. 4286. 4337. 4538. 5806. 5533. 5535. 6001. 6236; quod venire Ægyptum, ſit initiari ſcientificis, conſtare poteſt ab explicationibus rerum in illis Capitibus, ubi agitur de profectione filiorum Jacobi ad Ægyptum ad emendum frumentum, & poſtea de adventu eorum cum Jacobo illuc: quomodo ſe habet cum initiatione verorum Eccleſiæ in ſcientifica, videatur n: 6004. 6023. 6052. 6071. 6077. Ex his patet, quod per filios Iſraelis venientes Ægyptum, ſignificentur vera initiata ſcientificis.

6639. Vir & domus ejus venerunt; quod ſignificet quoad verum & quoad bonum, conſtat ex ſignificatione viri, quod ſit verum, de qua n: 3134. 3459; & ex ſignificatione domus, quod ſit bonum, de qua n: 3720. 4982. Quia in illis Capitibus in Geneſi, ubi agitur de adventu filiorum Jacobi, & de Ipſius Jacobi, in Ægyptum ad Joſephum, actum eſt de initiatione verorum, quæ ſunt Eccleſiæ, in ſcientifica, & prius Eccleſia non inſtaurata eſt, quam poſtquam initiatio illa facta eſt, hic ideo ſecundum ſeriem rerum in ſenſu interno agitur de Eccleſia inſtaurata, & quomodo illa continue infeſtatur

a ſcientificis & falſis; nam utcunque vera initiata ſunt, & Eccleſia apud hominem inſtaurata eſt, uſque tamen ſcientifica & falſa continue inſurgunt, & illa quæ Eccleſiæ ſunt apud illum, impugnant: hæc ſunt quæ repræſentantur per quod Pharao & Ægyptii affixerint filios Iſraelis, & necare voluerint infantes pueros illorum. Qui non ſcit, quomodo ſe habet cum impugnatione veri Eccleſiæ a ſcientificis & falſis, apud illos qui ab Eccleſia ſunt, in altera vita, nequaquam poteſt credere quod ita ſit: homo Eccleſiæ, qui in alteram vitam venit, purificandus eſt a talibus, quæ infeſtant vera & bona, alioquin non elevari poteſt in cœlum, & ibi intereſſe ſocietati quæ purificata eſt a talibus; ſi illius prius elevaretur, foret ſicut vapor denſus terreſtris in ſerena aura, aut ſicut moles nigricans in candida luce: ut itaque homo ille Eccleſiæ recens e mundo veniens, purificetur, tenetur ille in ſtatu, ut impugnetur a ſcientificis quæ diſcordant cum veris, & quoque a falſis, & hoc eouſque, dum ſcientifica illa nauci fiunt & removentur: hoc raro fit apud hominem dum vivit in corpore, ſed in altera vita cum illis, qui elevandi ſunt in cœlum, ita fit; ſed hoc cum plus varietate: hoc, quod ita ſit, datum eſt ſcire ex multa experientia, quæ omnis ſi adduceretur, plures paginas impleret. Hæc ſunt, quæ in ſenſu interno deſcribuntur per filios Iſraelis, quod oppreſſi fuerint ab Ægyptiis, ac poſtea quod liberati, ac demum poſt varios ſtatus in deſerto, quod introducti in terram Canaanem. Quod ita ſe res habeat, nequaquam poſſunt comprehendere illi, qui credunt, quod ſalvatio ſit modo introductio in cœlum ex miſericordia, quæ datur unicuique, qui ex apparente fiducia, quæ vocatur fides, cogitaverit, quod quia paſſus pro illo Dominus, ſalvetur, utcunque vixerit; ſi enim ſalvatio foret ſolum introductio in cœlum ex miſericordia, omnes in univerſo orbe terrarum ſalvarentur; nam Dominus, Qui eſt ipſa Miſericordia, omnium ſalutem vult, & nullius mortem ſeu damnationem.

6640. Reuben, Schimeon, Levi & Jehudah, Jiſaſchar, Sebulun & Benjamin, Dan & Naphtali, Gad & Aſcher, quod ſignificent proceſſum a principio ad finem, nempe inſtaurationis Eccleſiæ, de qua in ſequentibus nunc agitur; duodecim enim filii Jacobi, ut quoque Tribus ab illis nominatæ, ſignificant omnia boni & veri, hoc eſt, omnia amoris & fidei in complexu, videatur n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335, ſed varia ſecundum ordinem, in quo nominantur, n: 3862. 3926. 3939. 4603 ſeq: & quod ita innumerabilia, ac omnia & ſingula quæ ſunt Eccleſiæ & Regni Domini, n: 6337: ſed quid in ſpecie ſignificant, cum in tali vel alio ordine nominantur, nemo ſcit quam ſolus Dominus, nec aliquis in cœlo niſi a Domino, ubi vera & bona, quæ ſignificantur, per luces cum adjuncta perceptione manifeſtantur. Quia duodecim Tribus repræſentabant Regnum Domini & omnia quæ ibi, ideo ut quoque luces illæ repræſentarentur, & ſic omnia vera & bona Eccleſiæ, duodecim lapides pretioſi in ſuo ordine inſculpti ſunt auro, unus lapis pro unaquavis Tribu, & id Pectorale vocatum eſt, ac impoſitum Ephodo Aharonis, ac inde per effulgurationes varias lucis tulerunt reſponſa, quibus adjuncta fuit vel viva vox, vel perceptio interna: inde quoque con-

ſtare

ſtare poteſt, quod duodecim Tribus Iſraelis ſignificent vera & bona Regni Domini ac Eccleſiæ omnia in complexu, & quod varia ſecundum ordinem in quo nominantur. Quod hic in alio ordine nominentur, quam ſecundum nativitates, patet ex eo, quod Jiſaſchar & Sebulun prius nominentur quam Dan & Naphtali, tametſi hi prius nati ſunt; & quoque Benjamin ante Danem, Naphtali, Gadem & Aſcherem, qui tamen ultimo natus eſt; tum quod Gad & Aſcher poſt omnes: ſimiliter alibi in Verbo, ubi adhuc alio ordine nominantur.

6641. Et fuit omnis anima egreſſæ femur Jacobi, quod ſignificet omnia quæ ex vero communi, conſtat ex ſignificatione animæ, quod in communi ſenſu ſit homo, hic homo Eccleſiæ ſpiritualis; in ſenſu autem interno eſt anima verum & bonum, quia inde homo eſt homo, n: 6605. 6626; ex ſignificatione femoris, quod ſit amor conjugialis, de qua n: 3021. 4277. 4280. 5050 ad 5062; & quia femur eſt amor conjugialis, eſt omnis amor tam cœleſtis quam ſpiritualis, n: 3021. 4277. 4280. 4575; inde egredi femur, ſignificat verum & bonum ex conjugio cœleſti, conſequenter verum & bonum Eccleſiæ, nam hæc, cum genuina ſunt, ex conjugio cœleſti, quod eſt boni & veri, nata ſunt; & ex repræſentatione Jacobi, quod ſit verum ut & bonum in naturali, ſed in communi, quia filii ejus ſunt vera & bona diſtincta in illo communi, de qua n: 6637. Quod Jacob hic repræſentet vera in communi, eſt quia agitur de Eccleſia ſpirituali, hæc enim a veris in communi inchoat, & per illa introducitur ad ſuum bonum; nam apud hominem Eccleſiæ ſpiritualis, non ſcitur quid bonum ſpirituale, ita nec agnoſcitur, quam per verum: nullam enim perceptionem veri ex bono habet, ſicut homo Eccleſiæ cœleſtis.

6642. Septuaginta animæ, quod ſignificent plenum, conſtat ex ſignificatione ſeptuaginta, quod ſint plenum, de qua n: 6508.

6643. Et Joſeph fuit in Ægypto, quod ſignificet quod Cœleſte Internum eſſet in naturali, conſtat ex repræſentatione Joſephi, quod ſit Cœleſte Internum, de qua n: 5869. 5877. 6224; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit naturale, de qua n: 6147. 6254. Quod Cœleſte Internum eſſet in naturali ubi ſcientifica, & ibi diſponeret omnia, repræſentatum eſt per quod Joſephus factus ſit dominus ſuper totam terram Ægypti, & quod præfectus ſit domui Pharaonis: hoc repræſentatum eſt, quia in ſenſu interno de inſtauratione Eccleſiæ ſpiritualis ageretur, & quia Naturale non poſſet fieri Eccleſia, niſi ibi Cœleſte Internum eſſet, & ageret omnia: ſed de his videantur quæ prius n: 6275. 6284. 6299. 6451. 6587, dicta ſunt.

6644. Verſ: 6. 7. *Et mortuus eſt Joſeph, & omnes fratres ejus, & omnis generatio illa. Et filii Iſraelis fructificabantur & producebantur, & multiplicabantur & numeroſi facti ſunt in valde valde; & impleta terra illis.* Et mortuus eſt Joſeph, ſignificat quod cum Interno Eccleſiæ nunc ſe aliter haberet: & omnes fratres ejus, & omnis generatio illa, ſignificat etiam cum externo in particulari & in communi: & filii Iſraelis fructificabantur & producebantur, ſignificat quod vera Eccleſiæ creſcerent quoad bonum: & multiplicabantur,

& numeroſi facti in valde valde, ſignificat quod plurimum creſcerent quoad vera a bono: & impleta terra illis, ſignificat uſque ad plenum Eccleſiæ.

6645. Mortuus eſt Joſeph, quod ſignificet quod cum Interno Eccleſiæ nunc ſe aliter haberet, conſtat ex ſignificatione mori, quod ſit ſtatus prioris finis, ac novi principium, ita quod ſtatus Eccleſiæ ſe aliter nunc haberet, quod mori ſit deſinere eſſe talis, videatur n: 494. 6587. 6593, & quod ſit finis repræſentationis prioris, n: 3253. 3259. 3276. 6302; & ex repræſentatione Joſephi, quod ſit Internum, de qua n: 6177. 6224. Status Eccleſiæ, qualis nunc eſt, in ſequentibus in ſenſu interno deſcribitur; tum quoque ſtatus externi ejus, qui ſignificatur per quod mortui fratres ejus, & omnis generatio illa. Cum Eccleſia apud hominem ita ſe habet, illa novos ſtatus per vices ſubit; prout enim homo firmatur in vero fidei & bono charitatis, ita in alios ſtatus introducitur; ſtatus prior tunc inſervit pro plano ſtatui ſequenti, & ſic continue: ita homo, qui eſt Eccleſia ſeu qui regeneratur, jugiter verſus interiora ducitur, ſic interius in cœlum: quod ita fiat, eſt ex eo, quod Dominus ex Amore, qui infinitus eſt quia Divinus, hominem uſque ad ſe velit trahere, & ſic illum beare omni gloria & felicitate; quod quoque manifeſte patet a Domini verbis apud Johannem, "*Oro ut omnes unum ſint, ſicut Tu Pater in Me, & Ego in Te, ut etiam illi in Nobis unum ſint: Ego gloriam, quam dediſti Mihi, dedi illis, ut ſint unum, ſicut nos unum ſumus, Ego in illis, & Tu in Me. Pater, quos dediſti Mihi volo, ut ubi ſum Ego, etiam illi ſint Mecum; ut videant gloriam meam, quam dediſti Mihi; nam notum feci illis Nomen Tuum, & notum faciam, ut Amor, quo amaſti Me, in illis ſit, & Ego in illis,*" XVII: 20 ad 26; quod hæc verba Divini amoris ſint, erga omnes, qui recipiunt, evidenter patet: ac inſuper conſtare poteſt ex eo, quod Dominus appareat in altera vita ut Sol, ac inde calore & luce impleat univerſum cœlum; flamma illius Solis non aliud eſt, quam Divinus amor, & Lux inde eſt ſanctum amoris, quod eſt Divinum Verum, inde quantus Domini amor ſit, conſtare poteſt: ex hoc nunc eſt, quod qui ab Eccleſia ſunt, perducantur ſucceſſive in novos ſtatus, ac ita jugiter interius in cœlum, proinde propius ad Dominum.

6646. Et omnes fratres ejus, & omnis generatio illa, quod ſignificat etiam cum externo in particulari & in communi, conſtat ex repræſentatione filiorum Jacobi, qui hic ſunt fratres, quod ſint vera Eccleſiæ in naturali, de qua n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512, ita Externum ejus; & ex ſignificatione generationis illius, quod ſit externum Eccleſiæ in communi, nam generatio hic idem involvit, quod fratres Joſephi, ſed in ſenſu communi reſpective.

6647. Et filii Iſraelis fructificabantur & producebantur, quod ſignificet quod vera Eccleſiæ creſcerent quoad bonum, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint vera Spiritualia, de qua n: 5414. 5879, & quod ſint Eccleſia, n: 6637; ex ſignificatione fructificari, quod ſit creſcere quoad bonum, de qua n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847. 3146; & ex ſignificatione produci, quod ſit derivatio ulterior, cum enim Eccleſia apud hominem inſtaurata

ſtaurata eſt, tunc bonum continue creſcit & derivatur, tam in Interno, quam quoque verſus Externum, & inibi. Quod apud illos, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, bonum creſcat per vera, prius ſæpe oſtenſum eſt; nam homo Eccleſiæ ſpiritualis non perceptionem habet, ſicut homo Eccleſiæ cœleſtis, quare nec ſcit quid bonum Eccleſiæ ſeu ſpirituale, niſi per vera; quapropter cum homo illius Eccleſiæ regeneratur, vera excitantur a Domino per Angelos, qui apud illum, & inde in bonum ducitur; cum autem ille homo regeneratus eſt, tunc ſimul & verum & bonum excitantur, & ſic ducitur; ſed apud hominem ſpiritualis Eccleſiæ, tale eſt bonum quale eſt verum, & inde talis conſcientia, quæ ei eſt ſicut perceptio, ſecundum quam vivit.

6648. Et multiplicabantur & numeroſi facti in valde valde, quod ſignificet quod plurimum creſcerent quoad vera a bono, conſtat a ſignificatione multiplicari, quod ſit creſcere quoad vera, de qua n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847; & ex ſignificatione numeroſi facti ſunt, quod ſit derivatio ulterior, ſic incrementum veri continue; quod ſit incrementum veri ex bono, eſt quia nunc agitur de Eccleſia inſtaurata; nam cum Eccleſia apud hominem ita ſe habet; cum inſtauratur, tunc homo eſt in veris, & per illa creſcit bonum; cum autem Eccleſia apud illum inſtaurata eſt, tunc homo eſt in bono & ex bono in veris, quæ tunc creſcunt continue; parum cum vivit in mundo, quia ibi impediunt curæ pro victu & amictu, & pro rebus aliis, at in altera vita in immenſum, & hoc perpetuo in æternum; ſapientia enim, quæ a Divino, non aliquem finem habet; ita Angeli perficiuntur continue, ac ita omnes, qui cum in alteram veniunt, fiunt Angeli; unaquævis enim res, quæ eſt ſapientiæ, eſt extenſionis infinitæ, & res ſapientiæ ſunt numero infinito; inde conſtare poteſt, quod ſapientia in æternum poſſit creſcere, & tamen uſque non longe ultra gradum primum perveniri; hoc ex eo eſt, quia Divinum eſt Infinitum, & quod ex Infinito eſt, tale eſt.

6649. Et impleta terra illis, quod ſignificet uſque ad plenum Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione impleri, quod ſit plenum; & a ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua n: 82. 662. 1066. 1067. 1262. 1411. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 2928. 3355. 4447. 4535. 5577; per terram Goſchen, ubi nunc erant filii Iſraelis, ſignificatur Eccleſia; quod ibi Eccleſia, antequam filii Iſraelis venerunt in terram Canaanem, conſtat ex ſequentibus, quod nempe ibi non plagæ, quæ alibi in Ægypto, tum quod ibi Lux, cum alibi tenebræ, Exod: x: 21. 22. 23; & quod ſit terra illa eſſet prorſus ſeparata a reliquis terris in Ægypto; & quoque conſtat ex eo, quod per terram Goſchen ſignificetur medium ſeu intimum in naturali, n: 5910. 6028. 6031. 6068, ita Eccleſia, nam in intimo naturalis eſt Eccleſia ſpiritualis.

6650. Verſ: 8 ad 14. *Et ſurrexit rex novus ſuper Ægyptum, qui non novit Joſephum. Et dixit ad populum ſuum, ecce populus filiorum Iſraelis multus & numeroſus præ nobis. Age prudentia utamur illi, forte multiplicabitur, & erit, quod obveniant bella, & adjunget ſe etiam ille ad inimicos noſtros, & pugnabit in nos; & aſcendet e terra. Et poſuerunt ſuper illum principes tributorum,*

propter ut affligere illum oneribus; & ædificavit urbes promptuariorum Pharaoni, Pithom & Raamſes. Et quemadmodum afflixerunt illum, ita multiplicabatur, & ita augebatur: & faſtidio affecti propter filios Iſraelis. Et ſervire fecerunt Ægyptii filios Iſraelis in ſævitia. Et amaram reddiderunt vitam illorum ſervitute gravi, in luto, & in lateribus, & in omni ſervitio in agro, cum omni ſervitio illorum, quo ſervire fecerunt illos in ſævitia. Et ſurrexit rex novus ſuper Ægyptum, ſignificat ſcientifica ſeparata, quæ contra vera Eccleſiæ: qui non novit Joſephum, ſignificat quæ prorſus abalienata ab Interno: & dixit ad populum ſuum, ſignificat ſcientifica ſubordinata: ecce populus filiorum Iſraelis multus & numeroſus præ nobis, ſignificat quod invaleſcant vera Eccleſiæ ſuper ſcientificis abalienatis: age prudentia utamur illi, ſignificat aſtum: forte multiplicabitur, & erit quod obveniant bella, ſignificat prævalentiam ſi creſcit: & adjunget ſe etiam ille ad inimicos noſtros, & pugnabit in nos, ſignificat quod ſic corroborabuntur ſocii qui malum inferent: & aſcendet e terra, ſignificat quod ſic inſtaurata erit Eccleſia: & poſuerunt ſuper illum principes tributorum, ſignificat falſa quæ adigerent ad ſerviendum: propter ut affligere illum oneribus, ſignificat ingraveſcentiam per ſervitutes: & ædificavit urbes promptuariorum Pharaoni, ſignificat doctrinas & falſificatis veris in naturali ubi ſcientifica abalienata: Pithom & Raamſes, ſignificat quale earum: & quemadmodum afflixerunt illum, ita multiplicabatur, ſignificat quod ſecundum infeſtationes vera creſcerent: & ita augebatur, ſignificat quod firmarentur: & faſtidio affecti propter filios Iſraelis, ſignificat averſationem majorem: & ſervire fecerunt Ægyptii filios Iſraelis, ſignificat ſubjugationis intentionem: in ſævitia, ſignificat immiſericordiam: & amaram reddiderunt vitam illorum ſervitute gravi, ſignificat uſque ut infeſta fieret ſubjugationis intentio: in luto & in lateribus, ſignificat propter mala quæ invenerunt, & falſa quæ finxerunt: & in omni ſervitio in agro, ſignificat ſubjugationis intentionem contra illa quæ ſunt Eccleſiæ; cum omni ſervitio illorum, quo ſervire fecerunt illos in ſævitia, ſignificat ſubjugationis intentionem multis modis ex immiſericordia.

6651. Et ſurrexit rex novus ſuper Ægyptum, quod ſignificet ſcientifica ſeparata, quæ contra vera Eccleſiæ, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, qui hic rex, quod ſit ſcientificum in communi, de qua n: 6015; rex vocatur, quia rex ſignificat in genuino ſenſu verum, n: 1672. 2015. 2069. 3670. 4581, 4966. 5044. 6148; & in oppoſito ſenſu falſum; & cum per regem intelligitur Pharao, ſignificatur ſcientificum falſum, hoc eſt, ſcientificum quod eſt contra vera Eccleſiæ; inde etiam dicitur rex novus, nam qui fuit tempore Joſephi, is repræſentabat ſcientificum quod cum veris Eccleſiæ concordabat; quod Ægyptus ſit ſcientificum, hic in particulari, videatur ſupra n: 6638.

6652. Qui non novit Joſephum, quod ſignificet quæ prorſus abalienata ab Interno, conſtat ex ſignificatione non noſſe, quod ſit abalienatum eſſe, nam qui non novit verum, & non noviſſe vult, is a vero Eccleſiæ abalienatus eſt; quod abalienatio hic ſignificetur, patet a ſequentibus, nam duriter & ſæve

afflixit filios Iſraelis, per quos repræſentatur Eccleſia, n: 6637; & ex repræſentatione Joſephi, quod ſit Internum, de qua n: 6177. 6224; ſcientifica abalienata ab Interno, ſunt ſcientifica oppoſita Eccleſiæ; nam bonum & verum, quæ faciunt Eccleſiam, influunt per Internum; quæ ſi non recipiuntur a Naturali, clauditur Internum, & ſic homo abalienatur a bono & vero, & tunc ſcientifica, quæ in naturali, non alia pro ſcientificis veris agnoſcuntur, quam quæ falſa ſunt; hæc tunc multiplicantur, & ipſa vera foras exterminantur.

6653. Et dixit ad populum ſuum, quod ſignificet ſcientifica ſubordinata, conſtat ex ſignificatione populi, quod ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581, hic ſcientifica ſeparata a vero, quia eſt populus Ægypti, quod Ægyptus ſit ſcientificum, videatur n: 6638; quod ſint ſcientifica quæ ſubordinata, eſt quia dicitur, quod rex dixit ad populum ſuum. Quod per populum ſignificentur vera, eſt quia in Verbo populus vocatur, qui ſub rege eſt, & per regem ſignificatur verum, n: 6651. Per populum ſignificantur vera, ſed intelliguntur illi qui in veris ſunt; quod vera dicantur abſtracte, eſt quia ita cogitant & loquuntur ſpiritus & Angeli; ſic enim univerſaliter rem comprehendunt, & ſimul tunc ſingulariter illa quæ ad rem pertinent, abſque reflexione ad aliquem populum, qui eſt in veris, in ſpecie, quæ reflexio abſtraheret mentem ab idea univerſali, ita ab extenſione intuitionis, proinde a ſapientia; nam determinatio cogitationis ad aliquem populum in ſpecie, ut quoque ad aliquam perſonam, limitat & finit ideas, & avertit a perceptione rei, qualis eſt a termino uno ad alterum. Similiter ac cum populo, ſe habet cum aliis de nominationibus quod in ſenſu interno interminata ſignificent, ſicut cum gente, quod ſit bonum, cum rege quod ſit verum, cum principe quod ſit primarium verum, cum ſacerdote quod ſit bonum, cumque filio, filia, genero, nuru, fratre, ſorore, patre, matre, & pluribus aliis.

6654. Ecce populus filiorum Iſraelis multus & numeroſus præ nobis, quod ſignificet quod invaleſcant vera Eccleſiæ ſuper ſcientificis abalienatis, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint vera & bona Eccleſiæ, de qua ſupra n: 6647; ex ſignificatione multus & numeroſus, quod ſit invaleſcere, quod multiplicari ſeu multus fieri, & numeroſus, prædicetur de vero, videatur etiam ſupra n: 6648; & ex repræſentatione regis Ægypti & populi ejus, qui hic intelliguntur per *præ nobis*, quod ſint ſcientifica abalienata, ut ſupra n: 6652: inde patet, quod per ecce populus Iſraelis multus & numeroſus præ nobis, ſignificetur, quod invaleſcant vera ſuper ſcientificis abalienatis.

6655. Age prudentia utamur illi, quod ſignificet aſtum, conſtat ex ſignificatione prudentiæ, cum dicitur a malis, qui abalienati ſunt a vero & bono, quod ſit aſtus, nam id quod mali agunt ex aſtu, & quoque ex dolo, vocant prudentiam. De aſtu, qui ſignificatur per prudentiam, licet hic aliquid memorare; qui in malo ſunt, omnes aſtum vocant prudentiam, nec in alio ponunt intelligentiam & ſapientiam: qui tales ſunt in mundo, pejores fiunt

in

in altera vita, & ibi ex aſtu contra bona & vera continue agunt; & apud illos pro intelligentibus & ſapientibus agnoſcuntur, qui per falſa infirmare & deſtruere poſſe ſibi videntur vera, quacunque arte aut malitia hoc fiat: inde conſtare poteſt, cum homines intra Eccleſiam prudentiam ponunt in aſtu, quales ſunt, quod nempe illis communicatio ſit cum infernis: qui veri homines Eccleſiæ ſunt, tantum remoti ſunt ab aſtu, ut prorſus abhorreant illum, & qui eorum ſunt ſicut angeli, volunt, ſi fieri poſſet, ut mens eorum aperta ſit, & pateat cuivis manifeſte quid cogitant, nam non niſi quam bonum intendunt erga proximum, & ſi malum apud aliquem vident, excuſant; aliter qui in malo ſunt, illi timent ne quicquam quod cogitant & volunt, eluceat, nam non niſi quam malum intendunt proximo, ſi bonum, eſt pro ſe; & ſi bonum faciunt, eſt modo in externa forma, ut appareant, lucri & honoris cauſa, ſciunt enim quod bonum & verum, juſtum & æquum, tum honeſtum, vim latentem fortem habeant attrahendi animos, etiam malorum.

6656. Forte multiplicabitur, & erit quod obveniant bella, quod ſignificet prævalentiam ſi creſcit, conſtat ex ſignificatione multiplicari, quod ſit creſcere quoad vera, de qua n: 43. 55. 913. 983. 2846. 2847; & ex ſignificatione bellorum, quod ſint pugnæ de veris & falſis, ſeu pugnæ ſpirituales, de qua n: 1664. 2686; & quia ſequitur, quod adjunget ſe etiam ille ad inimicos noſtros, ſignificatur in pugnis illis prævalentia.

6657. Et adjunget ſe etiam ille ad inimicos noſtros, & pugnabit in nos, quod ſignificet quod ſic corroborabuntur ſocii qui malum inferunt, conſtat ex ſignificatione adjungere ſe, quod ſit corroborari, hoſtes enim, cum multitudo illis adjungitur, corroborantur; ex ſignificatione inimicorum, quod ſint ſocii qui commilitant; & ex ſignificatione pugnare in nos, quod ſit malum inferre, cum enim pugnatur contra aliquem, ei malum, quantum non reſiſti poteſt, infertur. Cum his ita ſe habet; eſt circum unumquemvis hominem, & quoque circum unumquemvis ſpiritum bonum, ſphæra communis conatuum ab inferno, & ſphæra communis conatuum e cœlo; ſphæra quæ ab inferno, eſt ſphæra conatuum faciendi malum & perdendi, quæ e cœlo eſt ſphæra conatuum faciendi bonum & ſalvandi, videatur n: 6477; hæ ſphæræ ſunt communes, pariter ſunt ſphæræ particulares circum unumquemvis hominem, ſunt enim apud eum ſpiritus ab inferno, & ſunt angeli e cœlo, de quibus n: 5846 ad 5866. 5976 ad 5993; inde homo eſt in æquilibrio, & ei liberum cogitandi volendique malum, ac liberum cogitandi volendique bonum. Cum ergo homo Eccleſiæ in tentationem venit, quod fit cum is mittitur in ſuum malum, tunc eſt pugna circum illum inter ſpiritus ab inferno & angelos e cœlo, n: 3927. 4249. 5036; quæ pugna durat, quamdiu homo tenetur in ſuo malo: in pugna illa quandoque apparet ſpiritibus ab inferno quod vincent, & tunc inſurgunt, quandoque quod vincentur, & tunc retrahunt ſe, quapropter tunc timent, quod adjungent ſe plures e cœlo contra illos, & ſic quod dejicientur in infernum, a quo non amplius exibunt, quod etiam fit quando victi ſunt: hæc ſunt quæ intelliguntur per prævalentiam ſi creſcit, & quod corroborarentur

rentur ſocii qui malum inferent. Spiritus ab inferno cum pugnant contra Angelos, ſunt in mundo ſpirituum, & ibi in ſtatu libero, n: 5852. Ex his nunc conſtare poteſt, quid in ſenſu interno intelligitur, per quod filii Iſraelis ita infeſtati & oppreſſi fuerint ab Ægyptiis, & quod quantum infeſtati ſunt, tantum multiplicati ſint; & quod Jehovah, hoc eſt, Dominus pugnaverit pro illis, & repreſſerit Ægyptios per plagas, & tandem ſubmerſerit omnes in mari Suph.

6658. Et aſcendet e terra, quod ſignificet quod ſic inſtaurata erit Eccleſia, conſtat ex ſignificatione aſcendere, quod ſit elevari, nempe verſus interiora quæ Eccleſiæ, de qua n: 3084. 4539. 4969. 5406. 5817. 6007; & ex ſignificatione terræ, hic terræ Goſchen, quod ſit Eccleſia, de qua ſupra n: 6649. Elevari verſus interiora, quod ſignificatur per aſcendere e terra, & venire in terram Canaanem, eſt quod inſtaurata erit Eccleſia; apud hominem quidem Eccleſia inſtaurata eſt, cum ex affectione bonum agit, ſed uſque non plene inſtaurata eſt, quam poſtquam pugnaverit contra mala & falſa, ita poſtquam ſuſtinuerit tentationes; dein ſit ille vere Eccleſia, & tunc introducitur in cœlum, quod repræſentatur per filiorum Iſraelis introductionem in terram Canaanem.

6659. Et poſuerunt ſuper illum principes tributorum, quod ſignificet falſa quæ adigerent ad ſerviendum, conſtat ex ſignificatione principum, quod ſint primaria vera, de qua n: 1482. 2089. 5044; hic in oppoſito ſenſu primaria falſa; & ex ſignificatione tributorum, ad quæ a præpoſitis illis principibus adigebantur, quod ſint ſervitutes, de qua n: 6394.

6660. Propter ut affligere illum oneribus, quod ſignificet ingraveſcentiam per ſervitutes, conſtat ex ſignificatione affligere, quod ſit ingraveſcentia; & ex ſignificatione onerum, quæ erant tributa, quod ſint ſervitutes.

6661. Et ædificavit urbes promptuariorum Pharaoni, quod ſignificet doctrinas ex falſificatis veris in naturali ubi ſcientifica abalienata, conſtat ex ſignificatione urbium, quod ſint doctrinæ in utroque ſenſu, de qua n: 402. 2450. 2943. 3216. 4492. 4493; ex ſignificatione promptuariorum, quod ſint falſificata vera, de qua ſequitur; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſit naturale, de qua n: 5460. 5799. 6015 f; quod ibi ſcientifica abalienata, videatur ſupra n: 6651. 6652. Quod urbes promptuariorum, quas populus Iſraelis ædificavit Pharaoni, ſint doctrinæ ex falſificatis veris, eſt quia illi, qui in ſcientificis abalienatis a vero ſunt, qui per Pharaonem & Ægyptios hic ſignificantur, omnia vera Eccleſiæ pervertunt & falſificant, & ex ita perverſis & falſificatis veris ſibi doctrinas faciunt. Vox, per quam in Lingua originali exprimuntur Promptuaria, etiam ſignificat Armamentaria, & quoque Theſauraria, quæ in ſenſu interno ſignificatione pæne ſimili ſunt; Promptuaria enim ſunt, ubi Annona colligitur, & per Annonam ſignificatur verum, n: 1276. 5280. 5292. 5402, & in oppoſito ſenſu falſum; Armamentaria autem ſunt, ubi reconduntur arma belli, per quæ ſignificantur talia quæ ſunt veri pugnantis contra falſa, & in oppoſito ſenſu quæ ſunt falſi pugnantis contra vera, n: 1788. 2686; Theſauraria ſunt, ubi opes reponuntur, & per opes

opes ac divitias ſignificantur cognitiones boni & veri, n: 4508, in oppoſito ſenſu cognitiones mali & falſi; ita per urbes promptuariorum, ſeu armamentariorum, ſeu theſaurariorum, ſignificantur in genere doctrinæ ex falſificatis veris.

6662. Pithom & Raamſes, quod ſignificent quale earum, nempe doctrinarum ex falſificatis veris, conſtat ex nominibus in Verbo, quod ſint quale & ſtatus rei, de qua agitur.

6663. Et quemadmodum afflixerunt illum, ita multiplicabatur, quod ſignificet quod ſecundum infeſtationes vera creſcerent, conſtat ex ſignificatione affligere, quod ſit infeſtatio; & ex ſignificatione multiplicari, quod ſit creſcere quoad vera, de qua ſupra n: 6656. Hæc quomodo ſe habent, quia non abſque experientia ex illis quæ fiunt in altera vita, hodie non ſciri poſſunt, dicendum eſt; plerique ſpiritus, qui e mundo veniunt, & vixerunt vitam præceptorum Domini, antequam elevari poſſunt in cœlum, & ibi adjungi ſocietatibus, infeſtantur a malis & falſis apud illos, ob finem ut illa removeantur, videatur n: 6639, nam impura ſunt, quæ contraxerunt in vita corporis, quæ nullatenus concordant cum cœlo; infeſtationes fiunt per immerſiones in ſua mala & falſa, in quibus cum ſunt, ſpiritus qui in ſimilibus malis & falſis ſunt, adſunt, & allaborant omni modo illos a vero & bono abducere; ſed uſque non altius in ſua mala & falſa immerguntur, quam ut influxus per Angelos a Domino prævaleat, hoc fit exactitudine ſicut ad libram; ex cauſa, ut qui infeſtatur, appareat ſibi in libero eſſe, & ſic ex ſe contra mala & falſa pugnare, cum agnitione tamen, ſi non tunc, uſque poſtea, quod a Domino omnis vis reſiſtendi fuerit, videatur n: 1937, 1947. 2881. 5660; cum hoc fit, tunc non modo firmantur vera & bona, quæ prius implantata ſunt, ſed etiam plura inſinuantur; hoc omnis pugna ſpiritualis, in qua pugnans fit victor, ſecum habet: quod ita ſit, etiam a communi experientia patet, qui enim defendit ſententiam ſuam contra alios qui eam impugnant, is confirmat ſe magis in ſua ſententia, & quoque tunc plura confirmantia pro ſua ſententia, quæ prius non animadverterat, ex ut & plura negantia pro oppoſita, invenit, ac ita ſe in ſententia ſua firmat, & quoque illam pluribus illuſtrat: cum pugnis ſpiritualibus adhuc perfectius ſe habet, quia pugna fit in ſpiritu, ac de bonis & veris, ac imprimis quia Dominus adeſt & per Angelos ducit, nam agitur de vita & ſalute æterna; in talibus pugnis commune eſt, quod Dominus omnia mala, quæ Inferna intendunt, vertat in bonum, quare nec permittitur plura & alia mala producere, quam quæ in bonum conveniens ei, qui in pugna eſt, verti queunt; cauſa, quod ita fiat, ducit originem ex eo, quod Regnum Domini ſit Regnum uſuum, quapropter nihil ibi fieri poteſt, quam unde bonum. Ex his nunc conſtare poteſt, quomodo intelligendum, quod vera ſecundum infeſtationes creſcant, quæ ſignificatur per quemadmodum afflixerunt illum, ita multiplicabatur.

6664. Et ita augebatur, quod ſignificet quod firmarentur, nempe vera, conſtat a ſignificatione augeri, cum prædicatur de veris multiplicatis per infeſtationes a malis & falſis, quod ſit firmari; nam non alia vera manent,

quam

quam quæ firmantur, quapropter quot vera firmantur tot augentur; quod per infeſtationes firmentur vera, videatur mox ſupra n: 6663.

6665. Et faſtidio affecti propter filios Iſraelis, quod ſignificet averſationem majorem, conſtat ex ſignificatione faſtidio affici, quod ſit averſatio, hic averſatio major, quia adhuc magis per affectiones multiplicabantur & augebantur.

6666. Et ſervire fecerunt Ægyptii filios Iſraelis, quod ſignificet ſubjugationis intentionem, conſtat ex ſignificatione ſervire facere, quod ſit ſubjugatio, hic ſubjugationis intentio, quia in continuo conatu ſubjugandi ſunt, ſed nuſquam contra bonos prævalent; ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint ſcientifica ſeparata, quæ contra vera Eccleſiæ, de qua n: 6651; & a ſignificatione filiorum Iſraelis, quod ſint Eccleſia, de qua n: 6637; exinde patet, quod per ſervire fecerunt Ægyptii filios Iſraelis, ſignificetur ſubjugationis intentio ab illis qui ſunt in ſcientificis ſeparatis quæ contra vera Eccleſiæ. Quod ſubjugationis intentionem attinet, qualis ſit apud malos qui ab inferno, etiam ſcire datum eſt, talis eſt illis conatus & intentio ſubjugandi eos qui in bono & vero ſunt, ut non deſcribi queat; utuntur enim omni malitia, omni aſtu & fraude, omni dolo, & omni crudelitate, quæ tanta & talia ſunt, ut ſi modo quoad aliquam partem memorarentur, vix aliquis in mundo potuiſſet credere, tam aſtuoſa & artificioſa ſunt, & quoque tam nefanda; verbo talia ſunt, ut nequaquam ab ullo homine, ne quidem ab ullo angelo, reſiſti queant, ſed a ſolo Domino: cauſa, quod talis illis conatus & intentio ſit, eſt quia omne jucundum vitæ, ita ipſa vita eorum, in male faciendo conſiſtit; quapropter nihil aliud cogitationes eorum occupat, conſequenter nihil aliud intendunt; bonum facere prorſus non poſſunt, quia repugnat; ſi bonum faciunt, eſt propter ſe, ita ſibi. Ex talibus inferna hodie augentur immenſum, & quod mirum, imprimis ab illis qui intra Eccleſiam ſunt, ob aſtus, dolos, odia, vindictas, adulteria, quæ ibi vigent plus quam alibi, nam ibi nunc aſtus pro ingenioſo, & adulteria pro honeſto habentur, ac ridentur qui aliter ſentiunt; quia ita hodie eſt intra Eccleſiam, indicium eſt, quod ultimum ejus tempus inſtet, nam "niſi finis, nulla caro ſalvaretur," ſecundum Domini verba apud Matthæum Cap: xxiv: 22; quippe omne malum contagioſum eſt, ac infectat, ſicut fæx maſſam, ita tandem omnes.

6667. In ſævitia, quod ſignificet immiſericordiam, conſtare poteſt abſque explicatione; nam illis, de quibus mox ſupra, nulla miſericordia eſt, quia nullus amor proximi, ſed ſolum amor ſui; amor proximi, qui apud illos apparet, nec aliud eſt, quam amor ſui, nam quantum alter favet, hoc eſt, quantum is ſuus eſt, tantum amatur; at quantum non favet, ſeu quantum non ſuus eſt, tantum rejicitur, & ſi prius fuerat amicus, tantum odio habetur, talia latent in amore ſui; nec ſe manifeſtant in mundo, ſed in altera vita, ubi erumpunt; cauſa quod ibi erumpant, eſt quia externa ibi auferuntur; & tunc patet, qualis homo interius fuerat.

6668. Et amarum reddiderunt vitam eorum ſervitute gravi, quod ſignificet uſque ut infeſta fieret ſubjugationis intentio, conſtat ex ſignificatione

amara reddi vita, quod ſit infeſta fieri; & ex ſignificatione ſervitutis, quod ſit ſubjugatio, hic ſubjugationis intentio, ut ſupra n: 6666.

6669. In luto & in lateribus, quod ſignificet propter mala quæ invenerunt, & falſa quæ finxerunt, conſtat ex ſignificatione luti, quod ſit bonum, & in oppoſito ſenſu malum, de qua ſequitur; & ex ſignificatione laterum, quod ſint falſa quæ fingunt, de qua n: 1296; de malis & falſis, quæ infernales inveniunt & fingunt, videatur mox n: 6666. Quod lutum ſit malum ex quo falſum, patet ab his locis in Verbo, apud Eſaiam, "Impii ſicut mare impulſum, quando quieſcere non poteſt, *ejiciunt aquæ ejus cænum & lutum,*" LVII: 20; cænum pro falſo ex quo malum, & lutum pro malo ex quo falſum. Apud Jeremiam, "*Immerſi ſunt in lutum pedes tui,* receſſerunt retrorſum," XXXVIII: 22; immerſi in lutum pedes, pro quod naturale in malum. Apud Nahum, "Aquas obſidii hauri tibi, confirma munimenta tua, *intra in cænum,* & *calca lutum,* repara fornacem lateritiam, ibi comedet te ignis, & exſcindet te gladius," III: 14. 15, calcare lutum pro ex malo cogitare falſum. Apud Habakuk, "Dicet, væ multiplicanti non ſuum, quouſque? & *oneranti ſuper ſe lutum,* nonne ſubito ſurgent mordentes te," II: 6. 7, onerare ſuper ſe lutum, pro malum. Apud Davidem, "Jehovah fecit aſcendere me e fovea devaſtationis, *e cæno luti,* & conſtituit ſuper petra pedes meos," Pſalm: XL: 3. Apud Eundem, "*Submerſus ſum in Luto profundo,* nec conſiſtens, veni in profunditates aquarum, & fluctus obruit me: *eripe me e luto ne ſubmergar,* & e profunditatibus aquarum, & ne abſorbeat me profunditas," Pſalm: LXIX: 3. 16; lutum pro malo, ex quo falſum. Apud Eſaiam, "Venient antiſtites *ſicut Lutum,* & ſicut figulus *calcat cænum,*" XLI: 25. Lutum autem pro Bono, in his locis; apud Eſaiam, "Nunc Jehovah Pater noſter Tu, *nos Lutum,* & Tu *figulus* noſter, & opus manus tuæ omnes nos," LXIV: 7; lutum pro homine Eccleſiæ qui formatur, ita pro bono fidei, per quod homo formatur, hoc eſt, reformatur. Similiter apud Jeremiam, "Dixit Jehovah ad Jeremiam, ſurge & deſcende *domum figuli,* & ibi audire faciam te verba mea; deſcendi itaque *in domum figuli,* cum ecce ille fecit opus ſuper tabula, ſed corruptum eſt vas quod ille faciens, *ſicut lutum in manu figuli,* & reverſus eſt, & fecit illud vas aliud, quemadmodum rectum fuit, in manu *figuli* facere. Tunc factum eſt verbum Jehovæ ad me, dicendo, num ſicut figulus hic non poſſum facere vobis domus Iſraelis, dictum Jehovæ; ecce *quemadmodum lutum in manu figuli,* ſic vos in manu mea, domus Iſraelis," XVIII: 1 ad 6, domus Iſraelis pro Eccleſia quæ formanda, & quia formatio fit per bonum charitatis & verum fidei, & illa ſignificantur per lutum & vas figuli, ideo Propheta juſſus eſt ire in domum figuli; quod non factum niſi per lutum & per vas figuli illa ſignificata fuerint. Alibi etiam Jehovah ſeu Dominus vocatur *Figulus,* & homo qui reformatur *Lutum,* nempe Eſai: XXIX: 15. 16. Cap. XLV: 9. Hiob: X. 9. Cap: XXXIII: 6. "Quod Dominus *fecerit Lutum ex ſputo,* & inunxerit ſuper oculos cæci nati, & juſſerit ut lavaret ſe in lacu Siloam, & quod inde cæcus factus videns," Joh: IX: 6. 7. 11, factum erat, quia repræſentabatur Reformatio hominis, qui

qui in ignorantia veri natus eſt, & quod reformatio fiat per bonum fidei, quod eſt lutum.

6670. Et in omni ſervitio in agro, quod ſignificet ſubjugationis intentionem contra illa quæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione ſervitii, quod ſit ſubjugationis intentio, de qua ſupra n: 6666; & ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua n: 2971. 3766.

6671. Cum omni ſervitio illorum, quo ſervire fecerunt illos in ſævitia, quod ſignificet ſubjugationis intentionem multis modis, ex immiſericordia, conſtat ex ſignificatione ſervitii, quod ſit intentio ſubjugationis, ut ſupra n: 6666. 6668. 6670; & quia dicitur omne ſervitium, ſignificatur quod multis modis; & ex ſignificatione ſævitiæ, quod ſit immiſericordia, de qua n: 6667.

6672. Verſ: 15 ad 21. *Et dixit rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum, quarum nomen unius Schiphra, & nomen alterius Puah. Et dixit in obſtetricando vos Hebræis, & videritis ſuper ſellis, ſi filius ille, & occidetis illam, & ſi filia illa, & vivat. Et timebant obſtetrices Deum, & non fecerunt quemadmodum loquutus ad illos rex Ægypti, & vivificabant pueros. Et vocavit rex Ægypti obſtetrices, & dixit illis, quapropter facitis verbum iſtud, & vivificatis pueros. Et dicebant obſtetrices ad Pharaonem, quia non, ſicut mulieres Ægyptiæ, Hebrææ, quia viventes illæ, antequam venit ad eas obſtetrix, & pepererunt. Et benefecit Deus obſtetricibus, & multiplicabatur populus, & numeroſi facti valde. Et fuit, quia timuerunt obſtetrices Deum, & fecit illis domos.* Et dixit rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum, ſignificat influxum ex ſcientificis in naturale, ubi vera ſcientifica quæ Eccleſiæ: quarum nomen unius Schiphra, & nomen alterius Puah, ſignificat quale & ſtatum naturalis ubi ſcientifica: & dixit, in obſtetricando vos Hæbreis, & videritis ſuper ſellis, ſignificat apperceptionem influentis veri & boni ab Interno in ſcientifica: ſi filius ille, & occidetis illum, ſignificat ſi verum, quod quo modo poſſent, deſtruerent: & ſi filia illa, & vivat, ſignificat quod non ſi bonum: & timebant obſtetrices Deum, ſignificat quod vera ſcientifica, quia a Divino, cuſtodirentur: & non fecerunt, quemadmodum loquutus ad illos rex Ægypti, ſignificat quod non ita factum, ſicut intendebant qui in falſis: & vivificabant pueros, ſignificat quod vera quia boni conſervarentur: & vocabat rex Ægypti obſtetrices, ſignificat quod conſilium inirent illi qui in falſis contra illos qui in veris ſcientificis in naturali: & dixit illis, quapropter facitis verbum iſtud, & vivificatis pueros, ſignificat iracundiam quod vera non deſtruerentur: & dicebant obſtetrices ad Pharaonem, ſignificat apperceptionem de veris illis ſcientificis in naturali: quia non, ſicut mulieres Ægyptiæ, Hebrææ, ſignificat quod talia non ſint ſcientifica Eccleſiæ qualia ſcientifica illis contraria: quia viventes illæ ſignificat quod in illis vita ſpiritualis: illæ, antequam venit ad eas obſtetrix, pepererunt, ſignificat quod naturale non ſciat antequam illis vita: & benefecit Deus obſtetricibus, ſignificat quod naturali a Divino benedictum ſit: & multiplicabatur populus, & numeroſi facti valde, ſignificat quod vera inibi producerentur continue, & ſic creſcerent: & fuit, quia timuerunt ob-

ſtetrices Deum, ſignificat quia vera ſcientifica a Divino cuſtodiebantur: & fecit illis domos, ſignificat quod in cœleſtem formam diſponerentur.

6673. Et dixit rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum, quod ſignificet influxum ex ſcientificis ſeparatis in naturale ubi vera ſcientifica quæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit influxus, de qua n: 5743. 6291; ex ſignificatione regis Ægypti, quod ſint ſcientifica ſeparata quæ ſunt contra vera Eccleſiæ, de qua n: 6651; ex ſignificatione obſtetricum, quod ſint naturale, de qua n: 4587. 4921; & ex ſignificatione Hebræarum, quod ſint quæ Eccleſiæ, de qua n: 5136. 5236; ita quoque vera ſcientifica, quæ ſunt Eccleſiæ. Quod obſtetrices ſint naturale, eſt quia naturale recipit id quod ab Interno influit, & ſic quaſi obſtetricatur.

6674. Quarum nomen unius Schiphra, & nomen alterius Puah, quod ſignificet quale & ſtatum naturalis ubi ſcientifica, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale, de qua n: 144. 145. 1896. 2009; & quoque ſtatus, n: 1946. 2643. 3422. 4298; nomina enim in Verbo omnia ſignificant res, & in ſumma comprehendunt illa quæ iſtius rei ſunt de qua agitur, ita quale & ſtatum ejus, hic itaque nomina Schiphra & Puah quale & ſtatum Naturalis ubi vera ſcientifica, quia hæc eſt res, de qua agitur, ut patet a mox præcedentibus n: 6673. Qui non novit, quod nomen ſit quale & ſtatus rei de qua agitur, is credere poteſt, quod ubi nomen dicitur, ſit modo nomen quod intelligitur; ita ubi de Nomine ſuo Dominus dicit, quod ſit modo Nomen, cum tamen eſt quale cultus, nempe omne fidei & charitatis per quæ colendus; ut apud Matthæum, "Ubi ſunt duo aut tres *congregati in Nomine Meo*, ibi ſum in medio eorum," XVIII: 20; ibi non Nomen intelligitur, ſed cultus ex fide & charitate. Apud Johannem, "Quotquot receperunt, dedit illis poteſtatem, ut filii Dei eſſent, *credentibus in Nomen Ipſius*," I: 2, hic etiam per Nomen intelligitur fides & charitas, quibus Dominus colitur. Apud Eundem, "Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quod Jeſus ſit Chriſtus, Filius Dei, *ut credentes vitam habeatis in Nomine Ipſius*," XX: 31, ſimiliter. Apud Eundem, "Si *quid petieritis in Nomine Meo*, hoc faciam," XIV: 13. 14. & alibi, "*Quodcunque petieritis Patrem in Nomine Meo*, dabit vobis," XV: 16. 17. Cap: XVI: 23. 24; hic non intelligitur quod peterent Patrem in Nomine Domini, ſed quod Ipſum Dominum, nam ad Divinum Bonum, Quod eſt Pater, n: 3704, non patet aditus quam per Divinum Humanum Domini, ut quoque notum eſt in Eccleſiis; quare petere Ipſum Dominum, eſt ſecundum vera fidei, ſi ſecundum illa petitur, datur; ut quoque Ipſe dicit in priori loco apud Johannem, "Si quid petieritis in Nomine Meo, hoc faciam," hoc adhuc conſtare poteſt ex eo, quod Dominus ſit Nomen Jehovæ, de quo ita apud Moſen, "Ego mitto Angelum coram te, ad cuſtodiendum te in via, caveto a faciebus Ipſius, & audi vocem Ipſius, nec exacerba Ipſum, *quia Nomen Meum in medio Ipſius*," Exod: XXIII: 20. 21: Apud Johannem, "Pater *glorifica Nomen Tuum*, exiit vox e cœlo, & glorificavi, & rurſus glorificabo," XII: 28: Apud Eundem, "*Manifeſtavi Tuum Nomen* hominibus, quos dediſti Mihi ex mundo. *Notum feci illis Nomen*

Tuum,

Tuum, & notum faciam; ut amor quo amaſti Me, in illis ſit, & Ego in illis," XVII : 6. 17; ex quibus patet, quod Dominus quoad Divinum Humanum ſit Nomen Jehovæ, ſeu omne Quale Ipſius, inde a Divino Humano eſt omnis cultus Divinus, & Illud eſt quod colendum, ſic enim colitur Ipſum Divinum ad quod nulla cogitatio alioquin pertingit, & ſi nulla cogitatio, nec conjunctio. Quod Nomen Domini ſit omne fidei & amoris, per quod Dominus colendus, ulterius ab his locis patet; apud Matthæum, "Eritis odio habiti quibuſcunque *propter Nomen Meum*," X : 22. Apud Eundem, "Qui recipit unum puellum talem *in Nomine Meo*, Me recipit," XVIII : 8. Apud Eundem, "Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, *propter Nomen Meum*, centuplum accipiet," XIX : 29. Apud Eundem, "Clamabant, Oſanna Filio Davidis, *benedictus qui venit in Nomine Domini*," XXI : 9: Apud Lucam, "Amen dico vobis, quia non Me videbitis, uſque dum veniat, ut dicatis, *benedictus qui venit in Nomine Domini*," XIII : 35. Apud Marcum, "Quiſquis potaverit vos poculo aquæ *in Nomine Meo*, eo quod Chriſti ſitis, amen dico vobis, non perdet mercedem," IX : 41. Apud Lucam, "Reverſi ſunt ſeptuaginta cum gaudio, dicentes, Domine, etiam dæmonia obediunt nobis *in Nomine Tuo:* Jeſus dixit illis, in hoc ne gaudete, quod ſpiritus obediant vobis, ſed gaudete potius *quod Nomina veſtra ſcripta ſint in cælo*," X : 17. 20; nomina ſcripta in cœlo, non ſunt nomina, ſed quale fidei & charitatis eorum: ſimiliter Nomina ſcripta in Libro Vitæ, in Apocalyſi, "*Habes pauca nomina* etiam in Sardis, quæ non polluerunt veſtimenta ſua: qui vicerit, hic induetur veſtimentis albis, *& non delebo Nomen ejus e Libro vitæ*, & *confitebor Nomen ejus* coram Patre, & coram Angelis Ipſius," III : 4. 5. Pariter apud Johannem, "Ingrediens per januam, paſtor ovium eſt, *hic proprias oves vocat Nomine tenus*," X : 2, 3. in Exodo, "Jehovah ad Moſen, *novi te Nomine*," XXXIII : 12. 17. Apud Johannem, "*Multi crediderunt in Nomen Ipſius*, videntes Ipſius ſigna, quæ faciebat," II : 23. Apud Eundem, "Qui credit in Ipſum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt, *quia non credidit in Nomen Unigeniti Dei*," III : 18. Apud Eſaiam, "*Timibunt* ab occaſu *Nomen Jehovæ*," LIX : 19. Apud Micham, "Omnes populi *ambulant in Nomine Dei ſui*, & nos *ambulabimus in Nomine Jehovæ Dei noſtri*," IV : 5. Apud Moſen, "*Jehovam Deum colerent* in loco quem electurus eſt, & *poſiturus Nomen ſuum*," Deut : XII : 5. 11. 14: pariter apud Eſaiam Cap : XVIII : 7: & apud Jeremiam Cap : VII : 12. Præterea pluribus aliis in locis, ut Eſai : XXVI : 8. 13. Cap : XLI : 25. Cap : XLIII : 7. Cap : XLIX : 1. Cap : L : 10. Cap : LII : 5. Cap : LXII : 2. Jerem : XXIII : 27. Cap : XXIV : 16. Ezech : XX : 14. 44. Cap : XXXVI : 21. 22. 23. Mich : V : 3. Malach : I : 11. Deut : X : 8. Apoc : II : 17. Cap : III : 12. Cap : XIII : 8. Cap : XVII : 8. Cap : XIV : 11. Cap : XV : 2. Cap : XIX : 12. 13. 16. Cap : XXII : 3. 4. Quod Nomen Jehovæ ſit omne quo colitur, ita in ſupremo ſenſu omne quod procedit a Domino, conſtat a Benedictione, "Benedicat

tibi

tibi Jehovah, & cuſtodiat te; illuminet Jehovah facies ſuas ſuper te, & miſereatur tui; tollat Jehovah facies ſuas ſuper te, & ponat tibi pacem: *ita ponent Nomen meum ſuper filios Iſraelis*," Num: VI: 23 ad 27. Ex his nunc patet, quid intelligitur per Præceptum hoc Decalogi, "*Non ſumes Nomen Dei tui in vanum*, quia non innocentem habebit Jehovah eum, *qui ſumſerit Nomen Ipſius in vanum*," Exod: XX: 7. Tum quid in Oratione Domini, per "*Sanctificetur Nomen Tuum*," Matth: VI: 9.

6675. Et dixit in obſtetricando vos Hebræis, & videritis ſuper ſellis, quod ſignificet apperceptionem influentis veri & boni ab Interno in ſcientifica Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione obſtetricari, quod ſit receptio boni & veri influentis ab Interno in naturale, eſt enim obſtetrix naturale, quatenus recipit influxum, videatur n: 4587. 6673; ex ſignificatione Hebræarum, quod ſint illa quæ ſunt Eccleſiæ, de qua n: 5136. 5236; ex ſignificatione videre, quod ſit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; & ex ſignificatione ſellarum, quod ſint illa in naturali, quæ recipiunt influentia bona & vera ab Interno, ita ſunt vera ſcientifica, nam hic recipiunt: inde patet, quod per in obſtetricando vos Hebræis, & videritis ſuper ſellis, ſignificet apperceptio influentis veri & boni ab Interno in ſcientifica Eccleſiæ, quæ in naturali.

6676. Si filius ille, & occidetis illum, quod ſignificet ſi verum, quod, quo modo poſſunt, deſtruerent, conſtant ex ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; & ex ſignificatione occidere, quod ſit deſtruere, nam dicitur de vero; ſed deſtruerent modo quo poſſent, nam mali apud bonos vera deſtruere non poſſunt.

6677. Si filia illa, & vivat, quod ſignificet quod non, ſi bonum, conſtat ex ſignificatione filiæ, quod ſit bonum, de qua n: 489. 490. 491. 2362; & ex ſignificatione vivere, quod ſit quod non deſtruendum. Cauſa, quod rex Ægypti dixerit, quod filius occideretur, non autem filia, patet a ſenſu interno, qui eſt, quod verum conarentur deſtruere, non autem bonum; cum enim infernales infeſtant, tunc licet illis aggredi vera, non autem bona; cauſa eſt, quia vera ſunt, quæ oppugnari poſſunt, non autem bona, hæc tuta ſunt a Domino, cumque infernales tentant aggredi bona, dejiciuntur profunde in infernum, nam ad præſentiam boni conſiſtere nequeunt, eſt enim in omni bono Dominus præſens; inde eſt, quod Angeli, quia in bono ſunt, tantam poteſtatem ſuper infernales ſpiritus habeant, ut unus illorum millia infernalium domare poſſit: ſciendum, quod in bono ſit vita, nam bonum eſt amoris, & amor eſt vita hominis; ſi malum, quod eſt amoris ſui & mundi, & eſt apparens bonum iis qui in illis ſunt, impugnat bonum quod eſt amoris cœleſtis, pugnat vita unius contra vitam alterius, & quia vita ex bono amoris cœleſtis eſt ex Divino, idcirco vita ex amore ſui & mundi tunc, ſi collidit cum illa, incipit exſtingui, ſuffocatur enim, & ſic cruciantur ſicut qui in agone mortis ſunt; quapropter ſe præcipitant in infernum, ubi iterum vitam ſuam recuperant, videatur n: 3938. 4225. 4226. 5057. 5058: hæc quoque

que cauſa eſt, quod a malis geniis & ſpiritibus bonum oppugnari nequeat, ac ita quod illi non auſint bonum deſtruere; aliter ſe habet cum vero, hoc non vitam habet in ſe, ſed a bono, hoc eſt, per bonum a Domino.

6678. Et timebant obſtetrices Deum, quod ſignificet quod vera ſcientifica, quia a Divino, cuſtodirentur, conſtat a ſignificatione timere Deum, quod ſit cuſtodire quod Divinum præcepit, nam qui Deum timent, cuſtodiunt præcepta; at quia omnis timor ſanctus, & inde obedientia ac cuſtoditio præceptorum, ſunt ex Divino, & prorſus nihil ab homine, idcirco per timebant Deum, ſignificatur quod a Divino cuſtodirentur; & ex ſignificatione obſtetricum, quod ſint naturale ubi vera ſcientifica, de qua n: 4587. 6673. 6675.

6679. Et non fecerunt quemadmodum loquutus ad illis rex Ægypti, quod ſignificet quod non ita factum ſicut intendebant qui in falſis, conſtat ex ſignificatione non fecerunt quemadmodum loquutus, quod ſit non ita factum ſicut intendebant, nempe quod non deſtruere potuerint vera, quæ ſignificantur per filios, ſed quod intenderent deſtruere omni modo quo poſſent, n: 6676; & ex ſignificatione regis Ægypti, quod ſit ſcientificum ſeparatum quod contra verum Eccleſiæ, de qua n: 6651, ita falſum, nam ſcientificum illud eſt falſum.

6680. Et vivificabant pueros, quod ſignificet quod vera quia boni conſervarentur, conſtat a ſignificatione vivificare, quod ſit conſervare; & a ſignificatione filiorum, qui hic vocantur pueri, quod ſint vera, de qua ſupra n: 6676: filii hic vocantur pueri, quia per pueros ſignificatur bonum innocentiæ, n: 430. 2782. 5236; quare pueri hic ſunt vera quæ boni.

6681. Et vocavit rex Ægypti obſtetrices, quod ſignificet quod conſilium inirent illi qui in falſis contra illos qui in veris ſcientificis in naturali, conſtat ex ſignificatione vocare, quod hic ſit conſilium inire, nam cauſa vocationis erat deſtruere vera, ſed conſilium irritum factum eſt, quia vera a Divino cuſtodiebantur, quod ſignificatur per quod obſtetrices timerent Deum, n: 6678: ſeipſa etiam mali in altera vita, qui infeſtant bonos, conſilium inter ſe ineunt, quod etiam ab experientia ſcire datum eſt; ex ſignificatione regis Ægypti, quod ſint qui in falſis, de qua mox ſupra n: 6679; & ex ſignificatione obſtetricum, quod ſint naturale ubi vera ſcientifica, de qua n: 4587. 6673. 6675. 6678: inde patet, quod per vocavit rex Ægypti obſtetrices, ſignificetur quod conſilium inirent illi qui in falſis contra illos qui in veris ſcientificis in naturali.

6682. Et dixit illis, quapropter facitis verbum iſtud, & vivificatis pueros, quod ſignificet iracundiam quod vera non deſtruerentur, conſtat ex ſignificatione quapropter facitis verbum iſtud, quod ſint verba increpationis, ita iracundiæ; & ex ſignificatione vivificare, quod ſit non deſtruere, ut ſupra n: 6677. 6680; & ex ſignificatione puerorum, quod ſint vera quæ boni, de qua n: 6680.

6683. Et dicebant obſtetrices ad Pharaonem, quod ſignificet apperceptionem de veris illis ſcientificis in naturali, conſtat a ſignificatione dicere in hiſtoricis

ſtoricis Verbi, quod ſit apperceptio, de qua ſæpius; ex ſignificatione obſtetricum, quod ſint vera ſcientifica in naturali, de qua mox ſupra n: 6681; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint ſcientifica falſa in communi, de qua etiam ſupra n: 6679. 6681.

6684. Quia non, ſicut mulieres Ægyptiæ, Hebrææ, quod ſignificet quod talia non ſint ſcientifica Eccleſiæ, qualis ſcientifica illis contraria, conſtat ex ſignificatione mulierum Hebræarum, quod ſint illa quæ ſunt Eccleſiæ, de qua n: 5136. 5236. 6673. 6675; & ex ſignificatione mulierum Ægyptiarum, quod ſint talia quæ ſunt contra illa quæ Eccleſiæ; quæ quod ſint ſcientifica, patet ab illis quæ præcedunt, tum ex ſignificatione Ægypti, quod ſint ſcientifica n: 6638, hic ſcientifica contraria veris ſcientificis Eccleſiæ; quod mulieres ſint illa quæ Eccleſiæ, videatur n: 252. 253.

6685. Quia viventes illæ, quod ſignificet quod in illis vita ſpiritualis, conſtat ex ſignificatione vivere, quod ſit vita ſpiritualis, de qua n: 5890, hic vita ſpiritualis in illis quæ Eccleſiæ, quæ ſignificantur per mulieres Hebræas. Quid vita ſpiritualis, aliquoties prius dictum eſt, ſed quia hodie quid ſpirituale pauci ſciunt, licet adhuc paucis exponere quod ſit; Spirituale in ſua prima origine eſt Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, quod Verum in ſe habet Divinum Bonum, quia Divinum Verum exit a Divino Humano Domini, Quod eſt Divinum Bonum; Divinum illud Verum, in quo Divinum Bonum, eſt ipſum Spirituale in ſua origine, & eſt ipſa vita quæ implet cœlum, imo quæ implet univerſum; & ubi eſt ſubjectum, ibi influit; ſed in ſubjectis variatur ſecundum formam; in ſubjectis quæ concordant cum bono, ibi ſiſtit vitam ſpiritualem; at in ſubjectis quæ diſcordant a bono, ibi ſiſtet vitam contrariam vitæ ſpirituali, quæ in Verbo appellatur mors: inde nunc patet, quid vita ſpiritualis, quod nempe ſit eſſe in veris a bono, quæ a Domino procedunt.

6686. Illæ antequam venit ad illas obſtetrix, & pepererunt, quod ſignificet quod naturale non ſciat antequam illis vita, nempe veris ſcientificis quæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione obſtetricis, quod ſit Naturale ubi vera ſcientifica quæ Eccleſiæ, de qua ſupra n: 6681; & ex ſignificatione parere, quod ſint illa quæ fidei & charitatis, de qua n: 3860. 3868. 3905. 3915, ita quæ ſunt vitæ ſpiritualis; quod *non ſciat* Naturale, ſignificatur antequam venit ad illas obſtetrix. Cum hoc, quod Naturale non ſciat antequam vita veris ſcientificis, ita ſe habet; vita veris ſcientificis in naturali omnis eſt a bono quod per Internum influit; quando bonum influit, prorſus neſcit naturale, quia naturale eſt in obſcuro reſpective; quod in obſcuro ſit in luce mundi & inde ſimul in mundanis, in quæ cum lux cœli influit, fit apperceptio obſcura; & quoque ex eo, quod in naturali ſint communia, quæ non perceptibilia ſunt ſingularium, nam quo communius aliquid eſt, eo minus percipit ſingularia; & inde eo minus percipit contingentia quæ apud ſe exiſtunt; & præterea in naturali non ſunt ipſa bona & vera, ſed ſunt repræſentativa illorum; inde nunc eſt, quod naturale non ſciat quando vita veris ſcientificis, conſequenter quando regeneratur, nec quomodo, ſecundum Domini verba

apud

apud Johannem, "Spiritus ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis, atque non ſcis unde venit, ac quo abit; ſic eſt cum omni qui regeneratur a ſpiritu," III: 8. Per naturale intelligitur homo Externus, qui etiam homo Naturalis vocatur.

6687. Et benefecit Deus obſtetricibus, quod ſignificet quod naturali a Divino benedictum ſit, conſtat ex ſignificatione benefacere, cum dicitur de Deo, quod ſit benedicere; & a ſignificatione obſtetricum, quod ſint naturale, ubi vera ſcientifica, de qua ſupra n: 4587. 6673. 6675. 6678.

6688. Et multiplicabatur populus, & numeroſi facti valde, quod ſignificet quod vera inibi producerentur continue, & ſic creſcerent, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 6648, dicta ſunt, ubi ſimilia verba; quod populus prædicetur de veris, videatur n: 1259. 1260. 3295. 3581.

6689. Et fuit, quia timuerunt obſtetrices Deum, quod ſignificet quia vera ſcientifica a Divino cuſtodiebantur, conſtat ab illis, quæ ſupra n: 6678 dicta ſunt, ubi ſimilia verba.

6690. Et fecit illis domos, quod ſignificet quod in cœleſtem formam diſponerentur, nempe vera ſcientifica in naturali, conſtat ex ſignificatione domus, quod ſit mens naturalis, de qua n: 4973. 5023, ita ea quæ ſunt illius mentis, quæ hic, quia de obſtetricibus dicitur, ſunt vera ſcientifica in naturali, n: 6687; facere itaque illis domos, eſt diſponere illa in ordinem, ac in ordinem diſponuntur cum in formam cœleſtem. Quod hæc per facere illis domos ſignificentur, non facile ſciri poteſt, niſi ſciatur quomodo cum veris ſcientificis, quæ ſunt mentis naturalis, ſe habet; paucis itaque dicendum; ſcientifica in naturali in continuas ſeries diſpoſita ſunt, una ſeries cum altera, & ſic omnes, cohærent ſecundum varias affinitates & propinquitates; ſeque habent non abſimiliter ac familiæ & earum generationes, naſcitur enim unum ab altero, & ſic producuntur; inde illa quæ ſunt mentis, nempe bona & vera, ab antiquis dicta fuerunt domus, bonum ibi regnans pater, & verum illi bono adjunctum mater, & derivationes filii, filiæ, generi, nurus, & ſic porro: ſed diſpoſitio verorum ſcientificorum in naturali variatur apud unumquemvis hominem; formam enim illis inducit amor dominans, ille amor in medio eſt, & circum ſe ordinat ſingula; ſibi proxime ponit illa, quæ maxime conveniunt, & reliqua in ordine ſecundum convenientias; inde forma ſcientificis: ſi amor cœleſtis dominatur, tunc a Domino diſponuntur ibi omnia in formam cœleſtem, quæ forma eſt qualis eſt cœli, ita forma ipſius boni amoris; in hanc formam diſponuntur vera, quæ cum ita diſpoſita ſunt, unum agunt cum bono; & tunc cum excitatur unum a Domino, excitatur alterum, nempe cum illa quæ fidei, excitantur illa quæ charitatis, & vice verſa: talis diſpoſitio eſt, quæ ſignificatur per quod Deus fecerit obſtetricibus domos.

6691. Verſ: 22. *Et præcepit Pharao omni populo ſuo, dicendo, omnem filium, qui naſcitur, in flumen projiciatis illum, & omnem filiam vivificetis.* Et præcepit Pharao omni populo ſuo, ſignificat influxum communem in ſcienfica contraria veris Eccleſiæ: dicendo, omnem filium qui naſcitur in flumen

 proji-

projiciatis illum, ſignificat quod omnia vera quæ apparent immergerent falſis: & omnem filiam vivificetis, ſignificat quod bonum non aggrederentur.

6692. Et præcepit Pharao omni populo, quod ſignificet influxum communem in ſcientifica contraria veris Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione præcipere, quod ſit influxus, de qua n: 5486. 5732, hic influxus communis, quia a Pharaone, per quem repræſentatur ſcientificum in communi, n: 6015; & ex ſignificatione populi ejus, quod ſint ſcientifica contraria veris Eccleſiæ; quod Ægyptii, qui hic ſunt populus, ſint ſcientifica, ſæpius oſtenſum eſt, videatur n: 6638. Quod per Ægyptios ſcientifica contraria veris Eccleſiæ ſignificentur, eſt, quia repræſentativa & ſignificativa Eccleſiæ Antiquæ, Eccleſia etiam apud illos fuerat, ibi verſa fuerunt in magica, nam per repræſentativa & ſignificativa Eccleſiæ eo tempore fuit communicatio cum cœlo; quæ communicatio fuit apud illos qui in bono charitatis vixerunt, & aperta apud plures; at qui non in bono charitatis vixerunt, ſed in contrariis, communicatio quandoque dabatur aperta cum ſpiritibus malis, qui omnia vera Eccleſiæ perverterunt, & cum illis deſtruxerunt bona, inde magica; hoc quoque conſtare poteſt a Hieroglyphicis Ægyptiorum, quibus etiam in ſacris utebantur, nam per illa ſignificabant ſpiritualia, & ordinem Divinum perverterunt, Magia non aliud eſt quam perverſio ordinis, imprimis eſt abuſus correſpondentiarum; ordo eſt, ut bona & vera quæ a Domino procedunt, ab homine recipiantur, cum hoc fit, ordo eſt in ſingulis quæ homo intendit & cogitat; at cum homo non recipit illa ſecundum ordinem, qui eſt a Domino, ſed credit, quod omnia ſint fluxus cæci, & ſi aliquid determinatum exiſtit, quod ſit prudentiæ propriæ, is ordinem pervertit, nam illa quæ ordinis ſunt applicat ad ſe, ut modo ſibi conſulat, non autem proximo, niſi quantum ille ſibi favet; inde, quod mirum, omnes qui ſibi firmiter impreſſerunt, quod omnia ſint propriæ prudentiæ, & nihil Providentiæ Divinæ, illi in altera vita ad magiam proniſſimi ſunt, & quantum poſſunt, etiam imbuunt; imprimis illi, qui quia ſibi fiderunt, & omnia ſuæmet prudentiæ adſcripſerunt plures artes & aſtutias excogitarunt ad ſe elevandos ſupra alios; tales, cum in altera vita judicati ſunt, conjiciuntur verſus inferna magicorum, quæ ſunt in plano ſub plantis ad dextram paulo verſus anteriora, extenſa ad multam diſtantiam, in quorum profundiſſimis ſunt Ægyptii: inde nunc eſt, quod per Pharaonem, Ægyptios, & Ægyptum, ſignificentur ſcientifica contraria veris Eccleſiæ. Ne itaque amplius repræſentativa & ſignificativa Eccleſiæ in magica verterentur, aſſumtus eſt populus Iſraeliticus, apud quem repræſentativa & ſignificativa Eccleſiæ reſtaurarentur; qui populus talis erat, ut is non poſſet magicum inde facere, nam erat prorſus in externis, & in nulla fide quod aliquid internum eſſet, minus quod aliquid ſpirituale, apud tales magicum non poteſt exiſtere, quale apud Ægyptios.

6693. Dicendo, omnem filium qui naſcitur in flumen projiciatis, quod ſignificet quod omnia vera quæ apparent immergerent falſis, conſtat ex ſignificatione filii quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; & ex ſignificatione fluminis, quod ſint illa quæ ſunt intelligentiæ, de qua

n: 108.

n: 108. 109. 2702. 3051, hic in oppoſito ſenſu quæ contraria ſunt, ita falſa; quod projicere ſit immergere patet. Quod flumen Ægypti ſit contrarium intelligentiæ, ita falſum, conſtat quoque apud Eſaiam, "Recedent *flumina*, comminuentur & *exſiccabuntur fluvii Ægypti*, papyri *juxta flumen, juxta os fluminis*, & omne *ſemen fluminis exareſcet*, impelletur, & ideo lugebunt piſcatores, & triſtes erunt omnes projicientes *in flumen* hamum, & expandentes rete *ſuper facies aquarum* langueſcent," XIX: 6. 7. 8; quod hic per flumen Ægypti non flumen intelligatur, nec piſcatores per piſcatores, ſed quod alia, quæ non patent niſi ſciatur, quid per Ægyptum, per flumen ibi, & per piſcatores intelligitur, ſi illa ſciuntur, patet ſenſus; quod per flumen Ægypti ſignificetur falſum, ex ſingulis ibi patet. Apud Jeremiam, "Quis hic *ſicut flumen* aſcendit, cujus *aquæ ſicut flumina commoventur*; Ægyptus *ſicut flumen* aſcendit, & *ſicut flumina commoventur aquæ ejus*, nam dixit, aſcendam, obtegam terram, perdam urbem, & habitantes in ea," XLVI: 7. 8; hic quoque flumen Ægypti pro falſis; aſcendere & obtegere terram pro Eccleſiam; perdere urbem pro doctrinam Eccleſiæ; & habitantes in ea, pro bona quæ inde; quod terra ſit Eccleſia, videatur n: 6649; quod urbs ſit doctrina Eccleſiæ, n: 402. 2450. 3216. 4492. 4493; & quod habitatores ſint bona ibi, n: 2268. 2451. 2712. Apud Ezechielem, "Ecce Ego contra te Pharao rex Ægypti, balæna magna, *quæ cubas in medio fluviorum ſuorum*; qui dixit, *meus eſt fluvius*, & ego feci me; propterea dabo hamos in maxillas tuas, & adhærere faciam *piſces fluviorum tuorum* ſquamis tuis, & faciam aſcendere te *e medio fluviorum tuorum*, & omnis *piſcis fluviorum tuorum* in ſquamis tuis hæreat; relinquam in deſerto te, & *omnem piſcem fluviorum tuorum*," XXIX: 3. 4. 5. 9. 10; quid hæc ſignificant, nec quiſquam ſcire poteſt abſque ſenſu interno, quod non Ægyptus intelligatur, patet; ita niſi ſciatur, quid Pharao, quid flumen, quid balæna, quid piſcis, quid ſquamæ; quod Pharao ſit naturale ubi ſcientificum, videatur n: 5469. 5799. 6015, quod balænæ ſint communia ſcientificorum quæ in naturali, n: 42, quod piſces ſint ſcientifica ſub communi, n: 40. 991; ſquamæ ſunt illa quæ plane externa ſunt, ita ſenſualia, quibus ſcientifica quæ falſa adhærent; ex his cognitis, putet quid ibi per flumen Ægypti intelligitur, quod nempe falſum. Apud Eundem, "In die illo, quo deſcenſurus eſt Pharao in infernum, lugere faciam, obtegam ſuper eum abyſſum, & *inhibebo flumina ejus*, & occludentur aquæ magnæ," XXXI: 15. Apud Amos, "Num propter hoc non commoveatur terra, & lugeat omnis habitans in ea, ita ut aſcendat ſicut rivus tota, & expellatur, & ſubmergatur *ſicut flumine Ægypti*: in die illo occidere faciam ſolem in meridie, & obtenebrabo terram in die lucis," VIII: 8. 9. Cap: IX: 5; terra, quæ commovebitur, pro Eccleſia, n: 6649, ſubmergi ſicut flumine Ægypti, pro a falſis perire: & quia falſa ſignificantur, dicitur, quod occidet ſol in meridie, & obtenebrabitur terra in die lucis; per occidere ſol in meridie, ſignificatur quod bonum amoris cœleſtis recedet, & per obtenebrari terra in die lucis, quod falſa Eccleſiam occupabunt; quod ſol ſit bonum amoris cœleſtis, videatur n: 1529. 1530. 2441. 2495. 3636.

 3643.

3643. 4060. 4696; quod tenebræ ſint falſa, n: 1839. 1860. 4418. 4531; & quod terra ſit Eccleſia, n: 82. 662. 1066. 1067. 1262. 1411. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 4447. 4535. 5577; quiſque videre poteſt, quod alia ſignificantur, quam quæ apparent ibi in litera, ut quod commovebitur terra, & lugebit omnis habitans in ea, quod occidet ſol in meridie, & obtenebrabitur terra in die lucis; niſi Eccleſia intelligatur per terram, falſum per flumen, amor cœleſtis per ſolem, non aliquis ſenſus, qui explicari poteſt, ibi invenitur. Quia flumen Ægypti ſignificat falſum, idcirco mandatum fuit Moſi, quod percuteret baculo *ſuper aquas fluminis illius*, & quod illæ inde verſæ ſint in ſanguinem, & *in flumine* mortuus omnis piſcis, & fætuit *flumen*," Exod: VII: 17. 18. 20. 21; & quoque quod Aharon extenderet manum cum baculo *ſuper fluvios, ſuper flumina*, & *ſuper ſtagna*, ex quo aſcendebant ranæ ſuper terram Ægypti," Exod: VIII: 1. 2; quod aquæ in oppoſito ſenſu ſignificent falſa, videatur n: 790; & quia aquæ ſunt fluminis, eſt flumen falſum in communi reſpective.

6694. Et omnem filiam vivificetis, quod ſignificet quod bonum non aggrederentur, conſtat ex illis quæ ſupra n: 6677, dicta ſunt, ubi ſimilia.

De Incolis aliarum Tellurum.

6695. *QUIA ex Divina Domini Miſericordia, mihi aperta ſunt interiora, quæ ſunt ſpiritus mei, ac ita loqui datum eſt cum illis qui in altera vita, nec ſolum cum illis qui ex hac tellure ſunt, ſed etiam cum illis qui ex aliis telluribus, idcirco, quia hoc ſcire deſiderium meum fuit, & quæ ſcire datum digna memoratu ſunt, licet illa ad finem Capitum ſequentium referre. Loquutus non ſum cum ipſis incolis tellurum, ſed cum ſpiritibus & angelis, qui fuerant incolæ ibi; & hoc non per diem aut ſeptimanam, ſed per plures menſes, cum aperta inſtructione e cœlo unde eſſent. Quod plures Tellures ſint, & ſuper illis homines, & inde ſpiritus & angeli, notiſſimum eſt in altera vita, nam cuivis, ſi deſiderat, cum illis loqui conceditur.*

6696. *Sunt Spiritus, qui in Maximo Homine referunt Memoriam, ſunt illi ex Planeta Mercurii; illis licet circumvagari, & ſibi acquirere cognitiones rerum quæ in univerſo; & quoque licet illis extra hujus Solis mundum tranſire in alios; hi dixerunt, quod non ſolum ſint Tellures, ſuper quibus homines, in hoc mundo, ſed etiam in univerſo, immenſo numero.*

6697. *Loquutus ſum cum Spiritibus aliquoties de ea re, & dictum, quod homo, qui intellectu pollet, ſcire poſſit ex multis, quod plures Tellures ſint,*

ſint, & ibi incolæ, nam ex rationali concludi poteſt, quod tantæ moles, quales ſunt planetæ, quarum aliquæ magnitudine ſuperant hanc tellurem, non ſint moles vacuæ, & creatæ ut modo ſpatientur circum ſolem, & luceant pro una tellure, ſed quod illarum uſus inſignior, quam talis, oporteat eſſe. Qui credit, ſicut quiſque credere debet, quod Divinum non creaverit univerſum propter alium finem, quam ut humanum genus exiſtat, & inde cælum, nam genus humanum eſt ſeminarium cæli, is non poteſt non credere, quam quod homines ſint, ubicunque aliqua tellus. Quod Planetæ, qui coram oculis noſtris viſibiles ſunt, quia intra terminos mundi hujus ſolis, Tellures ſint, manifeſte ſciri poteſt ex eo, quod corpora terreſtris materiæ ſint, quia lumen ſolis reflectunt; tum quod illæ, ſimiliter ac noſtra tellus, circum ſolem ferantur, & inde faciant annos & anni tempora, nempe ver, æſtatem, autumnum, & hyemem, cum variatione ſecundum climata; ut & quod circum axem ſuum, ſimiliter ac noſtra tellus, rotentur, & inde faciant dies, & horum tempora, nempe mane, meridiem, veſperam, & noctem; & inſuper quod aliqui eorum habeant Lunas, quæ vocantur Satellites, & circum orbem ſuum ſtatis temporibus vagantur, ſicut luna circum noſtrum; & quod Planeta Saturnus, quia longiſſime a Sole diſtat, habeat quoque Cingulum magnum lunare, quod multam lucem, tametſi reflexam, telluri illi dat: quis unquam, qui hæc novit, & ex ratione cogitat, dicere poteſt, quod hæc inania corpora ſint.

6698. *Inſuper cum Spiritibus loquutus ſum, quod ab homine credi queat, quod plures tellures in univerſo ſint quam una, ex eo, quod univerſum aſpectabile tot innumerabilibus aſtris illuſtre, tam immenſum ſit, & tamen id ſolum eſt medium ad finem qui ultimus creationis, qui finis eſt Regnum cæleſte, in quo Divinum habitare poteſt; univerſum enim aſpectabile eſt medium ut exiſtant Tellures, & ſuper illis homines, ex quibus Regnum cæleſte; quis unquam cogitare poteſt, quod tam immenſum medium factum ſit pro tam parvo & limitato fine, qui foret ſi incoleretur una tellus, & ex illa ſola cælum exiſteret; quid hoc foret pro Divino, quod Infinitum, cui parum, & vix aliquid eſſent millia, imo myriades tellurum, & omnes plenæ incolis. Præterea Cælum Angelicum tam immenſum eſt, ut correſpondeat ſingulis apud hominem, & myriades cuivis membro, organo & viſceri; & ſcire datum eſt, quod cælum, quoad omnes ſuas correſpondentias, nequaquam exiſtere poſſit, niſi ex incolis perplurium tellurum.*

6699. *Aliquoties vidi ſicut flumen magnum continuum, ad dextrum ad multam ſatis diſtantiam, in plano plantæ pedis; & dictum ab Angelis,*

lis, quod per illam viam veniant qui e mundis, & quod appareant ſicut flumen ob multitudinem: a fluminis magnitudine & torrente judicare potui, quod aliquot myriades hominum per diem alluant: inde quod Tellures multo numero eſſent, etiam ſcire datum eſt.

6700. Quod cultum Divinum incolarum aliarum Tellurum attinet, qui ibi non idololatræ ſunt, omnes agnoſcunt Dominum pro Unico Deo; non quidem ſciunt, niſi pauciſſimi, quod Dominus Humanum in hac Tellure aſſumſerit, & Illud Divinum fecerit; ſed adorant Divinum non ut Divinum prorſus incomprehenſibile, veram ut comprehenſibile per Humanam formam; nam cum Divinum illis apparet, in illa forma apparet, ſicut etiam olim Abrahamo & aliis in hac Tellure; & quia Divinum ſub Humana forma adorant, Dominum adorant: ſciunt etiam, quod nemo conjungi Divino fide & amore poſſit, niſi Divinum in forma ſit, quam aliqua idea comprehendant, ſi non in forma diſſiparetur idea, ſicut viſus in univerſo. Cum dictum illis a noſtræ telluris ſpiritibus, quod Dominus in hac tellure ſuſceperit Humanum, penſitarunt aliquantum, & mox dixerunt, quod propter ſalvationem generis humani; hoc factum ſit; & quod Divinum, quod lucet ut Sol in Cælo, & cum apparet ſe in forma Humana ſiſtit videndum, ſanctiſſimo cultu adorent; quod Dominus ut Sol in altera vita appareat, & quod inde omnis lux cæli, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643. 4060. 4321 f. 5097. Sed de his in ſequentibus plura in ſpecie memoranda ſunt.

6701. Spiritus & Angeli, qui ex aliis telluribus, omnes ſecundum tellures inter ſe ſeparati ſunt; non apparent in uno loco ſimul; cauſa eſt, quia incolæ unius telluris prorſus alio genio ſunt quam incolæ alterius; nec conſociantur in cælis, modo in intimo ſeu tertio cælo; qui illuc veniunt, ſimul ſunt ab omni tellure, & illud cælum conjunctiſſime conſtituunt.

6702. Ad finem ſequentis Capitis, dicetur de Spiritibus Planetæ Mercurii,

EXODI

EXODI

CAPUT SECUNDUM.

Doctrina Charitatis.

6703. QUIA ante Capita Libri Exodi inſtitutum eſt tradere Doctrinam Charitatis, primum dicendum eſt quid Proximus, ille enim eſt erga quem Charitas exercenda, niſi enim ſcitur qui ſunt Proximus, Charitas poteſt exerceri ſimili modo abſque diſtinctione, æque erga malos quam erga bonos; unde Charitas non fit charitas, mali enim ex benefactis malefaciunt proximo, ſed boni benefaciunt.

6704. Communis opinio hodie eſt, quod omnis homo ſit æque proximus, & quod benefaciendum unicuivis qui opis indiget; ſed prudentiæ Chriſtianæ intereſt, bene ſcrutari qualis hominis vita eſt, & ſecundum illam, charitatem exercere: Internæ Eccleſiæ homo cum diſcrimine, ita cum intelligentia, hoc agit; at Externæ Eccleſiæ homo, quia non ita diſcernere res poteſt, indiſcriminatim facit.

6705. Antiqui Proximum redegerunt in Claſſes, & unamquamvis Claſſem nominaverunt ſecundum nomina eorum qui apparent in mundo præ aliis opitulandi; & docuerunt quomodo Charitas exercenda eſſet erga illos qui in una Claſſe, & erga illos qui in altera; & ſic in ordinem redegerunt Doctrinam, & ſecundum illam redegerunt vitam; inde Doctrina Eccleſiæ illorum continebat Leges vitæ; & inde videbant, qualis unus & alter eſſet homo Eccleſiæ, quem vocabant fratrem, ſed cum diſcrimine in ſenſu interno ſecundum exercitia charitatis ex genuina Eccleſiæ Doctrina, aut ex Doctrina immutata a ſe; quiſque enim, quia vult apparere inculpatus, vitam ſuam defendit, & ideo Leges Doctrinæ, in ſui favorem, vel explicat vel immutat.

6706. Diſcrimina Proximi, quæ homo Eccleſiæ omnino ſcire debet, ut ſciat quale charitatis, ſe habent ſecundum bonum quod eſt apud unumquemvis; & quia omne Bonum procedit a Domino, eſt Dominus in ſupremo ſenſu ac in ſupereminente gradu Proximus a Quo origo; inde ſequitur, quod quantum Domini quiſque apud ſe habet, tantum ſit Proximus, & quia nullus ſimili modo recipit Dominum, hoc eſt, Bonum quod ab Ipſo procedit, idcirco nec unus ſimili modo eſt Proximus ac alter; omnes enim, quicunque in cœlis ſunt, & omnes

omnes quicunque in terris, differunt bono: nuſquam datur apud duos bonum prorſus unum & idem, varium erit, ut unumquodvis per ſe ſubſiſtat. Sed omnia illa varia, ita omnia diſcrimina Proximi, quæ ſe habent ſecundum receptionem Domini, hoc eſt, ſecundum receptionem Boni ab Ipſo procedentis; nuſquam aliquis homo, ne quidem Angelus, ſcire poteſt, ſed modo in communi, ita genera & horum aliquot ſpecies: nec Dominus plus ab homine Eccleſiæ requirit, quam ut vivat ſecundum id quod ſcit.

6707. Ex his nunc liquet, quod quale Boni Chriſtiani, determinet in quo gradu unuſquiſque eſt Proximus; eſt enim Dominus in Bono præſens, quia id Ipſius eſt, & præſens eſt ſecundum quale ejus; & quia a Domino origo Proximi ducenda eſt, quod idcirco diſcrimina Proximi ſe habeant ſecundum præſentiam Domini in Bono, ita ſecundum quale Boni.

6708. Quod Proximus ſit ſecundum quale boni, patet a Domini parabola de illo qui incidit in latrones, quem ſemimortuum Sacerdos præterivit, & quoque Levita, ſed Samarita, poſtquam obligavit vulnera ejus, & infudit oleum & vinum, ſuſtulit ſuper proprium jumentum, & duxit in diverſorium, & curam ejus habuit; hic, quia bonum charitatis exercuit, Proximus dicitur," Luc: x: 29 ad 37: inde ſciri poteſt, quod Proximus ſint qui in Bono: at qui in malo, quidem Proximus ſunt, ſed prorſus alio reſpectu; & quia ita, aliter illis benefaciendum eſt: at de his, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus dicendum.

6709. Quia quale Boni eſt, quod determinat, quomodo quiſque Proximus eſt, eſt Amor qui hoc facit; nam non datur aliquod Bonum, quod non eſt amoris, inde omne Bonum, & inde quale Boni exiſtit.

6710. Quod Amor ſit qui facit ut Proximus ſit, & quod quiſque Proximus ſit ſecundum quale ejus, patet manifeſte ab illis qui in amore ſui ſunt; illi pro Proximo agnoſcunt, qui ſe maxime amant, hoc eſt, quantum ſunt ſui, ita in ſe, hos amplectuntur, hos oſculantur, his benefaciunt, & hos fratres vocant; imo etiam, quia mali ſunt, hos dicunt Proximum eſſe præ aliis; reliquos, ſicut ſe amant, pro Proximo habent; ita ſecundum quale & quantum amoris: tales a ſe originem Proximi ducunt, ex cauſa quia amor determinat.

6711. Qui autem ſe non amant præ aliis, prout omnes qui a Regno Domini ſunt, originem Proximi ducent ab Ipſo Quem ſupra omnia amare debent, ita a Domino; & pro Proximo habebunt unumquemvis

ſecundum

ſecundum quale amoris in Ipſum. Qui itaque alios amant ſicut ſe, & magis, qui, ut Angeli; alios pluſquam ſe, ii omnes originem Proximi ducunt a Domino, nam in Bono eſt Ipſe Dominus, procedit enim ab Ipſo: inde quoque conſtare poteſt, quod quale amoris determinet quis Proximus. Quod Dominus ſit in Bono, Ipſe Dominus docet apud Mattheum, "Dicit enim illis qui in Bono fuerunt, quod illi dederint Ipſi quod ederet, quod illi potaverint Ipſum, collegerint Ipſum, induerint Ipſum, viſitaverint Ipſum, & in cuſtodio venerint ad Ipſum: & dein, quod quantum fecerint uni ex fratribus ſuis minimis, Ipſi fecerint," xxv: 34 ad 40.

6712. Ex his nunc conſtat, unde origo Proximi ab homine Eccleſiæ ducenda; & quod quiſque Proximus ſit in eo gradu, quo propior eſt Domino; & quia Dominus eſt in Bono charitatis, quod Proximus ſit ſecundum quale Boni, ita ſecundum quale Charitatis.

CAPUT II.

1. ET ivit vir e domo Levi, & duxit filiam Levi.

2. Et concepit mulier, & peperit filium, & vidit illum, quod bonus ille, & abſcondit illum tribus menſibus.

3. Et non potuit amplius abſcondere illum, & accepit ſibi capſam junci, & bituminavit illam bitumine & pice, & poſuit in illa natum, & poſuit in alga ad ripam fluminis.

4. Et ſtabat ſoror ejus e longinquo ad cognoſcendum quod fieret illi.

5. Et deſcendit filia Pharaonis ad lavandum ad flumen; & puellæ ejus euntes ad latus fluminis, & vidit capſam in medio algæ, & miſit ancillam ſuam, & accepit illam.

6. Et aperuit, & vidit illum natum, & ecce puer flens, & miſerta ſuper illum, & dixit, de natis Hebræorum hic.

7. Et dixit ſoror ejus ad filiam Pharaonis, num ibo & vocabo tibi mulierem nutricem ex Hebræis, & lactet tibi natum.

8. Et dixit illi filia Pharaonis, abi, & ivit puella, & vocavit matrem nati.

9. Et dixit ei filia Pharaonis, adduc tibi natum hunc, & lacta illum mihi, & ego dabo mercedem tuam, & accepit mulier natum, & lactavit illum.

10. Et crevit natus, & adduxit illum filiæ Pharaonis, & fuit ei in filium, & vocavit nomen illius Moſcheh, & dixit, quia ex aquis eduxi illum.

11. Et factum in diebus illis, & crevit Moſcheh, & exivit ad fratres ſuos, & vidit onera illorum, & vidit virum Ægyptium percutientem virum Hebræum é fratribus ſuis.

12. Et proſpexit huc & illuc, & vidit quod nullus vir, & percuſſit Ægyptium, & abſcondidit illum in arena.

13. Et exivit die altero, & ecce duo viri Hebræi altercantes, & dixit improbo, quare percutis ſocium tuum.

14. Et dixit, quis poſuit te ad virum principem & judicem ſuper nos, num ad occidendum me tu dicis, quemadmodum occidiſti Ægyptium: & timuit Moſcheh, & dixit, certe notum eſt verbum.

15. Et audivit Pharao verbum hoc, & quæſivit occidere Moſchen; & fugit Moſcheh a coram Pharaone, & habitavit in terra Midian, & habitavit juxta puteum.

16. Et ſacerdoti Midianis ſeptem filiæ, & venerunt, & hauſerunt, & impleverunt canaliculos, ad potandum gregem patris ſui.

17. Et venerunt paſtores, & depulerunt illas; & ſurrexit Moſcheh, & adjuvit illas; & potavit gregem earum.

18. Et venerunt ad Reuelem patrem ſuum; & dixit, quapropter feſtinaſtis venire hodie.

19. Et dicebant, vir Ægyptius liberavit nos e manu paſtorum, & etiam hauriendo, hauſit nobis, & potavit gregem.

20. Et dixit ad filias ſuas, & ubi ille, quare hoc reliquiſtis virum, vocate illum, & edat panem.

21. Et voluit Moſcheh habitare cum viro, & dedit Zipporam filiam ſuam Moſchi.

22. Et peperit filium, & vocavit nomen ejus Gerſchom, quia dixit, peregrinus ſum in terra aliena.

23. Et factum in diebus multis his, & moriebatur Rex Ægypti; & ſuſpirabant filii Iſraelis e ſervitio, & clamabant, & aſcendit clamor illorum ad Deum e ſervitio.

24. Et audivit Deus gemitum illorum, & recordatus eſt Deus fœderis ſui cum Abrahamo, cum Jiſchako, & cum Jacobo.

25. Et vidit Deus filios Iſraelis, & cognovit Deus.

CON-

CONTENTA.

6713. IN hoc Capite in ſenſu interno agitur de Vero Divino; de ejus inchoamentis & ſucceſſivis ſtatibus apud hominem Eccleſiæ.

6714. In ſupremo ſenſu agitur de Domino, quomodo Ipſe quoad Humanum Lex Divina factus eſt; Moſes repræſentat Dominum quoad Legem Divinam, quæ eſt Verbum; & in ſenſu reſpectivo repræſentat Verum Divinum apud hominem Eccleſiæ.

SENSUS INTERNUS.

6715. VERS: 1. 2. 3. 4. *Et ivit vir e domo Levi, & duxit filiam Levi. Et concepit mulier, & peperit filium, & vidit illum quod bonus ille, & abſcondit illum tribus menſibus. Et non potuit amplius abſcondere illum, & accepit ſibi capſam junci, & bituminavit illam bitumine & pice, & poſuit in illa natum, & poſuit in alga ad ripam fluminis. Et ſtabat ſoror ejus e longinquo ad cognoſcendum quid fieret illi.* Ivit vir e domo Levi, ſignificat originem veri ex bono: & duxit filiam Levi, ſignificat conjunctionem cum bono: & concepit mulier, ſignificat primum ortus: & peperit filium, ſignificat Legem Divinam in ſua origine: vidit illum quod bonus ille, ſignificat apperceptionem quod per cœlum & abſcondit illum tribus menſibus, ſignificat plenum temporis quo non apparuit: & non potuit amplius abſcondere illum, ſignificat tempus cum apparere debuit: & accepit ſibi capſam junci, ſignificat vile quod circumcirca, ſed uſque a vero derivatum: & bituminavit illam bitumine & pice, ſignificat bonum mixtum malis & falſis: & poſuit in illa natum, ſignificat quod intime ibi Lex Divina in ſuo origine: & poſuit illum in alga ad ripam fluminis, ſignificat quod primum inter ſcientifica falſa: & ſtabat ſoror ejus e longinquo ad cognoſcendum quid fieret illi, ſignificat verum Eccleſiæ procul inde, & advertentiam.

6716. Ivit vir e domo Levi, quod ſignificet originem veri ex bono, conſtat ex ſignificatione viri, quod ſit verum, de qua n: 3134; ex ſignificatione eſſe e domo, quod ſit origo; & ex repræſentatione Levi, quod ſit bonum, Levi enim in ſupremo ſenſu repræſentat Divinum Amorem, de qua n: 3875; & in ſenſu interno amorem ſpiritualem, n: 3875. 4497. 4502. 4503; & quia amorem, repræſentat bonum, nam omne bonum eſt amoris. Quod attinet originem veri ex bono, quæ hic per virum e domo Levi ſignificatur, ſciendum, quod in ſequentibus in ſupremo ſenſu agatur de Domino, quomodo Ipſe quoad Humanum ſuum factus eſt Lex Divina, hoc eſt, Ipſum

verum: notum eſt, quod Dominus natus ſit ſicut alius homo, & quod cum infans, didicerit loqui ſicut alius infans, & quod dein creverit ſcientia, tum intelligentia & ſapientia; inde patet, quod Humanum Ipſius non fuerit Divinum a nativitate, ſed quod Ipſe illud ex propria potentia Divinum fecerit. Quod ex propria potentia, erat, quia conceptus fuit a Jehovah, inde erat intimum vitæ Ipſius Ipſe Jehovah; nam intimum vitæ cujuſvis hominis, quod Anima vocatur, eſt a patre, quod autem induit illud intimum, quod corpus dicitur, eſt a matre: quod intimum vitæ, quod a patre, continue influat & operetur in externum quod a matre, & connitatur hoc ſibi ſimile facere, etiam in utero, conſtare poteſt ex filiis, quod naſcantur in indolem patris, & quandoque nepotes & pronepotes in indolem avi & atavi; hoc inde eſt, quia anima, quæ eſt a patre, continue vult externum, quod a matre, ſibi ſimile & ſui imaginem facere. Cum ita apud hominem ſit, conſtare poteſt quod ita imprimis apud Dominum factum; intimum Ipſius fuit Ipſum Divinum, quia Ipſe Jehovah, nam Ipſius Unigenitus Filius fuit; & quia intimum fuit Ipſum Divinum, annon Hoc, pluſquam apud omnem hominem, potuit externum, quod a matre, ſui imaginem, hoc eſt, ſibi ſimile facere, ita Humanum, quod externum & a matre, Divinum; & hoc ex propria potentia, quia Divinum, quod intimum, ex Quo operatus eſt in Humanum, fuit Ipſius; ſicut anima hominis, quæ eſt intimum, eſt ejus: & quia Dominus progreſſus eſt ſecundum ordinem Divinum, Humanum ſuum, cum erat in mundo, fecit ut eſſet Divinum Verum, poſtmodum autem, cum plene glorificatus eſt, fecit ut eſſet Divinum Bonum, ita unum cum Jehovah. Quomodo hoc factum eſt, in hoc Capite in ſupremo ſenſu deſcribitur; ſed quia illa, quæ in ſupremo ſenſu ſunt, quæ omnia agunt de Domino, intellectum humanum excedunt, licet in ſequentibus exponere, quæ in hoc Capite in ſenſu interno continentur; hæc agunt de Veri Divini inchoamentis & ſucceſſivis ſtatibus apud hominem Eccleſiæ, hoc eſt, apud hominem qui regeneratur, n: 6713. 6714; cauſa, quod ea in ſenſu interno contineantur, eſt, quia regeneratio hominis eſt imago glorificationis Humani Domini, videatur n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688. 3145. 3146.

6717. Et duxit filiam Levi, quod ſignificet conjunctionem cum bono, conſtat ex ſignificatione ducere filiam, nempe in uxorem, quod ſit conjunctio; & ex repræſentatione Levi, quod ſit bonum, de qua mox ſupra n: 6716. Quomodo intelligendum eſt, quod verum, cujus origo ex bono, conjunctum ſit cum bono, dicendum: Verum quod a Domino inſinuatur apud hominem qui regeneratur, originem trahit ex bono; bonum primo tempore ſe non manifeſtat, quia eſt in Interno homine, verum autem ſe manifeſtat, quia eſt in Externo, & quia Internum agit in Externum, & non vice verſa, n: 6322, eſt Bonum quod agit in Verum, & hoc ſuum facit, nam non aliud agnoſcit & recipit Verum quam Bonum; hoc apparet ex affectione veri, quæ eſt apud hominem qui regeneratur; ipſa affectio eſt ex bono, aliunde affectio, quæ eſt amoris, non venire poteſt: ſed hoc verum, quod primo hoc tempore, hoc eſt, ante regenerationem, recipitur, non eſt

verum

verum genuinum boni, ſed eſt verum doctrinæ; nam homo tunc non expendit num verum ſit, ſed agnoſcit quia eſt doctrinæ Eccleſiæ; & quamdiu non expendit num verum ſit, & inde agnoſcit, ſuum non eſt, quare nec ei appropriatur; hic ſtatus eſt primus homini, qui regeneratur: at cum regeneratus eſt, tunc bonum ſe manifeſtat, imprimis per id, quod amet vivere ſecundum verum quod a ſe agnoſcit eſſe verum; tunc quia vult verum quod agnoſcit, & agit ſecundum id, appropriatur ei; quia eſt, non ut prius, modo in intellectu, ſed etiam in voluntate, & quod in voluntate eſt, hoc appropriatum eſt; & quia tunc intellectus unum facit cum voluntate, nam intellectus agnoſcit & voluntas facit, eſt conjunctio utriuſque, nempe boni & veri: cum hæc conjunctio facta eſt, tunc, ſicut ex conjugio, naſcuntur continue proles, quæ ſunt vera & bona, cum eorum beatis & jucundis. Hi bini ſtatus ſunt qui intelliguntur per originem veri ex bono, & per conjunctionem eorum. Sed verum quod conjungitur cum bono, quod hic ſignificatur per ivit vir e domo Levi & duxit filiam Levi, non eſt tale verum, quod ab homine in primo ſtatu recipitur, nam id eſt verum doctrinæ illius Eccleſiæ in qua natus eſt; ſed eſt ipſum verum, nam agitur in ſupremo ſenſu de Domino, quomodo Ipſe Lex Divina quoad Humanum factus eſt, hujus Legis verum eſt quod intelligitur: quod ejus origo ſit bonum, eſt quia Divinum, quod fuit intimum Domini ac Eſſe vitæ Ipſius, produxit id in Humano Ipſius: ita Veri illius conjunctio facta eſt cum Bono, nam Divinum non eſt niſi quam Bonum.

6718. Et concepit mulier, quod ſignificet primum ortus, nempe Legis Divinæ in Humano Domini, conſtat ex ſignificatione concipere, quod ſit primum ortus; per mulierem ſignificatur hic idem quod mox ſupra per filiam Levi, quam vir e domo Levi duxit, nempe verum conjunctum bono.

6719. Et peperit filium, quod ſignificet Legem Divinam in ſua origine, conſtat ex ſignificatione parere, quod ſit exiſtentia, de qua n: 2621. 2629, ita origo; & ex ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373, hic Lex Divina quia per filium intelligitur Moſes, qui quod Dominum, quoad Legem Divinam, ſeu Verbum, repræſentaverit, in ſequentibus oſtendetur.

6720. Vidit illum quod bonus ille, quod ſignificet apperceptionem quod per cœlum, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; & ex ſignificatione boni, quod hic, quia prædicatur de Lege Divina in Domino, ſit per cœlum: ſed quod bonus hic ſignificet per cœlum, eſt arcanum, quod niſi detegatur, non ſciri poteſt; Dominus cum Humanum ſuum Divinum fecit, ex Divino per transfluxum per cœlum hoc fecit; non quod cœlum aliquid ex ſe contribuerit, ſed ut ipſum Divinum influere poſſet in Humanum, trans cœlum influxit; hic transfluxus fuit Divinum Humanum ante Domini adventum, & fuit Ipſe Jehovah in cœlis ſeu Dominus; Divinum, quod per cœlum transfluxit, fuit Divinum Verum, ſeu Divina Lex, quam Moſes repræſentavit; & Divinum, quod

quod per cœlum transfluit, eſt bonum; inde patet, unde eſt, quod per vidit illum, nempe filium, quod bonus ille, ſignificetur apperceptio quod per cœlum.

6721. Et abſcondit illum tribus menſibus, quod ſignificet plenum temporis, quo non apparuit, conſtat ex ſignificatione abſcondi, quod ſit non apparere; & ex ſignificatione trium menſium, quod ſit plenum temporis & plenum ſtatus; quod tria ſint plenum, ſeu integra periodus a principio ad finem, videatur n: 2788. 4495, & quod menſis, ſicut dies & annus, ſit tempus eſt ſtatus, n: 2788; inde a tribus menſibus eſt ſtatus novus.

6722. Et non potuit amplius abſcondere illum, quod ſignificet tempus cum apparere debuit, conſtat ex ſignificatione abſcondi, quod ſit non apparere, de qua mox ſupra n: 6721, inde, non amplius abſcondi eſt apparere; quod ſit tempus cum apparere debuit, eſt quia per tres menſes, quibus abſconditus eſt, ſignificatum eſt plenum temporis a principio ad finem, videatur mox ſupra, n: 6721.

6723. Et accepit capſam junci, quod ſignificet vile quod circumcirca, ſed uſque ex vero derivatum, conſtat ex ſignificatione capſæ ſeu arculæ, quod ſit id quod circumcirca eſt, ſeu id in quo aliquid incluſum eſt, de qua ſequitur; & ex ſignificatione junci, quod ſit vile, ſed uſque a vero derivatum; quod juncus ſit vile, patet, quod ſit a vero derivatum, eſt quia juncus id ſignificat, ut liquet apud Eſaiam, "Væ terræ adumbranti alis, quæ trans flumina Kuſchi, qui mittit in mare legatos, & *in vaſis junci* ſuper faciebus aquarum," XVIII: 2, terra adumbrans alis pro Eccleſia, quæ per ratiocinia ex ſcientificis ſe obtenebrat; trans flumina Kuſchi pro ad cognitiones per quas confirmant principia falſa, n: 1164; mittere in mare legatos pro conſulere ſcientifica, n: 28; in vaſis junci ſuper faciebus aquarum pro receptaculis veri viliſſimis. In ſenſu oppoſito, apud Eundem, "Erit aridus locus in ſtagnum, & ſiticuloſus in ſcaturigines aquarum, *gramen pro calamo & junco*," XXXV: 7, gramen pro calamo & junco pro quod erit verum ſcientificum pro talibus in quibus non aliquid verum datur; quod gramen ſit verum ſcientificum, patet a locis in Verbo ubi nominatur. Quia proviſum fuit, quod Moſes repræſentaret Dominum quoad Legem Divinam ſeu Verbum, in ſpecie quoad Verbum Hiſtoricum, idcirco factum eſt, cum infans, quod poneretur in capſa ſeu arcula, ſed in vili, quia in primo ortu, & quia erat modo repræſentativum quod ibi erat; ſed dein, quod ipſa Lex Divina, poſtquam exſplenduerat e monte Sinai, poneretur in Arca, quæ Arca Teſtimonii vocata eſt, quod intus in Arca Lex Divina poſita fuerit, videatur Exod: XL: 20: 1 Reg: VIII: 9, & quoque quod Libri Moſis, Deut: XXXI: 24. 25. 26; inde arca ſanctiſſima fuit, quia repræſentabat Divinum Humanum Domini quoad Divinam Legem; nam a Divino Humano Domini procedit Divina Lex ſeu Divinum Verum, quod idem eſt cum Verbo apud Johannem, "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; & Verbum caro factum, & habitavit apud nos, & vidimus gloriam Ipſius, gloriam

riam ut Unigeniti a Patre," Joh: 1: 1. 14; & quia arca ſanctiſſimum illud repræſentabat, ponebatur ſuper arcam Propitiatorium cum Cherubis; & juxta velum ejus Candelabrum cum lucernis, & menſa aurea cum panibus, quæ bina ſignificabant Divinum Amorem. Hæc nunc cauſa eſt, quod Moſes cum infans, quia repræſentaret Legem Divinam, poſitus fuerit in arcula.

6724. Et bituminavit illum bitumine & pice, quod ſignificet bonum mixtum malis & falſis, conſtat ex ſignificatione bituminis, quod ſit bonum mixtum malis; & ex ſignificatione picis, quod ſit bonum mixtum falſis; quod bitumen & pix illa ſignificent, inde eſt, quia in ſe ignea ſunt, & per igneum in Verbo ſignificatur bonum, & in oppoſito ſenſu malum; ſed quia ſulphurea ſunt, & quoque nigra, ſignificant malum & falſum; ut apud Eſaiam, "Dies ultionis Jehovæ, *convertentur torrentes ejus in picem*, & pulvis ejus *in ſulphur*, & erit terra ejus *in picem ardentem*," xxxiv: 8. 9, pix & ſulphur pro falſis & malis: inde nunc eſt, quod per bituminavit illam bitumine & pice, ſignificetur bonum mixtum malis & falſis. Quod ipſam rem attinet, quod nempe circum Verum Divinum eſſet bonum mixtum malis & falſis, nemo poteſt intelligere, niſi ſciat quomodo ſe habet cum reformatione hominis: is cum reformatur, quoad Internum ſuum tenetur a Domino in bono & vero, at quoad Externum immittitur in ſua mala & falſa, conſequenter inter ſpiritus infernales qui in illis malis & falſis ſunt, hi circum volitant, & intentant omni modo perdere illum; ſed bonum & verum, quæ per Internum influunt, illum ita tutum reddunt, ut ſpiritus infernales ne hilum damni queant inferre; quod enim interius agit, hoc immenſum prævalet ſuper id quod exterius agit, nam interius quia purius agit in ſingula ipſaque individua exterioris, & ſic Externum ad ſui nutum diſponit; ſed tunc erit bonum & verum in Externo, in quo influxus ab Interno figi poteſt, ita poteſt bonum eſſe inter mala & falſa, & tamen in tuto eſſe: in hunc ſtatum mittitur omnis qui reformatur, ita mala & falſa, in quibus eſt, removentur, ac bona & vera loco illorum inſeruntur. Hoc Arcanum niſi ſciatur, nequaquam ſciri poteſt, cur circum Divinum Verum apud hominem ſint bona mixta malis & falſis, quæ ſignificantur per bitumen & picem, quibus arcula, in qua poſitus fuit infans, bituminata fuit. Sciendum porro, quod bonum miſceri poſſit cum malis & falſis, ſed uſque ideo non conjunguntur, unum enim fugit alterum, & ex lege ordines ſe a ſe mutuo ſeparant; bonum enim eſt cœli, ac malum & falſum eſt inferni, ideo ſicut cœlum & infernum ſeparata ſunt, ita quoque omnia & ſingula quæ inde ſe ſeparant.

6725. Et poſuit in illa natum, quod ſignificet quod intime ibi Lex Divina in ſua origine, conſtat ex ſignificatione ponere in illa, quod ſit intime ibi, quia in arcula; & ex repræſentatione Moſis, quod ſit Lex Divina, de qua in ſequentibus, hic Lex Divina in ſua origine, quia infans.

6726. Et poſuit illum in alga ad ripam fluminis, quod ſignificet quod primum inter ſcientifica falſa, conſtat ex ſignificatione algæ, quod ſint ſcientifica, de qua ſequitur; & ex ſignificatione fluminis Ægypti, quod ſit falſum,

ſum, de qua n : 6693. Quomodo ſe habet cum hoc, quod illi, qui initiantur in Verum Divinum, primum inter falſa ponantur, videatur mox ſupra n : 6724. Quod Alga ſit Scientificum, eſt quia omnis herba in Verbo ſignificat aliquam ſpeciem ſcientifici ; alga, quæ ad ripam fluminis, ſcientificum vile ; ut quoque apud Eſaiam, "Recedent flumina, & exſiccabuntur fluvii Ægypti, *calamus & alga marceſcent*," xix : 6, flumina pro illis quæ ſunt intelligentiæ, n : 2702. 3051 ; exſiccabuntur fluvii Ægypti, pro illis quæ ſunt ſcientiæ ; calamus & alga pro ſcientificis infimis, quæ ſunt ſenſualia. Alga pro ſcientificis falſis apud Jonam, "Circumdederunt me aquæ uſque ad animam, abyſſus circumcinxit me, *alga alligata capiti* meo," ii : 6 ; in prophetico illo deſcribitur ſtatus tentationum, aquæ quæ circumdederunt uſque ad animam ſunt falſa, quod inundationes aquarum ſint tentationes & deſolationes, videatur n : 705. 709. 790. 5725 ; abyſſus qui circumcinxit eſt malum falſi ; alga alligata capiti, pro quod ſcientifica falſa obſiderent verum & bonum ; ita in ſtatu deſolationum ſe habet.

6727. Et ſtabat ſoror ejus e longinquo, ad cognoſcendum quid fieret illi, quod ſignificet verum Eccleſiæ procul inde & advertentiam, conſtat ex ſignificatione ſororis, quod ſit verum rationale, de qua n : 1495. 2508. 2524. 2556. 3160. 3386, ita verum Eccleſiæ, nam hoc verum eſt verum rationale ; & ex ſignificatione ad cognoſcendum quid fieret, quod ſit advertentia

6728. Verſ : 5. 6. 7. 8. 9. *Et deſcendit filia Pharaonis ad lavandum ad flumen, & puellæ ejus euntes ad latus fluminis, & vidit capſam in medio algæ, & miſit ancillam ſuam, & accepit illam. Et aperuit, & vidit illum, natum, & ecce puer flens ; & miſerta ſuper illum, & dixit, de natis Hebræorum hic. Et dixit ſoror ejus ad filiam Pharaonis, num ibo & vocabo tibi mulierem nutricem ex Hebræis, & lactet tibi natum. Et dixit illi filia Pharaonis, abi, & ivit puella, & vocavit matrem nati. Et dixit ei filia Pharaonis, adduc tibi natum hunc, & lacta illum mihi, & ego dabo mercedem tuam ; & accepit mulier natum, & lactavit illum.* Et deſcendit filia Pharaonis, ſignificat religioſum ibi : ad lavandum ad flumen, ſignificat cultum ex falſo : & puellæ ejus euntes ad latus fluminis, ſignificat miniſteria illius religioſi quod ex falſo : & vidit capſam in medio algæ, ſignificat apperceptionem veri quod vile, inter ſcientificum falſum : & miſit ancillam ſuam, ſignificat ſervitium : & accepit illam, ſignificat curioſitatem : & aperuit, & vidit illum natum, ſignificat inveſtigationem quale eſſet, & apperceptionem quod verum ex Divino eſſet : & ecce puer flens, ſignificat triſtitiam : & miſerta ſuper illum, ſignificat admonitionem a Divino : & dixit, de natis Hebræorum hic, ſignificat quod ab ipſa Eccleſia eſſet : & dixit ſoror ejus ad filiam Pharaonis, ſignificat verum Eccleſiæ juxta religioſum ibi : num ibo & vocabo tibi mulierem nutricem ex Hebræis, ſignificat perceptionem quod inſinuandum ei bonum ab ipſa Eccleſia : & dixit illi filia Pharaonis, abi, ſignificat conſenſum a religioſo ibi : & ivit puella, & vocavit matrem nati, ſignificat verum boni Eccleſiæ, quod adjunxerit illa quæ Eccleſiæ : & dixit ei filia Pharaonis, ſignificat

conſenſum

conſenſum a religioſo ibi: adduc tibi natum hunc, ſignificat ut illum adjungeret ſibi: & lacta illum mihi, ſignificat quod inſinuaret ei bonum religioſo conveniens: & ego dabo mercedem tuam, ſignificat remunerationem: & accepit mulier natum, & lactavit illum, ſignificat quod inſinuaretur ei bonum ab Eccleſia.

6729. Et deſcendit filia Pharaonis, quod ſignificet religioſum ibi, conſtat ex ſignificatione filiæ, quod ſit affectio veri & boni, & inde Eccleſia, de qua n: 2362. 3963; & in ſenſu oppoſito, affectio falſi & mali, & inde religioſum quod ex illis, n: 3024, hic religioſum ex ſcientificis falſis, quia filia Pharaonis, per Pharaonem enim hic repræſentatur ſcientificum falſum, n: 6651. 6679. 6683. 6692. Quod per filias in Verbo ſignificentur Eccleſiæ, conſtare poteſt ex perpluribus illis locis, ubi Eccleſia vocatur *filia Zionis*, & *filia Hieroſolymæ*; & quoque quod per filias ſignificentur plurium gentium religioſa, quæ falſa, patet quoque ex illis locis, ubi illa vocantur filiæ, ſicut *filia Tyri*, Pſalm: XLV: 13; *Filia Edomi*, Thren: IV: 22. *Filia Chaldæorum & Babelis*, Eſai: XLVII: 1. 5. Jer: L: 41. 42. Cap: LI: 33. Sach: ii: 11. Pſalm: CXXXVII: 8. *Filia Philiſtæorum*, Ezech: XVI: 27. 57. *Filia Tharſchiſchi*, Eſai: XXIII: 10. Filia Ægypti apud Jeremiam, "Aſcende Gilead, & ſume balſamum *virgo filia Ægypti:* vaſa migrationis fac tibi habitatrix *filia Ægypti:* pudefacta eſt *Filia Ægypti*, data in manum populi ſeptentrionis," XLVI: 11. 19. 24; filia Ægypti pro affectione ratiocinandi de veris fidei, num ita ſit, ex ſcientificis, cum negativum regnat, ita pro religioſo, quod inde exſurgit, quod tale eſt, ut nihil credatur niſi falſum.

6730. Ad lavandum, & flumen, quod ſignificet cultum ex falſo, conſtat a ſignificatione lavare, quod ſit purificatio a ſordibus ſpiritualiter intellectis, de qua n: 3147, inde eſt cultus, quia cultus eſt purificationis cauſa; & ex ſignificatione fluminis, hic fluminis Ægypti, quod ſit falſum, de qua n: 6693.

6731. Et puellæ euntes ad latus fluminis, quod ſignificet miniſteria illius religioſi quod ex falſo, conſtat ex ſignificatione puellarum, quod ſint miniſteria, nam cum filia Pharaonis ſignificat religioſum, puellæ ejus ſignificant miniſteria illius religioſi; & ex ſignificatione fluminis, quod ſit falſum, ut mox ſupra n: 6730: ita ſunt miniſteria religioſi quod ex falſo, quæ ſignificantur per puellas euntes ad latus fluminis.

6732. Et vidit capſam in medio algæ, quod ſignificet apperceptionem veri quod vile inter ſcientificum falſum, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; ex ſignificatione capſæ junci, quod ſit vile ſed uſque a vero derivatum, de qua n: 6723, ita verum quod vile; & a ſignificatione Algæ, quod ſit ſcientificum falſum, de qua n: 6726; ita in medio algæ, eſt inter id ſcientificum: quomodo hæc ſe habent, ſupra explicatum eſt.

6733. Et miſit ancillam ſuam, quod ſignificet ſervitium, conſtat abſque explicatione.

6734. Et accepit illam, quod ſignificet curioſitatem, conſtare poteſt ex ſignificatione accipere illam, nempe capſam, cum apperciperet quod eſſet aliquod verum, quod vile, inter ſcientificum, n: 6732; quod ſit curioſitas, nempe ſciendi quale ad verum eſſet.

6735. Et aperuit, & vidit illum, natum, quod ſignificet inveſtigationem quale eſſet, & apperceptionem quod verum a Divino eſſet, conſtat ex ſignificatione aperire, quod ſit inveſtigare quale eſſet, nam qui aperit ut videat quid ſit & quale ſit, is inveſtigat; ex ſignificatione videre, quod ſit apperceptio, de qua mox ſupra n: 6732; & ex repræſentatione Moſis, qui hic eſt natus, quod ſit Lex Divina, ſeu Verum Divinum, de qua in ſequentibus; ita verum a Divino.

6736. Et ecce puer flens, quod ſignificet triſtitiam, conſtat abſque explicatione.

6737. Et miſerta ſuper illum, quod ſignificet admonitionem a Divino, conſtat ex ſignificatione miſereri; quod ſit influxus charitatis a Domino, nam cum quis ex charitate videt aliquem in miſeria, ut hic filia Pharaonis natum in capſa junci & flentem, exiſtit commiſeratio, & quia hæc a Domino, eſt admonitio: qui etiam in perceptione ſunt, cum commiſerantur, ſciunt quod admoneantur a Domino, ut opem ferant.

6738. Et dixit, de natis Hebræorum hic, quod ſignificet quod ab ipſa Eccleſia eſſet, conſtat ex ſignificatione Hebræorum, quod ſint illa quæ Eccleſiæ, de qua n: 6675. 6684; ita nati Hebræorum ſunt qui ab ipſa Eccleſia. Quod Hebræi ſignificent illa quæ ſunt Eccleſiæ, eſt quia cum deſiit Antiqua Eccleſia, incepit Eccleſia Hebræa, quæ erat altera Eccleſia Antiqua; hæc Eccleſia plura ex repræſentativis & ſignificativis Eccleſiæ Antiquæ retinuit, & quoque Jehovam agnovit; inde eſt, quod per Hebræos ſignificetur Eccleſia: de Eccleſia Hebræa videatur n: 1238. 1241. 1343. 4516. 4517. 4874. 5136.

6739. Et dixit ſoror ejus ad filiam Pharaonis, quod ſignificet Verum Eccleſiæ juxta religioſum ibi, conſtat ex ſignificatione ſororis, quod ſit Verum Eccleſiæ, de qua ſupra n: 6727; & ex ſignificatione filiæ Pharaonis, quod ſit religioſum, de qua etiam ſupra n: 6729; *juxta* ſignificatur per quod adeſſet cum filia Pharaonis aperuit capſam.

6740. Num ibo & vocabo tibi mulierem nutricem ex Hæbræis, quod ſignificet perceptionem quod inſinuandum ei bonum ab ipſa Eccleſia, conſtat ex ſignificatione mulieris nutricis, quod ſit inſinuatio boni, de qua n: 4563, nam per lac, quod nutrix inſinuat, ſignificatur bonum veri, ſeu quod idem, cœleſte ſpirituale, n: 2184; & ex ſignificatione Hebræarum, quod ſint illa quæ ſunt Eccleſiæ, de qua n: 6675. 6684; quod ſit perceptio, quod inſinuandum bonum inde, ſignificatur per dixit, num ibo & vocabo, nam in ſenſu interno intelligitur verum boni eſt perceptio, in ſenſu autem literæ intelligitur puella, cui non perceptio. Nutrix, quod ſit inſinuatio boni, patet quoque apud Eſaiam, "Afferent filios tuos in ſinu, & filiæ tuæ ſuper humero

mero apportabuntur; & erunt *Reges nutritii tui*, & dominæ illorum *Nutrices tui*," XLIX: 22. 23; reges nutritii, pro inſinuatione veri, quod intelligentiæ; dominæ nutrices pro inſinuatione boni, quod ſapientiæ. Apud Eundem, " Attolle oculos tuos circumcirca & vide, omnes congregantur, veniunt ad te, filii tui e longinquo veniunt, & *filiæ tuæ ad latus a nutricibus* apportantur," LX: 4, filii, qui e longinquo veniunt, pro veris apud gentes, quæ quia procul a vero Eccleſiæ ſunt, dicuntur e longinquo venire; filiæ quæ ad latus a nutricibus apportantur, pro bonis quæ continue inſinuantur; ſunt enim filiæ bona, & nutrices quæ inſinuant.

6741. Et dixit illi filia Pharaonis, abi, quod ſignificet conſenſum a religioſo illo, conſtat ex repræſentatione filiæ Pharaonis, quod ſit religioſum, de qua ſupra n: 6729: quod ſit conſenſus, abſque explicatione patet.

6742. Et ivit puella, & vocavit matrem nati, quod ſignificet verum boni Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione puellæ, quod ſit verum boni Eccleſiæ, de qua ſequitur; ex ſignificatione vocare, quod ſit adjungere, quod enim puella vocaret, erat ut adjungeret; & ex ſignificatione matris, quod ſit Eccleſia, de qua n: 289. 2691. 2717. 5580, ita quoque illa quæ Eccleſiæ. In Verbo nominatur Virgo, & quoque Puella, ſed hæc, nomine quo hic, in Lingua originali raro; virgo ſignificat bonum quod eſt Eccleſiæ Cœleſtis, puella autem verum boni, quod eſt Eccleſiæ ſpiritualis; ut apud Davidem, " Viderant greſſus tuos, Deus, greſſus Dei mei, Regis mei, id Sanctuario; præceſſerunt cantantes, poſt pulſantes, *in medio puellarum tympanyzantium*," Pſalm: LXVIII: 25. 26; voces, quæ in hoc Verſu ſunt, omnes prædicantur de veris boni, quæ ſunt Eccleſiæ Spiritualis; quod Deus dicatur ubi de vero agitur, videatur n: 2769. 2807. 2822. 4402; quod Rex ſit verum, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4587. 4966. 5044. 5068. 6148; quod cantantes prædicentur de veris quæ ſunt Eccleſiæ ſpiritualis, n: 418. 419. 420; tympanizantes de bono ſpirituali, n: 4138; inde ſciri poteſt, quod puellæ ſint vera boni, quæ Eccleſiæ ſpiritualis.

6743. Et dixit ei filia Pharaonis, quod ſignificet conſenſum a religioſo ibi, patet, nam dederat natum matri ut lactaret illum; conſenſus a religioſo illo hic ſignificatur, ut ſupra n: 6741, ubi ſimilia verba.

6744. Adduc tibi natum hunc, quod ſignificet ut illum adjungeret ſibi, conſtat ex ſignificatione adducere, quod ſit adjungere; ex ſignificatione matris, qui hic eſt tibi, quod ſit Eccleſia, de qua mox ſupra n: 6742; ex repræſentatione Moſis, qui hic natus, quod ſit Lex Divina in ſua origine, in ſupremo ſenſu apud Dominum, cum Ipſe Humanum ſuum faceret ut eſſet Lex Divina; & in ſenſu reſpectivo apud hominem qui regeneratur, cum is in Verum Divinum initiatur, videatur ſupra n: 6716.

6745. Et lacta illum mihi, quod ſignificet quod inſinuaret ei bonum religioſo conveniens, conſtat ex ſignificatione lactare, quod ſit inſinuare bonum, de qua ſequitur; & ex repræſentatione filiæ Pharaonis, quod ſit religioſum, de qua n: 6729; & quia dicit, quod lactaret illum ſibi, ſignificatur quod inſinuaret bonum religioſo conveniens. Quod lactare ſit inſinuare bonum,

 patet

patet a ſignificatione nutricis ſeu lactatricis, quod ſit inſinuatio boni, de qua ſupra n: 6740; tum præter a locis ibi e Verbo allatis, etiam ab his; apud Moſen, "Populos in montem vocabunt, ibi ſacrificabunt ſacrificia juſtitiæ, quia *affluentiam maris ſugent*, & obtecta occultorum arenæ," Deut: XXXIII: 19; propheticum Moſis de Sebulone & Jiſaſchare; populos in montem vocare, ibi ſacrificare ſacrificia juſtitiæ, ſignificat cultum ex amore; affluentiam maris ſugere, ſignificat quod verum ſcientificum in copia tunc haurient, ſeu quod inſinuabitur; ſugere hic eſt eadem vox cum lactari, etiam in locis ſequentibus. Apud Eſaiam, "Ponam te in magnificentiam æternitatis, gaudium generationis & generationis; & *ſuges lac gentium*, imo *ubera regum ſuges*," LX: 15. 16; ibi de Sione & Hieroſolyma, quæ ſunt Eccleſia Cœleſtis, Sion ejus internum, & Hieroſolyma ejus externum; ſugere lac gentium pro inſinuatione boni cœleſtis; ubera regum ſugere pro inſinuatione veri cœleſtis: quiſque videre poteſt, quod in verbis illis lateat ſenſus, qui non apparet in litera, & quod ſanctum ſit quod in ſenſu illo latet, quia eſt Verbum Divinum, alioquin quid foret ſugere lac gentium, & ubera regum ſugere; ſenſus qui latet, & qui ſanctus, neutiquam patet niſi ſciatur quid ſignificat ſugere, quid lac, quid gentes, quid ubera, & quid reges; quod lac ſit cœleſtis ſpirituale, ſeu verum boni, videatur n: 2184; quod gentes ſint bona in cultu, n: 1259. 1260. 1416. 1849. 6005; quod ubera ſint affectiones boni & veri, n: 6432; quod reges ſint vera, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; & quod ſugere ſit inſinuatio boni; ex his nunc ſciri poteſt, quis ſenſus verborum illorum ſit, cum applicantur ad Eccleſiam cœleſtem, quæ eſt Sion & Hieroſolyma; cum Sion & Hieroſolyma una nominantur, tunc ſignificatur per illas Eccleſia cœleſtis, per Sionem ejus internum, & per Hieroſolymam ejus externum, ut ſupra dictum; at cum Hieroſolyma abſque Sione nominatur, tunc utplurimum ſignificatur Eccleſia ſpiritualis. Apud Eundem, "*Sugatis* & ſaturemini ex ubere conſolationum Hieroſolymæ, & *exprimatis* & deliciemini ex ſplendore gloriæ ejus: ecce Ego expando ſuper illam, ſicut flumen, pacem, &, ſicut torrentem inundantem, gloriam gentium, *ut ſugatis*, ad latus ſuſcipiemini, & ſuper genubus delectabimini," LXVI: 11. 12; ſugere hic quoque pro inſinuatione boni. Apud Jeremiam, "Etiam balænæ præbent mammam, *lactant fœtus ſuos*; filia populi mei crudelis, adhæſit *lingua lactentis* palato ejus ob ſitim," Thren: IV: 3. 4; filia populi mei pro Eccleſia ſpirituali, hic pro illa vaſtata, quæ quod non lactet fœtus ſuos, cum tamen balænæ, pro quod nulla inſinuatio veri; adhæſit lingua lactentis palato ejus ob ſitim, pro quod defectus veri talis ut omne innocentiæ pereat; lactens eſt innocentia, & ſitis eſt defectus veri.

6746. Et ego dabo mercedem tuam, quod ſignificet remunerationem, conſtat abſque explicatione.

6747. Et accepit mulier natum, & lactavit illum, quod ſignificet quod inſinuaretur ei bonum ab Eccleſia, conſtat a ſignificatione mulieris, quod ſit Eccleſia, de qua n: 252. 253; & ex ſignificatione lactare, quod ſit inſinuatio boni,

boni, de qua mox ſupra n: 6745. Et ſtatus alter, qui hic deſcribitur; primus ſtatus fuit ſtatus immiſſionis inter mala & falſa, n: 6724, alter hic eſt ſtatus inſinuationis boni Eccleſiæ.

6748. Verſ. 10. *Et crevit natus, & adduxit illum filiæ Pharaonis, & fuit ei in filium, & vocavit nomen illius Moſcheh, & dixit, quia ex aquis eduxi illum.* Et crevit natus, ſignificat quod incrementum a bono: & adduxit illum filiæ Pharaonis, ſignificat affectionem ſcientificorum: & fuit ei in filium, ſignificat quod inde ei vera prima: & vocavit nomen ejus Moſcheh, ſignificat quale ſtatus tunc: & dixit, quia ex aquis eduxi illum, ſignificat liberationem a falſis.

6749. Et crevit natus, quod ſignificet quod incrementum a bono, conſtat ex ſignificatione creſcere, quod ſit incrementum; quod a bono, eſt quia crevit per lactationem, & lactatio ab Hebræa, eſt inſinuatio boni Eccleſiæ, n: 6745.

6750. Et adduxit illum filiæ Pharaonis, quod ſignificet affectionem ſcientificorum, conſtat ex repræſentatione filiæ Pharaonis, quod ſit religioſum de qua n: 6729, hic autem affectio ſcientificorum, nam eſt tertius ſtatus qui in hoc Verſu deſcribitur, & tunc per filiam ſignificatur affectio, n: 2362. 3963; & per Pharaonem ſcientificum in communi, n: 6015, ita per filiam Pharaonis affectio ſcientificorum; patet hoc etiam a ſerie rerum in ſenſu interno, nam Moſcheh, quia repræſentat Dominum quoad Legem Divinam, non potuit adduci filiæ Pharaonis, & eſſe ei in filium, ſi per illam ſignificaretur religioſum, ut prius; & præterea ſcientifica ſunt, quæ illi, qui regenerantur, primum addiſcent, ſunt enim illa planum rebus intellectus, & intellectus eſt recipiens veri fidei, n: 6125, & verum fidei eſt recipiens boni charitatis; inde conſtare poteſt, quod ſcientificum ſit primum planum cum regeneratur homo. Quod etiam ſcientificum fuerit primum planum Domino cum Humanum ſuum fecit Divinum Verum, ſeu Divinam Legem, ſignificatur per quod Dominus, cum infans, in Ægyptum adduceretur, Matth: II: 13. 14; ita per Propheticum apud Hoſcheam, "Ex Ægypto vocavi Filium meum," XI: 1. Matth: II: 15; quod per Ægyptum ſignificentur ſcientifica, pluries oſtenſum eſt; at per ſcientifica non intelliguntur ſcientifica Philoſophica, ſed ſcientifica Eccleſiæ, de quibus videatur n: 4749. 4964. 4965. 4966. 6004; hæc ſcientifica quoque ſunt, quæ in genuino ſenſu per Ægyptum ſignificantur. Quod per illa primum planum, videatur n: 5901.

6751. Et fuit ei in filium, quod ſignificet quod inde ei vera prima, conſtat ex repræſentatione filiæ Pharaonis, quæ hic eſt ei, quod ſit affectio ſcientificorum, de qua mox ſupra n: 6750; & ex ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 2623. 3373, hic verum primum, nam eſſe ei in filium, eſt eſſe in primis veris per ſcientifica, prima enim vera naſcuntur ex ſcientificis, ac ita ſunt ſicut filii a matre quæ eſt affectio ſcientificorum: quod ſcientificum ſit planum veris quæ intellectus & fidei, videatur ſupra n: 6750. Procedit homo in rebus fidei cum regeneratur, pæne ſicut procedit in veris non fidei cum adoleſcit; cum adoleſcit, tunc ſenſualia ſunt

primum planum, dein ſcientifica & ſuper his planis poſtea creſcit judicium, apud unum plus, apud alterum minus: cum regeneratur homo, tunc communia fidei ſeu rudimenta doctrinæ Eccleſiæ ſunt primum planum, dein ſunt particularia doctrinæ & fidei, poſtea ſucceſſive magis interiora, hæc plana ſunt quæ illuſtrantur a luce cœli; inde intellectuale, & perceptivum fidei & boni charitatis.

6752. Et vocavit nomen ejus Moſcheh, quod ſignificet quale ſtatus tunc, conſtat ex ſignificatione Nominis, & vocare nomen, quod ſit quale, de qua n: 144. 145, 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3421. 6674, hic quale ſtatus, quia cum nominatur aliquis, ipſum nomen tunc ſignificat ſtatum, n: 1946. 2643. 3422. 4298; quale ſtatus quod ſignificatur, eſt quale ſtatus Legis Divinæ in principio apud Dominum, & quale ſtatus veri Divini in principio apud hominem qui regeneratur. Duo ſunt imprimis, qui repræſentant Dominum quoad Verbum, nempe Moſes & Elias, Moſes Dominum quoad Libros hiſtoricos, Elias quoad Prophetas; præterea etiam ſunt Eliſæus, & ultimo Johannes Baptiſta, quare hic eſt qui intelligitur per Eliam qui venturus, Matth: XVII: 10. 11. 12. 13. Luc: I: 17; ſed antequam oſtendi poteſt, quod Moſes repræſentet Legem Divinam, dicendum eſt quid Lex Divina; Lex Divina in lato ſenſu ſignificat totum Verbum; in minus lato ſignificat Verbum Hiſtoricum; in ſtricto quod per Moſen ſcriptum eſt; & in ſtrictiſſimo decem præcepta tabulis lapideis ſuper monte Sinai inſcripta; Moſes Legem in minus lato ſenſu, tum in ſtricto, & quoque in ſtrictiſſimo repræſentat. *Quod Lex in lato ſenſu ſit totum Verbum*, tam hiſtoricum, quam propheticum, conſtat apud Johannem, "Nos *audivimus ex Lege*, quod Chriſtus (: Meſſias:) manet in æternum," XII: 34, quod hic per Legem intelligatur etiam Verbum Propheticum, patet, nam hoc ſcriptum eſt apud Eſaiam, Cap: IX: 5. 6; apud Davidem, Pſalm: CX: 4; & apud Danielem, Cap: VII: 13. 14. Apud Eundem, "*Ut impleretur Verbum ſcriptum in Lege*, odio habuerunt Me ſine cauſa," XV: 25, ſimiliter, nam hoc ſcriptum eſt apud Davidem, Pſalm: XXXV: 19. Apud Matthæum, "Amen dico vobis, uſque dum prætereat cœlum & terra, jota unum, ac unum corniculum *non præteribit de Lege*, donec omnia fiant," V: 8, hic Lex in lato ſenſu pro toto Verbo. *Quod Lex in minus lato ſenſu ſit Verbum hiſtoricum*, conſtat apud Matthæum, "Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis; *hæc enim eſt Lex & Prophetæ*," VII: 12, hic diſtinguitur Verbum in Legem & Prophetas, & quia Verbum & diſtinctum in Hiſtoricum & Propheticum, ſequitur quod per Legem intelligatur Verbum hiſtoricum, & per Prophetas Verbum propheticum. Similiter apud Eundem, "In his duobus mandatis *Lex & Prophetæ* pendent, XXII. Apud Lucam, "*Lex & Prophetæ* uſque ad Johannem, abhinc Regnum Dei evangelizatur," XVI: 16. Joh: XI: 13. *Quod Lex in ſtricto ſenſu ſit Verbum quod ſcriptum eſt per Moſen*, conſtat apud Moſen, "Cum abſolviſſet Moſes *ſcribere verba Legis hujus ſuper librum, uſque dum conſummavit illa*; præcepit Moſes Levitis portantibus arcam Jehovæ, dicendo, accipiendo *Librum Legis hujus*, & ponite illum

illum a latere arcæ fœderis Jehovæ Dei veſtri," Deut: xxxi: 24. 25. 26; Liber legis pro libris Moſis. Apud Eundem, "Si non cuſtodias *facere omnia verba legis hujus ſcripta in Libro hoc*, omnem morbum & omnem plagam, quæ non ſcripta in *Libro legis hujus*, occulte mittet Jehovah ſuper te, uſque dum perdaris," Deuter: xxviii: 58. 61, ſimiliter. Apud Davidem, "*In Lege Jehovæ* beneplacitum illius, & in *Lege Ipſius* meditatur diu & noctu," Pſalm: i: 2, Lex Jehovæ pro Libris Moſis, nam nondum Libri prophetici, nec hiſtorici modo Liber Joſchuæ & Judicum: præter in locis ubi dicitur Lex Moſis, de quibus in mox ſequentibus. *Quod Lex in ſtrictiſſimo ſenſu ſint decem præcepta tabulis lapideis ſuper monte Sinai inſcripta*, notum eſt, videatur Joſuæ: viii: 32; ſed hæc Lex etiam vocatur Teſtimonium, Exod: xxv: 16. 21. *Quod Moſes repræſentet Legem in minus lato ſenſu, ſeu Verbum hiſtoricum, tum quoque Legem in ſtricto, & quoque in ſtrictiſſimo*, conſtat ex illis locis, ubi loco Leges dicitur Moſes, & ubi Lex vocatur Lex Moſis, ut apud Lucam, "Dixit illi Abraham, habent *Moſen & Prophetas*, audiunto illos; ſi *Moſen & Prophetas* non audiunt, nec ſi quis ex mortuis reſurrexerit, perſuadebuntur," xvi: 29. 31, hic per Moſen & Prophetas ſimile ſignificatur, quod per Legem & Prophetas, nempe Verbum hiſtoricum & propheticum, inde patet quod Moſes ſit Lex ſeu Verbum hiſtoricum. Apud Eundem, "Jeſus incipiens *a Moſe & ab omnibus prophetis*, & interpretatus eſt in omnibus ſcripturis, quæ ad Ipſum pertinerent," xxiv: 17. Apud Eundem, "Oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege *Moſis* & *Prophetis* & Pſalmis de Me," xxiv: 44. Apud Johannem, "Philippus dixit, quem ſcripſit *Moſes in Lege*, invenimus Jeſum," i: 46. Apud Eundem, "*In Lege Moſes* nobis præcepit," viii: 5. Apud Danielem, "Defluxit ſuper nos maledictio & juramentum, *quod ſcriptum in Lege Moſis ſervi Dei*, quia peccavimus Ipſi. *Sicut ſcriptum in Lege Moſis*, omne malum venit ſuper nos," ix: 11. 13. Apud Joſchuam, "Joſchua ſcripſit ſuper lapide Altaris *copiam Legis Moſis*," viii: 32, Lex Moſis dicitur, quia per Moſen repræſentatur Dominus quoad Legem, hoc eſt, quoad Verbum, in lato ſenſu quoad Verbum Hiſtoricum; inde eſt, quod tribuatur Moſi, quod eſt Domini; ut apud Johannem, "*Moſes dedit vobis Legem: Moſes dedit vobis circumciſionem*; ſi circumciſionem accipit homo in ſabbatho, ita ut non ſolvatur *Lex Moſis*," vii: 19. 22. 23. Apud Marcum, "*Moſes dixit*, honora patrem tuum & matrem tuam," vii: 10. Apud Eundem, "Jeſus reſpondens dixit illis, *quid vobis præcepit Moſis*, dixerunt, *Moſes* permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere," x: 4. 5. Et quia ob repræſentationem tribuitur Moſi, quod Domini eſt, dicitur & Lex Moſis, & Lex Domini, apud Lucam, "Cum impleti ſunt dies purificationis illorum, *juxta legem Moſis*, deduxerunt Ipſum in Hieroſolymam, ut ſiſterent Domino, quemadmodum ſcriptum eſt *in Lege Domini*, quod omnis maſculus aperiens uterum, ſanctum Domino vocandus, & darent ſacrificium, juxta quod dictum *in Lege Domini*, par turturum, & duos pullos columborum," ii: 22. 23. 24. 39. Quia Moſes repræſentabat Legem, licuit illi intrare ad Dominum ſuper monte Sinai, & non ſolum

recipere

recipere tabulas Legis ibi, ſed etiam audire Legis ſtatuta & judicia, & illa mandare populo; & quoque dicitur, *quod inde in Moſen crederent in æternum*, "Dixit Jehovah ad Moſen, ecce Ego veniam ad te in nebula nubis, ut audiat populus *quando loquutus fuero ad te, & etiam in te credant in æternum*," Exod: XIX: 9; in nebula nubis dicitur, quia per nubem intelligitur Verbum in litera, inde quoque cum Moſes intravit ad Dominum ſuper monte Sinai, dicitur quod intraverit *in Nubem*, Exod: XX: 18. Cap: XXIV: 2. 18. Cap: XXXV: 2. 3. 4, quod Nubes ſit ſenſus literalis Verbi, videatur Præfatio ad Geneſ: Cap: XVIII, tum n: 4060. 4391. 5922. 6343 f. Et quia repræſentabat Legem ſeu Verbum, ideo quoque cum deſcendit de monte Sinai, *radiabat cutis facierum ejus* cum loqueretur; & dabat ſuper facies ſuas velamen," Exod: XXXIV: 28 ad fin: radiatio facierum ſignificabat internum Legis, nam hoc eſt in Luce cœli, & ideo vocatur gloria, n: 5922, & velamen ſignificabat Externum Legis; quod velaret faciem cum loqueretur cum populo, erat quia Internum illi obtectum erat, & ita obſcuratum iſti populo, ut non ſuſtinuerint aliquid lucis inde, quod facies ſit Internum, videatur n: 1999. 2434. 3507. 3573. 4066. 4796. ad 4805. 5102. 5695. Quia per Moſen repræſentabatur Dominus quoad Verbum Hiſtoricum, & per Eliam Dominus quoad Verbum Propheticum, idcirco cum transformatus Dominus, viſi ſunt *Moſes* & *Elias* cum Ipſo colloquentes," Matth: XVII: 3; nec alii cum Domino, quando in Mundo Divinum Ipſius apparuit, colloqui potuerunt, quam qui repræſentabant Verbum, nam colloquutio cum Domino eſt per Verbum; quod Elias repræſentaverit Dominum quoad Verbum, videatur n: 2762. 5247 f. Et quia uterque, tam Moſes quam Elias, ſimul repræſentabat totum Verbum, idcirco ubi agitur de Elia, quod mitteretur ante Dominum, memoratur uterque apud Malachiam. "*Mementote Legis Moſis, ſervi mei*, quam præcepi illi in Chorebo pro toto Iſraele, ſtatutorum & judiciorum: *En Ego mittens vobis Eliam prophetam*, antequam venit dies Jehovæ magnus & terribilis," III: 22. 23. 24; involvunt illa, quod præcederet qui annuntiaret adventum ſecundum Verbum.

6753. Et dixit, quia eſt aquis eduxi illum, quod ſignificet liberationem a falſis, conſtat ex ſignificatione aquarum, hic aquarum fluminis Ægypti, quod ſint falſa, de qua n: 6693; & ex ſignificatione educere, quod ſit liberatio. In his verbis continetur quale ſtatus, quod ſignificatur per nomen Moſchis, quod quale in ſenſu ſupremo involvit, quod Dominus, ut Lex Divina quoad Humanum fieret, liberaverit ab omni falſo, quod Humano ſuo a matre adhæſit, & hoc uſque dum factus eſt Divina Lex, hoc eſt, Ipſum Divinum Verum, & poſtmodum cum glorificatus, factus eſt Divinum Bonum, quod eſt Eſſe Divini Veri ſeu Jehovah.

6754. Verſ: 11. 12. 13. 14. *Et factum eſt in diebus illis, & crevit Moſcheh, & exivit ad fratres ſuos, & vidit onera illorum; & vidit virum Ægyptium percutientem virum Hebræum e fratribus ſuis. Et proſpexit huc & illuc, & vidit quod nullus vir, & percuſſit Ægyptium, & abſcondit illum in arena. Et exivit die altero, & ecce duo viri Hebræi altercantes, & dixit improbo, quare percutis*

ſocium tuum. Et dixit, quis poſuit te ad virum principem & judicem ſuper nos, num ad occidendum me tu dicis, quemadmodum occidiſti Ægyptium; & timuit Moſcheh, & dixit, certe notum eſt verbum. Et factum in diebus illis & crevit Moſcheh, ſignificat cum ſtatus illi perſtarent, & incrementum in veris ſcientificis: & exivit ad fratres ſuos, ſignificat conjunctionem cum veris Eccleſiæ: & vidit onera illorum, ſignificat apperceptionem quod infeſtarentur a falſis: & vidit virum Ægyptium percutientem virum Hebræum, ſignificat ſcientificum abalienatum conans deſtruere verum Eccleſiæ: e fratribus ſuis, ſignificat quibus conjunctus eſſet: & proſpexit huc & illuc, & vidit quod nullus vir, ſignificat prudentiam, num in tuto eſſet: & percuſſit Ægyptium, ſignificat quod deſtrueret ſcientificum abalienatum: & abſcondidit illum in arena, ſignificat quod ablegaverit ubi falſa: & exivit die altero, ſignificat conjunctionem iterum cum Eccleſia: & ecce duo viri Hebræi altercantes, ſignificat apperceptionem quod intra Eccleſiam inter ſe pugnarent: & dixit improbo quare percutis ſocium tuum, ſignificat increpationem quod unus alterius fidem deſtruere vellet: & dixit, quis poſuit te ad virum principem & judicem ſuper nos, ſignificat perceptionem quod nondum in vera Eccleſiæ tantum provectus ut dirimeret diſſidia intra Eccleſiam: num ad occidendum me tu dicis, ſignificat num meam fidem deſtruere velis; quemadmodum occidiſti Ægyptium, ſignificat ſicut deſtruxiſti falſum: & timuit Moſche, & dixit certe notum eſt verbum, ſignificat quod inter ſcientifica abalienata eſſet, & nondum in veris, ut tutus.

6755. Et factum in diebus illis, & crevit Moſcheh, quod ſignificet cum ſtatus illi perſtarent, & incrementum in veris ſcientificis, conſtat ex ſignificatione dierum, quod ſint ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850, inde factum in diebus illis, eſt cum ſtatus illi perſtarent; & ex ſignificatione creſcere, quod ſit incrementum, ut ſupra n: 6749, quod incrementum in veris ſcientificis patet ab illis quæ mox prius n: 6751, explicata ſunt.

6756. Et exivit ad fratres ſuos, quod ſignificet conjunctionem cum veris Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione fratrum, quod ſint vera Eccleſiæ, de qua ſequitur; & ex ſignificatione exire ad illos, quod ſit conjungi illis. Quod fratres attinet, ſignificant illi nunc bona, nunc vera Eccleſiæ; ubi agitur de Eccleſia cœleſti, ſignificant bona, & cum agitur de Eccleſia ſpirituali, ſignificant vera; cauſa eſt, quia Eccleſia cœleſtis eſt in bono, at Eccleſia ſpiritualis in vero; & antiquis temporibus, omnes qui ab Eccleſia fuerunt, vocabant ſe fratres; qui ab Eccleſia ſpirituali fuerunt, ſe quidem vocabant fratres ex bono, n: 3803, ſed Internæ Eccleſiæ homines hoc faciebant cum differentia ſecundum quale boni, ita ſecundum vera, nam bonum ſuum quale habet a veris: poſtea cum Eccleſia deflexit a bono, & inde quoque a vero, tunc non amplius ex conſanguinitate & affinitate ſpirituali, quæ ſunt charitatis & fidei, ſe mutuo appellabant fratres, ſed ſolum ex conſanguinitate & affinitate naturali, ut & ex amicitia; & quoque indigne ferre cæperunt viliorem ſe fratrem vocare; cauſa erat, quia parum vel nihili faciebant proxi-

mitates ex origine ſpirituali, ac plurimum & præ omni proximitates ex origine naturali & civili. Quod Vera Eccleſiæ dicantur fratres, conſtat ex eo, quod filii Jacobi repræſentarent vera Eccleſiæ in complexu, n: 5403. 5419. 5427. 5458. 5512. Quod Antiquis temporibus fratres dicti fuerint ex affinitate ſpirituali, eſt quia nova nativitas ſeu regeneratio faciebat conſanguinitates & affinitates, in ſuperiori gradu quam nativitas naturalis; & quia illa ab uno Patre ducunt originem, nempe a Domino; inde eſt, quod homines poſt mortem, qui in cœlum veniunt, non agnoſcant amplius aliquem fratrem, ne quidem matrem & patrem, niſi ex bono & vero; ſecundum hæc novas ibi fraternitates nanciſcuntur: inde nunc eſt, quod, qui ab Eccleſia fuerunt, ſe mutuo vocaverint fratres. Quod filii Iſraelis omnes illos fratres dixerint, qui ex Jacobo fuerunt, reliquos autem ſocios, patet ab his locis; apud Eſaiam, "Commiſcebo Ægyptum cum Ægypto, ut pugnet *vir contra fratrem*, & vir *contra ſocium ſuum*," XIX: 2. Apud Eundem, "Vir *ſocium ſuum* adjuvat, & *fratri ſuo* dicit, confirma te," XLI: 6. Apud Jeremiam, "Vir *a ſocio ſuo* cavete vobis, & *ſuper ullo fratre* ne confidite; *omnis* namque *fratre* ſupplantando ſupplantat, & *omnis ſocius* calumniatur," IX: 3. Quod omnes qui ex Jacobo ſe vocaverint fratres, apud Eſaiam, "Tunc adducent *omnes fratres veſtros* ex omnibus gentibus, manus Jehovæ, ſuper equis, ſuper curru, & ſuper rhedis cameratis," LXVI: 20. Apud Moſen, "Ponendo pones ſuper eos regem, quem elegerit Jehovah Deus tuus, *e medio fratrum tuorum* pones ſuper eos regem; non poteris dare ſuper eos virum alienigenam, qui *non frater eorum* ſit," Deut: XVII: 15. Etiam filios Eſavi, quia ex Jacobo fuerunt, dixerunt fratres, apud Moſen, "Tranſivimus *cum fratribus noſtris filiis Eſavi* habitantibus in Seir," Deut: ii: 8. Quod antiquis temporibus ſe fratres appellaverint, qui erant ab Eccleſia, erat, ut ſupra dictum, quia Dominum pro Unico Patre agnoverunt, & quia ab Ipſo eis nova anima, & nova vita; idcirco Dominus dicit, "Nolite vocari Rabbi, unus eſt veſter Magiſter, Chriſtus, *Omnes autem vos fratres eſtis*," Matth: XXIII: 8. Quia fraternitas ſpiritualis eſt ex amore, quod nempe unus ſit alterius, & qui in bono ſunt, in Domino ſunt, & Dominus in illis," Joh: XIV: 20, idcirco fratres vocantur a Domino, apud Matthæum, "Jeſus extendens manum ſuam ſuper diſcipulos ſuos, dixit, ecce Mater mea, *& fratres mei*; quiſquis enim fecerit voluntatem patris mei, qui eſt in cœlis, ille *Meus frater*, & ſoror, & mater eſt," XII: 49. Apud Eundem, "In quantum feciſtis uni *ex fratribus meis minimis* Mihi feciſtis," XXV: 40, & quoque diſcipulos fratres vocat Matth: XXVIII: 20. Joh: XX: 17; per diſcipulos in ſenſu repræſentativo intelliguntur omnes qui in veris fidei & bono charitatis.

6757. Et vidit onera illorum, quod ſignificet apperceptionem quod infeſtarentur a falſis, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit apperceptio, de qua ſupra n: 6732; & ex ſignificatione onerum, quod ſint infeſtationes a falſis; onera enim, quæ filiis Iſraelis a Pharaone imponebantur, in ſenſu ſpirituali non aliud ſunt; Pharao eſt ſcientificum falſum, n: 6651. 6679. 6683; infeſta-

infeſtationes a falſis nec aliud quam onera ſunt illis qui in veris ſunt. Quomodo infeſtationes a falſis, quæ ſunt onera illis qui in veris ſunt, ſe habent, non ſciri poteſt ab homine dum vivit in mundo, nam tunc non infeſtatur ita, vel enim mens ejus tunc adhæret falſis, vel diſcudit illa, & hoc abſque infeſtatione ſenſibili: at in altera vita, cum illi qui in veris infeſtantur a falſis, tunc tenentur a ſpiritibus malis in illis ſicut vincti, at interiora mentis in veris a Domino, per quæ diſcutiuntur falſa: ſtatus infeſtationum a falſis, qualis eſt in altera vita, hic in ſenſu interno intelligitur, ſicut plura alia; nam Verbum non modo ſcriptum eſt pro homine, ſed etiam pro ſpiritibus & angelis.

6758. Et vidit virum Ægyptium percutientem virum Hebræum, quod ſignificet ſcientificum abalienatum conans deſtruere verum Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione viri Ægyptii, quod ſit ſcientificum abalienatum a vero, de qua n: 6692; ex ſignificatione percutere, quod ſit deſtruere, hic deſtruere conari, quia falſa non poſſunt deſtruere vera; & ex ſignificatione viri Hebræi, quod ſit verum Eccleſiæ, per virum enim ſignificatur verum, n: 3134, & per Hebræum Eccleſia, n: 6675. 6684.

6759. E fratribus ſuis, quod ſignificet quibus conjunctus eſſet, conſtat ex ſignificatione fratrum, quod ſint vera Eccleſiæ, de qua ſupra n: 6756; in quibus quia ipſe erat, & vera Eccleſiæ, quæ per fratres ſignificantur, erant, cum quibus conjunctus eſſet, hic ob nexum rerum in ſenſu interno intelligitur conjunctio.

6760. Et proſpexit huc & illuc, & vidit quod nullus vir, quod ſignificet prudentiam num in tuto eſſet, conſtare poteſt abſque explicatione.

6761. Et percuſſit Ægyptium, quod ſignificet quod deſtrueret ſcientificum abalienatum, conſtat ex ſignificatione percutere, quod ſit deſtruere, ut ſupra n: 6758, & ex ſignificatione Ægyptii, quod ſit ſcientificum abalienatum a vero, de qua n: 6692.

6762. Et abſcondidit illum in arena, quod ſignificet quod ablegaverit ubi falſa; conſtat a ſignificatione abſcondere quod ſit ablegare; & a ſignificatione arenæ, quod ſit ſcientificum verum, & in oppoſito ſenſu ſcientificum falſum; quod arena id ſit, eſt quia lapis, ex quo arena eſt, ſignificat utrumque, n: 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798. 6426; verum etiam per arenam ſignificatur apud Moſen, "Sebulon & Jiſaſchar populos in montem vocabunt, & ſacrificabunt ſacrificia juſtitiæ, quia affluentiam maris ſugent, & *obtecta occultorum arenæ*," Deut: xxxIII: 18. 19, populos in montem vocare, pro facere ut vera fiant bona, ſeu fides charitas, populi enim ſunt vera fidei, mons bonum charitatis, ſacrificare ſacrificia juſtitiæ, pro cultu ex charitate; affluentiam maris ſugere, pro abundare veris ſcientificis; obtecta occultorum arenæ pro ſcientificorum verorum arcanis; & quia arena ſignificat ſcientificum verum, etiam in oppoſito ſenſu ſignificat ſcientificum falſum, nam pleraque in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent, & qualis eſt ſenſus oppoſitus, cognoſcitur ex genuino. Cum hoc quod ablegaverit inter falſa, quæ ſignificantur per abſcondidit illum in arena, ita ſe habet; ſpiritus infer-

nales qui in falſis ſunt, cum in mundo ſpirituum fuerunt, & ibi deſtruere conati ſunt vera apud illos qui in tentatione ſunt, relegantur dein in inferna, unde amplius exire nequeunt; hoc per experientias plures mihi ſcire datum eſt; tale eſt, quod ſignificatur per relegationem inter falſa.

6763. Et exivit die altero, quod ſignificet conjunctionem iterum cum Eccleſia, conſtat ex illis quæ ſupra n: 6756 dicta ſunt ubi ſimilia.

6764. Et ecce duo viri Hebræi altercantes, quod ſignificet apperceptionem quod intra Eccleſiam inter ſe pugnarent, conſtat ex ſignificatione ecce ſeu videre, quod ſit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; ex ſignificatione virorum Hebræorum, quod ſint qui ab Eccleſia, de qua ſupra n: 6758 f; & ex ſignificatione altercari, quod ſit pugnare.

6765. Et dixit improbo, quare percutis ſocium tuum, quod ſignificet increpationem quod unus alterius fidem deſtruere vellet, conſtat ex ſignificatione improbi, quod ſit qui non in vero fidei, ſed uſque intra Eccleſiam; ſunt enim intra Eccleſiam qui in vero fidei, & ſunt qui non in vero, ut conſtare poteſt ex variis hæreſibus; qui in hæreſi, ſeu in non vero fidei ſunt, hic intelliguntur per improbum; ex ſignificatione percutere, quod ſit deſtruere, ut ſupra n: 6758; & ex ſignificatione ſocii, quod ſit qui in vero fidei; cum enim per improbum ſignificatur qui in non vero fidei, per ſocium ſignificatur qui in vero fidei; ſocius dicitur, non frater, tametſi uterque Hebræus, quia inimici; quod increpatio ſit patet. Cum his ita ſe habet; cum regeneratur homo, mittitur in pugnas contra falſa, & tunc tenetur a Domino in vero, ſed in illo vero, quod ſibi perſuaſerat verum eſſe, ex hoc vero pugnatur contra falſum; ex vero non genuino etiam pugnari poteſt, modo ſit tale, ut conjungi aliquo modo poſſit cum bono, & conjungitur cum bono per innocentiam, nam innocentia eſt medium conjunctionis; inde eſt quod regenerari queant intra Eccleſiam ex quacunque doctrina, ſed illi præ aliis, qui in veris genuinis ſunt.

6766. Et dixit, quis poſuit te ad virum principem & judicem ſuper nos, quod ſignificet perceptionem, quod nondum in vera fidei tantum provectus, ut dirimeret diſſidia intra Eccleſiam, conſtat ex ſignificatione dixit, quod ſit perceptio, de qua ſæpius; ex ſignificatione viri principis, quod ſit qui in primariis veris eſt, ita qui præ aliis in doctrina veri illuſtratus eſt; hic intellectus eſt per principem in Eccleſia repræſentativa; inde eſt, quid per quis poſuit te ad virum principem, ſignificetur quod nondum in vera Eccleſiæ tantum provectus; quod princeps ſit qui in primariis veris, videatur n: 5044; & ex ſignificatione judicis, quod ſit qui dirimit lites ſeu diſſidia, hic diſſidia intra Eccleſiam, quia inter duos viros Hebræos, per quos ſignificantur illi qui ab Eccleſia. Actum eſt in ſenſu ſupremo de inchoamentis Legis Divinæ in Humano Domini, agitur nunc de progreſſu illius Legis; in ſenſu autem interno agitur hic de progreſſu Divini Veri apud hominem qui regeneratur; progreſſus eſt talis, quod homo primum diſcernere poſſit inter falſum & verum, nam ex vero, in quo eſt, videre poteſt falſum, quia hoc oppoſitum eſt; at non poteſt primo illo tempore dirimere inter vera fidei intra Eccle-

ſiam,

ſiam, ut hoc poſſit, progreſſus ulteriores faciet, nam homo ſucceſſive illuſtratur; ut manifeſte conſtare poteſt ab illis, qui in ætate adoleſcentiæ & primæ juventutis ſunt, quod doctrinalia, quæ Eccleſiæ ſuæ, credant, ipſa vera eſſe, & inde falſa dijudicent, ſed quod nondum poſſint dirimere diſſidia inter illa quæ ſunt fidei intra Eccleſiam: hoc ſucceſſive venit; quare etiam homo, cui hoc dari poteſt, provectioris ætatis erit, cui interiora intellectus illuſtrata ſunt.

6767. Num ad occidendum me tu dicis, quod ſignificet num meam fidem deſtruere velis, conſtat ex ſignificatione occidere, quod ſit deſtruere, de qua ſequitur; & ex ſignificatione viri Hebræi, qui hic eſt me, quod ſit qui ab Eccleſia, ita quoque fides, nam fides eſt Eccleſiæ, quæ ita unitæ ſunt, ut qui deſtruit fidem apud aliquem, is deſtruat Eccleſiam apud illum; & hoc quoque eſt occidere illum, nam qui fidem, is vitam ſpiritualem aufert, vita quæ remanet eſt vita quæ vocatur mors; inde patet, quod per num ad occidendum me tu dicis, ſignificetur num meam fidem deſtruere velis. Quod occidere ſit vitam ſpiritualem auferre, patet a locis pluribus in Verbo; ut apud Jeremiam, "Abripe eos ſicut pecudem ad mactationem, & deſtina eos *ad diem occiſionis:* quouſque lugebit terra, & herba omnis agri exareſcet, propter malitiam habitantium in ea, conſumentur beſtiæ & avis," XII: 3. 4; dies occiſionis pro tempore vaſtationis Eccleſiæ, cum non amplius aliqua fides, quia non charitas; terra quæ lugebit pro Eccleſia; herba omnis agri pro omni vero ſcientifico Eccleſiæ; conſumentur beſtiæ & avis pro quod bona & vera; quod terra ſit Eccleſia, videatur n: 566. 662. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117 2118 f. 2928. 3355. 4335. 4447. 5577; quod herba ſit verum ſcientificum conſtat a locis in Verbo ubi herba nominatur, & quod ager ſit id quod eſt Eccleſiæ, n: 2971. 3310. 3766; quod beſtiæ ſint affectiones boni, ita bona, n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 1823. 2179. 2180. 3218. 3519. 5198; quod aves ſint affectiones veri, n: 5149; inde conſtare poteſt, quis ſenſus illorum verborum eſt, & quoque quod ſenſus ſpiritualis ſit in ſingulis ibi; quiſque videre poteſt, quod abſque interiori ſenſu, non intelligeretur, quid dies occiſionis, quid quod lugebit terra, quod herba omnis agri exareſcet, propter malitiam habitantium in ea, & quod conſumentur beſtiæ & avis. Apud Sachariam, "Sic dixit Jehovah Deus meus, *paſce oves occiſionis*, quas poſſeſſores earum *occidunt*," XI: 4. 5; oves occiſionis manifeſte pro illis, quorum fidem poſſeſſores deſtruunt. Apud Ezechielem, "Prophanaſti Me apud populum meum, pro pugillis hordeorum, & pro fruſtis panis, *ad occidendum animas quæ non mori debent*, & ad vivificandum animas quæ non vivere debent," XIII: 19, hic occidere etiam manifeſte pro deſtruere vitam ſpiritualem, hoc eſt, fidem & charitatem. Apud Eſaiam, "Quid facietis die viſitationis & vaſtationis, infra vinctos, & *infra occiſos* cadent," X: 3. 4, ibi occiſi pro illis qui in inferno, ita qui in malis & falſis. Apud Eundem, "Tu projectus es e ſepulchro tuo ſicut ſurculus abominabilis, *veſtimentum occiſorum*, *confoſſi gladio*, non adunaberis cum

iis

iis in ſepulchro, nam terram tuam perdidiſti, *populum tuum occidiſti*," xiv: 19. 20; occiſi pro illis qui privati vita ſpirituali; populum occidiſti pro quod deſtruxerit vera & bona fidei. Apud Johannem, "Fur non veniet niſi ut furetur, *occ det* & *perdat:* Ego veni, ut vitam habeant," x: 10; occidere, pro vitam fidei deſtruere; quare dicitur Ego venio ut vitam habeant. Apud Marcum, "Tradet frater fratrem *in mortem*, & pater liberos, & conſurgent liberi contra parentes, & *occident illos*," xiii: 12, ibi de ultimis temporibus Eccleſiæ, cum non amplius aliqua charitas, & ideo nec aliqua fides; frater, liberi, & parentes, in ſenſu interno ſunt bona & vera Eccleſiæ, & occidere eſt deſtruere illa. Quia per occiſum ſignificabitur deprivatus vita ſpirituali, & per agrum Eccleſia, idcirco ſtatutum erat in Eccleſia Repræſentativa, quod ſi quis tangeret in *ſuperficie agri* aliquem *confoſſum gladio*, aut *occiſum*, immundus eſſet ſeptem dies," Num: xix: 16; confoſſus gladio quod ſit verum a falſo exſtinctum, videatur n: 4503, nam gladius eſt falſum quod exſtinguit verum, n: 2799. 4499. 6353. Pariter hoc ſtatutum erat: ſi quis *occiſus* inveniretur in terra hæreditatis *ſuper agro*, nec notus quis *occiderit*, ſeniores & judices menſurarent inter urbes quæ circumcirca, inventa ſic urbe proxima, acciperent vitulum, & ad flumen rapidum decollarent; præter plura," Deut: xxi: 1 ad 10.

6768. Quemadmodum occidiſti Ægyptium, quod ſignificet ſicut deſtruxiſti falſum, conſtat ex ſignificatione occidere, quod ſit deſtruere, de qua mox ſupra n: 6767; & ex ſignificatione Ægyptii, quod ſit ſcientificum abalienatum a vero, ita falſum, de qua n: 6692. 6758. 6761.

6769. Et timuit Moſcheh, & dixit, certe notum eſt verbum, quod ſignificet quod inter ſcientifica abalienata eſſet, & nondum in veris, ut tutus, conſtat ex ſignificatione timere, quod ſit non eſſe in tuto, tunc enim timor; quod non in tuto, eſt quia non in veris; nam qui in veris ſunt, illi in tuto ſunt ubicunque vadunt, etiam ſi in mediis infernis; quod qui nondum in veris, non in tuto ſint, cauſa eſt, quia non vera, communicant cum ſpiritibus malis; hæc ſignificantur per illa verba, quod timuit Moſcheh, & dixit, certe notum eſt verbum, nempe Ægyptiis, inter quos erat; ut quoque patet a mox ſequentibus, "quod audiverit Pharao verbum hoc, & quæſiverit occidere Moſchen."

6770. Verſ: 15. 16. 17. 18. 19. *Et audivit Pharao verbum hoc, & quæſivit occidere Moſchen; & fugit Moſcheh a coram Pharaone; & habitavit in terra Midian, & habitavit juxta puteum. Et ſacerdoti Midianis ſeptem filiæ, & venerunt & hauſerunt, & impleverunt canaliculos, ad potandum gregem patris ſui. Et venerunt paſtores, & depulerunt illos; & ſurrexit Moſcheh, & adjuvit illas, & potavit gregem earum. Et venerunt ad Reulem patrem ſuum; & dixit, quapropter feſtinaſtis venire hodie. Et dicebant, vir Ægyptius liberavit nos e manu paſtorum, & etiam hauriendo hauſit nobis, & potavit gregem.* Et audivit Pharao verbum hoc, & quæſivit occidere Moſchen, ſignificat quod ſcientificum falſum eo appercepto deſtruere vellet verum quod Legis a Divino:

vino: & fugit Moſcheh a coram Pharaone, ſignificat quod ſepararetur a falſis: & habitavit in terra Midian, ſignificat vitam in Eccleſia apud illos qui in ſimplici bono: & habitavit juxta puteum, ſignificat ſtudium ibi in Verbo: & ſacerdoti Midianis ſeptem filiæ, ſignificat ſancta Eccleſiæ illius: & venerunt & hauſerunt, ſignificat quod inſtruerentur in veris ex Verbo: & impleverunt canaliculos, ſignificat quod inde ditarent doctrinam charitatis: ad potandum gregem ſuum, ſignificat ut inde inſtruerentur illi qui in bono: & venerunt paſtores, & depulerunt illos, ſignificat quod docentes, qui in malis, ſe opponerent: & ſurrexit Moſcheh & adjuvit illos, ſignificat opem a veris quæ Legis a Divino: & potavit gregem earum, ſignificat quod inſtruerentur inde qui in bono: & venerunt ad Reulem patrem ſuum, ſignificat conjunctionem cum ipſo Eccleſiæ illius bono: & dixit, quapropter feſtinaſtis venire hodie, ſignificat perceptionem quod nunc certa conjunctio: & dicebant, vir Ægyptius liberavit nos e manu paſtorum, & ſignificat quia verum ſcientificum, quod Eccleſiæ, valuit ſupra potentiam doctrinæ falſi ex malo: & etiam hauriendo hauſit nobis, ſignificat quod ex Verbo inſtrueret: & potavit gregem, ſignificat illos qui ab Eccleſia ibi: & dixit ad filias ſuas, ſignificat cogitationem de ſanctis Eccleſiæ: & ubi ille, quare hoc reliquiſtis virum, ſignificat quomodo abſque illo vero conjungi poſſent bono Eccleſiæ: vocate illum, ſignificat quod conjungendum: & edat panem, ſignificat confirmationem in bono.

6771. Et audivit Pharao verbum hoc, & quæſivit occidere Moſcheh, quod ſignificet quod ſcientificum falſum eo appercepto deſtruere vellet verum quod Legis a Divino, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit appercipere, de qua n: 5017; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſit ſcientificum quod contra vera Eccleſiæ, ita falſum, de qua n: 6651. 6679. 6683; ex ſignificatione occidere, quod ſit deſtruere, de qua n: 6767, ita quæſire occidere, eſt velle deſtruere; & ex repreſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, & Verum Divinum, de qua n: 6752; ita verum quod Legis Divinæ: dicitur Verum quod Legis Divinæ, non Lex Divina, quia adhuc agitur de progreſſu Legis Divinæ in Humano Domini: ex his conſtat, quod per audivit Pharao verbum hoc, & quæſivit occidere Moſchen, ſignificetur quod ſcientificum falſum eo appercepto deſtruere vellet verum, quod Legis Divinæ.

6772. Et fugit Moſchen a coram Pharaone, quod ſignificet quod ſepararetur a falſis, conſtat ex ſignificatione fugere, quod ſit ſeparari; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit verum quod Legis a Divino, de qua mox ſupra n: 6771. Hic nunc inchoat quintus ſtatus progreſſionis Legis Divinæ in Humano Domini, ac in ſenſu reſpectivo progreſſionis Veri Divini apud hominem qui regeneratur, qui eſt ſeparationis a falſis, & adjunctionis cum veris ſimplicis boni; ſequitur dein ſextus ſtatus, qui eſt adjunctionis cum bono.

6773. Et habitavit in terra Midian, quod ſignificet vitam inter illos qui in ſimplici bono, conſtat ex ſignificatione habitare, quod ſit vita, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051; & ex ſignificatione Midianis, quod ſint

qui

qui in veris ſimplicis boni, de qua n: 3242. 4756. 4788; terra dicitur, quia ſignificatur Eccleſia, ubi illi; quod terra ſit Eccleſia, videatur n: 6765, med:

6774. Et habitavit juxta puteum, quod ſignificet ſtudium ibi in Verbo, conſtat ex ſignificatione habitare, quod ſit vita, de qua mox ſupra n: 6774, hic ſtudium vitæ; & ex ſignificatione putei, quod ſit Verbum, de qua n: 2702. 3424: Verbum vocatur quandoque puteus, quandoque fons, cum vocatur puteus ſignificatur Verbum quoad ſenſum literalem, & cum fons, ſignificatur Verbum quoad ſenſum internum, n: 3765; hic habitare dicitur juxta puteum, quia ſignificatur Verbum quoad ſenſum literalem, nam ille ſenſus eſt primus illis qui regenerantur, & ad Verum Divinum progrediuntur, de quibus in ſenſu interno hic agitur; qui etiam in veris ſimplicis boni ſunt, qui hic per Midianem intelliguntur, nec alium ſenſum quam literalem curant.

6775. Et ſacerdoti Midianis ſeptem filiæ, quod ſignificet ſancta Eccleſiæ illius, conſtat ex ſignificatione filiarum ſacerdotis, quod ſint illa quæ ſunt Eccleſiæ, quod filia ſit Eccleſia, videatur n: 2362. 3963. 6729, & quod ſacerdos ſit bonum amoris, n: 1728. 3670. 6148; ita per ſacerdotis filias ſignificatur Eccleſia quoad bonum; ex ſignificatione Midianis, quod ſint qui in veris ſimplicis boni, de qua mox ſupra n: 6773; & ex ſignificatione ſeptem, quod ſint ſanctum, de qua n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268; ita per quod Sacerdoti Midianis ſeptem filiæ, ſignificantur ſancta Eccleſiæ illorum qui in veris ſimplicis boni. In ſimplici bono dicuntur eſſe, qui in Eccleſiæ externis ſunt, ac ſimpliciter credunt Verbo quoad ſenſum ejus literalem, quiſque ſecundum ſuum captum, & ſecundum illa quæ credunt etiam vivunt, ita in bono ſecundum quale ejus ex veris; Internum Eccleſiæ influit apud illos per bonum, ſed quia non in veris interioribus ſunt, bonum quod influit fit commune, ita obſcurum, nam Lux ſpiritualis non ibi influere poteſt in ſingularia, & ſic res diſtincte illuſtrare; qui tales in altera vita donantur cœlo ſecundum quale boni ex veris: tales ſunt qui hic per Midianem intelliguntur; in proprio autem ſenſu ſunt illi, qui extra Eccleſiam ſunt, & in bono ſecundum religioſum ſuum vivunt.

6776. Et venerunt & hauſerunt, quod ſignificet quod inſtruerentur in veris ex Verbo, conſtat ex ſignificatione haurire, quod ſit inſtrui in veris fidei, & illuſtrari, de qua n: 3058. 3071; quod ex Verbo, ſignificatur per puteum, ex quo hauſerunt; quod puteus ſit Verbum, videatur ſupra n: 6774.

6777. Et impleverunt canaliculos, quod ſignificet quod inde ditarent doctrinam charitatis, conſtat ex ſignificatione ex puteo implere, quod ſit inde ſeu ex Verbo ditare; & ex ſignificatione canaliculi, quod ſit doctrina charitatis: quod canaliculus ſeu aqualis ſit doctrina charitatis, inde eſt, quia eſt canalis ligneus, in quem hauritur aqua ex puteo ad potandum greges; ligneum enim in ſenſu interno ſignificat bonum charitatis, n: 3720; haurire ſignificat inſtrui, n: 3058. 3071; aqua, quæ hauritur, ſignificat verum fidei, n: 2702. 3058. 4976. 5668; puteus ex quo hauritur, ſignificat Verbum, n: 2702.

3424.

3424. 6774, & potare greges ſignificat inſtruere in bono, ex Verbo, n: 3772: ex his conſtare poteſt, quod canaliculus ſit doctrina charitatis.

6778. Ad potandum gregem patris ſui, quod ſignificet ut inde inſtruerentur in bono, conſtat ex ſignificatione potare, quod ſit inſtruere, de qua n: 3772; ex ſignificatione gregis, quod ſint qui diſcunt & ducuntur ad bonum charitatis, de qua n: 343. 3772. 5913. 6048; & ex repræſentatione Reulis, qui hic eſt pater, & qui erat ſacerdos, quod ſit bonum illius Eccleſiæ, ubi illi qui in vero ſimplicis boni, de quibus ſupra n: 6773. 6775.

6779. Et venerunt paſtores, & depulerunt quod ſignificet docentes, qui in malis, quod ſe opponerent, conſtat ex ſignificatione paſtorum, quod ſint qui docent & ducunt ad bonum charitatis, de qua n: 343. 3795. 6044, hic qui docent, ſed quia in malis ſunt, non ducunt ad bonum charitatis, de qua ſequitur; ex ſignificatione depellere, quod ſit ſe opponere; & ex ſignificatione filiarum, quæ ſunt quas depulerunt, quod ſint quæ Eccleſiæ, de qua ſupra n: 6775. Per paſtores hic quidem ſignificantur qui docent, ſed qui non ducunt ad bonum charitatis, quia in malis ſunt; nam qui in malis ſunt nuſquam agnoſcunt quod charitas & ejus opera ad ſalutem faciant, non enim agnoſcere poſſunt quæ contra vitam eorum ſunt, nam hoc foret contra ſemet; & quia in malis ſunt, ne quidem ſciunt quid charitas, ita nec quid charitatis opera; fidem docent, per illam juſtificant, & per illam pollicentur cœlum; hi ſunt qui ſe opponunt doctrinæ charitatis quæ ex Verbo, proinde illis qui in vero ſimplicis boni, qui ſignificantur per filias ſacerdotis Midianis, quas e puteo poſtquam hauſerunt & impleverunt canaliculos ad potandum gregem, paſtores depulerunt.

6780. Et ſurrexit Moſcheh, & adjuvit illas, quod ſignificet opem a veris quæ Legis a Divino, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit verum quod Legis a Divino, de qua ſupra n: 6771; & a ſignificatione adjuvare, quod ſit opem ferre.

6781. Et potavit gregem earum, quod ſignificet quod inſtruerentur inde qui in bono, conſtat ex ſignificatione potare, ſeu bibere facere, quod ſit inſtruere, de qua n: 3069. 3092. 3772; & ex ſignificatione gregis, quod ſint qui diſcunt, & ducuntur ad bonum charitatis, de qua n: 343. 3772. 5913. 6048, ita qui in bono ſunt.

6782. Et venerunt ad Reulem patrem ſuum, quod ſignificet conjunctionem cum ipſo Eccleſiæ illius bono, conſtat ex ſignificatione venire ad aliquem, quod ſit conjungi; & ex repræſentatione Reulis, qui quia ſacerdos quod ſit bonum; quod ſacerdos ſit bonum amoris, videatur n: 1728. 3670. 6148: conjunctio, quæ hic ſignificatur, eſt verorum Eccleſiæ cum ejus bono.

6783. Et dixit, quapropter feſtinaſtis venire hodie, quod ſignificet perceptionem quod nunc certa conjunctio, conſtat ex ſignificatione dixit in hiſtoricis Verbi, quod ſit perceptio, de qua ſæpius; & ex ſignificatione feſtinare venire, quod ſit certa conjunctio, quod feſtinare ſit certum, videatur n: 5284; & quod venire ſit conjunctio, mox ſupra n: 6782; hic non intelligitur certa conjunctio, per quod filiæ feſtinaverint venire ad patrem ſuum, ſed

per verum quod Legis a Divino, quod per Moſen repræſentatur; hoc eſt quod perceptum.

6784. Et dicebant, vir Ægyptius liberavit nos e manu paſtorum, quod ſignificet quia verum ſcientificum quod Eccleſiæ adjunctum, valuit ſupra potentiam doctrinæ falſi ex malo, conſtat ex ſignificatione viri Ægyptii, quod ſit verum ſcientificum; per virum enim ſignificatur verum, n: 3134, & per Ægyptium ſcientificum, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 4749. 4964. 4966. 6004. 4967. 5700. 6692; quod Moſcheh hic appelletur vir Ægyptius, eſt quia per Moſchen hic repræſentatur verum, quale eſt illis qui in vero ſimplicis boni, quod per filias ſacerdotis Midianis ſignificatur, illi in tali vero ſunt, externæ enim Eccleſiæ homines ſunt, n: 6775, ideo etiam dicitur verum ſcientificum quod Eccleſiæ adjunctum; & ex ſignificatione liberare e manu paſtorum, quod ſit quod voluerit ſupra potentiam falſi ex malo, liberare enim eſt valere, nam qui liberat e manu aliorum, is valet præ illis, manus eſt potentia, n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544, & paſtores ſunt docentes, hic docentes falſum ex malo, n: 6779; & quia ſunt docentes, etiam ſunt doctrina talis. Quod verum ſcientificum valeat ſupra potentiam doctrinæ falſi ex malo, eſt quia Divinum eſt in omni vero ex bono, at in falſo ex malo eſt contrarium, & quod contrarium eſt Divino, prorſus nihil valet; idcirco in altera vita mille qui in falſo ſunt ex malo, prorſus nihil valent contra unum qui in vero ex bono, ad præſentiam unius hujus fugiunt mille, & niſi fugiant, torquentur & cruciantur. Falſum ex malo dicitur, quia id falſum eſt vere falſum; at falſum non ex malo, ſed ex ignorantia veri, non tale eſt; malum eſt, quod eſt oppoſitum cœlo, non autem falſum ex ignorantia; imo ſi in ignorantia eſt aliquid innocentiæ, tunc falſum illud acceptatur a Domino ſicut verum, nam qui in tale, verum recipiunt.

6785. Et etiam hauſit nobis, quod ſignificet quod ex Verbo inſtrueret, conſtat ex ſignificatione haurire, quod ſit inſtruere in veris fidei & illuſtrari, de qua n: 3058. 3071; quod ex Verbo, ſignificatur per puteum e quo hauſerunt; quod puteus ſit Verbum, videatur n: 6774.

6786. Et potavit gregem, quod ſignificet illos qui ab Eccleſia ibi, conſtat ex ſignificatione gregis, quod ſint qui in bono, quique ſe inſtrui patiuntur, de qua n: 343. 3772. 5913. 6048, hic illi qui ab Eccleſia ibi, qui quod ſint qui in vero ſimplicis boni, & ſignificantur per Midianem, ſupra oſtenſum eſt. Grex ſignificat & bonum & Eccleſiam, hoc eſt, illos qui in bono ſunt & ab Eccleſia, nam ea ita conjuncta ſunt, ut unum ab altero ſeparari nequeat, qui enim in bono fidei eſt is eſt Eccleſia, & qui Eccleſia eſt is in bono fidei eſt.

6787. Verſ: 20. 21. 22. *Et dixit ad filias ſuas, & ubi ille, quare hoc reliquiſtis virum, vocate illum, & edat panem. Et voluit Moſcheh habitare cum viro, & dedit Zipporam filiam ſuam Moſchi. Et peperit filium, & vocavit nomen ejus Gerſchom, quia dixit, peregrinus ſum in terra aliena.* Et dixit ad filias ſuas, ſignificat cogitationem de ſanctis Eccleſiæ: & ubi ille, quare hoc reli-

reliquiſtis virum, ſignificat quomodo abſque illo vero conjungi poſſent bono Eccleſiæ: vocate illum, ſignificat quod conjungendum: & edat panem, ſignificat confirmationem in bono: & voluit Moſcheh habitare cum viro, ſignificat quod concordarent: & dedit Zipporam filiam ſuam Moſchi, ſignificat quod adjunxerit ei bonum ſuæ Eccleſiæ: & peperit filium, ſignificat vera inde: & vocavit nomen ejus Gerſchom, ſignificat quale illorum: quia dixit, peregrinus ſum in terra aliena, ſignificat ſe inſtructum in veris in Eccleſia non ſua.

6788. Et dixit ad filias ſuas, quod ſignificet cogitationem de ſanctis Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit cogitatio, de qua n: 3395; & ex ſignificatione filiarum, quod ſint ſancta Eccleſiæ, de qua ſupra n: 6775: ſancta, quæ hic ſignificantur per filias, ſunt vera; hæc in Verbo vocantur ſancta: ex cauſa, quia vera quæ apud hominem fiunt fidei, ſunt ex bono; & quia quod procedit ex Divino Humano Domini eſt Divinum Verum ex Divino Bono; inde eſt quod *Sanctus* ſpiritus, ſit *ſanctum* quod procedit ex Domino; nam non ipſe ſpiritus procedit, ſed ſanctum quod ſpiritus loquitur; quod quiſque intelligere poteſt qui expendit: quod Sanctus Spiritus, qui vocatur etiam Paracletus, ſit Divinum Verum præcedens ex Divino Humano Domini, & quod Sanctum dicatur de Divino Vero, conſtat ex Domini verbis apud Johannem, " Ego rogabo Patrem, ut alium *Paracletum* det vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, *Spiritum veritatis*, quem mundus non poteſt accipere, quoniam non videt illum, neque cognoſcit illum: Paracletus, *Spiritus Sanctus*, quem mittet Pater in nomine meo, *ille vos docebit omnia*, & commoniſaciet vos de omnibus quæ dixi vobis," XIV: 16. 17. 26: apud Eundem, " Quando venerit *Paracletus*, quem Ego miſſurus ſum vobis a Patre, *Spiritus veritatis*, qui ex Patre exit, ille teſtabitur de Me," XV: 26: & apud Eundem, " Quando venerit *ille Spiritus veritatis*, ducet vos *in omnem veritatem:* non loquetur a Seipſo, ſed quæcunque audiverit, loquetur; ille Me glorificabit, *quia ex Meo accipiet & annuntiabit vobis:* omnia quæcunque Pater habet, Mea ſunt, propter hoc dixi, *quod de Meo accepturus ſit*, & annuntiaturus vobis," XVI: 13. 14. 15; ſi hæc loca conferantur, cum aliis pluribus, intelligi poteſt, quod Sanctus Spiritus ſit ſanctum quod procedit a Divino Humano Domini, dicit enim Dominus, Quem Pater miſſurus in Nomine Meo; tum quem Ego miſſurus ſum vobis a Patre; ut &, Ille ex Meo accipiet & annuntiabit vobis, omnia quæcunque Pater habet, Mea ſunt, propter hoc dixi, quod de Meo accepturus ſit, & annuntiaturus vobis; patet quoque, quod Sanctum prædicetur de Vero, nam Paracletus vocatur Spiritus veritatis.

6789. Et ubi ille, quare hoc reliquiſtis virum, quod ſignificet quomodo abſque illo vero conjungi poſſent bono Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione viri Ægyptii, qui hic eſt vir quem reliquerunt, quod ſit verum ſcientificum, de qua ſupra n: 6784; & ex ſignificatione quare hoc reliquiſtis virum, quod ſit quomodo abſque illo vero conjungi poſſent bono, nam relinquere virum hic eſt non poſſe conjungi. Hoc quomodo ſe habet, dicendum; Verum

 ſcien-

ſcientificum, quod hic per Moſchen repræſentatur, eſt verum Eccleſiæ externæ; hoc Verum exiſtit a Vero quod Legis a Divino, quod quoque eſt Moſcheh, n: 6771. 6780, & verum quod Legis ex Divino eſt verum Eccleſiæ internæ, verum externum niſi ſit ex vero interno, non conjungi poteſt bono; ſit illuſtrationi Verbum, niſi internum Verbi influat apud illos qui legunt Verbum & manent in ſenſu literali, non fit conjunctio Veri ex Verbo cum Bono, & tunc internum Verbi influit, & conjungitur cum bono, cum homo Verbum ſanctum habet, & tunc ſanctum habet cum eſt in bono: ſit illuſtrationi etiam Sancta Cœna, vix aliqui ſciunt quod panis ibi ſignificet amorem Domini erga univerſum Genus humanum, & reciprocum hominis; & quod Vinum ſignificet charitatem; ſed uſque qui ſancte recipiunt illa, illis eſt conjunctio cum cœlo & cum Domino per illa, & influunt bona amoris & charitatis per angelos, qui tunc non cogitant de pane & vino, ſed de amore & charitate, n: 3464. 3735. 5915; inde patet, quod verum externum conjungatur cum vero interno, cum homo in bono eſt, illo neſciente.

6790. Vocate illum, quod ſignificet quod conjungendum, conſtat ex ſignificatione vocare, quod ſit conjungi, de qua n: 6047.

6791. Et edat panem, quod ſignificet confirmationem in bono, conſtat ex ſignificatione panis, quod ſit bonum amoris, de qua n: 2165. 2177. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735: quod edere panem ſit confirmatio in bono, eſt quia per edere hic intelligitur commeſſatio, quæ in Verbo vocatur convivium; commeſſationes ſeu convivia fiebant apud antiquos intra Eccleſiam, cauſa conjunctionis, & confirmationis in bono, videatur n: 3596. 3832. 5161.

6792. Et voluit Moſcheh habitare cum viro, quod ſignificet quod concordarent, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod hic ſit verum ſcientificum, de qua ſupra n: 6784; ex ſignificatione habitare, quod ſit vivere, de qua n: 1293. 3384. 3613, & habitare cum aliquo, quod ſit vivere ſimul, n: 4451, proinde concordare; & ex ſignificatione viri, quod ſit verum boni illius Eccleſiæ, quod vir ſit verum, videatur n: 3134.

6793. Et dedit Zipporam filiam ſuam Moſchi, quod ſignificet quod adjunxerit ei bonum ſuæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione dare, nempe in uxorem, quod ſit adjungere; ex ſignificatione filiæ, quod ſit bonum, de qua n: 489. 490. 491; ſit adjungere; & quoque Eccleſia, n: 2362. 3963. 6729; Zippora ſignificat quale boni illius Eccleſiæ; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit verum ſcientificum, de qua n: 6784.

6794. Et peperit filium, quod ſignificet vera inde, conſtat ex ſignificatione parere, quod prædicetur de illis quæ Eccleſiæ, quæ ſunt fides & charitas; hi partus exiſtunt ex conjugio cœleſti, quod eſt boni & veri, quod conjugium repræſentatur per conjugia in terra; & ex ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 2623. 3373.

6795. Et vocavit nomen ejus Gerſchom, quod ſignificet quale illorum, nempe verorum, conſtat ex ſignificatione nominis, & vocare nomen, quod ſit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 2009. 2724. 3006. 3421. 6674; Gerſchom involvit

involvit quale illorum verorum, quod nempe ſint in quibus inſtructus in Eccleſia non ſua, ut nunc ſequitur.

6796. Quia dixit, peregrinus ſum in terra aliena, quod ſignificet ſe inſtructum in veris in Eccleſia non ſua, conſtat ex ſignificatione peregrinus eſſe, quod ſit qui inſtruitur in illis, quæ ſunt Eccleſiæ; & ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua n: 662. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 4447. 4535. 5577; inde terra aliena eſt Eccleſia non ſua.

6797. Verſ: 23. 24. 25. *Et factum in diebus multis his & moriebatur rex Ægypti, & ſuſpirabant filii Iſraelis e ſervitio, & clamabant; & aſcendit clamor illorum ad Deum e ſervitio. Et audivit Deus gemitum illorum, & recordatus eſt Deus fœderis ſui cum Abrahamo, cum Jiſchako, & cum Jacobo. Et vidit Deus filios Iſraelis, & cognovit Deus.* Et factum in diebus multis his, ſignificat poſt ſtatus mutationes plures: & moriebatur rex Ægypti, ſignificat finem falſi prioris: & ſuſpirabant filii Iſraelis e ſervitio, ſignificat dolorem ob conatum ſubjugationis veri Eccleſiæ: & clamabant, ſignificat implorationem: & aſcendit clamor illorum ad Deum e ſervitio, ſignificat quod auditi: & audivit Deus gemitum illorum, ſignificat opem: & recordatus eſt Deus fœderis ſui cum Abrahamo, cum Jiſchako, & cum Jacobo, ſignificat ob conjunctionem cum Eccleſia per Divinum Humanum Domini: & vidit Deus filios Iſraelis, ſignificat quod Eccleſiam fide donavit: & cognovit illos, ſignificat quod charitate.

6798. Et factum in diebus multis his, quod ſignificet poſt ſtatus mutationes plures, conſtat ex ſignificatione dierum, quod ſint ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; ita, factum in diebus multis, eſt poſt plures ſtatus, ſeu poſt plures ſtatus mutationes.

6799. Et moriebatur rex Ægypti, quod ſignificet finem falſi prioris, conſtat ex ſignificatione mori, quod ſit deſinere eſſe, de qua n: 494. 6587. 6593, ita finis; & ex repræſentatione Pharaonis ſeu regis Ægypti, quod ſit ſcientificum falſum, de qua n: 6651. 6679. 6683. 6692.

6800. Et ſuſpirabant filii Iſraelis e ſervitio, quod ſignificet dolorem ob conatum ſubjugationis veri Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione ſuſpirare, quod ſit dolor; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint vera Eccleſiæ, de qua n: 5414. 5879. 5951; & ex ſignificatione ſervitii, quod ſit conatus ſubjugationis, de qua n: 6666. 6670. 6671.

6801. Et clamabant, quod ſignificet implorationem, conſtat abſque explicatione.

6802. Et aſcendit clamor illorum ad Deum e ſervitio, quod ſignificet quod auditi, conſtare etiam poteſt abſque explicatione, nam ſequitur, quod audivit Deus gemitum illorum, & recordatus eſt fœderis ſui cum Abrahamo, cum Jiſchako, & cum Jacobo.

6803. Et audivit Deus gemitum eorum, quod ſignificet opem conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit obedire, de qua n: 2542. 3869. 4652 ad 4660. 5017; at cum dicitur de Domino, eſt providere & opem ferre, nam quem audit

audit Dominus, ei opem fert; & ex ſignificatione gemitus, quod ſit dolor ob conatum ſubjugationis a falſis.

6804. Et recordatus eſt Deus fœderis ſui cum Abrahamo, cum Jiſchako, & cum Jacobo, quod ſignificet ob conjunctionem cum Eccleſia per Divinum Humanum Domini, conſtat ex ſignificatione fœderis, quod ſit conjunctio, de qua ſequitur; & ex repræſentatione Abrahami, Jiſchaki, & Jacobi, cum quibus fœdus, quod ſit Divinum Humanum Domini; quod Abrahamus repræſentet Dominum quoad Ipſum Divinum, Jiſchakus quoad Divinum Rationale, & Jacobus quoad Divinum Naturale, videatur n: 1893. 2011. 2066. 2072. 2083. 2630. 3194. 3210. 3245. 3251. 3305 f. 3439. 3576. 3599. 3704. 4180. 4286. 4538. 4570. 4615. 6098. 6185. 6276. 6424: quod ubi nominantur Abraham, Jiſchak, & Jacob in Verbo, in ſenſu ſpirituali non intelligantur illi, conſtare poteſt ex eo, quod nomina nuſquam penetrent in cœlum, ſed modo quid per illos qui nominantur, ſignificetur; ita ipſæ res, rerum quale, & rerum ſtatus, quæ nempe ſunt Eccleſiæ, & quæ ſunt Regni Domini, & quæ ſunt Ipſius Domini; & præterea Angeli in cœlo nuſquam determinant ſuas cogitationes ad ſingulares perſonas, hoc foret finire cogitationes, & abſtrahere a perceptione rerum univerſali, ex qua loquela angelica, inde eſt, quod quæ loquuntur Angeli in cœlo, ſint ineffabilia, & longe ſupra cogitationem humanam, quæ non extenditur ad univerſalia, ſed contrahitur ad particularia; cum itaque legitur, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & *accumbent cum Abrahamo, & Jiſchako & Jacobo,* in Regno cœlorum," Matth: VIII: 11, percipiunt Angeli Domini præſentiam & appropriationem veri & boni, quæ a Divino Humano Ipſius procedunt: tum cum legitur, "Quod Lazarus ſublatus ſit in ſinum Abrahami," Luc: XVI: 22, Angeli percipiunt, quod ſublatus ſit in cœlum ubi Dominus eſt præſens; inde quoque conſtare poteſt, quod per fœdus cum Abrahamo, Jiſchako & Jacobo, in ſenſu interno intelligatur conjunctio per Divinum Humanum Domini. Quod Divinum Humanum ſit fœdus, hoc eſt, ipſa Conjunctio, conſtare poteſt a pluribus locis in Verbo, ut apud Eſaiam, "*Dabo Te in fœdus populo,* in lucem gentium," XLII: 6. Apud Eundem, "*Dedi Te in fœdus populi* ad reſtituendum terram, ad dividendum hæreditates devaſtatas," XLIX: 8. Apud Eundem, "Inclinate aurem veſtram, & ite ad Me, audite & vivat anima veſtra, ita *pangam vobis fœdus æternitatis,* Miſericordias Davidis firmas; en teſtem populis dedi Ipſum Principem & Legiſlatorem gentibus," LV: 3. 4. Apud Malachiam, "Subito venit ad Templum ſuum Dominus, Quem vos quæritis, & *Angelus fœderis,* Quem vos deſideratis, ecce venit," III: 1. In Libro II Samuelis, "*Fœdus æternitatis poſuit Mihi,* diſponendum in omnes & ſervandum," XXIII: 5; in his locis agitur manifeſte de Domino, & de conjunctione generis humani cum Ipſo Divino Domini per Divinum Humanum Ipſius; quod Dominus quoad Divinum Humanum ſit Mediator, & quod nullus ad Ipſum Divinum, quod in Domino & Pater vocatur, venire queat quam per Filium, hoc eſt, per Divinum Humanum, notum eſt in

Eccleſia;

Eccleſia; ita eſt Dominus quoad Divinum Humanum Conjunctio: quis poteſt comprehendere Ipſum Divinum aliqua cogitatione, & ſi non cogitatione, quis poteſt Ipſi conjungi amore; ſed Divinum Humanum quiſque poteſt comprehendere cogitatione, & conjungi Ipſi amore. Quod fœdus ſit conjunctio, conſtare poteſt ex fœderibus inter Regna, quod per illa conjungantur; & quod ſint conſtipulationes ab utraque parte, quæ cuſtodiendæ, ut conjunctio ſarta teneatur; conſtipulationes illæ ſeu pacta etiam vocantur fœdus. Conſtipulationes ſeu pacta, quæ in Verbo fœdus vocantur, ſunt a parte hominis, in ſtricto ſenſu decem præcepta ſeu decalogus; in latiori ſenſu ſunt omnia ſtatuta, mandata, leges, teſtimonia, præcepta, quæ Dominus e monte Sinai per Moſen injunxit, & in adhuc latiori ſenſu Libri Moſis, quæ ibi continentur erant a parte filiorum Iſraelis obſervanda; a parte Domini eſt Miſericordia & Electio: *quod decem Præcepta ſeu decalogus ſint fœdus*, conſtat ab his locis; apud Moſen, "Jehovah indicavit vobis *fœdus ſuum*, quod præcepit vobis ad faciendum, *decem Verba*, quæ ſcripſit ſuper duas tabulas lapidum." IV: 13. 23; & quia duæ tabulæ lapideæ, quibus inſcripta fuerunt decem præcepta, repoſita ſunt in arca, Exod: XXV: 16. 21. 22. Cap: XXXI: 18. Cap: XXXII: 15. 16. 19. Cap: XL: 20; idcirco arca vocabatur *arca fœderis*, Deut: XXXI: 9. 24. 25. 26. Joſ: III: 3. 6. 14. Cap: IV: 7. Judic: XX: 27. 2 Sam: XV: 24. 1 Reg: VIII: 21, hic Salomo ita loquitur, "*Poſui ibi locum arcæ, ubi fœdus Jehovæ*, quod pepigit cum patribus noſtris:" & apud Johannem, "Apertum eſt Templum Dei in cœlo, & *viſa eſt arca fœderis Ipſius* in Templo Ipſius," Apoc: XI: 19. *Quod fœdus appellentur omnia judicia & ſtatuta, quæ Dominus per Moſen mandavit populo Iſraelitico; & quoque ipſi Libri Moſis*; apud Moſen, "Super ore verborum horum *pepigi vobiſcum fœdus*, & cum Iſraele," Exod: XXIV: 27, quæ ibi vocantur fœdus, erant plura de ſacrificiis, feſtis, azymis. Apud Eundem, "Moſes ſumſit *Librum fœderis*, & legit in auribus populi, qui dixerunt, omne quod loquutus eſt Jehovah, faciemus & audiemus," Deut: XXIV: 78. In Libro II Regum, "Joſchia Rex Jehudæ in domo Jehovæ coram omnibus legit verba *Libri fœderis inventi in domo Jehovæ: & pepigit fœdus* coram Jehovah, ad ſtabiliendum *verba fœderis ſcripta in Libro illo*; & ſtetit omnis populus in *fœdere*. Præcepit Rex omni populo, ut facerent Paſcha Jehovæ Deo, juxta ſcriptum in *Libro fœderis*," XXIII: 2. 3. 21. Apud Davidem, "Si cuſtodiverint filii tui *fœdus meum* & teſtimonium meum, quod docui illos, etiam filii eorum uſque in æternum ſedebunt ſuper throno tibi," Pſalm: CXXXII: 12. *Quod fœdus ſit conjunctio per amorem & fidem*, apud Jeremiam, "Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, quibus *pangam* cum domo Iſraelis, & cum domo Jehudæ, *fœdus novum*, non ſicut *fœdus quod pepigi* cum patribus eorum, quia illi irritum fecerunt *fœdus meus*; ſed *hoc fœdus quod pangam* cum domo Iſraelis poſt dies hos, dabo Legem meam in medio eorum, & ſuper cor illorum ſcribam illam, & ero illis in Deum, & illi erunt Mihi in populum," XXXI: 31. 32. 33; dare Legem in medio eorum, & ſuper cor eorum ſcribere illam, eſt donare fide & charitate; per fidem & charitatem fit conjunctio, quæ deſcri-

deſcribitur per quod ero illis in Deum, & illi erunt Mihi in populum. Apud Eundem, "*Pangam illis fœdus ſæculi,* quod non amplius averſurus Me poſt illos, & benefaciam illis; *timorem autem meum dabo in cor eorum, ut non recedant a Me,*" xxxii: 40; conjunctio per amorem, quæ fœdus, ſignificatur per timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant a Me. Apud Ezechielem, "*Pangam illis fœdus pacis, fœdus æternitatis* erat cum illis, & dabo eos, & multiplicabo eos, & ponam ſanctuarium in medio eorum, & erit habitaculum Meum apud illos, & ero illis in Deum, & erunt Mihi in populum," xxxvii: 26. 27; ibi conjunctio per amorem & fidem, quæ ſunt fœdus, deſcribitur per ſanctuarium in medio eorum, & per habitaculum apud illos, & quod ero illis in Deum, & erunt Mihi in populum. Apud Eundem, "Cum præterivi præter te, & vidi te, quod ecce tempus tuum, tempus amorum, *& inii fœdus tecum, ut eſſes Mihi,*" xvi: 8, ibi de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia Antiqua; quod inire fœdus ut eſſes Mihi, ſit conjugium ſeu ſpiritualis conjunctio, patet. Quia fœdus ſignificat conjunctionem, etiam uxor vocatur *uxor fœderis,* Malach: ii: 14; & conjunctio inter fratres vocatur *fœdus fratrum,* Amos i: 9. Per fœdus etiam conjunctio ſignificatur apud Davidem, "*Pepigi fœdus* Electo meo; juravi Davidi ſervo meo," Pſalm: lxxxix: 4. *Quod Pactum fœderis a parte Domini ſit Miſericordia & Electio,* conſtat apud Davidem, "Omnes viæ Jehovæ *Miſericordia* & Veritas *cuſtodientibus fœdus Ipſius,* & Teſtimonia Ipſius," Pſalm: xxv: 10. Apud Eſaiam, "Montes recedent, & colles dimovebuntur, & *Miſericordia mea* non recedet, & *fœdus pacis meæ* non dimovebitur, dixit *Miſerator tuus* Jehovæ," liv: 10. Apud Moſen, "Jehovah Deus tuus, Ipſe Deus, Deus fidelis, *cuſtodiens fœdus & Miſericordiam amantibus Ipſum,* & cuſtodientibus præcepta Ipſius, milleſimæ generationi," Deut: vii: 9. 12. Apud Eundem, "*Si cuſtodiveritis fœdus meum,* eritis Mihi in peculium ex omnibus populis," Exod: xix: 5. Apud Eundem, "Reſpiciam ad vos, & fructificabo vos, & multiplicabo vos, & confirmabo *fœdus meum* vobiſcum," Lev: xxvi: 9; reſpicere ad illos, eſt Miſericordiæ, fructificare & multiplicare illos, eſt donare charitate & fide, qui illis donantur, vocantur Electi, ita ſunt hæc Electionis, tum quoque quod erunt in peculium. *Signa fœderis etiam in Eccleſia Repræſentativa fuerunt,* & fuerunt illa ex quibus recordarentur conjunctionis; *Circumciſio* erat tale ſignum, Gen: xvii: 11, Circumciſio enim ſignificabat purificationem ab amoribus ſpurcis, quibus remotis inſinuatur amor cœleſtis, per quem conjunctio: *Sabbathum* etiam vocatur *fœdus æternum,* Exod: xxxi: 16: etiam *Panes propoſitionis* dicuntur quod eſſent filiis Iſraelis *fœdere æterno,*" Levit: xxiv: 10: imprimis *Sanguis,* ut conſtat apud Moſen, "Moſes ſumſit *Librum fœderis,* & legit in auribus populi, qui dixerunt, omne quod loquutus eſt Jehovah, faciemus & audiemus; tunc ſumſit Moſes *Sanguinem Sacrificii pacifici,* & ſparſit ſuper populum, & dixit, ecce *Sanguis fœderis* quod pepigit Jehovah vobiſcum ſuper omnibus verbis his," Exod: xxiv: 7. 8. Apud Sachariam, "*Per ſanguinem fœderis tui* emittam vinctos e fovea, in qua non aqua," ix: 11; Sanguis erat fœdus ſeu ſignum fœderis,

quia

quia ſignificabat conjunctionem per amorem ſpiritualem, hoc eſt, per charitatem erga proximum: idcirco cum Dominus inſtituit Sanctam Cœnam, Sanguinem ſuum vocabat ſanguinem novi fœderis, Matth: XXVI: 28. Ex his nunc conſtare poteſt, quid per fœdus in ſenſu interno in Verbo intelligitur.

6805. Et vidit Deus filios Iſraelis, quod ſignificet quod Eccleſiam fide donavit, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit fidem habere, de qua n: 897. 2325. 2807. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 5400, inde vidit Deus eſt fide donare, nam fides eſt a Deo; & ex ſignificatione filiorum Iſraelis, quod ſint Eccleſia, de qua n: 6637.

6806. Et cognovit illos, quod ſignificet quod charitate, nempe donavit, conſtat ex ſignificatione cognoſcere, cum prædicatur de Deo, hoc eſt, de Domino, quod ſit donare charitate; charitas enim eſt, quæ conjungit Dominum cum homine, & facit ut Dominus præſens ſit apud illum, conſequenter ut cognoſcat illum; Dominus quidem omnes in univerſo cognoſcit, ſed non ſicut pater filios, quam illos qui in bono amoris & charitatis ſunt; idcirco Dominus dicit de illis qui in bono ſunt, quas oves ſuas vocat, "Ego ſum Paſtor bonus, & *cognoſco meos*, & *cognoſcor a meis:* oves meæ vocem meam audiunt, & *Ego cognoſco eas*, & ſequuntur Me," Joh: X: 14. 27. At de illis qui in malo ſunt, dicit Dominus, *quod illos non cognoſcat*; apud Matthæum, "Multi dicent Mihi in illa die, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, & per Nomen tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine tuo virtutes multas fecimus; ſed tunc confitebor illis, *non cognoſco vos*, diſcedite a Me operarii iniquitatis," VII: 22. 23. Apud Eundem, "Tandem venerunt etiam reliquæ virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ille vero reſpondens dixit, amen dico vobis, *non cognoſco vos*," XXV: 11. 12. Apud Lucam, "Ex quo ſurrexit Paterfamilias, & occluſit januam, tunc incipietis foris ſtare, & pulſare januam, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis, ſed reſpondens dicet vobis, *non novi vos unde ſitis:* tunc incipietis dicere, edimus coram Te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti; ſed dicet, dico vobis, *non novi vos unde ſitis*, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis," XIII: 25. 26. 27; inde patet, quod cognoſci, cum dicitur a Domino, quod ſit in bono charitatis eſſe, hoc eſt, quod ſit donari illo bono, quia omne bonum charitatis venit a Domino; & quod non cognoſci, ſit in malo eſſe; cognoſcere involvit conjunctionem, & tantum cognoſci dicitur homo a Domino, quantum Ipſi conjunctus eſt: qui non conjuncti ſunt, hos Dominus etiam cognoſcit, imo ſingulariſſima apud unumquemvis, Joh: II: 24. 25, ſed hi quia in malo ſunt, in alia præſentia ſunt, quæ quaſi eſt abſentia, tametſi Dominus non abeſt, ſed homo eſt ſpiritus, qui in malo, eſt qui abeſt, hoc dicitur quod Dominus non cognoſcat illos: imago hujus rei apparet apud Angelos & Spiritus, qui ſimiles ſunt quoad ſtatus vitæ, illi apparent prope ſibi eſſe; & ſic mutuo cognoſcunt ſe; at qui diſſimiles quoad ſtatus vitæ ſunt, illi apparent ſibi e longinquo eſſe, nec ita cognoſcunt ſe: verbo, in altera vita, ſtatus ſimilitudo facit, quod præſentes apparent &

cognoſcantur, & ſtatus diſſimilitudo facit ut abſentes appareant, & non cognoſcantur.

De Spiritibus Planetæ Mercurii.

6807. *QUOD univerſum Cælum referat Hominem, qui Maximus Homo vocatus eſt, & quod omnia & ſingula apud hominem, tam ejus exteriora quam interiora, illi Homini ſeu Cælo correſpondeant, ad finem plurium Capitum oſtenſum eſt: ſed ad Maximum illum Hominem conſtituendum, non ſufficiunt qui ex hac Tellure in alteram vitam veniunt, ſunt hi pauci reſpective, erunt ex pluribus aliis Telluribus: & providetur a Domino, quod, ut primum deeſt alicubi quale aut quantum correſpondentiæ, illico ex aliqua Tellure arceſſantur, qui impleant, ut ratio conſtet, ac ita cælum conſiſtat.*

6808. *Quid Spiritus e Planeta Mercurii referunt in Maximo Homine, mihi quoque e Cælo detectum eſt, quod nempe Memoriam, ſed Memoriam rerum abſtractarum a terreſtribus & mere materialibus. Verum quia cum illis datum eſt loqui, & hoc per plures ſeptimanas, & audire quales ſunt, & explorare, quomodo cum illis, qui in tellure illa ſunt, ſe habet, velim ipſas experientias adducere.*

6809. *Quondam venerunt ad me, & inquiſiverunt illa quæ in memoria mea eſſent, (: hoc Spiritus ſolertiſſime poſſunt facere, cum enim ad hominem veniunt, in memoria ejus vident ſingula, quæ homo novit:) cum itaque Spiritus Mercurii inquiſiverunt varia, & inter illa etiam urbes & loca ubi fueram, animadverti, quod templa, palatia, domos, plateas, non vellent ſcire, ſed modo illa quæ audivi facta in locis illis, tum quæ eſſent regiminis ibi, quæ geniorum & morum illis qui ibi, & ſimilia, talia enim cum locis cohærent in memoria apud hominem, quapropter cum loca excitantur, etiam, ſubeunt illa. Quod tales eſſent, miratus ſum, quare interrogabam, cur præterirent magnifica locorum, & modo res & facta ibi inquirerent, dicebant quod illis nulla delectatio ſit ſpectare materialia, corporea & terreſtria, ſed ſolum realia: inde primum potuit, quod illius Telluris Spiritus in Maximo Homine referrent Memoriam rerum abſtractarum a materialibus & terreſtribus.*

6810. *Dictum eſt mihi, quod talis eorum vita in Tellure ſua ſit, quod nempe nihil curent terreſtria & corporea, ſed gentium ibi ſtatuta, leges, regimina, tum quoque quæ cæli ſunt, quæ innumerabilia: &*

porro

porro dictum, quod homines illius Telluris plures loquantur cum Spiritibus, & quod inde illis cognitiones rerum ſpiritualium, & ſtatuum vitæ poſt mortem, ac inde etiam contemtus corporeorum & terreſtrium; qui enim pro certo ſciunt, & credunt vitam poſt mortem, cœleſtia illis curæ ſunt, quia æterna & felicia, non autem mundana, modo quantum neceſſitates vitæ requirunt.

6811. *Quam avide inquirunt & hauriunt cognitiones rerum, quales ſunt Memoriæ elevatæ ſupra ſenſualia corporis, conſtare mihi potuit ex eo, quod cum inſpicerent in illa, quæ ego ſciebam de cœleſtibus, percurrerent omnia, & continue dicerent, quod tale ſit, quod tale ſit, cum enim Spiritus ad hominem veniunt, intrant in omnem ejus memoriam, & excitant inde ſibi convenientia, imo, quod ſæpe animadverti, legunt, quæ ibi ſunt, quaſi e libro; Spiritus Mercurii hoc ſolertius & celerius faciebant, quia non morati ſunt circa talia, quæ lenta ſunt, & coarctant & conſequenter retardant viſum internum, ut ſunt omnia terreſtria & corporea, cum pro fine ſunt, hoc eſt, cum unice amantur; ſed intuiti ſunt ipſas res; res enim quibus non adhærent terreſtria, ferunt animum ſurſum, ita in latum campum, mere materialia autem ferunt animum deorſum, ita in anguſtum. Aviditas eorum acquirendi ſibi cognitiones, ex his etiam patuit; quondam cum ſcriberem aliquid de venturis, & tunc erant e longinquo, unde non potuerunt inſpicere illa e memoria mea; quia illa non legere vellem in præſentia illorum, valde indignati ſunt, & volebant contra morem ſolitum invehere in me, dicentes quod peſſimus eſſem, & ſimilia; utque iracundiam ſuam indicarent, dextræ parti Capitis mei uſque ad aurem inducebant ſpeciem contractionis cum dolore; ſed talia nihil nocuerunt mihi; at quia malum fecerunt, elongabant ſe adhuc magis, at uſque ſubſiſtebant, volentes ſcire quid de futuris ſcripſeram; talis illis eſt cupido cognitionum.*

6812. *Spiritus Mercurii præ reliquis ſpiritibus cognitiones rerum, tam quæ in hujus Solis mundo, quam quæ extra hunc in cœlo aſtrifero ſunt poſſident; & quæ ſemel ſibi acquiſiverunt, illa retinent, & quoque illorum reminiſcuntur, quoties ſimilia occurrunt: inde quoque manifeſte conſtare poteſt, quod memoria ſpirituum multo perfectior ſit memoria hominum, tum quod quæ ſpiritus audiunt, vident, & appercipiunt, retineant, & maxime talia, quibus delectantur, ut hi ſpiritus cognitionibus rerum; nam quæ delectationi ſunt & amori, ea quaſi ſponte ſua influunt; & remanent, cætera non intrant, ſed modo ſuperficiem tangunt, & præterlabuntur.*

 6813. *Cum*

6813. *Cum Spiritus Mercurii ad alias ſocietates veniunt, ab illis explorant quæ ſciunt, quibus exploratis diſcedunt; datur etiam talis communicatio inter ſpiritus, ut, cum in ſocietate ſunt, ſi accepti ſunt & amati, communicentur omnia quæ norunt, & hoc non per aliquam loquelam, ſed per influxum. Ex cognitionibus ſuis ſunt ſpiritus Mercurii præ aliis faſtuoſi, quare illis dictum, quod licet innumera ſciunt uſque tamen infinita ſint quæ non ſciunt; & ſi cognitiones apud illos in æternum augerentur, quod ne quidem ad notitiam communium pervenire queant; quod illis faſtus & elatio animi, dictum eſt, & quod hoc non deceat, ſed reſponderunt, quod non faſtus ſit, ſed modo gloriatio ex memoriæ ſuæ facultate; ita poſſunt nævos ſuos exſculpare.*

6814. *Loquelam vocum, quia illa materialis eſt, averſantur, quare cum illis non aliter quam per ſpeciem cogitationis activæ loqui potui. Memoria illorum, quia eſt rerum, non imaginum pure materialium, propius ſubminiſtrat cogitationi objecta ſua; cogitatio enim, quæ ſupra imaginationem eſt, requirit pro objectis res e materialibus abſtractas: ſed tametſi ita eſt, uſque tamen ſpiritus Mercurii parum facultate judicii pollent; illis quæ judicii ſunt & concluſionum ex cognitionibus, non delectantur, ſunt enim nudæ cognitiones illis delectationi.*

6815. *Inſinuare datum illis, annon ex cognitionibus ſuis aliquem uſum facere vellent, nam delectari cognitionibus non ſatis eſt, quia cognitiones ſpectant uſus, & uſus erunt fines; ex ſolis cognitionibus non illis eſt uſus, ſed aliis cum quibus cognitiones ſuas communicare velint, & quod nequaquam conveniat homini, qui ſapiens vult eſſe, in ſolis cognitionibus ſubſiſtere, quia hæ ſunt modo cauſæ inſtrumentales, inſervituræ indagandis uſibus, qui vitæ erunt: ſed reſponderunt, quod delectentur cognitionibus, & quod cognitiones illis uſus ſint.*

6816. *Mercurii Spiritus differunt prorſus a ſpiritibus noſtræ telluris, nam ſpiritus noſtræ telluris res non ita curant, ſed materialia, mundana, corporea & terreſtria; quapropter Mercurii Spiritus cum noſtræ telluris ſpiritibus non ſimul eſſe poſſunt, ideo ubicunque hos offendunt, aufugiunt; ſphæræ enim ſpirituales, quæ ex utriſque exhalantur, ſunt pæne contrariæ: Spiritus Mercurii in ore ferunt, quod producta ex materialibus ament, & quod non ſpectare velint vaginam, ſed res a vagina ſua nudatas, ita interiora.*

6817. *Continuatio de Spiritibus Planetæ Mercurii, ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

CAPUT TERTIUM.

Doctrina Charitatis.

6818. De Proximo ulterius dicendum, nam abſque cognitione Proximi, non ſciri poteſt quomodo Charitas exercenda eſt. In præmiſſis ad Caput præcedens, dictum eſt, quod unuſquiſque homo ſit Proximus, ſed unus non ſimiliter ac alter; & quod is Proximus præ aliis ſit, qui in bono eſt, ita quod bonum, quod apud hominem eſt, ſit amandum; nam cum amatur bonum, amatur Dominus, Dominus enim eſt, a Quo Bonum, Qui in Bono, & Qui ipſum Bonum.

6819. Aſt non modo homo in ſingulari eſt Proximus, ſed etiam eſt homo in plurali; eſt namque Societas minor & major, eſt Patria, eſt Eccleſia, eſt Regnum Domini, & ſupra omnes eſt Dominus; hi ſunt Proximus, quibus benefaciendum ex charitate. Sunt quoque hi gradus Proximi aſcendentes; in priori enim gradu eſt Societas plurium, quam homo ſingularis; in priori gradu eſt Patria, quam ſocietas; in adhuc priori gradu eſt Eccleſia; & in adhuc priori gradu eſt Regnum Domini; in ſupremo autem eſt Dominus: gradus hi aſcendentes, ſunt ſicut gradus ſcalæ, in cujus vertice eſt Dominus.

6820. Societas eſt Proximus præ ſingulari homine, quia illa conſiſtit ex pluribus; erga illam charitas ſimiliter exercenda eſt, ac erga hominem in ſingulari, nempe ſecundum quale boni quod apud illam; ita prorſus aliter erga ſocietatem proborum, quam erga ſocietatem non proborum.

6821. Patria eſt Proximus præ ſocietate, quia parentis inſtar eſt, ibi enim homo natus eſt, ipſum nutrit, & ab injuriis tutatur. Patriæ ex amore benefaciendum ſecundum neceſſitates ejus, quæ imprimis ſpectant ejus victum, ejus vitam civilem, & ejus vitam ſpiritualem. Qui amat Patriam, & ei ex benevelle benefacit, is in altera vita amat Regnum Domini, nam ibi eſt Regnum Domini ei Patria; & qui amat Regnum Domini, is amat Dominum, quia Dominus eſt omne in omnibus ſui Regni; nam quod proprie vocatur Regnum Domini, eſt bonum & verum, quod apud illos, qui ibi, a Domino.

6822. Ec-

6822. Eccleſia eſt Proximus præ patria, nam qui conſulit Eccleſiæ, conſulit animabus & vitæ æternæ hominum qui in patria: & conſulitur Eccleſiæ, cum ducitur homo ad bonum, & qui hoc facit ex charitate, is amat Proximum, nam is cœlum & felicitatem vitæ in æternum alteri optat & vult. Bonum poteſt alteri ab unoquovis in patria inſinuari, non autem verum, niſi ab illis qui miniſtri docentes ſunt; ſi alii, exiſtunt hæreſes, & Eccleſia turbatur & diſcerpitur. Charitas exercetur, ſi per Verum, quod eſt Eccleſiæ, ducitur Proximus ad bonum; ſi in Eccleſia aliquod dicitur Verum quod a bono abducit, hoc non memorandum eſt, nam non eſt verum. Verum quiſque ſibi primum acquiret ex doctrina Eccleſiæ, & poſtea ex Verbo Domini, hoc verum fidei ejus erit.

6823. Regnum Domini eſt Proximus in ſuperiori gradu quam Eccleſia, ubi quis natus eſt; nam Regnum Domini conſiſtit ex omnibus qui in bono ſunt, tam qui in terris, quam qui in cœlis; ita eſt Regnum Domini Bonum cum omni ejus quali in complexu: hoc Bonum cum amatur, amantur ſinguli qui in bono. Ita totum, quod eſt omne Bonum in complexu, eſt Proximus in primo gradu, & eſt Maximus ille Homo, de quo ad finem plurium Capitum actum eſt, qui Homo eſt Imago repræſentativa Ipſius Domini: ille Homo, hoc eſt, Regnum Domini, amatur, cum ex affectione intima benefit illis, qui ſunt homo per illum Hominem a Domino, ita apud quos eſt Regnum Domini.

6824. Hi gradus ſunt Proximi, & ſecundum hos gradus aſcendet charitas; ſed hi gradus ſunt gradus in ordine ſucceſſivo, in quo præfertur ſemper prior ſeu ſuperior gradus poſteriori ſeu inferiori, & quia Dominus eſt in ſupremo, & Ipſe ſpectandus in ſingulis gradibus, ut finis ad Quem, ita eſt Ipſe ſupra omnes, & ſupra omnia amandus.

CAPUT III.

1. ET Moſcheh fuit paſcens gregem Jethronis ſoceri ſui Sacerdotis Midianis, & duxit gregem poſt deſertum, & venit ad montem DEI Chorebum.

2. Et viſus Angelus JEHOVÆ ad illum in flamma ignis e medio rubi, & vidit, & ecce rubus ardebat igne, & rubus nullatenus conſumebatur.

3. Et

3. Et dixit Moſcheh, ſecedam ergo, & videbo viſionem magnam hanc, quare non comburitur rubus.

4. Et vidit JEHOVAH quod ſecederet ad videndum, & vocavit ad illum DEUS e medio rubi, & dixit, Moſcheh, Moſcheh, & dixit, ecce me.

5. Et dixit, ne appropinques huc, detrahe calceos tuos e ſuper pedibus tuis, qui locus quo tu ſtas ſuper, humus ſanctitatis ille.

6. Et dixit, Ego DEUS patris tui, DEUS Abrahami, DEUS Jiſchaki, & DEUS Jacobi: & obtexit Moſcheh facies ſuas, quia timuit ab intuendo DEUM.

7. Et dixit JEHOVAH, videndo vidi afflictionem populi mei, qui in Ægypto, & clamorem illorum audivi a coram exactoribus illius, quia novi dolores illius.

8. Et deſcendi ad liberandum illum e manu Ægyptiorum, & ad aſcendere faciendum illum e terra illa ad terram bonam & latam, ad terram fluentem lacte & melle, ad locum Cananæi, & Chittæi, & Emorræi, & Periſæi, & Chivæi & Jebuſæi.

9. Et nunc ecce clamor filiorum Iſraelis venit ad Me, & etiam vidi oppreſſionem, qua Ægyptii opprimunt illos.

10. Et nunc ito, & mittam te ad Pharaonem, & educ populum meum filios Iſraelis ex Ægypto.

11. Et dixit Moſcheh ad DEUM, quis ego quod eam ad Pharaonem, & quod educam filios Iſraelis ex Ægypto.

12. Et dixit, quia ero cum te; & hoc tibi ſignum quod Ego miſerim te, in educendo te populum ex Ægypto, coletis DEUM juxta montem hunc.

13. Et dixit Moſcheh ad DEUM, ecce ego venio ad filios Iſraelis, & dico illis, DEUS patrum veſtrorum miſit me ad vos, & dicant mihi, quodnam Nomen Ejus, quid dicam ad illos.

14. Et dixit DEUS ad Moſchen, SUM QUI SUM, & dixit, ita dices filiis Iſraelis, SUM miſit me ad vos.

15. Et dixit adhuc DEUS ad Moſchen, ita dicas ad filios Iſraelis, JEHOVAH DEUS patrum veſtrorum, DEUS Abrahami, DEUS Jiſchaki, & DEUS Jacobi, miſit me ad vos; hoc Nomen meum in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, generationem.

16. Ito & congreges ſeniores Iſraelis, & dicas ad illos, JEHOVAH DEUS patrum veſtrorum viſus eſt ad me, DEUS Abrahami, Jiſchaki, & Jacobi, dicendi, viſitando viſitavi vos, & quod factum vobis in Ægypto.

17. Et

17. Et dico, aſcendere faciam vos ex afflictione Ægypti ad terram Cananæi, & Chittæi, & Emorræi, & Periſæi, & Chivæi, & Jebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle.

18. Et audiverint vocem tuam, & intres tu & ſeniores Iſraelis ad regem Ægypti, & dicatis ad illum, JEHOVAH DEUS, Hebræorum occurrit nobis; & nunc eamus quæſo viam trium dierum in deſertum, & ſacrificemus JEHOVÆ DEO noſtro.

19. Et Ego novi, quod non dabit vobis rex Ægypti ad eundum, & non manu forti.

20. Et mittam manum meam, & percutiam Ægyptum omnibus mirabilibus meis, quæ faciam in medio illius, & poſtea mittet vos.

21. Et dabo gratiam populi hujus in oculis Ægyptiorum, & erit, cum itis non ibitis vacui.

22. Et petat mulier e vicina ſua, & ex hoſpita domus ſuæ, vaſa argenti, & vaſa auri, & veſtes, & ponetis ſuper filios veſtros, & ſuper filias veſtras, & deprædabimini Ægyptios.

CONTENTA.

6825. IN Primo Capite in ſenſu interno actum eſt de infeſtatione illorum qui ab Eccleſia a falſis & malis; in Secundo de inchoamentis & ſucceſſive ſtatibus Veri Divini apud illos; in hoc Capite in ſenſu interno agitur de Liberatione illorum; & tunc primum inſtruuntur, quis Deus eſt Qui liberavit illos, quod ſit Dominus; & quod Ille introducet eos in cœlum, poſtquam donati ſunt multiplici vero & bono.

SENSUS INTERNUS.

6826. VERS: 1. 2. 3. *Et Moſcheh fuit paſcens gregem Jethronis ſoceri ſui ſacerdotis Midianis, & duxit gregem poſt deſertum, & venit ad montem Dei Chorebum. Et viſus Angelus Jehovæ ad illum in flamma ignis e medio rubi; & vidit, & ecce rubus ardebat igne, & rubus nullatenus conſumebatur. Et dixit Moſcheh, ſecedam ergo, & videbo viſionem magnam hanc, quare non comburitur rubus.* Et Moſcheh fuit paſcens gregem Jethronis ſoceri ſui ſacerdotis Midianis, ſignificat quod Lex a Divino inſtrueret illos qui in vero ſimplicis boni; ſacerdos, eſt bonum Eccleſiæ, ubi illi: & duxit gregem poſt deſertum, ſignificat poſtquam tentationes ſubierunt: & venit ad

montem

montem Dei, ſignificat quod bonum amoris Divini ei apparuerit: Chorebum, ſignificat quale & viſus Angelus Jehovæ ad illum, ſignificat Dominum quoad Divinum Humanum: in flamma ignis e medio rubi, ſignificat Amorem Divinum in Vero ſcientifico: & vidit, & ecce rubus ardebat igne, ſignificat apperceptionem quod verum ſcientificum eſſet plenum bono Amoris Divini: & rubus nullatenus conſumebatur, ſignificat Divinum Verum unitum Divino Bono in naturali: & dixit Moſcheh, ſignificat perceptionem ex Lege a Divino: ſecedam ergo, & videbo viſionem magnam hanc, ſignificat reflexionem ſuper revelatione hac: quare non comburitur rubus, ſignificat quod talis unio ſit.

6827. Et Moſcheh fuit paſcens gregem Jethronis ſoceri ſui ſacerdotis Midianis, quod ſignificet quod Lex a Divino inſtrueret illos qui in vero ſimplicis boni, & quod ſacerdos Midianis, ſit bonum Eccleſiæ ubi illi, conſtat ex repræſentatione Moſchis; quod ſit Dominus quoad Legem Divinam, de qua n: 6752; in principio autem quoad Verum, quod Legis a Divino, n: 6771, hic vero quoad Legem a Divino; ita nominare licet gradus progreſſionis in Domino, antequam quoad Humanum factus eſt ipſa Lex Divina. In toto Verbo in ſenſu ejus intimo ſeu ſupremo, agitur de ſolo Domino, deque ejus Humani Glorificatione; ſed quia intimus ſeu ſupremus ſenſus tranſcendit intellectum humanum, licet explicare Verbum quoad ſenſum ejus internum, in quo agitur de Regno Domini & de Eccleſia, & hujus inſtauratione, tum de hominis Eccleſiæ regeneratione a Domino; quod in ſenſu interno de his agatur, eſt quia regeneratio hominis eſt imago repræſentativa Glorificationis Domini, videatur n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688. 3145. 3146; ex ſignificatione paſcere, quod ſit inſtruere, de qua n: 3795. 5201; ex ſignificatione gregis, quod ſit qui diſcit & ducitur per verum ad bonum charitatis, de qua n: 343, ita grex in ſenſu communi eſt Eccleſia, n: 3767. 3768, hic Eccleſia, ubi illi qui in vero ſimplicis boni, qui ſignificantur per Midianem, n: 3242. 4756; & ex ſignificatione ſoceri, quod ſit bonum, ex quo ut a patre exiſtit id bonum quod conjunctum eſt vero, hic vero quod Legis a Divino, quod repræſentatur per Moſchen, videatur n: 6793; quale illius boni eſt Jethro; & ex ſignificatione ſacerdotis Midianis, quod ſit bonum Eccleſiæ ubi illi qui in vero ſimplicis boni, de qua n: 6775: ex his patet, quod per Moſcheh fuit paſcens gregem Jethronis ſoceri ſui ſacerdotis Midianis, ſignificetur quod Lex a Divino inſtrueret illos qui in vero ſimplicis boni, & quod ſacerdos Midianis, ſit bonum Eccleſiæ ubi illi.

6828. Et duxit gregem poſt deſertum, quod ſignificet poſtquam tentationes ſubierunt, nempe illi qui in vero ſimplicis boni, conſtat ex ſignificatione gregis, quod ſit Eccleſia ubi illi qui in vero ſimplicis boni, de qua mox ſupra n: 6827; & ex ſignificatione deſerti, quod ſit ſtatus tentationis: Deſertum enim ſignificat parum habitatum & excultum, & quoque prorſus non habitatum & excultum, ita in ſenſu ſpirituali hominem vaſtatum quoad bonum & deſolatum quoad verum; proinde hominem qui in tentatione eſt, qui enim in tentatione eſt, in vaſtatione eſt & in deſolatione, falſum enim &

malum, quæ apud illum, emergunt, ac obſcurant & pæne auferunt influxum veri & boni a Domino; verum quod influit nec apparet ei talem vitam habere, ut falſa & mala diſcutiat; adſunt etiam tunc ſpiritus mali, qui dolorem inferunt, & deſperationem de ſalute. Quod deſertum talem ſtatum ſignificet, conſtat ex plurimis locis in Verbo, videatur n: 2708; & quia deſertum ſignificabat ſtatum tentationis, & numerus quadraginta durationem ejus quamcunque, n: 730. 862. 2272. 2273, idcirco filii Iſraelis erant *in deſerto quadraginta annis*; & idcirco Dominus fuit *in deſerto quadraginta diebus* cum tentatus, Matth: III: 2. Marc: I: 13.

6829. Et venit ad montem Dei, quod ſignificet quod bonum amoris Divini dein appareret, conſtat ex ſignificatione montis Dei, quod ſit bonum amoris Divini, quod mons ſit bonum amoris, videatur n: 795. 796. 2722. 4210. 6415; quod id bonum appareret poſtquam ſubierunt tentationes, ſignificatur per quod veniret ad illum montem poſt deſertum. Cum hoc ita ſe habet; cum homo eſt in tentatione, circum obſeſſus eſt a falſis & malis, quæ impediunt influxum lucis a Divino, hoc eſt, veri & boni, eſt homo tunc quaſi in tenebris; tenebræ in altera vita non aliud ſunt quam obſeſſio a falſis, nam hæc demunt lucem, ac ita perceptionem conſolationis a veris ei qui in tentatione eſt: cum autem homo ex tentatione emergit, tunc apparet lux cum ſuo calore ſpirituali, hoc eſt, verum cum ſuo bono; inde ei lætum poſt anxium; hoc eſt mane quod ſuccedit nocti in altera vita: cauſa quod tunc percipiatur bonum, & appareat verum, eſt quia poſt tentationem verum & bonum verſus interiora penetrant & irradicantur; cum enim homo in tentatione eſt, eſt quaſi in fame boni & in ſiti veri, quare cum emergit, haurit bonum ſicut eſuriens cibum, & recipit verum ſicut ſitiens potum; & præterea cum Lex a Divino apparet, falſa & mala removentur, quibus remotis eſt aditus vero & bono interius penetrandi: hæ cauſæ ſunt, quod poſt tentationes appareat bonum amoris cum ſua luce a Domino. Quod poſt obſcurum & anxium tentationum, appareat lucidum & lætum, quia commune eſt in altera vita, omnibus ibi notum eſt.

6830. Chorebum, quod ſignificet quale, nempe boni amoris Divini quod appareret, conſtat ex eo quod nomina cum adjiciuntur involvant quale rei, de qua agitur; quale rei quod Choreb involvit, patet ex illis quæ ibi viſa ſunt, nempe ex flamma ignis e medio rubi, ita quod ſit Divinum Bonum Amoris per Verum quod Legis Divinæ elucens.

6831. Et viſus Angelus Jehovæ ad illum, quod ſignificet Dominum quoad Divinum Humanum, conſtat ex ſignificatione Angeli Jehovæ, quod ſit Divinum Humanum Domini, de qua n: 6280: cauſa, quod Divinum Humanum dicatur Angelus Jehovæ, eſt quia Jehovah, ante adventum Domini, cum pertranſiit cœlum, apparuit in forma Humana ut Angelus, nam totum cœlum Angelicum refert unum hominem, qui Maximus Homo dicitur, de quo ad finem plurium Capitum actum eſt; quare cum Ipſum Divinum illud pertranſit, in forma Humana ut Angelus apparuit coram illis cum quibus loquutus eſt; hoc fuit Divinum Humanum Jehovæ ante adventum Domini;

Humanum Domini, cum Divinum factum, idem eſt, eſt enim Dominus Ipſe Jehovah in Divino Humano. Quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Angelus, videatur n: 6280, & quoque conſtat ex pluribus locis in Novo Teſtamento, ubi Dominus ſe dicit *Miſſum* a Patre, & Mitti ſignificat procedere, & Miſſus in Lingua Hebræa Angelum; quod Dominus ſe dicat Miſſum, videatur Matth: x: 40. Cap: xv: 24. Marc: ix: 37. Luc: iv: 43. Cap: ix: 48. Cap: x: 16. Johan: iii: 17. 34. Cap: iv: 34. Cap: v: 23. 24. 36. 37. 38. Cap: vi: 29. 39. 40. 44. 57. Cap: vii: 16. 18. 28. 29. Cap: viii: 16. 18. 29. 42. Cap: ix: 4. Cap: x: 36. Cap: xi: 41. 42. Cap: xii: 44. 45. 49. Cap: xiii: 20. Cap: xiv: 24. Cap: xvi: 5. 7. Cap: xvii: 3. 8. 18. 21. 23. 25.

6832. In flamma ignis e medio rubi, quod ſignificet amorem Divinum in Vero ſcientifico, conſtat ex ſignificatione flammæ ignis, quod ſit amor Divinus, de qua ſequitur; & ex ſignificatione rubi, quod ſit verum ſcientificum; quod rubus ſit verum ſcientificum, eſt quia omnes arbuſculæ cujuſcunque generis ſignificant ſcientifica, ipſa autem arboreta majora Cognitiones & Perceptiones; rubus quia producit flores & baccas, ſignificat verum ſcientificum. Verum ſcientificum Eccleſiæ non aliud eſt quam Verbum in ſenſu literæ, & quoque omne repræſentativum & ſignificativum Eccleſiæ, quod apud poſteros Jacobi; hæc in forma ſua externa vocantur vera ſcientifica, at in forma interna ſunt vera ſpiritualia: ſed quia vera in forma interna, ſeu in forma ſpirituali, non apparere potuerunt poſteritati ex Jacobo, ex cauſa, quia in ſolis externis fuerunt, & prorſus non ſcire voluerunt de aliquo interno; idcirco apparuit Dominus in Rubo; Dominus enim cum apparet, ſecundum quale hominis apparet, nam homo non aliter recipit Divinum, quam ſecundum quale ſuum: idcirco etiam cum Dominus apparuit ſuper monte Sinai, apparuit populo ſicut ignis ardens uſque ad cor cœli, & ſicut tenebræ, nubes, & caligo, Deut: iv: 11. Cap: v: 19. 20. 21. 22, tum Exod: xix: 18; apparuiſſet prorſus aliter, ſi populus, qui ſub monte aſpectabat, non talis fuiſſet; & quia populus ille modo in externis fuit, idcirco cum Moſes intravit ad Dominum ſuper monte Sinai, dicitur quod intraverit in Nubem, Exod: xx: 18. Cap: xxiv: 2. 18. Cap: xxxv: 2. 3. 4; quod Nubes ſit externum Verbi, videatur Præfat: ad Geneſ: Cap: xviii, & n: 4060. 4391. 5922. 6343 f: conſequenter etiam repræſentativum Eccleſiæ ſpectatum in forma externa. Quod Dominus appareat unicuique ſecundum quale ejus, conſtare poteſt ex eo, quod Dominus appareat illis qui in intimo ſeu tertio cœlo ut Sol, ex quo Lux ineffabilis, ex cauſa quia illi qui ibi in bono amoris in Dominum ſunt; & quod appareat illis qui in medio ſeu ſecundo cœlo ut Luna, ex cauſa quia remotius & obſcurius ibi in amore in Dominum ſunt, ſunt enim in amore erga proximum; in ultimo autem ſeu primo cœlo, non apparet Dominus ut Sol nec ut Luna, ſed modo ſicut Lux, quæ lux multum excedit lucem mundi: & quia Dominus apparet cuique ſecundum quale ejus, ideo etiam non apparere poteſt illis qui in inferno aliter quam ſicut

furva nubes & caligo; nam ut primum Lux cœli, quæ a Domino, in aliquod infernum illabitur fiunt ibi tenebræ & caligo. Ex his nunc conſtare poteſt, quod Dominus appareat unicuique ſecundum quale ejus, quia ſecundum receptionem; & quia poſteri ex Jacobo erant ſolum in externis, idcirco apparuit Dominus Moſi in rubo, & quoque in nube cum intravit ad Dominum ſuper monte Sinai. Quod flamma ſit amor Divinus, eſt quia Amor in ſua prima origine non aliud eſt quam ignis & flamma a Domino ut Sole; Solis hujus ignis ſeu flamma eſt quæ dat Eſſe vitæ unicuique homini; & eſt ipſe ignis vitalis, qui quod interiora hominis calore impleat, conſtare poteſt ex amore, quantum enim amor creſcit apud hominem, tantum homo caleſcit, & quantum amor decreſcit, tantum frigeſcit: inde eſt, quod cum Dominus apparuit in Viſione, apparuerit ſicut ignis & flamma; ut apud Ezechielem, "Aſpectus quatuor Animalium, (:quæ fuerunt Cherubi:), ſicut *prunæ ignis ardentis, juxta aſpectum lampadum*; is incedens inter animalia, ut *ſplendor ignis*, & *ex igne exiens fulgur*: ſupra expanſum quod ſuper capite eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo throni, & ſuper ſimilitudine throni ſimilitudo quaſi *aſpectus Hominis ſuper illo ſuperius*; & vidi *ſpeciem prunæ ardentis* juxta ſpeciem *ignis* intra illam circumcirca, ab aſpectu lumborum Ipſius & ſurſum, ſed ab aſpectu lumborum Ipſius & deorſum vidi quaſi *aſpectum ignis*, cui *ſplendor circumcirca*," 1: 13. 21. 27. 28; quod ſingula in hac viſione ſignificativa & repræſentativa Divinorum ſint, nullus negare poteſt, ſed niſi ſcitur quid ſignificatur per Cherubos, per prunas ignis ardentis juxta aſpectum lampadum, per thronum, per aſpectum hominis ſuper illo, per lumbos a quibus ſurſum & deorſum ignis, & ex igne ſplendor, nuſquam ſciri poteſt ſanctum arcanum quod inibi, quod Cherubi ſint Providentia Domini, videatur n: 308; quod thronus ſit cœlum, proprie Divinum Verum procedens a Domino, quod format cœlum, n: 5313; quod aſpectus Hominis ſuper throno ſuperius, ſit Dominus quoad Divinum Humanum, patet; quod Lumbi ſint amor conjugialis, & inde omnis amor cœleſtis, n: 3021. 4277 4280. 4575. 5050 ad 5062, qui Amor repræſentatus eſt per ſpeciem prunæ ardentis juxta ſpeciem ignis cui ſplendor circumcirca. Apud Danielem, "Videns fui uſque dum throni projecti fuerunt, & Antiquus dierum ſedit, veſtis Ipſius ſicut nix alba, & crinis capitis Ipſius ſicut lana munda; Thronus Ipſius *flamma ignis*; rotæ Ipſius *ignis ardens*, *flumen ignis emanans & exiens a coram Ipſo*," vii: 9. 10; Divinum Bonum Divini Amoris Domini etiam hic viſum eſt ut flamma ignis. Apud Johannem, "Sedens ſuper equo albo; oculi Ipſius *ſicut flamma ignis*," Apoc: xix: 12; quod ſedens ſuper equo albo ſit Dominus quoad Verbum, aperte ibi dicitur, Verſ: 13. 16, ita flamma ignis eſt Divinum Verum quod in Verbo, quod ex Divino Bono Domini. Apud Eundem, "In medio ſeptem Candelabrorum ſimilis *Filio Hominis*, indutus talari, caput Ipſius & capilli albi ſicut lana alba, ſicut nix, ſed oculi Ipſius ſicut *flamma ignis*," Apoc: i: 13. 14, hic quoque oculi ſicut flamma ignis, eſt Divinum Verum

procedens

procedens a Divino Bono Domini. Quod flamma ignis ſit Divinum Verum procedens a Domino, patet quoque apud Davidem, " Vox Jehovæ illabens ſicut *flamma ignis*," Pſalm: XXIX: 7, vox Jehovæ pro Divino Vero. Ut repræſentaretur Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, mandatum fuit, ut Candelabrum facerent ex puro auro *cum ſeptem lucernis*, & quod poneretur in Tentorio Conventus ad menſam ubi panes propoſitionis, & quod *lucernæ arderent jugiter coram Jehovah*, Exod: XXV: 31 ad f. Cap: XXXVI: 17 ad 24. Cap: XL: 24. 25. Levit: XXIV: 4. Num: VIII: 2. Sachar: IV: 2, per Candelabrum cum ſeptem lucernis, repræſentabatur Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini. Ut quoque repræſentaretur ipſum Divinum Bonum, mandatum eſt ut ignis perpetuus eſſet ſuper altari, " *Ignis ſuper altari ardebit, & non exſtinguitur*, ſacerdos accendet ſuper eo ligna ſub auroris ſingulis: *ignis jugiter ardebit ſuper altari, & non exſtinguetur*," Levit: VI: 5. 6. Quod Ignis repræſentativum fuerit Divini amoris, notiſſimum Antiquis fuerit, conſtare poteſt ex eo, quod repræſentativum hoc emanaverit ab Antiqua Eccleſia uſque ad gentes diſſitas, quæ in cultu idololatrico fuerunt, quæ quod Ignem ſacrum perennem inſtituerint, & ei præfecerint virgines, quæ Veſtales dictæ ſunt, notum eſt. Quod ignis & flamma in oppoſito ſenſu ſignificent amores ſpurcos, ſicut amores vindictæ, crudelitatis, odii, adulterii, & in genere concupiſcentias quæ ex amoribus ſui & mundi, conſtat etiam a pluribus locis in Verbo, quorum hæc ſolum licet afferre; apud Eſaiam, " Ecce facti ſunt ſicut ſtipula, *ignis aduſſit illos*, non eripiunt animam ſuam *e manu flammæ*; *nulla pruna ad incaleſcendum, ignis* ad ſedendum coram eo," XLVII: 14. Apud Ezechielem, " Ecce Ego *incendam in te ignem*, qui comedet in te omnem arborem viridem, & omnem arborem aridam, *non exſtinguetur flamma flammæ gravis*, unde comburentur omnes facies a meridie ad ſeptentrionem," XXI: 3, hic per ignem & flammam ſignificatur cupiditates mali & falſi, quæ exſtinguunt omne bonum & verum Eccleſiæ, inde hujus vaſtatio. Apud Lucam, " Dives dixit ad Abrahamum, Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia *crucior in flamma hac*," XVI: 24; qui non ſciunt, quod ignis vitalis apud hominem ſit ex alia origine, quam ignis elementaris, illi nequaquam aliter ſcire poſſunt, quam quod per ignem inferni intelligatur ignis qualis in mundo, cum tamen in Verbo non talis ignis intelligitur, ſed ignis qui eſt amoris, ita qui eſt vitæ hominis, procedens a Domino ut ſole, qui ignis cum intrat apud illos qui in contrariis ſunt, vertitur in ignem cupiditatum, quæ ſunt, ut ſupra dictum, vindictæ, odii, crudelitatis, ſcaturientes ex amore ſui & mundi; hic ignis eſt qui cruciat illos qui in infernis, nam cum frænum laxatur cupiditatibus illorum, tunc ruit unus in alterum, ac diris & ineffabilibus modis ſe mutuo cruciant, nam quiſque ſupereminere vult, & alteri auferre quæ ejus ſunt, artibus occultis & apertis; cum hæc cupit unus & alter, inteſtina odia inde exiſtunt, & inde immanitates quæ exercentur, imprimis per artes magicas & per phantaſias, quæ artes ſunt innumerabiles & prorſus ignotæ in mundo.

mundo. Qui ſpiritualia non credunt, imprimis naturæ cultores, nuſquam poſſunt induci credere, quod calor apud viventes, quæ facit ipſam vitam internam, ex alia origine ſit, quam ex qua calor mundi, nam nequeunt ſcire, minus agnoſcere, quod ignis cœleſtis ſit procedens a Domino ut Sole, & quod ille Ignis ſit purus amor; inde nec poſſunt ſcire innumerabilia quæ in Verbo, ubi non alius ignis intelligitur, nec ſcire poſſunt innumerabilia in homine, qui organum recipiens ejus eſt.

6833. Et vidit, & ecce rubus ardebat igne, quod ſignificet apperceptionem, quod verum ſcientificum eſſet plenum bono amoris Divini, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit appercipere, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; ex ſignificatione rubi, quod ſit verum ſcientificum, de qua mox ſupra n: 6832; & ex ſignificatione ignis, quod ſit amor Divinus, de qua n: 934 f. 4906. 5071. 5215. 6314. 6832; inde ardere igne, eſt plenum eſſe bono amoris Divini.

6834. Et rubus nullatenus conſumebatur, quod ſignificet Divinum Verum unitum Divino Bono in naturali, conſtat ex ſignificatione rubi, quod ſit verum ſcientificum, de qua ſupra n: 6832. 6833, hic quia de Domino, eſt Divinum Verum in Naturali; Naturale ſignificatur, quia ibi eſt verum ſcientifice; & ex ſignificatione non conſumi igne, quod ſit non diſſipari a bono Divini Amoris, quod ignis ſit bonum Divini Amoris, videatur mox ſupra n: 6832, ita quod unitum ſit, nempe Divinum Verum cum Divino Bono in Naturali; hæc ſignificatio horum verborum eſt in ſenſu ſupremo, in quo agitur de Domino. Cum hoc ita ſe habet, Divinum Bonum Divini Amoris eſt ipſe Ignis ſolaris in altera vita, qui Ignis talis ardoris eſt, ut ſi abſque intermedia temperatura incideret in aliquem, etiam ſi in angelum intimi cœli, orbaretur is omni ſenſu, ac periret; tali ardore eſt amor Divinus Domini: Dominus autem, cum fuit in mundo, ac univit Eſſentiam Humanam Divinæ, hujus amoris Ignem in Humano ſuo recepit, ac univit Vero ibi cum ſe fecit Legem Divinam; hoc nunc eſt quod intelligitur per quod Divinum Verum unitum ſit Divino Bono in naturali.

6835. Et dixit Moſcheh, quod ſignificet perceptionem ex Lege a Divino, conſtat ex ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit perceptio, de qua ſæpius; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex a Divino, de qua ſupra n: 6827.

6836. Secedam ergo & videbo viſionem magnam hanc, quod ſignificet reflexionem ſuper revelatione hac, conſtat ex ſignificatione ſecedere & videre, quod ſit reflectere, ſecedere enim in ſenſu ſpirituali eſt divertere a cogitatione in qua eſt, & videre eſt percipere, ita utrumque ſimul eſt reflectere; & ex ſignificatione viſionis, quod ſit revelatio, de qua n: 6000; viſio magna dicitur, quia in ſenſu ſupremo per flammam in rubo ſignificatur Divinum Verum unitum Divino Bono in Humano Domini, n: 6834.

6837. Quare non comburitur humus, quod ſignificet quod talis unio ſit, conſtat ex illis quæ ſupra n: 6834, dicta ſunt.

6838.

6838. Verſ: 4. 5. 6. *Et vidit Jehovah quod ſecederet ad videndum, & vocavit ad illum Deus e medio rubi, & dixit, Moſcheh, Moſcheh, & dixit, ecce me. Et dixit, ne appropinques huc, detrahe calceos tuos e ſuper pedibus tuis, quia locus, quo tu ſtas ſuper, humus ſanctitatis ille. Et dixit, Ego Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi; & obtexit Moſcheh facies ſuas, quia timuit ab intuendo Deum.* Et vidit Jehovah quod ſecederet ad videndum, ſignificat reflexionem a Domino: & vocavit ad illum Jehovah, ſignificat influxum a Divino: e medio rubi, ſignificat e veris ſcientificis: & dixit, Moſcheh, Moſcheh, & dixit ecce me, ſignificat exhortationem internam, & auditionem: & dixit, ne appropinques huc, ſignificat quod non de Divino cogitaret adhuc ex ſenſualibus: detrahe calceos tuos e ſuper pedibus tuis, ſignificat quod ſenſualia, quæ ſunt externa naturalis, removerentur: quia locus, quo tu ſtas ſuper, humus ſanctitatis ille, ſignificat quod alioquin Divinum intrare nequeat: & dixit, Ego Deus patris tui, ſignificat Divinum, quod Antiquæ Eccleſiæ: Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, ſignificat Ipſum Divinum & Divinum Humanum, ita Dominum: & obtexit Moſcheh facies ſuas, ſignificat quod interiora tutarentur: quia timuit ab intuendo Deum, ſignificat ne læderentur a præſentia Ipſius Divini.

6839. Et vidit Jehovah quod ſecederet ad videndum, quod ſignificet reflexionem a Domino, conſtat ex ſignificatione ſecedere ad videndum, quod ſit reflexio, de qua ſupra n: 6836; quod Jehovah ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. Qualis ſenſus literæ Verbi ſit, patet etiam hic; dicitur quod videret Jehovah quod ſecederet ad videndum, ſicut non noviſſet prius, & ſicut non indiderit & egerit ut ſecederet ad videndum, ita tamen dictum eſt, quia ſecundum apparentiam; at ſenſus internus docet, quomodo id intelligendum eſt, quod nempe Dominus influeret in cogitationem ejus, ut reflecteret ſuper id; inde conſtare poteſt, quomodo ſe habet cum ſenſu literæ Verbi reſpective ad ſenſum internum; & quod quæ in ſenſu literæ ſunt, talia ſint, ut accommodent ſe ad captum ſimplicium, qui non credunt niſi ſi ſicut apparet; quod non apparet, hoc non credunt, quia non intrare poſſunt in rerum interiora; quapropter niſi Verbum tale fuiſſet in litera, non receptum fuiſſet: qui in ſenſualibus eſt, & qui occupatus a mundanis, nequaquam capit interiora, videre vult quæ credet, quæ non videt, quaſi aliena ſunt, & rejicit inter negativa, ad minimum inter dubia, cum de illis ex ſe cogitat.

6840. Et vocavit ad illum Jehovah, quod ſignificet influxum a Divino, conſtat ex ſignificatione vocare, quod ſit influxus; in ſenſu enim interno non intelligitur vocatio per loquelam, ut in ſenſu externo hiſtorico, ſed vocatio per influxum in voluntatem, quæ vocatio eſt interna, nam Jehovah ſeu Dominus influit in voluntatem, & agit ad faciendum quod Ipſi placet; hoc internum cum cadit in hiſtoricum, in quo non niſi quam externa ſunt, cadit vel in mandare, vel in vocare, vel in alloqui, vel in voces alias ſimiles.

6841. E medio rubi, quod ſignificet e veris ſcientificis, conſtat ex ſignificatione rubi, quod ſit verum ſcientificum, de qua n: 6832. 6833.

6842. Et dixit, Moſcheh, Moſcheh, & dixit ecce me, quod ſignificet exhortationem internam & auditionem, conſtat a ſignificatione vocari a Jehovah, in hiſtoricis Verbi, quod ſit influxus a Divino, n: 6840, ipſa illa vocatio eſt in his verbis, *Et Jehovah dixit*, *Moſcheh*, *Moſcheh*, quæ quia involvunt omnia illa quæ ſequuntur, & primum quod non appropinquaret illuc, ſed quod detraheret calceos ſuos e ſuper pedibus ſuis, ſignificatur exhortatio, & per reſponſum Moſchis, *Ecce me*, auditio.

6843. Et dixit, ne appropinques huc, quod ſignificet quod non de Divino cogitaret adhuc ex ſenſualibus, conſtat ex ſignificatione appropinquare, ad Jehovam, quod ſit cogitare de Divino; quod appropinquare, cum dicitur de homine ad Dominum, ſit cogitatio de Divino, eſt, quia homo ad Divinum non accedere poteſt corpore ſicut homo ad hominem, ſed mente, ita cogitatione & voluntate, acceſſus non alius eſt ad Divinum, quia Divinum eſt ſupra illa quæ loci & temporis ſunt, eſt in illis apud hominem, quæ vocantur ſtatus, nempe ſtatus amoris & ſtatus fidei, ita ſtatus utriuſque facultatis mentis, nempe voluntatis & cogitationis, per hæc appropinquare poteſt homo ad Divinum; inde eſt, quod hic per *ne appropinques huc*, ſignificetur quod de Divino non cogitaret, nempe ex ſenſualibus externis, quæ ſignificatur per calceos, quos primum detraheret: dicitur *adhuc*, quia ſenſualia externa naturalis ultimo regenerantur, & ſic ultimo recipiunt influxum a Divino, & ſtatus, de quo hic agitur, nondum erat, ut ſenſualia reciperent illa; de ſenſualibus videantur quæ nunc ſequuntur.

6844. Detrahe calceos tuos e ſuper pedibus tuis, quod ſignificet quod ſenſualia, quæ ſunt externa naturalis, removerentur, conſtat ex ſignificatione calceorum, quod ſint ſenſualia, quæ ſunt externa naturalis, de qua n: 1748; & ex ſignificatione pedum, quod ſint naturale, de qua n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952; quod detrahere ſit removere, patet, de ſenſualibus enim dicitur; & nam voces applicandæ ſunt ſuo ſubjecto de quo agitur, ita detrahi calceis, & removeri ſenſualibus. Quomodo cum his ſe habet, dicendum eſt; quiſque videre poteſt, quod calcei repræſentent hic aliquid, quod non cum ſancto Divino concordaret, & ſic quod detrahere calceos eſſet repræſentativum remotionis talium; aliter quid hoc foret Divino, ſi homo in calceis accederet, vel ſi nudis plantis, modo interius ſit talis, ut accedere ad Divinum fide & amore poſſit; quapropter per calceos ſignificantur ſenſualia, & ſenſualia, quæ ſunt externa naturalis, talia ſunt, ut non una poſſint eſſe cum ſancte cogitatur de Divino, idcirco, quia illo tempore repræſentativa obſervanda erant, non licuit Moſchi, ut indutus calceis appropinquare. Quod ſenſualia, quæ externa naturalis ſunt, talia ſint ut non recipere poſſint Divinum, cauſa eſt, quia illa ſunt in mundanis, corporeis, & quoque in terreſtribus, nam proxime recipiunt illa, inde quæ in memoria ex ſenſualibus ſunt, trahunt ſua a luce & calore mundi, & parum a luce & calore cœli; quapropter ultima ſunt quæ regenerari poſſunt, hoc eſt, aliquid lucis cœli recipere; exinde eſt, cum homo eſt in ſenſualibus illis, & ex illis cogitat, quod de Divino non aliter cogitet quam ſicut de terreſtribus, ſique in malo

eſt,

eſt, quod ex illis prorſus contra Divinum cogitat: quapropter cum homo cogitat de talibus quæ ſunt fidei & amoris in Deum, ſi in bono eſt, elevatur ille a ſenſualibus quæ ſunt externa naturalis, verſus interiora, conſequenter a terreſtribus & mundanis propius ad cœleſtia & ſpiritualia. Hoc homo neſcit, ex cauſa, quia non ſcit, quod apud illum interiora ſint diſtincta ab exterioribus, & quod cogitatio ſit interior magis & magis, & quoque exterior, & quia non novit illa, non poteſt reflectere ſuper illa. Sed videantur, quæ de cogitatione ex ſenſualibus prius dicta ſunt, quod nempe ii qui cogitant ex illis, perparum ſapiant, n: 6312. 5089. 5094. 6201. 6310. 6311. 6312. 6314. 6316. 6318. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. Quod elevatur homo a ſenſualibus, & cum elevatur in lumen mitius veniat; & quod hoc imprimis fiat illis qui regenerantur, n: 6183. 6313. 6315. Ex his nunc patet, quid intelligitur per exuere calceos e ſuper pedibus. Quod Naturale apud hominem ſit Externum, Medium, & Internum, videatur n: 4570. 5118. 5126. 5497. 5649; Internum Naturale ſignificatur per Pedes, Medium Naturale per Plantas, & Externum per Calceos.

6845. Quia locus, quo tu ſtas ſuper, humus ſanctitatis ille, quod ſignificet quod alioquin Divinum intrare nequeat, conſtat ex ſignificatione loci, quod ſit ſtatus, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5606; inde locus, quo tu ſtas ſuper, eſt ſtatus in quo adhuc eſt; & ex ſignificatione humi ſanctitatis, quod ſit ſanctum quod procedit ex Domino, ita eſt ſtatus ſancti procedentis a Divino Humano Domini, qui per illa verba intelligitur. Quod ſignificetur quod alioquin Divinum intrare nequeat, ſequitur ex antecedentibus; ſi nempe homo non removeretur a ſenſualibus, quæ ſunt externa Naturalis, hoc eſt, ſi non elevaretur ab illis ad interiora, quod Divinum non poſſet influere; cauſa quod Divinum non influere poſſit apud hominem, quamdiu ille eſt in ſenſualibus illis, eſt, quia influxus a Divino pergit uſque ad illa quæ in ordine ultima ſunt, ita uſque ad ſenſualia quæ ſunt externa naturalis apud hominem, ſi inibi mere corporea & terreſtria ſunt, Divina, quæ influunt, ibi diſſipantur, nam non concordant; quapropter cum homo recepturus eſt Divinum, hoc eſt, illa quæ fidei & amoris ſunt, elevatur is a ſenſualibus, & cum elevatus eſt ab illis, tunc Divinum non amplius influit illuc, nempe in ſenſuale externum, ſed in planum interius, in quod homo elevatus eſt. Quod ita ſit, a multa experientia ſcire datum eſt.

6846. Et dixit, Ego Deus patris tui, quod ſignificet Divinum quod Antiquæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione patris, quod ſit Antiqua Eccleſia, de qua n: 6075; quod Antiqua Eccleſia dicatur pater, eſt quia ex illa natæ ſunt Eccleſiæ quæ poſt illam, nempe Eccleſia Hebræa, & poſtea Eccleſia apud Jacobi poſteros; ritualia enim & ſtatuta quæ mandata fuerunt poſteris Jacobi per Moſen, non fuerunt nova, ſed fuerunt prius in Antiquis Eccleſiis, & modo reſtaurata apud filios Jacobi; reſtaurata ſunt, quia apud alias gentes idololatrica facta ſunt, & in Ægypto inque Babele verſa in magica: quod eadem fuerint in Antiquis Eccleſiis, a pluribus locis in Verbo conſtare poteſt. Inde nunc eſt, quod Antiqua Eccleſia intelligatur per patrem, & quoque

quod dicatur pater in Verbo ubi agitur de Eccleſia. Deus, qui in Antiqua Eccleſia colebatur, erat Dominus quoad Divinum Humanum; & notum erat illis, quod Dominus eſſet Qui repræſentaretur in ſingulis Eccleſiæ eorum ritibus; & quoque plures eorum ſciverunt, quod Dominus venturus eſſet in mundum, & Humanum in Se Divinum faceret; in illa Eccleſia nec alius intelligebatur per Jehovam; apparuerat enim illis ut Divinus Homo, & vocabatur Jehovah n: 1343. 5663. ut quoque poſtea Abrahamo, Geneſ: XVIII: 2 ſeq: Joſuæ, Cap: V: 13. 14. 15. Guideoni, Jud: VI: 11 ſeq: Manoacho & uxori ejus, Judic: XIII: 3 ſeq: & agnitus erat pro Deo univerſi, & pro Unico Quem adorarent: inde nunc eſt, quod per Deum patris tui in ſenſu interno intelligatur Divinum quod Antiquæ Eccleſiæ, hoc eſt, Dominus; at in ſenſu externo hiſtorico intelligitur Abraham, tum Jiſchak, & quoque Jacob.

6847. Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, quod ſignificet Ipſum Divinum, ac Divinum Humanum, ita Dominum, conſtat ex repræſentatione Abrahami, Jiſchaki, & Jacobi, quod ſit Ipſum Divinum & Divinum Humanum Domini; quod Abraham repræſentet Dominum quoad Ipſum Divinum, Jiſchak quoad Divinum Rationale, & Jacob quoad Divinum Naturale, videatur n: 1893. 2011. 2066. 2072. 2089. 2245. 2251. 2630. 3144. 3210. 3305 f. 3439. 3704. 4180. 4286. 4538. 4570. 4615. 6098. 6185. 6276. 6424. 6804; per Deum ſignificatur Divinum, & per nomina illorum repræſentativum, inde illa in Domino ſunt quæ per Deum Abrahami, Deum Jiſchaki, & Deum Jacobi, intelliguntur.

6848. Et obtexit Moſcheh facies ſuas, quod ſignificet quod interiora tutarentur, conſtat ex ſignificatione facierum, quod ſint interiora, de qua n: 1999. 2434. 3527. 4066. 4796. 4797. 5102; quod obtegere ſit tutare, ſequitur ex ſerie in ſenſu interno, nam dicitur, quod obtexit facies ſuas quia timuit ab intuendo Deum, & per hoc ſignificatur ne interiora læderentur a præſentia Ipſius Divini. Quomodo hæc ſe habent, in nunc ſequentibus dicetur.

6849. Quia timuit ab intuendo Deum, quod ſignificet ne læderentur a præſentia Ipſius Divini, conſtat a ſignificatione timere, quod ſit ne læderentur, nempe interiora, cauſa enim timoris hoc erat; & a ſignificatione intueri Deum, quod ſit præſentia Ipſius Divini, nam non aliter quam per intuitionem internam, quæ fit per fidem quæ ex charitate, ſiſtitur Dominus coram homino præſens; ſi Dominus alicui in externa forma apparet, ſunt uſque interiora quæ afficiuntur, nam Divinum penetrat ad intima. Cum hoc, quod Interiora non læderentur a præſentia Ipſius Divini, & quod ideo tutarentur, ita ſe habet; Ipſum Divinum eſt Purus Amor, & Purus Amor eſt ſicut Ignis ardentior quam ignis ſolis hujus mundi; quapropter ſi Divinus Amor in puritate ſua influeret apud aliquem angelum, ſpiritum, aut hominem, is prorſus periret; inde eſt, quod Jehovah ſeu Dominus in Verbo toties dicatur Ignis conſumens: ne itaque Angeli in Cœlo lædantur ab influxu caloris ex Domino ut Sole, obvelantur ſinguli aliqua tenui & conveniente nube, per quam temperatur calor a Sole illo influens. Quod unuſquiſque abſque illa conſer-

conſervatione a præſentia Divini periret, notum fuerat Antiquis, quapropter timuerunt videre Deum, ut conſtat in Libro Judicum, "Vidit Guideon, quod Angelus Jehovæ, quare dixit Guideon, Domine Jehovih, *quandoquidem vidi Angelum Jehovæ facie ad faciem*; & dixit illi Jehovah, pax tibi, *noli timere, quia non morieris,*" VI: 23. 24. In eodem Libro, "Dixit Manoachus ad uxorem ſuam, *moriendo moriemur quia Deum vidimus,*" XIII: 22. Et in Libro Exodi, "Jehovah dixit ad Moſen, *non poteris videre facies meas, quia non videbit Me homo & vivet,*" XXXIII: 20; quapropter cum daretur Moſi videre Deum, poſitus erat in foramine petræ," ibid: Verſ: 22, per quod repræſentabatur obſcurum fidei, ac nebuloſum, quod obtexit, & per quod tutatus eſt. Quantum diſcrimen ſit Angelis ſpectari a Divino abſque obvelatione nubis, conſtare manifeſte poteſt ex eo, quod, cum Angeli inſpiciunt aliquem ſpiritum qui in malo eſt, is appareat in quoddam ſimile inanimato verti, quod ſæpius videre mihi datum eſt; cauſa eſt, quia per viſum Angelicum incidit illuc lux & calor cœli, & cum his verum fidei & bonum amoris, a quibus, cum penetrant, mali pæne exanimantur. Cum hoc fit per intuitionem ab Angelis, quid non per intuitionem a Domino; hæc cauſa eſt, quod Inferna prorſus remota ſint a cœlo, & quod illi, qui ibi ſunt, remoti eſſe velint, nam ſi non remoti ſunt, dire cruciantur: inde patet, quid intelligitur per hæc verba, "Dicent montibus & petris, ruite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper throno," Apoc: VI: 16. Luc: XXIII: 30. Hoſ: X: 8. Ex eo, quod præſentia Ipſius Divini talis ſit, ut nullus Angelus illam ſuſtineat, niſi tutatus ſit per nubem, quæ radios & calorem e ſole illo temperat & moderatur, manifeſte conſtare poteſt, quod Humanum Domini Divinum ſit, nam niſi Divinum eſſet, nuſquam potuiſſet ita uniri Ipſi Divino, Quod Pater vocatur, ut unum ſint, ſecundum Domini verba apud Johannem Cap: XIV: 10 ſeq: & alibi; quod enim recipit ita Divinum, omnino Divinum erit; non Divinum a tali unione plane diſſiparetur; ut comparative loquar, quid immitti poteſt in ignem ſolarem, & non perire, niſi ſit ſimile ſolare; ita quis in ardorem infiniti amoris, niſi qui in ſimilis amoris ardore eſt, proinde niſi Solus Dominus; quod in Ipſo Pater ſit, & quod Pater non appareat niſi in Divino Suo Humano, conſtat a Domini verbis apud Johannem, "Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, *Qui in ſinu Patris eſt*, Ille expoſuit," I: 18: & alibi apud Eundem, "Neque vocem Ipſius audiviſtis uſquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis," V: 37.

6850. Verſ: 7. 8. *Et dixit Jehovah, videndo vidi afflictionem populi mei, qui in Ægypto, & clamorem illorum audivi a coram exactoribus illius, quia novi dolores illius. Et deſcendi ad liberandum illum e manu Ægyptiorum, & ad aſcendere faciendum illum e terra illa ad terram bonam & latam, ad terram fluentem lacte & melle, ad locum Cananæi, & Chittæi, & Emorræi & Periſæi, & Chivæi & Jebuſæi.* Et dixit Jehovah, videndo vidi afflictionem populi mei, ſignificat Miſericordiam erga illos qui ab Eccleſia ſpirituali poſt infeſtationes a falſis: & clamorem eorum audivi a coram exactoribus illius, ſigni-

ficat Miſericordiæ opem contra illos qui ad ſerviendum adigere voluerunt: quia novi dolores illius, ſignificat Providentiam, quantum falſis immerſi fuerint: & deſcendi ad liberandum illum e manu Ægyptiorum, ſignificat quod ſe demitteret ad illos ad eximendum e potentia falſorum ſcientificorum, quæ vera Eccleſiæ deſtruere conantur: & ad aſcendere faciendum illum e terra illa, ſignificat quod elevarentur: ad terram bonam & latam, ſignificat ad cœlum ubi bonum charitatis & verum fidei: fluentem lacte & melle, ſignificat & inde amænum & jucundum: ad locum Cananæi & Chittæi, ſignificat regionem occupatam a malis ex falſis: & Emorræi & Periſæi, ſignificat a malis & inde falſis: & Chivæi & Jebuſæi, ſignificat ab idololatrico in quo aliquid boni & veri.

6851. Et dixit Jehovah, videndo vidi afflictionem populi mei, quod ſignificet Miſericordiam erga illos qui ab Eccleſia ſpirituali poſt infeſtationes a falſis, conſtat ex ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit perceptio, de qua ſæpius; at cum prædicatur de Jehovah ſeu Domino, non eſt perceptio ſed omniſcientia, quia Dominus percipit & novit omnia & ſingula ab æterno; a ſignificatione videndo videre, cum dicitur de Jehovah ſeu Domino, quod ſit Miſericordia, nam cum Dominus videt aliquem in miſeria, ſeu in afflictione, ejus miſeretur; Dominus quidem omnes videt, & ita omnium miſeretur, ſed non de aliis dicitur quod illorum miſereatur, quam qui Miſericordiam Ipſius recipiunt, qui ſunt illi qui in bono; ex ſignificatione afflictionis, quod ſit infeſtatio, n: 6663, hic a falſis, quia ab Ægyptiis, per quos ſignificantur ſcientifica falſa, n: 6651. 6679. 6683; & a ſignificatione populi, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 2928; qui ab Eccleſia cœleſti ſunt, in Verbo vocantur Gens.

6852. Et clamorem illorum audivi a coram exactoribus illius, quod ſignificet Miſericordiæ opem contra illos qui ad ſerviendum adigere voluerunt, conſtat ex ſignificatione clamoris, quod ſit imploratio, de qua n: 6801; ex ſignificatione audire, quod ſit obedire & appercipere, de qua n: 5017, at cum dicitur de Jehovah ſeu Domino, eſt imploranti Miſericordiæ opem ferre; ſe habet cum audire, ſicut ſupra n: 6851, cum videre, quod Dominus omnes audiat, ac ita omnibus opem ferat, ſed ſecundum neceſſitates; qui clamant & implorant Ipſum pro ſe ſolis, ac ita contra alios, ut ſolent mali, hos quoque Dominus audit, ſed non illis opem fert; & cum non opem fert, dicitur quod non audiat: & ex ſignificatione exactorum, quod ſint qui ad ſerviendum adigere volunt: quod Exactor ſit, qui ad ſerviendum adigit, patet apud Eſaiam, "Accipient illos populi, & deducent illos ad locum ſuum, & *dominabuntur Exactoribus ſuis:* fiet in die quo quietem daturus eſt Jehovah tibi, & a commotione tua, & *a ſervitute gravi, qua ſervire coactus es,* ut enunties hanc parabolam de rege Babelis, *quomodo ceſſavit Exactor,*" XIV: 2. 3. 4. & apud Zachariam, "Caſtra ponam domui meæ de exercitu propter abeuntem & redeuntem, *ut non tranſeat amplius ſuper eos Exactor,*" IX: 8. Exactores dicebantur qui exigebant tributa, 2 Reg: XXIII: 35.

Deut:

Deut: xv: 3, & quoque qui adigebant ad opus faciendum ſecundum impoſitionem tributorum: vocantur principes tributorum Exod: Cap: 1: 11; qui quod ſint qui ad ſerviendum adigerent, videatur n: 6659.

6853. Quia novi dolores illius, quod ſignificet Prævidentiam quantum falſis immerſi fuerint, conſtat ex ſignificatione noſſe, cum dicitur de Domino, quod ſit Prævidentia; quod noſſe ſit Prævidentia, & quia Dominus omnia & ſingula ab æterno novit; & ex ſignificatione dolorum, quod ſit immerſio in falſa; qui enim in bono ſunt, cum immerguntur falſis, in angores & anxietates veniunt, & cruciantur, amant enim vera & averſantur falſa, & cogitant jugiter de ſalute, & de infelicitate, ſi apud illos falſa dominarentur; qui autem non in bono ſunt, nihil curant ſive in falſis ſive in veris ſint, nihil enim cogitant de ſalute, nec de infelicitate, non enim credunt illa; jucunda amorum ſui & mundi auferunt fidem de vita poſt mortem; hi perpetuo immerſi ſunt falſis. Immerſio in falſa apparet in altera vita, ſicut qui immerſus undis, quæ ſecundum falſorum copiam altius uſque tandem ſupra caput aſcendunt; unde apparent tenuiores aut ſpiſſiores ſecundum falſorum quale: immerſio quæ eſt improbis, apparet ut nimboſum ac ut nebuloſum magis minuſve furvum, quod circumcingit, & prorſus ſeparat a ſereno quod eſt lucis cœli.

6854. Et deſcendi ad liberandum illum e manu Ægyptiorum, quod ſignificet quod ſe demitteret ad illos ad eximendum e potentia falſorum ſcientificorum quæ vera Eccleſiæ deſtruere conantur, conſtat a ſignificatione deſcendere, quod ſit ſe demittere, de qua ſequitur; ex ſignificatione ad liberandum, quod ſit ad eximendum, nam qui eximit a falſis, is liberat; ex ſignificatione manus, quod potentia, de qua n: 878. 3387. 3563. 4931 ad 4937. 5544; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint ſcientifica falſa, quæ ſunt contra vera Eccleſiæ, de qua n: 6651. 6679. 6683, ita quæ hæc deſtruere conantur. Cum hoc, quod Dominus deſcendat, ita ſe habet; dicitur de Domino deſcendere aut ſe demittere, cum ad judicium, n: 1311; & quoque cum ad inferiora, hic ad illos qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, qui per filios Iſraelis ſignificantur, agitur enim in ſenſu interno de illis, quomodo infeſtantur a falſis, & tunc ſuſtinent tentationes, & poſtmodum quomodo liberantur, ut in cœlum introducantur. At in his quæ in hoc Verſu, & quoque in ſequentibus in ſenſu interno continentur, eſt adhuc majus myſterium, quod nondum in Eccleſia notum eſt; quapropter detegendum; illi qui Spirituales dicuntur, qui ſunt illi qui non regenerari queunt niſi ſolum quoad partem intellectualem, non autem quoad partem voluntariam; in quorum parte intellectuali ideo a Domino implantatur nova voluntas, quæ voluntas eſt ſecundum doctrinalia fidei, quæ ſunt Eccleſiæ illorum; hi, nempe tales ſpirituales, unice ſalvati ſunt per adventum Domini in mundum; cauſa eſt, quia Divinum tranſiens per cœlum, quod fuit Divinum Humanum ante adventum Domini, ad illos non potuit pertingere, quippe doctrinalia Eccleſiæ illorum erant quoad plurimam partem non vera, ac inde bonum quod voluntatis, nec bonum, n: 6427: quia hic unice ſalvari potuerunt per adventum Domini,

ita nec prius potuerunt elevari in cœlum, quapropter interea tenebantur in terra inferiore, ibi in locis, quæ in Verbo foveæ vocantur; quæ terra circum obſeſſa erat ab infernis, ubi falſa, a quibus tunc multum infeſtabantur; ſed uſque cuſtodiebantur a Domino: at poſtquam Dominus in mundum venit, & Humanum in Se Divinum fecit, tunc illos, qui ibi in foveis, liberavit, & ad cœlum elevavit; exque illis etiam cœlum ſpirituale, quod eſt ſecundum cœlum, formavit: hoc eſt quod intelligitur per deſcenſum Domini ad inferos, & per liberationem illorum qui vincti fuerunt. Hoc Myſterium eſt, quod quoque in ſenſu interno deſcribitur in hoc Verſu, & in ſequentibus: videantur quæ prius de Spiritualibus illis oſtenſa ſunt, nempe quod Spirituales in obſcuro ſint quoad verum & bonum fidei, n: 2708. 2715. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3241. 3833. 6289. Quod obſcurum illorum illuminetur a Divino Humano Domini, n: 2716. 4402. Quia in obſcuro ſunt quoad verum & bonum fidei, quod oppugnentur valde ab infernis, ſed quod Dominus illos continue tutetur, n: 6419. Quod Spirituales non regenerari queant quoad partem voluntariam, ſed modo quoad partem intellectualem, & quod ibi nova voluntas a Domino formetur, n: 863. 875. 895. 927. 928. 1023. 1043. 1044. 2256. 4328. 4493. 5113. Quod ſpirituales ſalvati ſint per adventum Domini in mundum, n: 2833. 2834. 3969. In Verbo prophetico paſſim memorantur Vincti, ac vincti in fovea, & quod a Domino liberati ſint, per quos illi, de quibus nunc dictum, in ſpecie intelliguntur; ut apud Eſaiam, "Ego Jehovah vocavi Te in juſtitia, & apprehendam manum Tuam, quia cuſtodiam Te, & dabo Te in fœdus populo, in lucem gentium, ad aperiendum oculos cæcos, *ad educendum e carcere vinctum, e domo clauſtri ſedentes in tenebris,*" XLII: 6. 7. Apud Eundem, "Cuſtodivi Te, & dedi in fœdus populi, ad reſtituendum terram, ad dividendum hæreditates devaſtatas, *ad dicendum Vinctis, exite, eis qui in tenebris, revelamini*, ſuper viis paſcent, & in omnibus clivis paſcuum eorum," XLIX: 8. 9; ibi manifeſte de Domino; Vincti in ſpecie pro illis qui detenti fuerunt in terra inferiore, uſque ad adventum Domini, & qui tunc elevati in cœlum; in genere pro omnibus qui in bono ſunt, & ſicut vincti a falſis, e quibus tamen eniti volunt, tenentur. Apud Sachariam, "Per ſanguinem fœderis Tui *emittam vinctos tuos e fovea,*" IX: 11. Apud Eſaiam, "Colligendo colligentur *Vinctus in fovea*, & claudentur *in clauſtro*; poſt multitudinem dierum viſitabuntur," XXIV: 22; vincti in fovea, pro iiſdem. Et præterea, ab his apud Eſaiam, "Unxit Jehovah me ad evangelizandum pauperibus, miſit me ad obligandum fractos corde, *ad prædicandum captivis libertatem, vinctis, oculis capto*, ad proclamandum annum beneplaciti Jehovæ," LXI: 1: & alibi, "Populus *ambulantes in tenebris*, viderunt lucem magnam; habitantes *in terra umbræ mortis*, lux effulſit ſuper illos," IX: 1.

6855. Et ad aſcendere faciendum illum e terra illa, quod ſignificet quod elevarentur nempe e loco & ſtatu ubi infeſtantur a falſis, conſtat a ſignificatione aſcendere facere, quod ſit elevari; & a ſignificatione terræ, hic terræ Ægypti, quod ſit locus & ſtatus, ubi infeſtantur a falſis; quod Ægyptus ſit

ſcien-

ſcientificum falſum, quod infeſtat, oſtenſum eſt; ſimile etiam ſignificatur per terram Ægypti.

6856. Ad terram bonam & latam, quod ſignificet ad cœlum, ubi bonum charitatis & verum fidei, conſtat ex ſignificatione terræ, hic terræ Canaanis, quod ſit Regnum Domini, ita cœlum, de qua n: 1607. 3038. 3481. 3705. 4447; ex ſignificatione terræ bonæ, quod ſit bonum charitatis ibi, & a ſignificatione terræ latæ, quod ſit verum fidei ibi; quod latum ſit verum quod fidei, videatur n: 3433. 3434. 4482.

6857. Fluentem lacte & melle, quod ſignificet & inde amænum & jucundum, conſtat ex ſignificatione lactis, quod ſit cœleſte ſpirituale ſeu verum boni, de qua n: 2184; & quia eſt verum boni, eſt quoque amænum ejus, conjuncta enim ſunt; & ex ſignificatione mellis, quod ſit jucundum, de qua n: 5620. Ex illis quæ ſupra n: 6854 oſtenſa ſunt, conſtare poteſt quod intelligitur per facere aſcendere e terra illa ad terram bonam & latam, fluentem lacte & melle, quod nempe illi qui in terra inferiore in foveis ibi uſque ad adventum Domini detenti fuerunt, elevarentur tunc ad cœlum, ubi bonum charitatis & verum fidei, & inde amænum & jucundum. Hæc in ſpecie ſignificantur per illa verba; in genere autem omnes qui e ſpirituali Eccleſia in tentatione ſunt, & inde liberantur.

6858. Ad locum Cananæi & Chittæi, quod ſignificet regionem occupatam a malis ex falſis, conſtat ex repræſentatione Cananæorum, quod ſint mala ex falſis mali, de qua n: 4818; & ex repræſentatione Chittæorum, quod ſint falſa ex quibus mala, de qua n: 2913. Per Gentes in terra Canaane, quæ enumerantur hic & quoque alibi, ut Geneſ: XV: 18. 19. Exod: XXIII: 23. 28. Cap: XXXIII: 2. Cap: XXXIV: 11. Deut: VII: 1. Cap: XX: 17. Joſ: III: 10. Cap: XXIV: 11. Judic: III: 5, ſignificantur omnia genera mali & falſi. Quid per regionem occupatam a malis ex falſis, & quoque a reliquis generibus mali & falſi, intelligitur, dicendum; ante adventum Domini in mundum, mali genii & ſpiritus omnem illam regionem cœli occupabant, ad quam poſtea elevati ſunt ſpirituales; nam ante adventum Domini multa pars talium libere graſſabatur, & infeſtabat bonos, imprimis ſpirituales qui in inferiore terra; ſed poſt adventum Domini omnes in ſua inferna detruſi ſunt, & regio illa liberata eſt, ac in hæreditatem data illis qui ab Eccleſia ſpirituali: ſæpius obſervatum eſt, quod, ut primum aliquis locus a ſpiritibus bonis relinquitur, occupetur a malis, & quod mali inde expellantur, quibus expulſis quod iterum cedat illis qui in bono; cauſa eſt, quia infernales continue ardent deſtruere illa quæ cœli ſunt, in ſpecie illa quibus in oppoſito ſunt; quapropter cum locus alicubi relinquitur, quia tunc abſque tutela, occupatur is illico a malis. Hoc intelligitur in ſpecie, ut dictum, per regionem occupatam a malis & falſis, quæ ſignificatur per locum ubi gentes, quæ expellendæ. Hoc, una cum illis quæ ſupra n: 6854, eſt Myſterium magnum, quod abſque revelatione notum eſſe non poteſt.

6859. Et Emorræi & Periſæi, quod ſignificet a malis & inde falſis, conſtat ex repræſentatione Emorræi, quod ſit malum, de qua n: 1857. 6306;

&

& a repræſentatione Periſæi, quod ſit falſum, de qua n: 1573. 1574. Sunt binæ origines mali, & quoque binæ origines falſi; una origo mali eſt ex falſo doctrinæ aut religioſi; altera eſt ex cupiditatibus amoris ſui & mundi: falſum primæ originis, eſt, ut dictum, ex falſo doctrinæ aut religioſi; & falſum alterius originis eſt ex malo cupiditatum dictorum amorum: mala illa ſunt quæ ſignificantur per Cananæum & Emorræum, & falſa per Chittæum & Periſæum.

6860. Et Chivæi & Jebuſæi, quod ſignificet ab idololatrico in quo aliquid boni & veri, conſtat ex repræſentatione Chivæi, quod ſit idololatricum in quo aliquid boni; & ex repræſentatione Jebuſæi, quod ſit idololatricum in quo aliquid veri: quod per illas gentes talia ſignificentur, conſtare poteſt ex eo, quod permiſſum fuerit ut fœdus cum Gibeonitis a Joſua & ſenioribus pangeretur, Joſ: IX: 3 ſeq: & quod facti ſint cæſores lignorum & hauſtores aquarum domui Dei, ibid: Verſ: 23. 27; quod illi Chivæi fuerint, videatur ibid: Verſ: 7. & Cap: XI: 19: quod per Jebuſæos repræſententur qui in idololatrico, ſed in quo aliquid veri, conſtare poteſt ex eo, quod Jebuſæi fuerint in Hieroſolyma diu tolerati, & non inde expulſi, Joſ: XV: 63. Cap: XVIII: 16. 28. 2 Sam: V: 6 ad 10.

6861. Verſ: 9. 10. 11. 12. *Et nunc ecce clamor filiorum Iſraelis venit ad Me, & etiam vidi oppreſſionem, qua Ægyptii opprimunt illos. Et nunc ito, & mittam te ad Pharaonem, & educ populum meum filios Iſraelis ex Ægypto. Et dixit Moſcheh ad Deum, quis ego quod eam ad Pharaonem, & quod educam filios Iſraelis ex Ægypto. Et dixit, quia ero cum te, & hoc tibi ſignum quod Ego miſerim te, in educendo te populum ex Ægypto, coletis Deum juxta montem hunc.* Et nunc ecce clamor filiorum Iſraelis venit ad Me, ſignificat miſerationem ſuper illos qui ab Eccleſia ſpirituali: & etiam vidi oppreſſionem quæ Ægyptii opprimunt illos, ſignificat propter ſubjugationis conatum ab illis qui in falſis: & nunc ito, & mittam te ad Pharaonem, ſignificat ſanctum procedens ab Humano Domini, quo falſa infeſtantia diſſiparentur: & educ populum meum filios Iſraelis ex Ægypto, ſignificat inde liberationem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali a falſis infeſtantibus: & dixit Moſcheh ad Deum, ſignificat perceptionem a Divino, & humiliationem: quis ego quod eam ad Pharaonem, ſignificat quod nondum in tali ſtatu, ut falſa infeſtantia adire & removere ſibi poſſe videretur: & quod educam filios Iſraelis, ſignificat & ſic liberare illos qui ab Eccleſia ſpirituali: & dixit, quia ero cum te, ſignificat quod Divinum in Humano: & hoc tibi ſignum, quod miſerim te, ſignificat cognitionem quod Divinum procederet ab Ipſo: in educendo te populum ex Ægypto, ſignificat cum ſpirituales ex infeſtatione a falſis liberati ſunt: coletis Deum juxta montem hunc, ſignificat tunc perceptionem & agnitionem Divini ex Amore.

6862. Et nunc ecce clamor filiorum Iſraelis venit ad Me, quod ſignificet miſerationem ſuper illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione clamoris, quod ſit imploratio de ope, de qua n: 6801; inde cum dicitur, quod clamor venit ad Jehovam ſeu Dominum, involvit ſimile ac *audire*, quod audire ſit ferre Miſericordiæ opem ſeu miſeratio, videatur n: 6852; & ex ſignifi-

ſignificatione filiorum Iſraelis, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6637.

6863. Et etiam vidi oppreſſionem qua Ægyptii opprimunt illos, quod ſignificet propter ſubjugationis conatum ab illis qui in falſis, conſtat ex ſignificatione oppreſſionis qua opprimunt, quod ſit ſubjugationis conatus; quod ſit conatus ſubjugationis, non ſubjugatio, eſt quia illi qui ab Eccleſia ſpirituali Domini ſunt, non ſubjugari poſſunt ab illis qui in falſis, quoniam Dominus illos tutatur; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint falſa, de qua n: 6692.

6864. Et nunc ito, mittam te ad Pharaonem, quod ſignificet Sanctum procedens ab Humano Domini, quo falſa infeſtantia diſſiparentur, conſtat ex repræſentatione Moſchis, qui iret & qui mittebatur, quod ſit Dominus quoad Legem Divinam, de qua n: 6723. 6752. 6771. 6827, ita quoad Humanum; nam cum Dominus in mundo fuit, Humanum ſuum primum fecit Divinum Verum, quod idem eſt cum Lege Divina; poſtmodum Humanum ſuum prorſus glorificavit, & fecit Divinum Bonum: inter Divinum Verum & Divinum Bonum, differentia eſt, qualis inter Lucem a ſole & Ignem in ſole; ex ſignificatione mitti, quod ſit procedere, de qua n: 2397. 4710. 6831, hic ſanctum Verum; quod ſanctum prædicetur de vero, videatur n: 6788; & a repræſentatione Pharaonis, quod ſit falſum, de qua n: 6651. 6679. 6683. 6692; additur quod falſa infeſtantia diſſiparentur, nempe a ſancto procedente ab Humano Domini, quia in ſequentibus agitur de liberatione filiorum Iſraelis, hoc eſt, illorum qui ab Eccleſia ſpirituali Domini ſunt, a falſis, a quibus liberari nequaquam poſſunt, quam a Sancto quod procedit a Domino; Sanctum enim procedens a Domino non modo diſſipat falſa infeſtantia, ſed etiam redigit omnia in Divinum ordinem, tam illa quæ in cœlis ſunt, quam illa quæ in infernis, & fecit ut cœli diſtinctiſſimi ſint ſecundum bona & inde vera, & quoque quod inferna diſtinctiſſima ſint ſecundum mala & inde falſa; & quod mala in oppoſito ſint contra bona, ac falſa contra vera, ut æquilibrium ſpirituale exiſtat, & nihil non in ſtatu libero ſit.

6865. Et educ populum meum filios Iſraelis ex Ægypto, quod ſignificet inde liberationem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali a falſis infeſtantibus, conſtat ex ſignificatione educere, quod ſit liberatio; ex ſignificatione filiorum Iſraelis, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6637; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit ſcientificum falſum quod contra vera Eccleſiæ, ita falſum infeſtans, de qua n: 6692. Eſt falſum ſcientificum, quod maxime infeſtat illos qui ab Eccleſia ſpirituali; cauſa eſt, quia non perceptionem veri ex bono habent, ſed modo cognitionem veri ex doctrina; qui tales ſunt, quam maxime infeſtantur a ſcientificis; ſcientifica enim ſunt vaſa communiſſima, quæ apparent quandoque contraria veris, priuſquam vera illis immiſſa faciunt ut tranſluceant, & ſic non appercipiantur; & præterea ſcientifica ſunt plena fallaciis ſenſuum, quæ diſcuti nequeunt ab illis, qui in ſolis cognitionibus ex doctrina ſunt, & non in perceptione veri ex bono; imprimis

mis quia lux mundi apud illos prædominium habet, quæ lux apparet clara quamdiu lux cœli non in illam influit, ſed ut primum lux cœli illabitur, fit loco lucis obſcurum: inde eſt quod illi illuminati & ingenioſi ſint in rebus mundi, ſed obſcurati & hebetes in rebus cœli. Hi credunt ſe illuminatos, cum doctrinalia Eccleſiæ apud ſe confirmarunt, ſed eſt lumen ſenſuale, quod ex lumine mundi, quod tunc fallit illos; doctrinalia enim confirmari poſſunt qualiacunque ſint, ſicut ſua a Judæis, ſua ab Enthuſiaſtis, ſua a Socinianis, & ſua a quibuſvis hæreticis; & cum confirmata ſunt, apparent in lumine ſenſuali illis ut ipſa vera. At qui in luce cœli ſunt, in illuſtratione ſunt a Domino, & ante confirmationem appercipiunt per intuitionem in ſcientifica quæ infra ſunt, & ibi in ordinem diſpoſita, num verum confirmabile ſit vel non: inde patet, quod hi interiorem intuitionem habeant, quæ eſt ſupra ſcientifica, ita diſtinctam; illi autem intuitionem inferiorem, quæ eſt intra ſcientifica, ita perplexam, n: 2831.

6866. Et dixit Moſcheh ad Deum, quod ſignificet perceptionem a Divino, & humiliationem, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit perceptio, de qua ſæpius; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Legem Divinam, de qua n: 6723. 6752. 6771. 6827; Divinum ſignificatur per Deum: quod illa verba etiam involvunt humiliationem, patet ab illis quæ ſequuntur, nam dicit, quis ego quod eam ad Pharaonem, & educam filios Iſraelis. Quia per Moſchen repræſentatur Dominus, & hic memoratur humiliatio, aliquid de ſtatu humiliationis Domini, cum in mundo fuit, dicendum eſt; quantum Dominus in Humano nondum Divino facto fuit, tantum in humiliatione fuit; ſed quantum in Humano Divino facto, tantum non potuit eſſe in humiliatione, nam tantum Deus erat & Jehovah; quod in humiliatione fuerit cum in humano nondum Divino facto erat quia Humanum, quod a matre traxit, ex hæreditario malum fuit, & hoc non potuit approximare ad Divinum abſque humiliatione; nam homo in humiliatione genuina exuit ſe omni potentia ex ſe aliquid cogitandi & faciendi, & ſe prorſus Divino relinquit; ac ita ad Divinum accedit: Divinum quidem fuit in Ipſo, quia conceptus a Jehovah, ſed hoc tantum apparuit remotum, quantum Humanum Ipſius in hæreditario materno fuit; in ſpiritualibus enim & cœleſtibus, eſt ſtatus diſſimilitudo quæ facit remotionem & abſentiam, & eſt ſtatus ſimilitudo quæ facit appropinquationem & præſentiam; ac ſimilitudinem & diſſimilitudinem facit amor. Ex his nunc conſtare poteſt, unde ſtatus humiliationis apud Dominum, cum fuit in mundo; poſtea autem, cum exuit omne humanum quod a matre traxit, uſque adeo ut non amplius ejus filius eſſet, & induit Divinum, tunc ſtatus humiliationis ceſſavit, nam tunc fuit unum cum Jehovah.

6867. Quis ego quod eam ad Pharaonem, quod ſignificet quod nondum in tali ſtatu ut falſa infeſtantia adire & removere ſibi poſſe videretur, conſtat ex ſignificatione quis ego, quod ſit quod nondum in tali ſtatu; ex ſignificatione ire ad Pharaonem, quod ſit adire falſa infeſtantia, per Pharaonem enim ſignificatur falſum quod infeſtat, n: 6651. 6679. 6683; quod etiam ſit removere,

movere, eſt quia ſanctum procedens ab Humano Domini, de qua ſupra n: 6864, removet falſa & mala, nam hæc præſentiam Illius prorſus non ſuſtinent. Quia ex humiliatione hæc dicta ſunt, dicitur quod id ſibi non poſſe videretur.

6868. Et quod educam filios Iſraelis, quod ſignificet & ſic liberare illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione educere, quod ſit liberare, ut ſupra n: 6865; & a repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6637. 6862. 6865.

6869. Et dixit, quia ero cum te, quod ſignificet quod Divinum in Humano, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Legem Divinam, de qua n: 6723. 6752. 6771. 6827, ita quoad Humanum, nam, ut ſupra oſtenſum, Dominus Humanum ſuum fecit Legem Divinam, hoc eſt, Divinum Verum, cum in mundo fuit; & ex ſignificatione ero cum te, quod ſit Divinum, nam Jehovah eſt Qui loquitur.

6870. Et hoc tibi ſignum quod Ego miſerim te, quod ſignificet cognitionem quod Divinum procederet ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione ſigni, quod ſit confirmatio veritatis, & inde cognitio quod ita ſit; & ex ſignificatione mitti, quod ſit procedere, de qua n: 2397. 4710. 6831, ita mitti a Deo, eſt procedere a Divino, & quoque eſt Divinum procedere ab Ipſo, nam qui procedit a Divino, is Divinum recipit, & ulterius promovet.

6871. In educendo te populum ab Ægypto, quod ſignificet cum ſpirituales ex infeſtatione a falſis liberati ſunt, conſtat ex ſignificatione educere, quod ſit liberare, ut ſupra n: 6865. 6868; ex ſignificatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus, quod ſint ſpirituales, hoc eſt, illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6637. 6862. 6865; ex ſignificatione Ægypti, quod ſit ſcientificum falſum infeſtans, de qua n: 6692.

6872. Coletis Deum juxta montem hunc, quod ſignificet tunc perceptionem & agnitionem Divini ex amore, conſtat ex ſignificatione colere Deum, quod ſit adoratio Divini, ſed cum dicitur de Domino, eſt perceptio & agnitio Divini in Humano; & ex ſignificatione montis, quod ſit bonum amoris Divini, de qua n: 795. 796. 2722. 4210. 6435. 6829; inde patet, quod per coletis Deum juxta montem hunc, cum dicitur de Domino, ſignificetur perceptio & agnitio Divini ex amore. Quid ſit perceptio & agnitio Divini ex amore, dicendum eſt; quiſque homo cognoſcitur qualis eſt ex amore; eſt enim amor eſſe vitæ cujuſvis, ipſiſſima vita inde exiſtit; qualis itaque amor eſt apud hominem, talis eſt homo; ſi amor ſui & mundi, indeque vindictæ, odii, crudelitatis, adulterii, & ſimilium, eſt is homo, utcunque apparet in externa forma, quoad ſpiritum ſuum, ſeu quoad interiorem hominem, qui poſt mortem vivit, diabolus; ſi autem apud hominem eſt amor Dei & amor proximi, & inde amor boni & veri, tum juſti & honeſti, is, utcunque apparet in externa forma, quoad ſpiritum ſuum, qui poſt mortem vivit, eſt angelus: apud quem autem Amor Divinus eſt, qui apud ſolum Dominum fuit, Deus eſt; ita Humanum Ipſius Divinum factum eſt, cum Amorem Patris

ſui, qui fuit Eſſe Ipſius vitæ, in Humano recepit. Ex his conſtare poteſt, quid intelligitur per perceptionem & agnitionem Divini ex amore. Quod homo ſit prorſus ſicut ejus amor, conſtans veritas eſt, hoc patet ab angelis in altera vita, qui viſi apparent ſicut formæ amoris, ipſe amor ab illis non modo elucet, ſed etiam exhalat; ſic ut dicas illos totos non eſſe niſi amores; cauſa eſt, quia omnia interiora angeli, ſicut etiam hominis, non ſunt niſi quam formæ recipientes vitæ, & quia ſunt formæ recipientes vitæ, ſunt formæ recipientes amorum, nam amores faciunt vitam hominis; cum itaque amor influens & forma recipiens concordant, ſequitur quod talis ſit angelus ſeu homo, qualis ejus amor; & hoc non ſolum in principiis ejus organicis, quæ in cerebro ſunt, ſed etiam in toto corpore, nam corpus non eſt niſi quam organum, derivatum a ſuis principiis. Ex his conſtare poteſt, quod homo prorſus novus fiat, cum regeneratur, nam tunc diſponuntur omnia & ſingula apud illum ad recipiendos amores cœleſtes; verum apud hominem non delentur priores formæ, ſed removentur; apud Dominum autem priores formæ, quæ ex materno fuerunt, prorſus delectæ & exſtirpatæ ſunt, ac Divinæ loco illarum receptæ; amor enim Divinus non concordat cum aliqua forma niſi Divina, reliquas plane ejicit; inde eſt, quod Dominus cum glorificatus, non amplius filius Mariæ eſſet.

6873. Verſ: 13. 14. 15. *Et dixit Moſcheh ad Deum, ecce ego venio ad filios Iſraelis, & dico illis, Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos, & dicant mihi, quodnam nomen Ejus, quid dicam ad illos. Et dixit Deus ad Moſchen, Sum Qui Sum, & dixit, ita dices filiis Iſraelis, Sum miſit me ad vos. Et dixit adhuc Deus ad Moſchen, ita dicas, ad filios Iſraelis Jehovah Deus patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, miſit me ad vos; hoc Nomen meum in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, generationem.* Et dixit Moſcheh ad Deum, ſignificat perceptionem ex Divino: ecce ego venio ad filios Iſraelis, ſignificat de illis qui ab Eccleſia ſpirituali: & dico ad illos, Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos, ſignificat quod Divinum Eccleſiæ Antiquæ apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali erit: & dicant mihi, quodnam nomen illius, ſignificat quale Ipſius: quid dicam ad illos, ſignificat quid reſponſi: & dixit Deus ad Moſchen, ſignificat inſtructionem primam. Sum Qui Sum, ſignificat Eſſe & Exiſtere omnium in univerſo: & dixit, ita dices filiis Iſraelis, ſignificat inſtructionem alteram: Sum miſit me ad vos, ſignificat quod Divinum Exiſtere in Eccleſia illa erit: & dixit adhuc Deus ad Moſchen, ita dicas ad filios Iſraelis, ſignificat inſtructionem tertiam: Deus patrum veſtrorum, ſignificat Divinum Antiquæ Eccleſiæ: Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, ſignificat Ipſum Divinum & Divinum Humanum, ita Dominum: miſit me ad vos, ſignificat quod in Eccleſia illorum erit: hoc Nomen Meum in æternum, ſignificat quod Divinum Humanum ſit quale Ipſius Divini: & hoc memoriale meum in generationem, generationem, ſignificat quod colendum perpetuo.

6874. Et dixit Moſcheh ad Deum, quod ſignificet perceptionem ex Divino, conſtat ex ſignificatione dicere in Hiſtoricis Verbi, quod ſit perceptio;

quod

quod Deus ſit Divinum patet: perceptio a Divino dicitur, quia omnis perceptio inde eſt.

6875. Ecce ego venio ad filios Iſraelis, quod ſignificet de illis qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6637. 6862. 6865.

6876. Et dico ad illos, Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos, quod ſignificet quod Divinum Eccleſiæ Antiquæ apud illos, qui ab Eccleſia ſpirituali, erit, conſtat ex ſignificatione Dei patrum, quod ſit Divinum Eccleſiæ Antiquæ; quod patres ſint illi qui ab Eccleſia Antiqua, videatur n: 6050. 6075. 6846; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt vos, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua mox ſupra n: 6875; & ex ſignificatione mitti, quod ſit procedere, de qua n: 2397. 4710. 6831, hic quod erit apud illos, nam dicitur de Divino Eccleſiæ Antiquæ, quod Hoc erit in Eccleſia ſpirituali, quæ per filios Iſraelis repræſentatur. Divinum quod fuit Eccleſiæ Antiquæ, fuit Dominus quoad Divinum Humanum; Antiqua Eccleſia hoc habuit ab Antiquiſſima; & quoque ex eo, quod Jehovah illis viſus fuerit in forma humana; quapropter cum de Jehovah cogitabant, non cogitabant ut de Ente Univerſali, cujus nullam ideam habuiſſent, ſed ut de Humano Divino, in quod determinare cogitationem ſuam poſſent; ſic enim & cogitare de Jehovah, & conjungi Ipſi amore potuerunt: qui ab Eccleſia Antiqua fuerunt, & imprimis qui ab Eccleſia Antiquiſſima, multo ſapientiores fuerunt noſtratibus, & tamen uſque non cogitare potuerunt aliter de Jehovah, quam ut de Homine, cujus Humanum Divinum eſſet; nec tunc in cogitationem illorum influebat aliquod indecens captum ex homine naturali ejuſque infirmo & malo, ſed quod de Illo influebat, erat omne ſanctum: ipſi angeli, qui in tanta ſapientia ſunt præ homine, nec aliter poſſunt cogitare de Divino, vident enim Dominum in Divino Humano; ſciunt quod angelus, apud quem omnia finita ſunt, nequaquam aliquam ideam habere poſſit de Infinito, niſi per ſimile finito. Quod antiquis temporibus Jehovam adoraverint ſub Humano Divino, conſtat manifeſte ab angelis viſis Abrahamo in forma humana, tum dein Lotho, ut & Joſuæ, atque Guideoni & Manoacho, qui Angeli vocati ſunt Jehovah, ac ut Deus univerſi adorati. Hodie ſi Jehovah appareret in Eccleſia ſicut Homo, ſcandalizarentur, & cogitarent quod nequaquam Creator & Dominus Univerſi eſſet, quia viſus ut Homo; ac præterea non aliam haberent de Ipſo ideam, quam qualem de vulgari homine: credunt ſe in hoc ſapientiores antiquis, non ſcientes quod in eo ſint a ſapientia prorſus remoti; nam cum in Ens univerſale prorſus incomprehenſibile effunditur cogitationis idea, cadit idea in nullum, & prorſus diſſipatur; & tunc loco ejus venit idea naturæ, cui omnia & ſingula tribuuntur; inde naturæ cultus in orbe imprimis Chriſtiano hodie tam communis eſt.

6877. Et dicant mihi, quodnam nomen Illius, quod ſignificet quale Illius, conſtat ex ſignificatione nominis, quod ſit quale, de qua n: 1754. 1896. 2009. 2628. 2724. 3006. 6674. Ex hoc, quod Moſcheh interrogavit apparet, qualis fuit poſteritas ex Jacobo, quod nempe non ſolum obliti fuerint Nominis

Nominis Jehovæ; ſed etiam quod plures Deos agnoverint, quorum unus major eſſet altero; inde erat quod ſcire vellent Nomen Illius; credebant etiam, quod ſatis eſſet agnoſcere Deum quoad nomen; cauſa quod poſteri Jacobi tales eſſent, erat, quia ſolum in externis abſque internis erant; & qui abſque internis ſunt, illi non aliter de Deo opinari poſſunt, quia nihil lucis e cœlo, quæ interiora illorum illuſtret, recipere poſſunt. Ut itaque Jehovam agnoſcerent, dictum illis eſt, quod Deus patrum illorum, Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, viſus eſſet, & quod Ille miſerit; ita inducebantur ad agnoſcendum Jehovam ex cæca veneratione pro patribus ſuis, non autem ex perceptione aliqua interna. Satis etiam illi populo erat Jehovam modo quoad nomen colere, quia non potuerunt aliud recipere quam externum Eccleſiæ, ita id quod ſolum repræſentaret internum ejus; hoc quoque apud illos inſtitutum fuit, ex cauſa, ut, quod repræſentarent, ſiſteretur in cœlo in forma interna; & ſic aliqua uſque conjunctio eſſet cœli cum homine.

6878. Quid dicam ad illos, quod ſignificet quid reſponſi, conſtat abſque explicatione.

6879. Et dixit Deus ad Moſchen, quod ſignificet inſtructionem primam, conſtat ex ſignificatione dicere Deus, hic ad Moſchen, per quem repræſentatur Dominus quoad Divinum Verum, & a Moſche ad populum, ita a Divino Vero procedente a Divino Humano Domini ad illos qui ab Eccleſia ſpirituali, quod ſit inſtructio, hic prima quia agitur de Ipſo Deo Qui colendus; primum enim Eccleſiæ eſt cognitio quod Deus ſit, & quod Ille colendus; quale Ipſius primum, quod ſciendum, eſt quod creaverit univerſum, & quod univerſum creatum ab Ipſo ſubſiſtat.

6880. Sum Qui Sum, quod ſignificet Eſſe & Exiſtere omnium in univerſo, conſtat ex eo, quod Sum ſit Eſſe, & quia eſt Solus Eſſe, in nominativo dicitur; quod bis dicatur Sum, nempe Sum Qui Sum, eſt quia unum ſignificat Eſſe & alterum Exiſtere, ita unum ſignificat Ipſum Divinum, quod Pater vocatur, alterum Divinum Humanum quod Filius, nam Divinum Humanum Exiſtit ab Ipſo Divino; cum autem Dominus etiam quoad Humanum factus eſt Divinum Eſſe ſeu Jehovah, tunc Divinum Verum, quod procedit a Divino Humano Domini, eſt Divinum Exiſtere ex Divino Eſſe: exinde conſtare poteſt, quod Divinum Eſſe non poſſit ſe communicare alicui niſi per Divinum Exiſtere, hoc eſt, Ipſum Divinum niſi quam per Divinum Humanum, & Divinum Humanum niſi quam per Divinum Verum, quod eſt Sanctum Spiritus; hoc intelligitur per quod omnia per Verbum facta ſint" Joh: 1: 3. Apparet homini, ſicut Divinum Verum non ſit tale, ut per illud exiſtere aliquid poſſit, creditur enim quod ſit ſicut vox quæ emiſſa ore diſſipatur; ſed prorſus aliter ſe habet; Divinum Verum procedens a Domino eſt ipſiſſimum reale, & tale ut inde exiſterint omnia, & inde ſubſiſtant omnia; quicquid enim procedit a Domino, eſt ipſiſſimum reale in univerſo; tale eſt Divinum Verum, quod vocatur Verbum, per quod omnia facta ſunt.

6881. Et dixit, ita dices filiis Iſraelis, quod ſignificet inſtructionem alteram, conſtat ex ſignificatione dixit Deus, cum denuo dicitur, quod ſit novum perceptionis, de qua n: 2061. 2238. 2260; novum perceptionis eſt hic inſtructio altera; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, pro quibus illa inſtructio.

6882. Sum miſit me ad vos, quod ſignificet quod Divinum Exiſtere in illa, nempe Eccleſia, erit, conſtat ex ſignificatione Sum, quod ſit Ipſum Divinum & Divinum Humanum, de qua mox ſupra n: 6880; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Divinam Legem, hoc eſt, quoad Divinum Verum; quod Divinum Verum ſit Exiſtens ex Divino Humano, quia ab Ipſo procedens, videatur etiam ſupra n: 6880; ex ſignificatione mitti ad illos, quod ſit quod erit in Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6876. Hæc altera inſtructio eſt; prima, quod Deus, a quo omnia, agnoſcendus, altera, quod Divinum Verum, quod ab Ipſo, recipiendum.

6883. Et dixit adhuc Deus ad Moſchen, ita dicas ad filios Iſraelis, quod ſignificet inſtructionem tertiam, conſtat ex illis quæ mox ſupra n: 6881, explicata ſunt.

6884. Deus patrum veſtrorum, quod ſignificet Divinum Antiquæ Eccleſiæ, conſtat ex illis quæ ſupra n: 6876, dicta ſunt, ubi ſimilia. In ſenſu externo hiſtorico, per Deum patrum eorum, intelliguntur Abraham, Jiſchak, & Jacob, ſed in ſenſu interno Divinum Eccleſiæ Antiquæ; quod hoc non illud intelligatur in ſenſu interno, conſtare poteſt ex eo, quod hiſtoricum Verbi non intrare poſſit in cœlum; hiſtoricum enim Verbi eſt naturale & mundanum, & qui in cœlo ſunt non niſi quam in ideis ſpiritualibus ſunt, ita ſpiritualiter intelligunt illud, ac mundanum, quod eſt ſenſus literæ Verbi, ad primum limen cœli, vertitur in ſenſum ſpiritualem: quod ita ſit, quodammodo etiam conſtare poteſt ex eo, quod homo ſæpenumero vertat illa quæ dicuntur, etiam in talia, in quibus ille eſt tota cogitatione, ita qui in immundis eſt, in immunda, & qui in mundis in munda: inde nunc eſt, quod qui in cœlo per Deum patrum veſtrorum, non percipiant Deum Abrahami, Jiſchaki, & Jacobi, nam non cognoſcuntur in cœlo Abraham, Jiſchak, & Jacob, ſed Dominus Qui repræſentatur per illos: quapropter eſt Divinum Eccleſiæ Antiquæ, quod per illa verba ſignificatur.

6885. Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, quod ſignificet Ipſum Divinum ac Divinum Humanum, ita Dominum, conſtat ex illis quæ ſupra n: 6847 oſtenſa ſunt, ubi ſimilia.

6886. Miſit me ad vos, quod ſignificet quod in Eccleſia illorum erit, conſtat ex ſignificatione mitti ad vos, quod ſit quod erit in Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 6876. 6882.

6887. Hoc Nomen meum in æternum, quod ſignificet quod Divinum Humanum ſit quale Ipſius Divini, conſtat ex ſignificatione nominis Dei, quod ſit omne in uno complexu, per quod colitur Deus, ita quale, de qua n: 2724. 3006. 6674; & quoniam coli non poteſt Ipſum Divinum, quia

adiri

adiri nec fide nec amore poteſt, eſt enim ſupra omnem ideam, ſecundum Domini verba apud Johannem, "Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, Qui in ſinu Patris eſt, Ille expoſuit," 1 : 18; & alibi apud Eundem, "Neque vocem Ipſius audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis," v : 37, idcirco eſt Divinum Humanum, quia quale Ipſius Divini, quod adiri poteſt & coli. Quod Divinum Humanum ſit Nomen Jehovæ, patet apud Johannem, "Jeſus dixit, Pater *glorifica Nomen Tuum*; exiit igitur vox e cœlo, & glorificavi, & rurſum glorificabo," xii : 28; ibi Dominus quoad Divinum Humanum ſe vocat Nomen Patris. Apud Eſaiam, "Ego Jehovah vocavi Te in juſtitia, & apprehendam manum Tuam, quia cuſtodiam Te, & dabo Te in fœdus populo, in lucem gentium; ad aperiendum oculos cæcos, ad educendum e carcere vinctum, e domo clauſtri ſedentes tenebris: Ego Jehovah, *hoc Nomen Meum*, & gloriam meam alteri non dabo," xlii : 6. 7. 8, ibi & in præcedentibus hujus Capitis aperte agitur de Domino; quod Ipſe ſit Qui intelligitur per Nomen Jehovæ, patet ex eo, quod dicatur, quod gloriam ſuam alteri non dabit, cum de Domino, eſt Sibi, quia unum ſunt. Apud Moſen, "Ecce Ego mitto Angelum coram te, ad cuſtodiendum te in via, & ad deducendum te ad locum, quem præparavi: caveto tibi a faciebus Ipſius, & audi vocem Ipſius, quia non ſuſtinebit prævaricationem veſtram; *quoniam Nomen Meum in medio Ipſius eſt*," Exod : xxiii : 20. 21; quod per Angelum Jehovæ hic Dominus quoad Divinum Humanum intelligatur, videatur n : 6831; & quia Divinum Humanum eſt quale Ipſius Divini, dicitur quod Nomen Jehovæ ſit in medio Ipſius. Etiam in Oratione Domini per Pater noſter in cœlis, *ſanctificetur Nomen Tuum*, intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum; & quoque omne in uno complexu, per quod colendus.

6888. Et hoc Memoriale meum in generationem, generationem, quod ſignificet quod colendum perpetuo, conſtat ex ſignificatione Memorialis, quod ſit cujus recordandum, & cum prædicatur de Divino, eſt quale in cultu; & ex ſignificatione generationis, generationis, quod ſit in perpetuo. In Verbo dicitur in æternum, & in generationem generationum, & hoc quandoque in uno Verſu; hoc inde eſt, quia æternum prædicatur de Divino Bono, & generatio generationum de Divino Vero; ſimiliter ſe habet cum ſignificatione Memorialis & Nominis; Memoriale prædicatur de quali Divini in cultu quoad verum, at nomen de quali Divini in cultu quoad utrumque, tam verum quam bonum, in ſpecie autem quoad Bonum. Quod Memoriale ſit quale Divini in cultu, patet apud Hoſchæam, "Jehovah Deus Zebaoth, *Jehovah Memoriale Ipſius*; tu ergo in Deo reverteris, pietatem & judicium ſerva," xii : 6; hic agitur de quali cultus quoad verum, quapropter dicitur Jehovah Memoriale Ipſius. Apud Davidem, "Cantate Jehovæ ſancti Ipſius, & *confitemini Memoriali ſanctitatis Ipſius*," Pſalm : xxx : 5. Pſalm : xcvii : 12, ſanctum quod prædicetur de vero, videatur n : 6788, cultus inde ſignificatur per Memoriale ſanctitatis Ipſius,

6889. Verſ: 16. 17. 18. 19. 20. *Ito & congreges ſeniores Iſraelis, & dicas ad illos Jehovah Deus patrum veſtrorum viſus eſt ad me, Deus Abrahami, Jiſchaki, & Jacobi, dicendo, viſitando viſitavi vos, & quod factum vobis in Ægypto. Et dico, aſcendere faciam vos ex afflictione Ægypti, ad terram Cananæi, & Chittæi, & Emorræi, & Periſæi, & Chivæi & Jebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle. Et audiverint vocem tuam, & intres tu & ſeniores Iſraelis ad regem Ægypti, & dicatis ad illum, Jehovah Deus Hebræorum occurrit nobis, & nunc eamus quæſo viam trium dierum in deſertum, & ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro. Et Ego novi, quod non dabit vobis rex Ægypti ad eundum, & non manu forti. Et mittam manum meam, & percutiam Ægyptum omnibus mirabilibus meis, quæ faciam in medio illius; & poſtea mittet vos.* Ito & congreges ſeniores Iſraelis, ſignificat intelligentes in Eccleſia ſpirituali: & dicas ad illos, ſignificat inſtructionem: Jehovah Deus patrum veſtrorum, ſignificat Divinum Antiquæ Eccleſiæ: viſus eſt ad me, ſignificat præſentiam Ipſius: Deus Abrahami, Jiſchaki & Jacobi, ſignificat Ipſum Divinum & Divinum Humanum Domini: dicendo, viſitando viſitavi vos, ſignificat adventum Ipſius ad illos qui ab Eccleſia: & quod factum vobis in Ægypto, ſignificat ſubjugationis conatum: & dico, aſcendere faciam vos ex afflictione Ægypti, ſignificat elevationem & liberationem a ſcientificis falſis: ad terram Cananæi & Chittæi, & Emorræi & Periſæi, & Chivæi & Jebuſæi, ſignificat regionem cœli occupatam ab illis qui in malis & falſis: ad terram fluentem lacte & melle, ſignificat ubi amænum & jucundum: & audiverint vocem tuam, ſignificat obedientiam: & intres tu & ſeniores Iſraelis ad regem Ægypti, ſignificat communicationem cum illis qui in falſis & infeſtarunt: & dicatis ad illum, ſignificat influxum: Jehovah Deus Hebræorum occurrit nobis, ſignificat Divinum Domini in Eccleſia, & Ipſius mandatum: & nunc eamus quæſo viam trium dierum in deſertum, ſignificat vitam veri in ſtatu prorſus remoto a falſis, tametſi in obſcuro: & ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro, ſignificat ita cultum Domini: & Ego novi, ſignificat Prævidentiam: quod non dabit vobis rex Ægypti ad eundum, ſignificat quod falſum ſe oppoſiturum: & non manu forti, ſignificat quod contra illos non prævalebit potentia eorum qui ab Eccleſia ſpirituali: & mittam manum meam, ſignificat potentiam ex Divino: & percutiam Ægyptum omnibus mirabilibus meis, ſignificat potentiæ Divinæ media contra falſa: quæ faciam in medio illius, ſignificat quæ illos directe tangent: & poſtea mittet vos, ſignificat abactionem illorum & liberationem.

6890. Ito & congreges ſeniores Iſraelis, quod ſignificet intelligentes in Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione ſeniorum, quod ſit præcipua ſapientiæ & intelligentiæ, de qua n: 6523. 6525, ita intelligentes; & ex repræſentatione Iſraelis, quod ſit Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 4286. 6426.

6891. Et dicas ad illos, quod ſignificet inſtructionem, conſtat a ſignificatione dicere ad illos, cum hoc a Moſche, per quem repræſentatur Lex a Divino, quod ſit inſtructio, ut ſupra n: 6879. 6881. 6883.

6892. Jehovah Deus patrum veſtrorum, quod ſignificet Divinum Antiquæ Eccleſiæ, conſtat ex illis quæ ſupra n: 6884 explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

6893. Viſus eſt ad me, quod ſignificet præſentiam, conſtat ex ſignificatione videri ad aliquem, quod ſit præſentia; per videri enim in ſenſu interno non ſignificatur videri oculis, ſed cogitatione; ipſa cogitatio etiam facit præſentiam, apparet enim is, de quo cogitatur, ſicut præſens coram viſu interno: in altera vita hoc fit actualiter, nam cum ibi cogitatur de aliquo intenſe, ſiſtitur is præſens; inde eſt quod conveniant ibi amici, & quoque inimici, & quod ab his patiantur dura.

6894. Deus Abrahami, Jiſchaki, & Jacobi, quod ſignificet Ipſum Divinum, & Divinum Humanum Domini, conſtat ex illis quæ ſupra n: 6847, oſtenſa ſunt.

6895. Dicendo, viſitando viſitavi vos, quod ſignificet adventum Ipſius ad illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione viſitare, quod ſit adventus Domini, qui præcedit ultimum tempus Eccleſiæ, quod tempus in Verbo ultimum Judicium vocatur; quod Viſitatio id ſit, videatur n: 2242. 6588; quod id adventus Domini dicatur, patet ab his apud Matthæum, "Diſcipuli dixerunt ad Jeſum, dic nobis quando iſta fient, quodnam *ſignum Tui Adventus*, & Conſummationis ſæculi," XXIV: 3, ac inſtruebat tunc Dominus diſcipulos de ultimo tempore Eccleſiæ, ut conſtare poteſt ab illis, quæ n: 3353 ad 3356. 3486 ad 3489. 3897 ad 3901. 4056 ad 4060. 4229 ad 4235. 4422 ad 4424, explicata ſunt; & dicebat, quod, cum omnia illa exiſterent, appareret *ſignum Filii hominis*; & tunc plangent omnes tribus terræ, & *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria*," ibid: Verſ: 30; quod per Adventum Domini non intelligatur apparitio Ipſius cum angelis in nubibus, ſed agnitio in cordibus per amorem & fidem, videatur n: 3353. 3900; tum Apparitio Ipſius e Verbo, cujus ſenſus intimus ſeu ſupremus de ſolo Domino agitur, n: 4060; hic adventus intelligitur per adventum Domini, qui tunc fit, quando Eccleſia vetus rejicitur, & nova a Domino inſtauratur: & quia nunc apud poſteros Jacobi novum Eccleſiæ inſtauraretur, dicitur, *viſitando viſitavi vos*; ut quoque a Joſepho cum moreretur, "Dixit Joſeph ad fratres ſuos, ego morior, & *Deus viſitando viſitabit vos*, & aſcendere faciet vos e terra hac ad terram, quam juravit Abrahamo, Jiſchako, & Jacobo," Geneſ: L: 24. Per viſitando viſitare vos in ſenſu literæ hic ſignificatur liberatio a ſervitute in Ægypto, & introductio in terram Canaanem; ſed hoc non eſt ſpirituale quod in Verbo, ſed eſt Naturale; ſpirituale quod in Verbo agit de Domino, de Ipſius Regno & Eccleſia, deque amore & fide, quapropter per viſitando viſitare in ſenſu ſpirituali intelligitur liberatio a falſis, & ſic initiatio in illa quæ ſunt Eccleſiæ & Regni Domini, ita adventus Domini in amore & fide apud illos qui ab Eccleſia nova erunt.

6896. Et quod factum vobis in Ægypto, quod ſignificet ſubjugationis conatum,

natum, conſtat ex illis quæ præcedunt de afflictione & oppreſſione filiorum Iſraelis, hoc eſt, illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, hæc ſunt quæ intelliguntur per quod factum vobis in Ægypto; quod afflictiones & oppreſſiones illæ ſignificent infeſtationes & ſubjugationis conatus, videatur n: 6663. 6666. 6668. 6670. 6671. 6851. 6852. 6863.

6897. Et dico, aſcendere faciam vos ex afflictione Ægypti, quod ſignificet elevationem & liberationem ab infeſtatione a ſcientificis falſis, conſtat ex ſignificatione aſcendere facere, quod ſit elevatio verſus interiora, de qua n: 3084. 4539. 5406. 5817. 6007; elevatio verſus interiora eſt ab infeſtatione a falſis ad vera & bona fidei; inde quoque aſcendere facere eſt liberatio; ex ſignificatione afflictionis, quod ſit infeſtatio, de qua n: 6663. 6851; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit ſcientificum falſum, de qua n: 6651. 6679. 6683.

6898. Ad terram Cananæi & Chittæi, & Emorræi & Periſæi, & Chivæi & Jebuſæi, quod ſignificet regionem cœli occupatam ab illis qui in malis & falſis, conſtat ab illis, quæ ſupra n: 6854. 6858, oſtenſa ſunt. Quod Cananæi & Chittæi ſint qui in malis ex falſis, videatur n: 6850; quod Emorræi & Periſæi ſint qui in malis & inde falſis, n: 6859; & quod Chivæi & Jebuſæi ſint qui in idololatrico, in quo aliquid boni & veri, n: 6860.

6899. Ad terram fluentem lacte & melle, quod ſignificet ubi amænum & jucundum, conſtat ex ſignificatione lactis & mellis, quod ſit amænum & jucundum, de qua ſupra n: 6887.

6900. Et audiverint vocem tuam, quod ſignificet obedientiam, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit obedientia, de qua n: 2542. 3869. 4652 ad 4660.

6901. Et intres tu & ſeniores Iſraelis ad regem Ægypti, quod ſignificet communicationem cum illis qui in falſis & infeſtarunt, conſtat ex ſignificatione intrare, quod ſit communicatio, nam intrare in ſpirituali ſenſu eſt communicare alteri cogitationem ſuam; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex a Divino, de qua n: 6827; a ſignificatione ſeniorum, quod ſint intelligentes, de qua n: 6523. 6525. 6890; & a repræſentatione Pharaonis ſeu regis Ægypti, quod ſit falſum infeſtans vera Eccleſiæ, de qua n: 6651. 6679. 6683; ex his patet, quod per intres tu & ſeniores Iſraelis ad regem Ægypti, ſignificetur communicatio talium quæ ſunt Legis a Divino ac inde intelligentiæ cum illis qui in falſis & infeſtarunt.

6902. Et dicatis ad illum, quod ſignificet influxum, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit influxus, de qua n: 5743. 6152. 6291; quod dicere hic ſit influxus, eſt quia communicatio talium quæ ſunt Legis a Divino & inde intelligentiæ, de qua n: 6901, fit per influxum.

6903. Jehovah Deus Hebræorum occurrit nobis, quod ſignificet Divinum Domini in Eccleſia, & Ipſius mandatum, conſtat ex ſignificatione Hebræorum, quod ſit Eccleſia, de qua n: 5136. 6675. 6684; Quod Jehovah Deus ſit Divinum Domini, eſt quia per Jehovam non alius in Verbo, quam Dominus,

minus, intelligitur, n: 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6303; & ex ſignificatione occurrere, quod hic ſit mandatum; nam per occurrere hic intelligitur quod loquutus cum illis, & quod juſſerit; quod occurrit id involvat, conſtat ex eo, quod non amplius dicatur quid loquutus, ſed quod mandatum Ipſius immediate ſequatur.

6904. Et nunc eamus quæſo viam trium dierum in deſertum, quod ſignificet vitam veri in ſtatu prorſus remoto a falſis, tametſi in obſcuro, conſtat ex ſignificatione ire, quod ſit vita, de qua n: 3335. 4882. 5493. 5606; a ſignificatione viæ, quod ſit verum, de qua n: 627. 2333; ex ſignificatione trium dierum, quod ſit ſtatus plenus, de qua n: 2788. 4495, ita cum de remotione a falſis agitur, eſt ſtatus prorſus remotus ab illis; quod ponere viam trium dierum ſit prorſus ſeparare, videatur n: 4010; & a ſignificatione deſerti, quod ſit inhabitatum & inexcultum, de qua n: 2708. 3900, quod in ſenſu ſpirituali eſt obſcurum fidei; agitur enim hic de inſtauratione Eccleſiæ Spiritualis, quæ per filios Iſraelis ſignificatur; qui ab illa Eccleſia ſunt, in obſcuro ſunt quoad bonum & verum fidei reſpective, videatur n: 2708. 2715. 2716. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3241. 3246. 3833. 4402. 6289. 6500. 6865. Vita veri eſt vita, quam illi, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, vivunt; verum enim, quod ex Verbo ſeu ex doctrina ſuæ Eccleſiæ ſciunt, cum ſit vitæ, vocatur bonum, ſed eſt verum actu.

6905. Et ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro, quod ſignificet ita cultum Domini, conſtat ex ſignificatione ſacrificare, quod ſit cultus in communi, de qua n: 923, nam in Eccleſia Hebræa, & poſtea apud poſteros Jacobi, omnis cultus ſe referebat ad ſacrificia; quod conſtare poteſt ex eo, quod quotidie facta ſint, & quibuſvis feſtis plura, tum cum inaugurarentur, cum purificarentur, pro peccatis, pro reatibus, præter ex votis, & ex libero; inde eſt quod per ſacrificia ſignificetur cultus in genere; quod ſit cultus Domini, qui ſignificatur per ſacrificare Jehovæ Deo, patet manifeſte ex eo, quod ſacrificia non alium quam Dominum, ac Divina cœleſtia & ſpiritualia, quæ ab Ipſo, repræſentaverint, n: 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519; tum ex eo, quod per Jehovam Deum in Verbo non alius quam Dominus intelligatur, videatur ſupra n: 6903; per Jehovam Divinum Eſſe Ipſius, & per Deum inde Divinum Exiſtere; ita per Jehovam Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius, & per Deum Divinum Verum procedens a Divino Ipſius Bono.

6906. Et Ego novi, quod ſignificet Prævidentiam, conſtat ex ſignificatione noſſe, cum prædicatur de Jehovah ſeu Domino, quod ſit Prævidentia, de qua ſupra n: 6853.

6907. Quod non dabit vobis rex Ægypti ad eundum, quod ſignificet quod falſum ſe oppoſiturum, conſtat ex ſignificatione non dare vobis, quod ſit ſe opponere, nam qui non dat cum dicitur quod Divinum mandatum ſit, n: 6903, & qui negat ut quis colat Deum, is ſe opponit, ut ſolent omnes facere qui in falſo apud ſe confirmato ſunt; ex repræſentatione Pharaonis ſeu regis Ægypti, quod ſit falſum, de qua n: 6651. 6679. 6683; & ex ſignificatione ad eundum, nempe viam trium dierum in deſertum ad ſacri-

ficandum

ficandum Jehovæ Deo, quod ſit ad vivendum ſecundum verum in ſtatu prorſus remoto a falſis, ac ad colendum ita Dominum n: 6904. Quomodo cum illis qui in falſo ſunt, qui repræſentantur per regem Ægypti, quod ſe opponant illis qui in veris, ſe habet, dicendum; in mundo, qui in falſo ſunt, non ſe aperte opponunt illis qui in vero, inhibent enim vincula externa, quæ ſunt timores, ne contra leges regni & Eccleſiæ appareant eſſe, ita non videri potuerunt ut boni cives, quiſque enim juſtus & verus in externa forma vult in mundo videri, ac improbi plus quam probi, ob cauſam ut animos captent, & fallant propter lucrum & honores, ſed intus ſe opponunt ſe, nam quotieſcunque audiunt aliquem vera Eccleſiæ profitentem non ex officio ſed ex zelo, apud ſe ſubſannant, & ſi tunc non arcerent vincula externa, aperte irriderent; tales cum in alteram vitam veniunt, non magis illos inhibent vincula externa, nam hæc tunc illis auferuntur, ex cauſa, ut quiſque pateat qualis eſt; & tunc aperte ſe opponunt illis qui in veris ſunt, ac illos ſecundum omne poſſibile infeſtant; hoc tunc illis eſt ipſum jucundum vitæ; cumque admonentur ne talia faciant, quia ſi non deſiſtunt, quod removeantur tandem prorſus, & detrudantur in infernum; uſque ad hoc nihil attendunt, ſed perſiſtunt jugiter in infeſtatione, ut prius; nam tantum in jucundo vitæ ex falſo ſunt; hoc ita illos occupat, ut nihil quicquam quod eſt intelligentiæ admittant; hæc ſunt quæ ſignificantur per quod non dabit vobis rex Ægypti ad eundum, & quæ repræſentantur per Pharaonem, quod toties ſe oppoſuerit; remotio talium ſpirituum, & detruſio in infernum, repræſentatur per interitum Pharaonis & Ægyptiorum in mari Suph. Qui in malo vitæ ac inde in falſo ſunt, illi ſunt in luce mundi, nam eſt lux per quam videntur objecta intellectualia, hæc lux apud illos qui in falſo ex malo ſunt, rutilans eſt, & quo magis in falſo ex malo, eo rutilantior; gloria mundi, quæ ex amore ſui, accendit illam, & fecit rutilum ejus; & quia ita, apparent inibi vera illis prorſus ut falſa, ac falſa prorſus ut vera; cauſa eſt, quia in jubar hujus lucis non influere poteſt lux cœleſtis, hæc apud talem lucem fit caligo; inde eſt, quod tales in forti perſuaſivo ſint de falſis contra vera, quia vident illa ita in luce iſta: at apud illos qui in veris ſunt ex bono, lux mundi non rutilat, ſed obſcura eſt; lux autem cœli eſt apud illos candida; & quia hæc candida eſt, in illa apparent vera ut vera, ac falſa ut falſa; nam cum incidit illa lux in falſa, quæ in luce mundi ſeparata a luce cœli apparent ut vera, tunc non modo obſcurat illa, ſed prorſus exſtinguit; hæc lux, nempe lux cœli, fit ſucceſſive magis & magis apud illos candida, & tandem adeo, ut lux mundi cum illa non comparari queat: ex his apparet cauſa, cur illi, qui in falſis ex malo ſunt, ex tam forti perſuaſivo ſe opponant illis qui in veris; de qua oppoſitione nunc ſupra actum eſt.

6908. Et non manu forti, quod ſignificet quod contra illos non prævalebit potentia illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937; inde non manu forti

forti eſt potentia quæ non prævalebit; quod intelligatur potentia illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, patet a mox ſequentibus, "Et mittam manum meam, & percutiam Ægyptum omnibus mirabilibus meis," per quæ ſignificatur, quod ſuperandi per potentiam ex Divino, & per illius media.

6909. Et mittam manum meam, quod ſignificet potentiam ex Divino, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937; & quia Jehovah ſeu Dominus hoc de Se dicit, eſt potentia ex Divino.

6910. Et percutiam Ægyptum omnibus mirabilibus meis, quod ſignificet potentiæ Divinæ mediæ contra falſa, conſtat ex ſignificatione Ægypti, quod ſit falſum, de qua ſæpe prius; & ex ſignificatione mirabilium, quod ſint potentiæ Divinæ media, per quæ illi qui in falſis & infeſtant, ſubjugantur. Quod mirabilia ſint potentiæ Divinæ media, per quæ ſubjugantur illi qui in falſis, conſtat ex mirabilibus ſeu miraculis factis in Ægypto, per quæ tandem adacti ſunt ut demitterent filios Iſraelis; unumquodvis mirabile ſeu miraculum ibi ſignificat medium Divinæ potentiæ.

6911. Quæ faciam in medio illius, quod ſignificet quæ illos directe tangent, conſtat ex ſignificatione medii, quod ſit quod intus eſt, de qua n: 1074. 2940. 2973, ita quod directe tangit; nam quod directe aliquem tangit, eſt intra illum, quod autem non directe tangit, eſt etiam extra, nam oblique ferit, & quoad partem præterlabitur.

6912. Et poſtea mittet vos, quod ſignificet abactionem illorum nempe qui in falſis, & liberationem nempe illorum qui in veris, conſtat ex ſignificatione mittere, ſeu dimittere, quod hic ſit abigi, nam qui in falſis ſunt, nuſquam dimittunt, ſi vel foret in æternum, niſi abigantur; quapropter per mittere in ſenſu interno hic ſignificatur abactio, & inde liberatio.

6913. Verſ: 21. 22. *Et dabo gratiam populi hujus in oculis Ægyptiorum, & erit cum itis non ibitis vacui. Et petat mulier e vicina ſua, & ex hoſpita domus ſuæ, vaſa argenti & vaſa auri, & veſtes, & ponetis ſuper filios veſtros, & ſuper filias veſtras, & deprædabimini Ægyptios.* Et dabo gratiam populi hujus in oculis Ægyptiorum, ſignificat timorem illorum qui in falſis pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali, propter plagas: & erit cum itis non ibitis vacui, ſignificat non magis vitam in egeſtate quoad illa quæ ſunt mentis naturalis: & petat mulier e vicina ſua & ex hoſpita domus ſuæ; ſignificat quod bonum cujuſvis locupletabitur talibus quæ conducunt: vaſa argenti, ſignificat ſcientifica veri: & vaſa auri, ſignificat ſcientifica boni: & veſtes, ſignificat illis correſpondentia ſcientifica inferiora: & ponetis ſuper filios veſtros, ſignificat applicationem ad vera illorum: & ſuper filias veſtras, ſignificat applicationem ad bona: & deprædabimini Ægyptios, ſignificat quod auferenda talia illis qui in falſis & inde malis.

6914. Et dabo gratiam populi hujus in oculis Ægyptiorum, quod ſignificet timorem illorum qui in falſis pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali, propter plagas, conſtat a ſignificatione dare gratiam, quod ſit timorem propter plagas,

de

de qua ſequitur; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6637; & ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis, de qua ſæpe prius. Quod dare gratiam in oculis Ægyptiorum ſignificet timorem propter plagas illis qui in falſis, conſtat ex intellectu rerum in ſenſu interno; agitur enim de illis qui in falſis, qui per Ægyptios ſignificantur, quod illis auferenda ſint vera & bona, & transferenda ad illos qui ab Eccleſia ſpirituali; & quia de illis qui in falſis agitur, per gratiam non ſignificatur gratia, nam illis qui in falſis & malis ſunt, nuſquam gratia eſt pro aliquo, ſed ſi benefaciunt, aut ſi non malefaciunt, eſt ex timore propter plagas, inde gratia illorum; hæc gratia eſt, quæ in ſenſu interno hic intelligitur; ſenſus internus exponit res quales ſunt, non quales ſiſtuntur in litera, & applicat ſingula ad ſubjectum: quod ita ſit, patet etiam a ſequentibus de Ægyptiis, quod non dimiſerint filios Iſraelis ex aliqua gratia, ſed ex timore propter ulteriores plagas, Exod: Cap: XI: 1. Cap: XII: 33. Quia in his binis Verſibus agitur de deprædatione Ægyptiorum, per quod mulieres Iſraelis mutuo peterent a mulieribus Ægyptiis argentum, aurum, & veſtes; & quomodo hoc ſe habet, nequaquam ſciri poteſt, niſi ex revelatione de illis quæ fiunt in altera vita, ſenſus enim internus involvit talia quæ fiunt apud Angelos & Spiritus, idcirco dicendum: quod locus cœli inferior ante adventum Domini a malis geniis & ſpiritibus occupatus fuerit, & quod inde poſtea expulſi, & regio illa data ſit illis qui ab Eccleſia ſpirituali, videatur ſupra n: 6858; quamdiu mali genii & ſpiritus ibi erant, ſub intuitu continuo angelorum ſuperiores cœli fuerunt; inde arcebantur a malis aperte faciendis: hodie etiam quidam, qui doloſiores aliis ſunt, quia per ſimulationem innocentiæ & charitatis fallunt, ſub intuitu cœleſtium ſunt, & tamdiu detinentur a nefandis ſuis dolis; ſunt illi directe ſupra caput, & angeli cœleſtes, ſub quorum intuitu ſunt, adhuc ſuperius; ex quibus ſcire datum eſt, qualis ſtatus malorum geniorum & ſpirituum fuit, qui ante adventum Domini occuparunt inferiorem regionem cœli, quod nempe tunc a malis aperte faciendis ab Angelis ſuperioris cœli detenti fuerint. Quomodo autem a malis aperte faciendis detenti fuerint, etiam ſcire datum eſt; tenebantur in vinculis externis, nempe in timore jacturæ honoris & famæ, in timore deprivationis poſſeſſionum in regione illa cœli, ac detruſionis in infernum; & tunc adjungebantur illis ſpiritus boni ſimplices; ſicut fit hominibus in mundo, hi tametſi interius ſunt diaboli, uſque tamen per externa illa vincula tenentur in ſimulatione honeſti ac juſti, & ad benefaciendum; utque ita teneantur, adjunguntur illis ſpiritus qui in ſimplici bono ſunt; ita ſe habuit cum malis qui in regione inferiore cœli ante adventum Domini fuerunt; & tunc quoque potuerunt adigi ad verum dicendum & bonum faciendum per proprios amores; non aliter ac ſacerdotes mali, imo etiam peſſimi, qui intus diaboli ſunt, qui doctrinalia ſuæ Eccleſiæ, cum tali ardore & ſimulato zelo prædicare poſſunt, ut corda auditorum ad pietatem moveant; ſunt tamen tunc in amore ſui & mundi, nam cogitatio de honore

&

& de lucro univerſaliter apud illos regnat, ex illo igne ad ita prædicandum excitantur; ſunt mali ſpiritus apud illos, qui in ſimili amore & inde in ſimili cogitatione ſunt, qui ducunt, quibus adjuncti ſunt ſimplices boni ſpiritus: ex his conſtare poteſt, qualis ſtatus cœli ante adventum Domini fuit. Poſt autem adventum Ipſius, cœli & inferni ſtatus prorſus mutati ſunt; tunc enim mali genii & ſpiritus, qui regionem cœli inferiorem occuparunt, dejecti ſunt, & loco illorum illi, qui ab Eccleſia ſpirituali, illuc elevati: mali, qui dejecti ſunt, tunc deprivati ſunt externis vinculis, quæ, ut ſupra dictum, fuerunt timores jacturæ honoris & famæ, ac amiſſionis poſſeſſionum in regione illa; ac ita relicti ſunt ſuis interioribus, quæ non niſi quam diabolica & infernalia erant; & ſic in inferna ablegati: Deprivatio a vinculis externis fit in altera vita per ablationem ſpirituum bonorum, qui illis adjuncti ſunt; cum hi ablati ſunt, non magis poſſunt in aliqua ſimulatione boni, juſti, & honeſti, eſſe, ſed ſunt quales in mundo fuerunt intus, hoc eſt, quales fuerunt cogitatione & voluntate, quas coram aliis ibi abſconderunt; & tunc nihil aliud cupiunt quam malefacere. Simplices hi boni Spiritus, qui illis ablati ſunt, dati ſeu adjuncti ſunt illis qui ab Eccleſia ſpirituali, quibus regio illa cœli in poſſeſſionem data eſt; inde eſt, quod hi locupletati ſint veris & bonis, quæ prius habuerunt mali genii & ſpiritus; nam locupletari veris & bonis in altera vita, fit per adjunctionem ſpirituum qui in vero & bono ſunt, nam per illos fit communicatio. Hæc ſunt, quæ ſignificantur per quod filii Iſraelis ab Ægypto non ituri vacui, ſed quod mulier a vicina ſua & ab hoſpita domus ſuæ peteret vaſa argenti, & vaſa auri, & veſtes, & ſic deprædarentur Ægyptios. Quiſque videre poteſt, quod, niſi talia repræſentata fuiſſent, nuſquam a Divino mandatum fuiſſet, ut tali aſtu uterentur contra Ægyptios; omne enim tale longiſſime abeſt a Divino; ſed quia populus ille prorſus repræſentativus eſſet, id, quia ita fieret cum malis in altera vita, permiſſum fuit a Divino, ut ita facerent: ſciendum eſt, quod perplura, quæ mandata ſunt a Jehovah ſeu Domino, in ſenſu interno non ſignificent quod mandata ſint, ſed quod permiſſa.

6915. Et erit, cum itis non ibitis vacui, quod ſignificet non magis vitam in egeſtate quoad illa quæ ſunt mentis naturalis, conſtat ex ſignificatione ire, quod ſit vita, de qua n: 3335. 4882. 5493. 5606. 6901; & ex ſignificatione non ibitis vacui, quod ſit non magis vita in egeſtate; quod vacuum ſit ubi non verum, videatur n: 4744, ita ubi egeſtas ſpiritualis; quod ſit quoad illa quæ mentis naturalis ſunt, patet ab illis quæ præcedunt, quod nempe illi qui ab Eccleſia ſpirituali, qui repræſentantur per filios Iſraelis, infeſtati fuerint ab illis qui in ſcientificis falſis fuerunt, qui ſignificantur per Ægyptios, inde quoad illa quæ ſunt mentis naturalis, nam quæ hujus mentis ſunt, vocantur ſcientifica; hæc etiam præcipue Spirituales infeſtant, nam cogitatio eorum intra ſcientifica eſt, & parum ſupra, videatur n: 6865.

6916. Et petat mulier e vicina ſua, & ex hoſpita domus ſuæ, quod ſignificet quod bonum cujuſvis locupletabitur talibus quæ conducunt, conſtat ex

ſigni-

ſignificatione mulieris, quod ſit affectio boni charitatis, de qua n: 6014; ex ſignificatione vicinæ, quod ſit affectio veri, quæ illis qui in ſcientificis ſunt; & ex ſignificatione hoſpitæ domus, quod ſit affectio boni, quæ etiam illis: quia ex vicina & ex hoſpita domus peteret, ſignificantur vera & bona quæ proxima ſunt, ita quæ conducunt. Quomodo hæc ſe habent, conſtat ex illis, quæ mox ſupra n: 6914, allata ſunt; quod mulier peteret, eſt quia per mulierem ſignificatur bonum charitatis, & hoc erit quod locupletabitur, nam bonum ut ſit bonum, erunt vera quæ qualificabunt; cauſa eſt, quia cum vivitur ſecundum vera, ipſa vera tunc fiunt bona; quapropter quale verum eſt, tale fit bonum; hoc bonum poſtea non alia vera adſciſcit & ſibi adjungit, quam ſecundum quale ſuum, conſequenter non alia quam quæ conducunt, ita quæ in vicinia ſunt & in domo.

6917. Vaſa argenti, quod ſignificent ſcientifica veri, & vaſa auri, quod ſignificent ſcientifica boni, conſtat ex ſignificatione vaſorum, quod ſint ſcientifica, de qua n: 3068. 3079; ſcientifica vocantur vaſa, quia communia ſunt, & in ſe continere poſſunt innumerabilia vera & multiplicia bona; ex ſignificatione argenti, quod ſit verum; & auri, quod ſit bonum, de qua n: 1551. 1552. 2954. 5658; quod argentum Ægypti ſit ſcientificum verum & aptabile, videatur n: 6112. Quod vaſa argenti & vaſa auri apud Ægyptios ſint ſcientifica veri & ſcientifica boni, cum tamen per Ægyptios hic & in præcedentibus, tum quoque in ſequentibus, ſignificantur ſcientifica falſa, ſciendum, quod ſcientifica in ſe non ſint vera, nec ſint falſa, ſed quod fiant vera apud illos qui in veris ſunt, & falſa apud illos qui in falſis, applicatio illorum & uſus hoc facit; ſe habent ſcientifica apud hominem, ſicut divitiæ & opes apud illum; divitiæ & opes apud illos qui in malo ſunt, pernicioſæ ſunt, quia applicant illas ad uſus malos; at divitiæ & opes apud illos qui in bono ſunt, utiles ſunt, quia applicant illas ad uſus bonos; quapropter ſi divitiæ & opes, quæ apud malos, transferuntur ad bonos, fiunt bonæ; ita quoque ſcientifica; ut pro exemplo; apud Ægyptios remanſerunt plura ex repræſentativis Eccleſiæ Antiquæ, ut conſtat ex illorum Hieroglyphicis; ſed quia applicuerunt illa ad magica, & uſum malum inde fecerunt, idcirco non illis fuerunt ſcientifica vera, ſed ſcientifica falſa; aſt eadem in Antiqua Eccleſia fuerunt ſcientifica vera, quoniam applicuerunt illa rite ad cultum Divinum. Sint etiam pro exemplo altaria & ſacrificia, hæc apud gentem Hebræam, & poſtea apud Gentem Judaicam & Iſraeliticam fuerunt ritualia vera, quia applicuerunt illa ad cultum Jehovæ; ſed apud Gentes in terra Canaane erant ritualia falſa, quia applicuerunt illa ad cultum idolorum ſuorum; quapropter etiam mandatum eſt, ut gentium altaria ubivis deſtruerentur: ſimiliter ſe habet cum quampluribus aliis; quapropter ab illis qui in malis & falſis ſunt, multa ſcientifica hauriri queunt, quæ ad uſus bonos applicari poſſunt, & ſic fieri bona: talia quoque ſignificata ſunt per deprædationes Gentium in terra Canaane, per opes, armenta, pecudes, domos, vineas, quas filii Iſraelis ibi deprædati ſunt; hoc adhuc magis patet ex eo, quod aurum & argentum deprædatum a Gentibus, etiam ad uſum

ſanctum adhibitum fuerit, ut conſtat ex Libro 2 Samuelis, "Fuerunt in manu ejus vaſa argenti, & vaſa auri, & vaſa æris; etiam *hæc ſanctificavit rex David Jehovæ, cum argento & auro, quod ſanctificaverat de omnibus gentibus, quas ſubegit:* de Syris, de Moabo, & de filiis Ammonis, & de Philiſtæis, & de Amaleck, & de præda Hadad-Eſeris filii Rechobi, regis Zobæ: VIII: 10. 11. 12: & apud Eſaiam, "Tandem erit Mercatura Tyri, & merces meretricia ejus, *ſanctum Jehovæ*, non reponetur, neque detinebitur; ſed *habitantibus coram Jehovah erit mercatura ejus*, ad comedendum, ad exſatiandum ſe, & tegenti ſe antiquo," XXIII: 18. Etiam hæc, quæ mulieres filiorum Iſraelis ab Ægyptiis mutuo petierunt, & ſic deprædati ſunt, applicata dein erant ad uſum conſtruendi arcam, & ad plura quæ ſancta cultus eorum fuerunt.

6918. Et veſtes, quod ſignificent illis correſpondentia ſcientifica inferiora, conſtat a ſignificatione veſtium, quod ſint ſcientifica inferiora, de qua n: 2576. 5248; veſtes illa ſignificant, quia inveſtiunt interiora.

6919. Et ponetis ſuper filios veſtros, quod ſignificet applicationem ad vera illorum; & ſuper filias veſtras, quod ſignificet applicationem ad bona, conſtat ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; ex ſignificatione filiarum, quod ſint bona, de qua n: 489. 490. 491. 2362. 2363; & ex ſignificatione ponere ſuper illos, quod ſit applicare, nam quod ponitur ſuper aliquo, hoc ei adplicatur.

6920. Et deprædabimini Ægyptios, quod ſignificet quod auferenda talia illis qui in falſis & inde malis, conſtat ex ſignificatione deprædari, quod ſit auferre; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis, de qua ſæpe prius. Quomodo hæc ſe habent, conſtat ab illis, quæ ſupra n: 6914. 6917, allata ſunt.

Continuatio de Spiritibus Planetæ Mercurii.

6921. *AD finem Capitis præcedentis oſtenſum eſt, quod Spiritus planetæ Mercurii in Maximo Homine conſtituant Memoriam rerum non materialium; & quia ideo res abſtractas a materialibus ſcire amant, aliis ſpiritibus in pervidendo, cogitando, loquendoque promptiores & citiores ſunt; materialia enim ſunt ſicut gravia, quæ lentorem inducunt & retardant, nam ferunt mentem deorſum & immergunt terreſtribus, & ſic removent a ſpirituali mundo, unde omnis perſpicacia. Spiritus illi quam prompti ſunt, ex his conſtare poteſt.*

6922. *Apparuit flamma ſatis candida flagrans læte, & hoc per aliquantum temporis; flamma illa ſignificabat adventum Spirituum Mercurii*

curii reliquis promptiorum: cum venerunt, illico percurrebant illa quæ in Memoria mea erant, (hoc poſſunt omnes ſpiritus, & qui apud hominem ſunt, in poſſeſſione omnium ejus memoriæ ſunt, n: 5853. 5857. 5859. 5860:) ſed quæ obſervabant, non appercipere potui ob promptitudinem illorum; audiebam ſubinde dicentes, quod tale ſit; ad illa quæ videram in cælis & in mundo ſpirituum, dicebant ſe prius noſſe: percipiebam, quod multitudo ſpirituum illis conſociatorum eſſet a tergo paulo ad ſiniſtrum in plano occipitis.

6923. *Alio tempore vidi multitudinem talium ſpirituum, ſed ad aliqualem diſtantiam a me, antrorſum paulo ad dextrum, & inde loquebantur mecum, ſed per ſpiritus intermedios, nam loquela illorum tam cita eſt ſicut cogitatio, quæ in loquelam humanam non cadit niſi per ſpiritus intermedios; & quod miratus ſum, loquebantur volumatim, & tamen uſque tam prompte & cito; appercipiebatur loquela eorum, quia plurium ſimul, ſicut undulatio; & quod memorabile, labebatur illa verſus ſiniſtrum meum oculum, tametſi illi erant ad dextrum; cauſa erat, quia ſiniſter oculus correſpondet cognitionibus rerum a materialibus abſtractarum, ita illis quæ ſunt intelligentiæ; dexter autem oculus illis quæ ſunt ſapientiæ. Simili promptitudine, qua loquebantur, etiam res auditas percipiebant, & de illis judicabant, dicendo hoc ita eſſe, hoc non ita; judicium eorum quaſi inſtantaneum erat.*

6924. *Erat ſpiritus ex alia tellure, qui cum illis dextre loqui potuit, quia prompte & celeriter; momento judicabant de iis quæ loquebatur, dicendo hoc nimis eleganter; hoc nimis ſcite; ſic ut modo attenderent, num aliquid illis nondum notum ab eo audirent, rejiciendo ſic talia quæ inumbrarent; quæ ſunt præcipue affectationes elegantiæ ſermonis & eruditionis, nam illa ipſas res abſcondunt, & loco illorum ſiſtunt voces, quæ ſunt formæ rerum materiales.*

6925. *Spiritus telluris Mercurii non morantur in uno loco, ſeu intra ſphæram ſpirituum unius mundi, ſed vagantur per univerſum; cauſa eſt, quia Memoriam rerum in Maximo Homine referunt, quæ continue locupletabitur; inde illis datum eſt circumvagari, & ſibi cognitiones ubivis acquirere. Cum ita peregrinantur, ſi offendunt ſpiritus, qui materialia, hoc eſt, corporea & terreſtria amant, eos fugiunt, ſeque conferunt illuc ubi talia non audiunt. Exinde conſtare poteſt, quod mens eorum elevata ſit ſupra ſenſualia, & ſic quod in lumine interiori ſint: hoc quoque dabatur actualiter percipere cum prope me eſſent, & mecum loquerentur, animadverti tunc, quod abducerer a ſen-*

 ſualibus,

ſualibus, uſque adeo ut inciperet lumen oculorum meorum hebetari & obſcurum fieri.

6926. *Spiritus telluris illius vadunt per cohortes & phalanges, & cum congregati ſunt, formant quaſi globum, ita a Domino conjunguntur ut unum agant, utque cognitiones cujuſlibet communicentur cum omnibus, & cognitiones omnium cum quolibet. Quod Spiritus illi vagentur per univerſum, ut conquirant rerum cognitiones, conſtabat mihi etiam ex eo, quod, ſemel cum a me admodum remoti apparebant, loquerentur inde mecum, & dicerent, quod nunc congregati ſint, & quod nunc vadant extra ſphæram hujus mundi in cœlum ſtelliferum, ubi ſciunt dari tales, qui non curant terreſtria & corporea, ſed res ab illis abſtractas, cum quibus eſſe volunt. Dicebatur quod non ſciant ipſi quo vadant, ſed quod ex auſpicio Divino ferantur illuc, ubi poſſunt inſtrui de talibus quæ nondum ſciunt, & quæ cum cognitionibus quas habent, conveniunt: dicebatur etiam, quod non ſciant quomodo conveniunt ſocios, cum quibus conjunguntur, & quod hoc etiam fiat ex auſpicio Divino.*

6927. *Quia ita per univerſum vadunt, & inde præ aliis ſcire poſſunt de Mundis & Telluribus extra ſphæram Mundi noſtri Solis, idcirco cum illis de ea re etiam loquutus ſum; dicebant, quod in univerſo perplures eſſent Tellures, & ibi homines; & quod mirarentur quod aliqui putarent, quos exigui judicii homines vocabant, Cœlum Omnipotentis Dei ſolum modo conſtare ex ſpiritibus & Angelis qui ex una Tellure veniunt, cum illi tam pauci ſint, ut reſpective ad Omnipotentiam Dei vix aliquid ſint, etiam ſi forent myriades mundorum & myriades tellurum: porro dicebant, quod ſciant Tellures in univerſo ultra aliquot centena millia dari, & tamen quid hoc ad Divinum quod Infinitum.*

6928. *Spiritus telluris Mercurii differunt prorſus a ſpiritibus noſtræ telluris, nam ſpiritus noſtræ telluris, cumprimis recentes in altera vita, corporea & mundana, hoc eſt, materialia amant, ac talia in altera vita noſſe cupiunt; quapropter ut ſimul poſſint eſſe cum bonis ſpiritibus qui talia non curant, tenentur in locis, quæ ſub plantis pedum ſunt, & vocantur terra inferior in Verbo, & hoc eo uſque, dum corporea & terreſtria averſantur, & ſic exuunt; quo facto elevantur in cœlum, & initiantur in interiora, & fiunt Angeli.*

6929. *Spiritus Mercurii cum apud me eſſent, cum ſcriberem & explicarem Verbum quoad ſenſum ejus internum, & perciperent quid ſcriberem, dicebant quod illa quæ ſcriberem, admodum craſſa eſſent, &*

quod

quod expreſſiones pæne omnes ſicut materiales apparerent; ſed reſpondere dabatur, quod homines noſtræ telluris uſque videant hæc quæ ſcripta ſunt, ſicut ſubtilia & elevata, quorum plura nec capiunt; addebam, quod perplures in hac tellure non ſciant, quod Internus homo ſit qui agit in Externum, & facit ut hic vivat, perſuadeantque ſibi ex fallacia ſenſus quod, corpus ex ſe vivat, conſequenter quod moriturus ſit totus homo, cum moritur is quoad corpus, & ſic vitam poſt mortem in dubio apud ſe ponunt; tum quod non vocent ſpiritum, ſed animam illud hominis quod victurum poſt mortem corporis, & quod litigent quid anima, & ubinam ſedes ejus, credantque quod corpori materiali iterum conjungenda ſit, ut vivat homo; præter plura ſimilia: cum hæc audirent ſpiritus Mercurii, quærebant an tales poſſunt angeli fieri; ad quæ reſpondere datum eſt, quod angeli fiant qui in bono fidei & charitate vixerunt; & quod tunc non amplius in externis & materialibus ſint, ſed in internis & ſpiritualibus, & cum ad illum ſtatum veniunt, quod ſint in luce ſupra illam in qua ſunt ſpiritus ex Mercurio: ut ſcirent quod ita eſſet, dabatur ut angelus qui in cœlo e noſtra tellure, qui talis fuerat cum vixit in mundo, cum illis loqueretur, de quo in ſequentibus.

6930. *Poſtea mihi a ſpiritibus Mercurii mittebatur charta longa, inæqualis, a pluribus chartis conglutinata, quæ apparebat ſicut impreſſa typis, qualibus in hac tellure; quæſivi num talia haberent apud ſe, ſed dicebant quod non habeant, verum quod ſcient tales chartas in noſtra tellure dari; non volebant plura dicere; ſed dabatur percipere, quod cogitarent, quod in hac tellure cognitiones rerum eſſent tales, ita ſeparatæ ab ipſo homine, niſi cum homo in talibus chartis teneret oculum, & ſic mentem: ita ſubſannabant apud ſe homines hujus telluris, quaſi nihil ſcirent niſi ex chartis; ſed inſtruebantur quomodo cum hoc ſe haberet. Poſt aliquod tempus redierunt, & ad me mittebant aliam chartam etiam ſicut typis exaratam, ut erat prior, ſed non ita conglutinatam & incomtam, verum decentem & nitidam; dicebant quod informati ulterius eſſent, quod in hac tellure tales chartæ ſint, & inde libri.*

6931. *Ex his quæ hactenus de ſpiritibus telluris Mercurii dicta ſunt, conſtat manifeſte, quod ſpiritus, quæ vident & audiunt in altera vita, retineant, & quod illi æque ac cum fuerunt homines, inſtrui queant, ita in illis quæ fidei ſunt, & ſic perfici: quo purioris ſpiritus ac angeli ſunt, eo promptius & plenius hauriunt, & perfectius*

retinent

retinent memoria, quæ audiunt; & quia hoc in æternum, patet quod creſcant ſapientia continue: Mercurii autem Spiritus continue creſcunt ſcientia rerum, ſed inde non ſapientia, quia cognitiones, quæ media ſunt, amant, non autem uſus qui fines; ſecundum ea quæ de illis n: 6814. 6815, *memorata ſunt.*

6932. *Continuatio de Spiritibus Telluris Mercurii, ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

CAPUT QUARTUM.

Doctrina Charitatis.

6933. IN communi ſermone eſt, quod quiſque ſibimet proximus ſit, hoc eſt, quod quiſque ſibi primum conſulet; Doctrina Charitatis docet, quomodo cum hoc ſe habet; quiſque ſibi proximus eſt, non primo ſed ultimo loco; in priori loco ſunt alii qui in bono; in adhuc priori eſt ſocietas plurium; in adhuc priori eſt patria, inque priori adhuc eſt Eccleſia; & adhuc in priori eſt Regnum Domini; & ſupra omnes & ſupra omnia eſt Dominus.

6934. Hoc, quod quiſque ſibi proximus ſit, & ſibi primum conſulet, intelligendum ita eſt; quiſque primum ſibi proſpiciet ut habeat neceſſitates vitæ, ut nempe victum, ut amictum, ut habitationem, & plura, quæ in vita civili, ubi eſt, neceſſario requiruntur; & hoc non modo pro ſe, ſed etiam pro ſuis; nec modo pro tempore præſenti, ſed etiam pro venturo: niſi quiſque ſibi comparat neceſſitates vitæ, non eſſe poteſt in ſtatu exercendi charitatem erga proximum; in omnium enim egeſtate eſt.

6935. Finis declarat, quomodo quiſque ſibi proximus erit, ac ſibi primum conſulet; ſi finis ſit ut diteſcat præ aliis, ſolum divitiarum cauſa, vel voluptatis cauſa, vel eminentiæ cauſa, & ſimilium, eſt finis malus; quare qui ex tali fine credit ſe proximum eſſe ſibi, nocet ſibi in æternum: at ſi finis ſit, ut opes ſibi comparet neceſſitatum vitæ cauſa, pro ſe & pro ſuis, ut in ſtatu ſit bonum faciendi ſecundum præcepta doctrinæ charitatis, is ſibi in æternum conſulit. Ipſe finis facit hominem, nam finis eſt amor illius, quiſque enim pro fine habet, quod amat.

6936. Quomodo cum hoc ſe habet, conſtare ulterius poteſt ab hoc ſimili; quiſque conſulere debet corpori ſuo victu & amictu, hoc primum erit, ſed ob finem ut mens ſana ſit in corpore ſano; & quiſque conſulere debet menti ſuo victu, nempe talibus quæ ſunt intelligentiæ & ſapientiæ, ob finem ut illa inde in ſtatu ſit ſerviendi Domino; qui hoc facit, ſibi conſulit bene in æternum. Qui autem conſulit corpori ſuo ſolum pro corpore, nec cogitat de ſanitate mentis, &

& qui conſulit menti ſuæ non talibus quæ ſunt intelligentiæ & ſapientiæ, ſed talibus quæ contra illa ſunt, is conſulit ſibi male in æternum. Ex his patet, quomodo quiſque ſibi proximus eſſe debet, quod nempe non primo loco ſed ultimo, finis enim non erit pro ſe, ſed pro aliis; & ubi finis, ibi primum.

6937. Se habet quoque hoc, ſicut qui conſtruit domum, primum ponet fundamentum, ſed fundamentum erit pro domo, & domus pro habitatione; ita quiſque ſibi primum conſulet, verum non pro ſe, ſed ut in ſtatu ſit ſerviendi proximo, ita Patriæ, Eccleſiæ, & ſupra omnia Domino: qui credit ſibi proximum eſſe primo loco, is ſimilis eſt ei qui ſpectat fundamentum ut finem, non domum & habitationem, cum tamen habitatio eſt ipſe finis primus & ultimus, & domus cum fundamento eſt modo medium ad finem.

6938. Sicut ſe habet cum opibus, ita quoque ſe habet cum honoribus in mundo; quiſque etiam proſpicere ſe talibus poteſt, verum non propter ſe ſed propter proximum; qui propter ſe, male ſibi proſpicit; qui autem propter proximum, bene ſibi proſpicit: nam qui vertit fines ad ſe, vertit ſe verſus infernum; qui autem vertit fines a ſe ad proximum, vertit ſe verſus cœlum.

CAPUT IV.

1. ET reſpondit Moſcheh, & dixit, & ecce non credent mihi, & non audient vocem meam, quia dicent, non viſus ad te JEHOVAH.

2. Et dixit ad illum JEHOVAH, quid iſtud in manu tua, & dixit, baculus.

3. Et dixit, projice illum terram, & projecit illum terram, & factus in ſerpentem, & fugit Moſcheh a coram eo.

4. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, mitte manum tuam, & prehende caudam ejus, & miſit manum ſuam, & apprehendit eum, & factus in baculum in vola illius.

5. Propterea ut credant, quod viſus ad te JEHOVAH, DEUS patrum eorum, DEUS Abrahami, DEUS Jiſchaki, & DEUS Jacobi.

6. Et dixit JEHOVAH illi adhuc, adduc nunc manum tuam in ſinum tuum, & adduxit manum ſuam in ſinum ſuum, & eduxit illam, & ecce manus ejus leproſa ſicut nix.

7. Et

7. Et dixit, reduc manum tuam ad ſinum tuum, & reduxit manum ſuam ad ſinum ſuum, & eduxit illam e ſinu ſuo, & ecce reverſa ſicut caro illius.

8. Et erit, ſi non credunt tibi, & non audiunt vocem ſigni prioris, & credent voci ſigni poſterioris.

9. Et erit, ſi non credunt etiam binis ſignis illis, & non audiunt vocem tuam, & accipias de aquis fluvii, & effundas in aridam, & erunt aquæ quas accepiſti e fluvio, & erunt in ſanguinem in arida.

10. Et dixit Moſcheh ad Jehovam, in me, Domine, non vir verborum ego, etiam ab heri, etiam a nudius tertius, etiam a nunc loqui Te ad ſervum tuum, quia gravis ore, & gravis lingua ego.

11. Et dixit Jehovah ad illum, quis ponit os homini, aut quis poſuit mutum, aut ſurdum, aut videntem, aut cæcum, nonne Ego Jehovah.

12. Et nunc vade, & Ego ero cum ore tuo, & docebo te quæ loqueris.

13. Et dixit, in me, Domine, mitte quæſo, per manum mittas.

14. Et accenſa ira Jehovæ in Moſchen, & dixit, annon Aharon frater tuus Levita, novi quod loquendo loquetur illa; & etiam ecce ille exit obviam tibi, & videbit te, & lætabitur in corde ſuo.

15. Et loquaris ad illum, & ponas verba in ore illius, & Ego ero cum ore tuo, & cum ore ejus, & docebo vos quæ facietis.

16. Et loquetur ille tibi ad populum, & fiet, ille erit tibi ad os, & tu eris illi ad deum.

17. Et baculum hunc accipias in manu tua, quo facies ſigna.

18. Et ivit Moſcheh, & reverſus ad Jethronem ſocerum ſuum, & dixit ei, ibo quæſo, & revertar ad fratres meos qui in Ægypto, & videbo num adhuc illi vivunt; & dixit Jethro Moſchi, vade in pace.

19. Et dixit Jehovah ad Moſchen in Midian, vade, revertere Ægyptum, quia mortui ſunt omnes viri quærentes animam tuam.

20. Et accepit Moſcheh uxorem ſuam, & filios ſuos, & equitare fecit illos ſuper aſino, & reverſus terram Ægypti; & accepit Moſcheh baculum Dei in manu ſua.

21. Et dixit Jehovah ad Moſchen, in eundo te ad revertendum Ægyptum, vide, omnia portenta quæ poſui in manu tua, & facias illa coram Pharaone; & Ego obfirmabo cor illius, & non mittet populum.

22. Et dicas ad Pharaonem, ita dixit Jehovah, filius meus primogenitus meus, Iſrael.

23. Et dico ad te, dimitte filium meum, & ſerviet mihi, & renuis dimittere illum, ecce Ego occido filium tuum primogenitum tuum.

24. Et fuit in via in diverſorio, & occurrit illi Jehovah, & quæſivit occidere illum.

25. Et accepit Zippora petram, & abſcidit præputium filii ſui, & tangere fecit pedes ejus, & dixit, quod ſponſus ſanguinum tu mihi.

26. Et ceſſavit ab illo, tunc dixit, ſponſus ſanguinum ad circumciſiones.

27. Et dixit Jehovah ad Aharonem, vade obviam Moſchi deſertum, & ivit, & occurrit illi in monte Dei, & oſculatus illum.

28. Et indicavit Moſcheh Aharoni omnia verba Jehovæ, quibus miſit illum, & omnia ſigna quæ præcepit illi.

29. Et ivit Moſcheh & Aharon, & congregaverunt omnes ſeniores filiorum Iſraelis.

30. Et loquutus Aharon omnia verba, quæ loquutus Jehovah ad Moſchen; & fecit ſigna ad oculos populi.

31. Et credidit populus, & audiverunt quod viſitaverit Jehovah filios Iſraelis, & quod viderit afflictionem illorum; & inflexerunt ſe, & incurvaverunt ſe.

CONTENTA.

6939. Continuatio in hoc Capite in ſenſu interno de liberatione illorum qui ab Eccleſia ſpirituali; deſcribitur primum ſtatus illorum, ſi non ſpem & fidem haberent, quod detraherent falſa, ac mala, & quoque prophana: hæc ſunt quæ ſignificantur per tria ſigna.

6940. Poſtea agitur de Lege Divina, quod bono ejus adjunctum ſit verum; & quod ſic bono potentia liberandi, ac ſpem & fidem inſinuandi: Moſcheh repræſentat Legem Divinam quoad bonum, & Aharon quoad verum.

6941. Demum agitur de populo illo, quod modo repræſentaret Eccleſiam ſpiritualem, non quod apud illam ea Eccleſia inſtitui poſſet, ex cauſa, quia in externis abſque internis erat: hoc ſignificatur per circumciſionem filii a Zippora, & per ſanguinem quo tincti pedes ejus.

SENSUS

SENSUS INTERNUS.

6942. VERS: 1. 2. 3. 4. *Et reſpondit Moſcheh, & dixit, & ecce non credent mihi, & non audient vocem meam, quia dicent, non viſus ad te Jehovah. Et dixit ad illum Jehovah, quid iſtud in manu tua, & dixit, baculus. Et dixit, projice illum terram, & projecit illum terram, & factus in ſerpentem, & fugit Moſcheh a coram eo. Et dixit Jehovah ad Moſchen, mitte manum tuam, & prehende caudam ejus, & miſit manum ſuam, & apprehendit eum, & factus in baculum in vola ejus.* Et reſpondit Moſcheh, & dixit, ſignificat cogitationem a Lege Divina: & ecce non credent mihi, & non audient vocem meam, ſignificat illos qui ab Eccleſia ſpirituali quod non fidem haberent, ita non reciperent: quia dicent, non viſus ad te Jehovah, ſignificat Divinum Domini in Humano Ipſius: & dixit ad illum Jehovah, ſignificat Prævidentiam quales futuri ſi non fidem haberent: quid iſtud in manu tua, & dixit, baculus, ſignificat potentiam Divini Humani Domini: & dixit, projice illum terram, ſignificat potentiæ Divini Naturalis Domini influxum in ſenſuale: & factus in ſerpentem, ſignificat inde ſenſualem & corporeum hominem ſeparatum ab interno: & fugit Moſcheh a coram illo, ſignificat horrorem pro ſenſuali ſeparato: & dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat Providentiam a Divino: mitte manum tuam, & prehende caudam, ſignificat potentiam elevandi a ſenſualis ultimo; & miſit manum ſuam, & apprehendit eum, ſignificat elevationem verſus interiora: & factus in baculum in vola illius, ſignificat quod tunc communicata potentia a Divino.

6943. Et reſpondit Moſcheh & dixit, quod ſignificet cogitationem a Lege Divina, conſtat ex ſignificatione reſpondere & dicere, quod ſit cogitatio: quæ enim in ſenſu literæ hiſtorico exprimuntur per externa, illa in ſenſu interno ſignificant interna; nam ſpiritualia, quæ cœli ſunt, nuſquam aliter poſſunt ſiſti hominibus; nam nuda ſpiritualia homo non capit, nec exprimi poſſunt vocibus loquelæ humanæ; quapropter ſpiritualia per correſpondentia naturalia deſcripta ſunt, & ſic data homini; ita Verbum conducit homini in naturali mundo, tum homini in ſpirituali mundo, inde communicatio cœli cum homine, & communio; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Legem Divinam, de qua n: 6752: inde patet, quod per reſpondit Moſcheh & dixit, ſignificetur cogitatio ex Lege Divina: cogitatio ex Lege Divina, eſt ex Vero a Divino; hic quod filii Iſraelis non credituri niſi videant ſigna & portenta.

6944. Et ecce non credent mihi, nec audient vocem meam, quod ſignificet illos qui ab Eccleſia ſpirituali, quod non fidem haberent, ita non reciperent, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, de quibus hæc dicuntur, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637; ex ſignificatione

non credere, quod ſit non fidem habere; & ex ſignificatione non audire vocem, quod ſit non recipere, de qua n: 5471. 5475.

6945. Quia dicent, non viſus ad te Jehovah, quod ſignificet Divinum quod in Humano Domini, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit perceptio, de qua ſæpius, hic perceptio illorum qui ab Eccleſia ſpirituali; ex ſignificatione viſus Jehovah, quod ſit apparitio Divini Domini in Humano Ipſius; quod videri ſit apparere, patet; & quod Jehovah ſit Dominus quoad Ipſum Divinum & quoad Divinum Humanum, de qua n: 1736. 2004. 2005. 2018. 2025. 2156. 2329. 2921. 3023. 3038. 5041. 5663. 6303. 6281. 6905; quod viſus Jehovah, ſit apparitio Divino Domini in Humano Ipſius, patet etiam ex eo, quod Ipſius Divinum non apparere queat alicui homini, ne quidem Angelo, niſi per Divinum Humanum; & Divinum Humanum non niſi quam per Divinum Verum quod procedit ab Ipſo. Agitur hic in ſenſu interno de liberatione illorum, qui ab Eccleſia ſpiriritual, qui quod liberati ſint per adventum Domini in mundum, videatur n: 2661. 2716. 3969. 6854. 6914, & quod illi in ſpecie ſalvati ſint per Divinum Humanum Domini, n: 2716. 2833. 2834. Cum hoc, quod illi, qui ab ea Eccleſia, non fidem habituri ſint, nec recepturi, quod Lex Divina, quæ per Moſchen repræſentatur, hoc eſt, quod Verbum dicit, niſi ſigna viderint, ita ſe habet; illi, quia ab Eccleſia ſpirituali ſunt, non perceptionem veri ex bono habent, ſicut cœleſtes, ſed pro vero agnoſcunt omne doctrinale ſuæ Eccleſiæ quod apud ſe confirmarunt, quapropter in obſcuro ſunt reſpective, n: 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3813. 6427. 6500. 6865; quod etiam manifeſte conſtare poteſt ex eo, quod prorſus non capiant quomodo Humanum Domini poſſit Divinum eſſe; nec quod Amor Divinus in Humano hoc facere poſſit; cogitationem enim tenent in humano quale eſt apud hominem, nec inde recedunt cum cogitant de Domino; in tali perplexo ſunt; etiam conſtare poteſt ex eo, quod nec capiant, quomodo homo poſſit vivere poſt mortem, & tunc habere ſenſus, prout viſum, auditum, tactum, & olfactum, & eſſe ibi in forma humana; quod homo talis ſit, cum ſuum corpus & hujus ſenſus & membra rejecerit, illis apparet a vero alienum; ita implicati ſunt ſenſualibus & inde ſcientificis & fallaciis; quapropter niſi crederent quod corpus iterum conjungeretur animæ, prorſus non crederent aliquam reſurrectionem: ex his ſatis manifeſte apparet, in quanto obſcuro ſunt de illis quæ ſunt cœli; inde eſt, quod illis nuſquam aliqua fides implantari poſſit, niſi a Domino vi forti detineantur a falſis; & quia talis vis non fuit ante adventum Domini, ſed poſt Ipſius adventum, cum Ipſe Humanum in Se Divinum fecerat, idcirco non prius potuerunt eximi e terra inferiore, ubi infeſtabantur a falſis, ac elevari in cœlum, quam poſt Domini reſurrectionem, n: 6914: inde nunc eſt, quod dicatur, quod non credituri ſint, ita nec recepturi quod Lex Divina, hoc eſt, quod Verum Divinum dicit, niſi videant quod ita ſit; ita niſi ſigna videant, de quibus mox ſequitur.

6946. Et dixit ad illum Jehovah, quod ſignificet prævidentiam quales futuri,

futuri, ſi non fidem haberent, conſtat ex ſignificatione dicere, cum prædicatur de Jehovah ſeu Domino, quod ſit Prævidentia, de qua n: 5361; quod ſit Prævidentia quales futuri, ſi non fidem haberent, patet a tribus ſignis, de quibus ſequitur; ſigna enim illa in ſenſu interno repræſentant ſtatum illorum ſi non crederent.

6947. Quid iſtud in manu tua, & dixit baculus, quod ſignificet potentiam Divini Humani Domini, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544; & ex ſignificatione baculi, quod etiam ſit potentia, de qua n: 4013. 4876. 4936; quod ſit potentia Divini Humani Domini, eſt quia per Moſchen repræſentatur Dominus quoad Legem Divinam ſeu Verbum, quod eſt Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, n: 6752: potentia, quæ ſignificatur per manum, eſt potentia procedens a Divino Rationali Domini, at potentia quæ ſignificatur per baculum, eſt potentia procedens a Divino Naturali Domini; quod baculus ſit potentia procedens a Divino Naturali Domini, eſt quia baculus inſtar pedis ſuffulcit corpus, & per pedem ſignificatur Naturale, n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952; quod extollere manum ſit potentia in ſpirituali, & extollere pedem ſit potentia in naturali, videatur n: 5327. 5328; & quia ita, ſecundum rerum elevationes in ſenſu interno, nunc dictum eſt Moſchi, cum faceret miracula, quod tolleret manum, nunc quod baculum.

6948. Et dixit, projice illum terram, quod ſignificet potentiæ Divini Naturalis Domini influxum in ſenſuale, conſtat ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia in naturali, & cum dicitur de Domino, quod ſit potentia procedens a Divino Naturali Ipſius, de qua mox ſupra n: 6947; ex ſignificatione projicere ſeu emittere, quod ſit procedens, ita influxus; & ex ſignificatione terræ, quod ſit externum hominis, de qua n: 82. 913. 1411. 1733, hic ſenſuale & corporeum ejus, quæ ſunt extrema, quia baculus factus eſt in ſerpentem, & per ſerpentem homo ſenſualis & corporeus ſignificatur. Per potentiam Divinam Domini hic intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, nam Divino Vero ineſt potentia adeo ut ſit ipſa potentia, n: 3091. 4931. 6344. 6413: Divinum Verum procedens a Domino influit in omnem hominem, per interiora ejus in exteriora, uſque in ſenſuale externum & in corporeum, & excitat ubivis correſpondentia in ſuo ordine, in ſenſuali correſpondentia qualia apparent in mundo & ſuper tellure; ſed quia illa quæ in mundo & ſuper tellure, apparent aliter quam ſunt, ideo ſunt plena fallaciis; quare ſenſuale cum in illis ſolis malis, non poteſt non contra bona & vera fidei cogitare, quia ex fallaciis cogitat, & cum influit Divinum Verum, illud in falſum vertere; quod homo, qui non elevatus eſt a ſenſuali, ſed in illo, & cogitat ex illo, ex fallaciis cogitet, illuſtrari poteſt ab exemplis; ſicut fallaciæ de vita hominis, quod ſit corporis, cum tamen eſt ſpiritus in corpore; de viſu quod ſit oculi, de auditu quod ſit auris, de loquela quod ſit linguæ & oris, cum tamen ſpiritus eſt qui videt, qui audit, qui loquitur, per organa illa corporis: fallaciæ de vita quod ea ſit in homine permanens, cum tamen

tamen influit; fallaciæ de anima, quod non poſſit eſſe in humana forma, & in humanis ſenſibus, & affectionibus: fallaciæ de cœlo & de inferno, quod illud ſit ſupra hominem, & hoc infra illum, cum tamen ſunt in illo: fallaciæ quod objecta influant in interiora, cum tamen externum non influit in internum, ſed internum in externum: fallaciæ de vita poſt mortem, quod non dari queat niſi ſimul ſit cum corpore: præter fallacias in naturalibus, unde conjecturæ tam plurium inter ſe collidentes; quis non videre poteſt, quod fallaciæ & inde falſa, pro veris dominentur, ſolum ex lite quæ diu exſtiterat de circulatione ſanguinis, quæ tametſi tot ſuffulta fuit documentis experientiæ, uſque tamen in ambiguo diu permanſit: & quoque ex lite de Sole, quod quotidie circumferretur circum hanc tellurem, & non modo ſol, ſed etiam Luna, omnes Planetæ, & univerſum cœlum ſtelliferum, ſemel quovis die: & quoque ex lite, quæ adhuc perſtat de anima, ejus conjunctione cum corpore, & de ſede ibi; cum fallaciæ ſenſus in talibus dominantur, quæ tamen patent qualia ſunt ex tam multis phænomenis & effectibus, quid non in talibus quæ ſunt cœli; quæ quia ſunt ſpiritualia, non patent niſi per correſpondentias. Ex his nunc conſtare poteſt, quale eſt ſenſuale hominis in ſe ſpectatum, & ſibi relictum, quod nempe ſit in fallaciis, & inde in falſis, ita contra vera & bona fidei: inde eſt, cum homo in ſenſuali eſt, & in ejus lumine, in caligine ſit quoad illa quæ ſunt ſpiritualis mundi, hoc eſt, quoad illa quæ ſunt in luce a Divino; & quod lumen ſenſuale vertatur in meram caliginem cum incidit in illud Lux e Cœlo; cauſa eſt, quia vera quæ ſunt Lucis Divinæ, non poſſunt una eſſe cum fallacibus & inde falſis, ſed exſtinguunt illa, & ſic inducunt caliginem.

6949. Et factus in ſerpentem, quod ſignificet ſenſualem & corporeum hominem ſeparatum ab interno, conſtat ex ſignificatione ſerpentis, quod ſit homo qui ratiocinatur ex ſenſualibus, de qua n: 195. 196. 197. 6398. 6399, ita ſenſuale hominis; & quia per ſerpentem ſignificatur ſenſuale, etiam ſignificatur corporeum, nam ſenſuale habet ſua a ſenſibus corporis: & quia ſenſuale in ſe ſpectatum tale eſt, ut mox ſupra n: 6948 deſcriptum, etiam ſerpens, qui eſt ſenſuale, ſignificat omne malum in genere, n: 251. 254. 257. Quod hic per ſerpentem intelligatur ſenſualis & corporeus homo *ſeparatus ab interno* ſeu rationali, patet ex eo, quod Moſcheh fugerit a coram illo, per quod ſignificatur horror pro illo; & quoque ex eo, quod per hoc ſignum deſcribatur ſtatus illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, ſi non fidem haberent, tunc enim internum eorum clauderetur, nec plus lucis cœli influeret, quam ut ex ſenſuali ſeparato cogitare poſſent, & inde loqui. Ex ſenſuali ſeparato cogitant omnes illi, qui falſa defendunt contra vera, & mala contra bona, verbo omnes qui in malo vitæ ſunt, & inde in nulla fide, nam qui male vivit, is nihil credit: illi qui tales ſunt, dote ratiocinandi præ aliis pollent, & quoque perſuadendi, imprimis ſimplicibus; ex cauſa, quia ex fallaciis ſenſuum, & apparentiis in mundo, loquuntur; ſciunt etiam exſtinguere vel obvelare vera per fallacia, inde etiam per ſerpentes ſignificatur calliditas &

aſtutia;

aſtutia; cum autem ſenſuale conjunctum eſt cum interno, ſeu rite ſubordinatum rationali, tunc per ſerpentem ſignificatur prudentia & circumſpectio, n: 197. 4211. 6398.

6950. Et fugit Moſcheh a coram illo, quod ſignificet horrorem pro ſenſuali ſeparato, conſtat ex ſignificatione fugere, quod ſit horror, nam qui horret aliquid, is fugit id; & ex ſignificatione ſerpentis, qui eſt a coram quo fugit, quod ſit ſenſuale ſeparatum, de qua mox ſupra n: 6949.

6951. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet Providentiam a Divino, conſtat ex ſignificatione dicere, cum prædicatur de Jehovah ſeu Domino, quod ſit Prævidentia, de qua ſupra n: 6946; & quia Prævidentia, eſt quoque Providentia, nam conjuncta ſunt, Dominus enim Providet quæ Prævidet, Prævidet malum & Providet bonum; hic igitur per dixit Jehovah ſignificatur Providentia, quia vertitur nunc ſerpens in baculum, hoc eſt, malum in bonum; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Verum Divinum; ita Providentia a Divino prædicatur de Domino quoad Humanum, cum fuit in mundo.

6952. Mitte manum tuam, & prehende caudam, quod ſignificet potentiam elevandi a ſenſualis ultimo, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua ſupra n: 6947; & ex ſignificatione caudæ ſerpentis, quod ſit ſenſualis ultimum; quod ſerpens ſit ſenſuale, videatur ſupra n: 6949, ita cauda ejus eſt ultimum ſeu infimum ibi; elevatio ſignificatur per mittere & prehendere, nam qui mittit manum & prehendit quoddam repens ſuper terra, is elevat id. Quia per ſerpentem ſignificatur ſenſuale ſeparatum, & inde ratiocinatio ex fallaciis ſenſuum de veris fidei, per caudam ſerpentis ſignificatur ipſum falſum, nam hoc ultimum ſeu infimum eſt, & qui in falſo ita in ultimo & intimo eſt, is prorſus ſpectat deorſum ſeu extrorſum, hoc eſt, in mundum & ad terram, non autem ſurſum ſeu introrſum, hoc eſt, in cœlum & ad Dominum. Quod per caudam ſerpentis talia ſignificentur, conſtat apud Johannem, "Locuſtæ *Caudas habebant ſimiles ſcorpiis*, & *ſtimuli erant in caudis illarum*, & poteſtas illarum, ut damno afficerent homines," Apoc: IX: 10, caudæ ſimiles ſcorpiis, & ſtimuli in caudis, ſunt ratiocinia callida ex falſis, per quæ perſuadent, & ſic nocent, quare dicitur quod poteſtas illarum ſit damno afficere homines. Apud Eundem, "*Caudæ equorum ſimiles erant ſerpentibus, habentes capita*, & per illas damno afficiunt," Apoc: IX: 19, pariter hic Caudæ ſimiles ſerpentibus pro ratiociniis ex falſis, per quæ damnum infertur; & magis, quia dicitur quod tales caudæ eſſent equorum, & quod haberent capita, per equos enim ſignificatur intellectuale, & quoque per caput, inde per caudas ibi ſignificantur ratiocinia callidiora ex fallaciis & inde falſis contra vera, quæ ratiocinia infima ſunt, nam quo ratiocinia contra vera callidiora ſunt, eo inferiora. Apud Eundem, "*Cauda draconis traxit tertiam partem ſtellarum cœli*, & projecit in terram," Apoc: XII: 3. Cauda draconis ſimiliter pro ratiociniis ex falſis; ſtellæ cœli pro cognitionibus boni & veri; projicere illas in terram pro deſtruere; quod draco ſit ſerpens, qui per ratiocinia ex falſis ſeducit, & qui ſeduxit matrem viventium

ſeu

ſeu Evam in paradiſo ex arbore ſcientiæ, hoc eſt, per ſcientifica quæ ex ſenſuali, ita ex fallaciis, liquet etiam apud Johannem, "Conjectus eſt draco magnus, *ſerpens antiquus*, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit orbem terrarum totum," XII : 9. Quod cauda in genere ſit ſenſuale ſeparatum, quod non ſpectat ſurſum ſed deorſum, ita non ad cœlum ſed ad terram, conſequenter falſum, conſtat apud Eſaiam, "Exſcindet Jehovah ex Iſraele *Caput* & *Caudam*, ramum & juncum; ſenex & honoratus *Caput* eſt, *Propheta autem doctor mendacii Cauda eſt*," IX : 13. 14, ibi cauda manifeſte pro falſo, quod in Verbo vocatur mendacium. Apud Eundem, "Non erit Ægypto opus, *quod faciat Caput & Caudam*, ramum & juncum," XIX : 15, juncus pro infimo. Apud Moſen, "Ita dabit te Jehovah *in Caput*, & *non in Caudam*, ut ſis tantum ſurſum, non autem ſis deorſum, quando obediveris præceptis Dei tui," Deut : XXVIII : 13, cauda pro infimo, quod ſpectat deorſum ſeu extrorſum, hoc eſt, in mundum & ad terram, non autem ad cœlum & ad Dominum; interiora enim hominis cum ſenſualibus ſurſum elevantur a Domino, cum homo eſt in bono fidei & charitatis; ſi autem eſt in malo & falſo, tunc interiora ejus cum ſenſualibus ſpectant deorſum, ita ſolum ad illa quæ in mundo ſunt, inde exuit naturam humanam, & induit ferinam, nam feræ ſpectant deorſum, ſeu ſolum ad illa quæ ſuper terra ſunt; qui ſpectat deorſum, is vult malum & cogitat falſum, qui autem a Domino elevatur ſurſum, is vult bonum & cogitat verum; elevatio a Domino actualiter fit, & inde remotio a malis & falſis, Angeli ipſo ſenſu id percipiunt; eſt ſicut niſus ad centrum gravium, centrum eſt ubi Dominus in ſuo Sole, huc capita angelorum elevantur, at illuc pedes infernalium, ita illi ſpectant ſurſum & hi deorſum, n : 3641. 3643. Apud Eundem, "Peregrinus, qui in medio tui, *aſcendet ſupra te ſurſum* magis magiſque; tu vero *deſcendes deorſum* magis magiſque, *ille erit in Caput, tu autem eris in Caudam*," XXVIII : 43. 44, ſimiliter. Apud Eſaiam, "Dic ad eum, cave tibi, & quietus eſto, ne time, & cor tuum molleſcat *propter duas caudas titionum fumantium* iſtorum, propter exſcandeſcentiam Rezini & Syriæ, ac filii Remaliæ," VII : 4, Rezinus rex Syriæ pro cognitionibus mali, quod Syria ſint cognitiones boni, videatur n : 1232. 1234. 3680, ita in oppoſito ſenſu cognitiones mali; filius Remaliæ rex Samariæ pro cognitionibus falſi; hæ & illæ ſunt caudæ, quia infima; titiones fumantes pro excandeſcentia.

6953. Et miſit manum ſuam, & apprehendit eum, quod ſignificet elevationem verſus interiora, conſtat ex ſignificatione mittere manum & apprehendere, cum de illis quæ infra jacent dicitur, quod ſit elevari verſus ſuperiora, ſeu quod idem, verſus interiora, ut ſupra n : 6952; & ex ſignificatione manus, quod ſit potentia interior, de qua etiam n : 6952; & ex ſignificatione ſerpentis, qui eſt quem apprehendit, quod ſit ſenſuale & inde ratiocinatio, de qua ſupra n : 6949; cum ſenſuale elevatur verſus interiora, quod communicetur potentia a Divino, videbitur in nunc ſequentibus.

6954. Et factus in baculum in vola illius, quod ſignificet quod tunc communicata potentia a Divino, conſtat a ſignificatione ſerpentis qui factus in baculum,

baculum, quod ſit ſenſuale, de qua ſupra n: 6949; ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia in naturali, & ex ſignificatione volæ, quod ſit potentia interior, utroque potentia a Divino, de quibus n: 6952. Cum hoc ita ſe habet; homo ex ſe ſpectat modo deorſum, hoc eſt, in mundum & ad terram, quia ex ſe in malo & falſo eſt; & cum illuc ſpectat, tunc ſenſuale dominatur, ac interiora nihil contra agunt, quia ſequuntur vim fluminis & condeſcendunt: aſt homo non ex ſe ſed a Domino ſpectat ſurſum, hoc eſt, ad cœlum & ad Dominum; hoc fit per elevationem; tunc cum elevantur interiora, etiam elevatur ſenſuale, ſed lumen hujus tunc obſcuratur, dominatur enim Lux cœli; cum hoc fit, influit bonum & verum a Domino, & quoque recipitur; hoc intelligitur per communicatam potentiam a Divino: ſed ita elevari non poſſunt alii, quam qui in bono fidei & charitatis vixerunt. Quod Elevationes verſus interiora ſint, ſcire datum eſt ex viva experientia, nam millies apperceptæ ſunt.

6955. Verſ: 5. 6. 7. *Propterea ut credant, quod viſus ad te Jehovah, Deus patrum eorum, Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi. Et dixit Jehovah illi adhuc, adduc nunc manum tuam in ſinum tuum, & adduxit manum ſuam in ſinum ſuum, & eduxit illam, & ecce manus ejus leproſa ſicut nix. Et dixit, reduc manum tuam ad ſinum tuum, & reduxit manum ſuam ad ſinum ſuum, & eduxit illam e ſinu ſuo, & ecce reverſa ſicut caro illius.* Propterea ut credant, quod viſus ad te Jehovah, ſignificat ut fidem habeant de Divino Humano Domini: Deus patrum eorum, ſignificat quod illud Divinum fuerit Antiquæ Eccleſiæ: Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, ſignificat Dominum quoad ipſum Divinum & Divinum Humanum: & dixit illi Jehovah adhuc, ſignificat Prævidentiam quales futuri qui ab Eccleſia ſpirituali ſi non fidem haberent: adduc manum tuam in ſinum tuum, ſignificat appropriationem veri: & adduxit manum in ſinum ſuum, ſignificat actualitatem: & eduxit illam, ſignificat quod inde: & ecce manus ejus leproſa ſicut nix, ſignificat prophanationem veri: & dixit, ſignificat Providentiam quales futuri qui ab Eccleſia ſpirituali ſi fidem haberent: reduc manum tuam ad ſinum tuum, ſignificat appropriationem veri: & reduxit manum ſuam in ſinum ſuum, ſignificat actualitatem: & eduxit illam e ſinu ſuo, ſignificat quod inde: & ecce reverſa ſicut caro illius, ſignificat quod tunc bonum.

6956. Propterea ut credant quod viſus ad te Jehovah, quod ſignificet ut fidem habeant de Divino Humano Domini, conſtat ex ſignificatione credere, quod ſit fidem habere, non fidem quod oculis viſus Jehovah ſeu Dominus ſed fidem in ſpirituali ſenſu in Dominum; & ex ſignificatione viſus Jehovah, quod ſit apparitio Domini in Divino Humano Ipſius, de qua n: 6945; ita per credant quod viſus ad te Jehovah, ſignificatur ut fidem habeant de Divino Humano Domini.

6957. Deus patrum eorum, quod ſignificet quod illud Divinum fuerit Antiquæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione Deus patrum, quod ſit Divinum Eccleſiæ Antiquæ, de qua n: 6876. 6884; quod id fuerit Dominus quoad Divinum Humanum, videatur etiam ibi.

6958. Deus Abrahami, Deus Jiſchaki, & Deus Jacobi, quod ſignificet Dominum quoad Ipſum Divinum & Divinum Humanum, conſtat ab illis quæ n: 6847 oſtenſa ſunt, ubi ſimilia verba.

6959. Et dixit Jehovah illi adhuc, quod ſignificet Prævidentiam quales futuri qui ab Eccleſia ſpirituali ſi non fidem haberent, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, quod ſit Prævidentia, ut ſupra n: 6946; quod ſit quales futuri qui ab Eccleſia ſpirituali ſi non fidem haberent, eſt quia agitur in nunc ſequentibus de illis, qui ab Eccleſia ſpirituali, qui repræſentantur per filios Iſraelis, quales ulterius futuri, ſi non fidem haberent, quod nempe fierent prophanatores veri; nam primum Miraculum quod baculus ſerpens factus ſignificat ſtatum eorum, quod prorſus ſenſuales & corporei fierent; hoc miraculum, quod manus facta leproſa, ſignificat prophanationem, nam hæc ſuccedit, ſi Eccleſia illa perſtat in infidelitate. Illi qui ab Eccleſia ſpirituali, quia in pueritia ſua, & dein in adoleſcentia fidem habent doctrinalibus ſuæ Eccleſiæ, ſed tunc fidem habent ex parentibus & magiſtris, non autem ex ſe, quapropter ſi poſtea recedunt a fide, non prophanant verum niſi leviter, quæ prophanatio per media Divina removeri poteſt, & ſic homo a reatu inde liberari: at ſi homo fidem habet doctrinæ Eccleſiæ & Verbo ex ſe, hoc eſt, per confirmationes apud ſe, ſi tunc poſtea recedit, & apud ſe negat quod prius crediderat, imprimis ſi vivit contra verum quod apud ſe confirmaverat, & id vel explicat in ſui favorem, vel prorſus rejicit, is prophanat verum; ex cauſa quia verum & falſum intus in ſe commiſcet & conjungit; tales quia reliquias veri & boni vix aliquas habent, fiunt tandem in altera vita ſicut ſceleta, & tam paucam vitam reſiduam habent, qualis eſt oſſium reſpective ad vitam organicam carnis; attamen durior ſors eſt illorum, qui prophanant bonum, quam eorum qui prophanant verum; qui ab Eccleſia ſpirituali Domini ſunt, prophanare verum poſſunt, non autem ita bonum. Quia Lepra prophanationem veri ſignificat, & de illa in nunc ſequentibus agitur, videantur primum, quæ de prophanatione prius dicta & oſtenſa ſunt; nempe, quod, qui intra Eccleſiam ſunt, prophanare poſſint ſancta, non autem qui extra, n: 2051. 3399. Quod ſancta prophanari nequeant niſi ab illis, qui prius agnoverunt, n: 1008. 1010. 1059. 1898. 3398. 4289. Quod Prophanatio etiam ſit agnoſcere & credere vera & bona, & tamen vivere contra illa, n: 4601. Quod teneatur homo a prophanatione, quantum poſſibile, n: 301. 302. 303. 1327. 1328. 3398. 3402. Quod ſors prophanatorum omnium peſſima ſit in altera vita, n: 6348.

6960. Adduc manum tuam in ſinum tuum, quod ſignificet appropriationem veri, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua ſupra n: 6947; & ex ſignificatione ſinus, quod ſit amor, quæ enim pectoris ſunt, correſpondent amori, nam inibi eſt Cor, quod correſpondet amori cœleſti, & pulmo qui correſpondet amori ſpirituali, n: 3635. 3883 ad 3896. 4112. 4113. 4133; & quia ſinus inde correſpondet amori, per illum quoque ſignificatur proprium, nam id hominis proprium eſt quod eſt amoris ejus; idcirco hic per adducere manum in ſinum ſignificatur appropriatio;

atio; quod ſit appropriatio veri, ex ſequentibus patet, tum ex eo, quod in vero conſiſtat potentia ſpiritualis, n: 6948. Quod ſinus ſit ipſum illud quod hominis, ita proprium, ac inde appropriatio & conjunctio per amorem, conſtat ex his locis; apud Micham, "Ne confidite ſocio, ne fiduciam ponite in duce, *a cubante in ſinu tuo* cuſtodi januas oris tui," VII: 5, cubans in ſinu pro illo qui ei per amorem conjunctus eſt: inde quoque uxor vocatur *uxor ſinus mariti*, Deut: XXVIII: 50. 2 Sam: XII: 8; & maritus vocatur *maritus ſinus uxoris*," Deut: XXVIII: 56, & hoc quia unus alterius eſt. Apud Davidem, "Precatio mea *ſuper ſinum meum relabitur*," Pſalm: XXXV: 3, pro quod ad ipſum. Apud Eundem, "Memento Domine opprobrii ſervorum tuorum, *portare mei in ſinu meo* omnes magnos populos," Pſalm: LXXXIX: 50, pro apud ſeipſum, ut proprium. Apud Eſaiam, "Sicut paſtor gregem ſuum paſcit, in brachium ſuum colligit agnos, & *in ſinu ſuo portat*," XL: 11, ſimiliter. Apud Lucam, "Date & dabitur vobis, menſura bona, preſſa, agitata, & ſuperfluens, *dabitur in ſinum veſtrum*," VI: 38, dari in ſinum pro illis ipſis ut proprium. Apud Eundem, "Dein factum ut moreretur Lazarus, & auferretur ab Angelis in *ſinum Abrahami*," XVI: 22, auferri in ſinum Abrahami pro ad Dominum, Qui intelligitur per Abrahamum, ex conjunctione per amorem. Apud Johannem, "Erat accumbens unus diſcipulorum *in ſinu Jeſu, quem amabat Jeſus*; allapſus ille *ad pectus Jeſus*, dicit Ipſi, Domine quis eſt," XIII: 23. 25, accumbere in ſinu, manifeſte pro amari, ac per amorem conjungi. Apud Eundem, "Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius *Qui in ſinu Patris eſt*, Ille expoſuit," I: 18, in ſinu Patris pro unum eſſe. Sinus pro ipſo illo quod hominis, & pro appropriatione non per amorem, in ſequentibus locis; apud Eſaiam, "Retribuam, *retribuam ſuper ſinum illorum* iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul; admetiar pretium operæ illorum *ſuper ſinum illorum*," LXV: 6. 7. Apud Jeremiam, "Jehovah faciens miſericordiam in millenos, & *retribuens iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum* poſt illos," XXXII: 18. Apud Davidem, "*Retribue* vicinis noſtris ſeptuplum *in ſinum illorum*, opprobrium illorum, quo affecerunt Te, Domine," Pſalm: LXXIX: 12; retribuere in ſinum, pro in illos ipſos.

6961. Et adduxit manum in ſinum ſuum, quod ſignificet actualitatem, nempe appropriationis veri, conſtat ex illis, quæ nunc ſupra dicta ſunt.

6962. Et eduxit illam, quod ſignificet quod inde, conſtat ex ſignificatione educere manum e ſinu & videre, quod ſit animadvertere qualis eſt, ita quod inde.

6963. Et ecce manus ejus leproſa ſicut nix, quod ſignificet prophanationem veri, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, ut ſupra n: 6947, & quod ſit verum, quia potentia ſpiritualis conſiſtit in vero, n: 6948. 6960; & ex ſignificatione Lepræ, quod ſit prophanatio, in ſpecie prophanatio veri, de qua ſequitur. In Verbo Hiſtorico multum agitur de Lepra, de ejus varia apparentia, in cute, de qualitate ejus inde judicanda, de leproſo quod vel includendus, vel exiturus e communione, vel liberandus;

 deque

deque lepra in veſtibus, in vaſis, inque ipſis domibus: quod tantum de lepra agatur, non eſt propter lepram ut morbum, ſed quia ſignificabat prophanationem veri, ita propter ſenſum ſpiritualem; & quia Judaei & Iſraelitae prae aliis prophanare verum potuerunt; ſi enim noviſſent interna Verbi, & ipſa vera quae repraeſentabant ritualia Eccleſiae apud illos, & fidem illis habuiſſent, & tamen vixiſſent ſecundum genium ſuum, nempe in amore ſui & mundi; in odiis & vindictis inter ſe, inque crudelitate contra gentes, non potuiſſent non prophanare vera quibus ſemel fidem habuerant; nam credere veris; & vivere contra illa, eſt prophanare illa; quapropter etiam a cognitionibus veri interni detinebantur quantum poſſibile erat, n: 3398. 3489, uſque adeo, ut ne quidem ſciverint, quod victuri poſt mortem; nec crediderint quod Meſſias venturus ut ſalvaret animas in aeternum, ſed ut gentem illam eveheret ſuper omnes in univerſo; & quia gens illa talis fuit, & quoque hodie talis eſt, ideo adhuc detinentur a fide, etiam ſi in medio Chriſtianiſmo vivunt; inde nunc eſt, quod Lepra quoad quale ſuum tantum deſcripta ſit. Quod Lepra ſignificet prophanationem veri, patet ab illis quae de Lepra ſtatuta ſunt apud Moſen Levit: XIII: 1 ad f. in deſcriptione illa continetur in ſenſu interno omne quale prophanationis veri, ut qualis prophanatio illa ſi recens ſit, qualis ſi vetus, qualis ſi interius in homine, qualis ſi etiam exterius, qualis ſi ſanari poſſit, qualis ſi non poſſit, quae media, & plura, quae omnia nuſquam alicui nota fieri poſſunt, quam per ſenſum internum Verbi; ſed quia prophana ſunt, quae deſcribuntur per lepram, non licet ſingulariter explicare illa, quae in deſcriptione ejus ſunt; coelum etiam horret ad ſolam nominationem prophani; tantum licet hoc inde adducere; quod, Si efflorëſcendo effloruerit lepra in cute, & contexerit lepra univerſam cutem plagae a capite ejus uſque ad calcem ejus, ſub omni conſpectu oculorum ſacerdotis; & viderit ſacerdos, quod ecce lepra contexerit univerſam carnem ejus, tunc mundam pronuntiabit plagam; tota converſa eſt in albam, mundus eſt. Quo vero die apparuerit in eo caro viva, immundus erit," Levit: XIII: 12. 13. 14; niſi ex ſenſu interno ſciretur, quomodo hoc ſe haberet, quod ille mundus qui totus leproſus a capite a calcem, appareret hoc ſicut paradoxen; ſed per leproſum a capite ad calcem, intelligitur qui novit interna vera, ſed non agnoſcit illa, ſeu credit illis, is non interius in prophanatione eſt, ſed exterius, quae removetur; idcirco is mundus eſt; ſi autem ſcit vera fidei, & credit illis, & tamen vivit contra illa, is in prophanatione eſt interius, & quoque qui crediderat, & poſtea negat; quare dicitur, quo die apparuerit in eo caro viva, immundus erit; per carnem vivam intelligitur agnitio & fides: videantur quae ſupra n: 6959, allata ſunt.

6964. Et dixit, quod ſignificet Providentiam, quales futuri qui ab Eccleſia ſpirituali ſi fidem haberent, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, quod ſit Providentia, ut ſupra n: 6951: quod ſit, quales futuri ſi fidem haberent, ex ſequentibus patet; nam per quod manus reverſa fuerit ſicut caro ejus, ſignificatur quod tunc illis ſpirituale bonum; cui oppoſitum eſt, quod manus per adductionem in ſinum facta ſit leproſa, quod ſignificatur, quod

in

in prophanatione veri eſſent illi qui ab Eccleſia ſpirituali, ſi non fidem haberent, de qua ſupra n: 6959. 6963.

6965. Reduc manum tuam ad ſinum tuum, quod ſignificet appropriationem veri, conſtat ex ſignificatione adducere manum in ſinum, quod ſit appropriatio veri, de qua n: 6960.

6966. Et reduxit manum ſuam in ſinum ſuum, quod ſignificet actualitatem, videatur ſupra n: 6961.

6967. Et eduxit illam e ſinu ſuo, quod ſignificet quod inde, videatur etiam ſupra n: 6962.

6968. Et ecce reverſa ſicut caro illius, quod ſignificet quod tunc bonum veri, conſtat ex ſignificatione carnis, quod ſit proprium voluntarium hominis vivificatum a Proprio Divini Humani Domini, ſeu proprium cœleſte, de qua n: 3813; & quia hoc per carnem ſignificatur, eſt bonum amoris in Dominum & erga proximum quod ſignificatur; at apud illos, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, eſt bonum veri, nam bonum apud illos eſt ex vero & ſecundum verum doctrinæ Eccleſiæ eorum, hoc verum, cum ſit vitæ, vocatur bonum.

6969. Verſ: 8. 9. *Et erit, ſi non credunt tibi, & audiunt vocem ſigni prioris, & credent voci ſigni poſterioris. Et erit, ſi non credunt etiam binis ſignis illis, & non audiunt vocem tuam, & accipias de aquis fluvii, & effundas in aridam, & erunt aquæ quas accepiſti e fluvio, & erunt in ſanguinem in arida.* Et erit, ſi non credunt tibi, ſignificat ſi non fidem habeant: & non audiunt vocem ſigni prioris, ſignificat ſi non obediunt annuntiato ex Verbo quod pro ſpirituali & rationali homine fierent non ſpirituales & non rationales: & credent voci ſigni poſterioris, ſignificat quod fidem haberent prænuntiato ex Verbo, quod fierent veri prophanatores: & erit, ſi non credunt etiam binis ſignis illis, ſignificat ſi prorſus nullam haberent fidem, quod eventura: & non audiunt vocem tuam, ſignificat ſi nec aliquid obedientiæ præſtant: accipias de aquis fluvii, ſignificat falſa ſcientifica: & effundas in aridam, ſignificat immiſſionem in naturale: & erunt aquæ quas accepiſti, ſignificat inverſionem ſtatus: & erunt in ſanguinem in arida, ſignificat falſificationem omnis veri, & inde privationem ejus in naturali.

6970. Et erit, ſi non credunt tibi, quod ſignificet ſi non fidem habeant, conſtat ex ſignificatione credere, quod ſit fidem habere, ut ſupra n: 6956, hic fidem habere non ſignificat fidem ex ſignis, quod liberandi ex Ægypto, nam hæc fides de mundanis eſt, ſed fidem ſi non permanent in veris, quod fierent mere ſenſuales & corporei; & demum veri prophanatores; hæc enim ſunt, quæ bina ſigna ſignificant; ſenſus internus non agit de mundanis, prout ſenſus externus hiſtoricus, ſed de ſpiritualibus; fides in mundanis prorſus differt a fide in ſpiritualibus, ut pro exemplo; credere quod a facturi ſicut loquuntur; quod verus homo ſit vel non verus; quod ita faciendum, non aliter, ut res ſuccedat; quod dicta aut ſcripta fide digna ſint vel non ſint, præter ſimilia innumera, talia ſunt fidei in mundanis, ut quoque hic quod

quod filii Iſraelis liberandi ſint a ſervitute in Ægypto. At credere, quod cœlum ſit, quod infernum; quod victuri poſt mortem, boni in felicitate in æternum, mali in infelicitate; quod vita unumquemvis maneat; quod fides & charitas faciant vitam ſpiritualem, & quod hæc vita ſit, quæ eſt angelis in cœlo; quod Domino ſit omnis poteſtas in cœlis & in terris, ſicut Ipſe dicit, Matth: XXVIII: 18; quod ab Ipſo vivamus; quod Verbum ſit doctrina veritatum cœleſtium & Divinarum, & ſimilia; talia ſunt fidei in ſpiritualibus, & ſignificantur hic per credere.

6971. Et non audiunt vocem ſigni prioris, quod ſignificet ſi non obediunt annuntiato ex Verbo, quod pro ſpirituali & rationali homine fierent non ſpirituales & non rationales, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit obedire, de qua n: 2542. 3869. 5017; ex ſignificatione vocis, quod ſit annuntiatum ex Verbo, de qua ſequitur; & ex ſignificatione ſigni prioris, quod ſit quod pro ſpirituali & rationali homine fierent non ſpirituales & non rationales; quod ita ſit patet ex ſignificatione ſerpentis, qui factus ex baculo Moſchis projecto in terram, quod hic eſt ſignum prius, quod ſit homo ſenſualis & corporeus, n: 6949, ita non ſpiritualis & non rationalis; nam homo qui ſenſualis & corporeus eſt, non eſt rationalis, ita nec ſpiritualis, cogitat enim falſa, & vult mala; qui hoc facit, non eſt rationalis, minus ſpiritualis, agnitio enim & fides veri, & vita boni, eſt ipſiſſimum ſpirituale in rationali, nam illa ex Divino ſunt; at agnitio & fides falſi, & vita mali, eſt contrarium: quod mere ſenſuales & corporei homines tales ſint, videatur n: 6844. 6845. 6948. 6949. Mere ſenſuales & corporei homines fiunt, quæ primum noverunt illa quæ ſpiritualis mundi ſunt, & poſtea rejecerunt illa, & imbuerunt principia falſi contra vera, & quoad vitam ſolum ſpectarunt ad mundana, corporea, & terreſtria, & inde crediderunt quod jucundanda ſit vita omni voluptate, dicentes quid homo plus habet cum vivit, cum morimur, morimur, quod ſit vita poſt mortem, quis inde venit & narravit, quid victurum neſcimus, cum exit vita ex homine; ſi quis per rationalia ponit illos in aliqua cogitatione de vita æterna, cogitant quod illis non pejus fiat quam aliis, ac ſtatim relabuntur ad ſtatum vitæ prioris: apud tales clauditur tranſitus pro luce cœli, & ejus influxu, & fit lux cœli in naturali illorum ſicut caligo, at lux mundi ibi fit ſplendor, n: 6907, & ſplendor eo fulgurantior, quo plus lux cœli intenebratur; inde eſt quod tales non videant aliter, quam quod mala vitæ eorum ſint bona, & inde quod falſa ſint vera; inde nunc eſt, quod homo fiat ſenſualis & corporeus: verbo, cum ſemel apertus eſt aditus pro influxu lucis cœli, & dein clauditur, tunc homo adigitur ut ſpectet deorſum, non autem ſurſum; & hoc ex ordine Divino, ne vera quæ ſemel agnovit, & in interiori ejus homine manent, contaminentur falſis, & ſic prophanentur. Similiter ſe habet cum gentibus, quæ a religioſo ſuo recedunt; at ſors harum melior eſt, quam ſors illorum qui intra Eccleſiam ſunt, nam non vera ex Verbo habent, inde non vera genuina, ſed vera multis fallaciis conjuncta, quæ non ita prophanari poſſunt. Quod ſignificationem Vocis attinet, quod ſit annuntiatum ex Verbo, ſciendum, quod vox ſæpius dicatur,

&

& quoque adjungatur talibus quæ non vocis ſunt, ſicut hic quod adjungatur ſigno, "Si non *audiunt vocem ſigni* prioris, *credent voci ſigni* poſterioris:" & quoque alibi, ut apud Nahum, "*Vox ſcuticæ*, & *vox ſonitus rotæ*," III: 2: & apud Davidem, "Suſtulerunt *flumina vocem ſuam*, præ *vocibus aquarum* multarum magnificarum," Pſalm: XCIII: 3. 4. Quod vox ſignificet annuntiationem, & in ſenſu bono annuntiationem ex Verbo, quæ vox dicitur vox Jehovæ, conſtat apud Davidem, "*Vox Jehovæ* in potentia; *vox Jehovæ* in gloria, *vox Jehovæ* confringens cedros; *vox Jehovæ* ſuccidens flammas ignis; *vox Jehovæ* trepidare facit deſertum; *vox Jehovæ* parturire facit cervas, & denudat ſylvas," Pſalm: XXIX: 3. 4. 5. 7. 8. 9: & alibi apud Eundem, "Equitanti ſuper cœlo cœli antiquitatis, *ecce dabit in voce ſua, vocem roboris*," Pſalm: LXVIII: 34, hic Vox pro Divino Vero, ita pro Verbo, & pro annuntiatione ex illo: quid præterea vox ſignificat, videatur n: 219, & quod vox prædicetur de vero, n: 3563.

6972. Et credent voci ſigni poſterioris, quod ſignificet quod fidem haberent prænuntiato ex Verbo, quod fierent veri prophanatores, conſtat ex ſignificatione credere, quod ſit fidem habere, de qua mox ſupra n: 6970; ex ſignificatione vocis, quod ſit annuntiatum, de qua n: 6971, ita quoque prænuntiatum; & ex ſignificatione lepræ, quæ hic eſt ſignum poſterius, quod ſit prophanatio veri, de qua ſupra n: 6963: quid prophanatio, videatur n: 6960, & in locis ibi citatis.

6973. Et erit, ſi non credunt etiam binis ſignis illis, quod ſignificet ſi prorſus nullam haberent fidem quod talia eventura, conſtat ex ſignificatione credere, quod ſit fidem habere, nempe in ſpirituali ſenſu, de qua ſupra n: 6970; & ex ſignificatione binorum ſignorum, quod ſit quod ſenſuales & corporei, & dein prophanatores veri fierent, quæ ſignificantur per ſerpentem, qui factus eſt ex projectione baculi Moſchis ſuper terram, n: 6971; & per manum, quod miſſa in ſinum leproſa facta ſit, n: 6963; ita per non credere binis ſignis illis, ſignificatur prorſus nullam fidem habere, quod talia eventura.

6974. Et non audiunt vocem tuam, quod ſignificet ſi nec aliquid obedientiæ præſtant, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit obedientia, de qua n: 2542. 3869. 5017; ex ſignificatione vocis, quod ſit annuntiatum & prænuntiatum, de qua n: 6971. 6972; & ex repræſentatione Moſchis, cujus vocem audirent, quod ſit Dominus quoad Divinam Legem, hoc eſt, quoad Divinum Verum, ita quoad Verbum, nam ibi eſt Divinum Verum; inde patet, quod per ſi non audiunt vocem tuam, ſignificetur ſi nec aliquid obedientiæ præſtant. Hic & prius in Verſ: 1 & 8, dicitur, ſi non credunt, & ſi non audiunt, & tamen utrumque ſimile apparet, nam qui non credit is nec audit, ſed diſtincta ſunt, nam credere, per quod ſignificatur fides, dicitur de vero quod eſt fidei, ac ita ſe refert ad intellectuale; audire autem, per quod ſignificatur obedire, dicitur de bono quod eſt charitatis, ac ita ſe refert ad voluntarium; in Verbo enim, imprimis Prophetico, ubi Verum exprimitur ſuis vocibus, etiam bonum exprimitur ſuis, ob conjugium cœleſte in ſingulis

Verbi,

Verbi, quod conjugium eſt boni & veri, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 4138 f. 6343.

6975. Accipias de aquis fluvii, quod ſignificet falſa ſcientifica, conſtat ex ſignificatione aquarum fluvii, nempe Ægypti ſeu Nili, quod ſint falſa ſcientifica; quod aquæ ſint vera, videatur n: 2702. 3424. 4976, & in oppoſito ſenſu falſa, n: 790; & quod fluvius Ægypti ſit ſcientificum falſum, n: 6693.

6976. Et effundas in aridam, quod ſignificet immiſſionem in naturale, conſtat ex ſignificatione effundere, quod ſit immittere; & ex ſignificatione aridæ, quod ſit naturale; arida vocatur locus ſiccus, & quoque vocatur ita terra, & per terram Ægypti ſignificatur mens naturalis, quæ in falſo eſt, ita naturale, n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301, & magis per aridam.

6977. Et erunt aquæ quas accepiſti, quod ſignificet inverſionem ſtatus, conſtat ab illis quæ mox ſequuntur, nam dicitur quod erunt in ſanguinem in arida, per quod ſignificatur falſificatio omnis veri, & privatio ejus in naturali; cum hoc fit, ſtatus prorſus invertitur; inde eſt, quod illa verba, quia involvunt, etiam ſignificare dicuntur inverſionem ſtatus. Eſt etiam totalis inverſio ſtatus in naturali, cum id nihil niſi quam falſa occupant; hoc raro fit apud hominem cum vivit in mundo, ſed in altera vita cum omnibus qui conjiciuntur in infernum: quod fiat raro cum homine cum vivit in mundo, eſt quia tunc continue tenetur in ſtatu ut reformari queat, modo ex libero deſiſtat a malis; at poſt mortem ſequitur illum vita ejus, & manet in ſtatu, quem ſibi comparavit per totum vitæ ſuæ curſum in mundo; tunc qui in malo eſt, non amplius reformari poteſt; & ne communicationem habeat cum aliqua ſocietate cœli, adimitur ei omne verum & bonum, unde manet in malo & falſo, quæ, nempe malum & falſum, accreſcunt ibi ſecundum facultatem, quam ſibi acquiſivit in mundo, recipiendi illa, ſed uſque non ultra terminos acquiſitos licet ei tranſcendere; hæc inverſio ſtatus eſt, quæ hic intelligitur; quæ talis eſt, ut non amplius emendari queat quoad interiora, ſed modo quoad exteriora, nempe per timores propter pænas, quas cum ſæpe ſuſtinuit, abſtinet tandem, non ex libero, ſed ex coacto, manente uſque cupiditate faciendi malum; quæ cupiditas in frœno tenetur per timores ut dictum, qui ſunt media emendationis externa, & cogunt: hic ſtatus eſt malorum in altera vita.

6978. Et erunt in ſanguinem in arida, quod ſignificet falſificationem omnis veri, & inde privationem ejus in naturali, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit ſanctum verum procedens a Domino, & in oppoſito ſenſu verum falſificatum & prophanatum, de qua n: 4735: quomodo cum hoc ſe habet, in mox præcedentibus dictum eſt; & ex ſignificatione aridæ, quod ſit naturale, de qua mox ſupra n: 6976. Quod Sanguis falſificationem veri & ejus prophanationem ſignificet, conſtat imprimis apud Nahum, "Væ *Urbi Sanguinum*, tota mendacio, rapina, plena, nec recedet præda. Vox ſcuticæ, & vox ſonitus rotæ, & equus hinniens, & currus ſaltitans: eques aſcendere faciens, & ſplendor gladii, & fulgor haſtæ, & multitudo confoſſorum, &

acervus cadaveris, nec finis corporis, impingunt in corpore eorum. Præ multitudine ſcortationum ſcorti, boni gratia, magiſtræ præſtigiarum, vendentis gentes per ſcortationes ſuas, & familias per præſtigias ſuas," III: 1. 2. 3. 4; quod per urbem ſanguinum ſignificetur doctrina falſi, ita per ſanguinem falſificatum & prophanatum verum, patet ex omnibus deſcriptionis ejus verbis in ſenſu interno, nec modo in his Verſibus qui allati ſunt, ſed etiam in ſequentibus, nam in toto Capite continuatur ejus deſcriptio; urbs enim eſt doctrina; tota mendacio & rapina plena eſt falſo & malo ex falſo; vox ſcuticæ vox ſonitus rotæ, eſt defenſio falſi ex fallaciis; equus hinniens & currus ſaltitans eſt ex intellectuali perverſo & doctrinali ſimili; eques aſcendere faciens, ſplendor gladii, fulgor haſtæ, eſt pugna contra verum; multitudo confoſſorum eſt quod inde innumera falſa, & qui in falſis; acervus cadaveris, nec finis corporis, eſt quod inde innumera mala, & qui in malis; ſcortationes ſcorti, ſunt ipſæ falſificationes, præſtigiæ ſimiliter.

6979. Verſ: 10. 11. 12. *Et dixit Moſcheh ad Jehovam, in me, Domine, non vir verborum ego, etiam ab heri, etiam a nudius tertius, etiam a nunc loqui Te ad ſervum tuum, quia gravis ore, & gravis lingua ego. Et dixit Jehovah ad illum, quis ponit os hominis, aut quis poſuit mutum, aut ſurdum, aut videntem, aut cæcum, nonne Ego Jehovah. Et nunc vade, & Ego ero cum ore tuo, & docebo te quæ loqueris.* Et dixit Moſcheh ad Jehovam, ſignificat perceptionem a Divino: in me, Domine, ſignificat certum: non vir verborum ego, ſignificat quod illi non loquela: etiam ab heri, etiam a nudius tertius, ſignificat non ab æterno: etiam a nunc loqui Te ad ſervum tuum; ſignificat ita nec in æternum influente Divino in Humanum: quia gravis ore, & gravis lingua ego, ſignificat quod vox & loquela a Divino, non audiatur nec percipiatur: & dixit Jehovah ad illum, ſignificat influxum Divinum: quis ponit os hominis, ſignificat enuntiationem: aut quis poſuit mutum, ſignificat non enuntiationem: aut ſurdum, ſignificat non perceptionem, & non inde obedientiam: aut videntem, aut cæcum, ſignificat fidem per cognitiones, & non fidem per non cognitiones: nonne Ego Jehovah, ſignificat quod illa ex influxu vitæ a Divino: & nunc vade, ſignificat vitam a Divino: & Ego ero cum ore tuo, & docebo te quæ loqueris, ſignificat Divinum in omnibus & ſingulis quæ a Divino Humano procedunt.

6980. Et dixit Moſcheh ad Jehovam, quod ſignificet perceptionem a Divino, conſtat ex ſignificatione dicere in Hiſtoricis Verbi, quod ſit percipere, de qua ſæpius; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Divinam Legem in Humano cum in mundo fuit, de qua n: 6723. 6752. 6771. 6827; Divinum a Quo, ſignificatur per Jehovam; inde patet, quod per dixit Moſcheh ad Jehovam, ſignificetur quod Domino a Divino ſuo perceptio fuerit Humano.

6981. In me, Domine, quod ſignificet certum, conſtat ex eo, quod *in me* ſit formula aſſeverationis quod ita ſit, proinde quod certum.

6982. Non vir verborum ego, quod ſignificet quod illi non loquela, conſtat ex ſignificatione viri verborum, quod ſit quod illi non facultas loquendi, ita quod non loquela. Quomodo hoc ſe habet, dicendum; in ſupremo ſenſu agitur hic de Domino, nam Moſcheh Dominum quoad Legem Divinam, ita quoad Verum Divinum repræſentat; Verum quod immediate procedit a Divino, non audiri poteſt ulli, ne quidem alicui angelo; Divinum enim ut audiatur, fiet primo humanum, & humanum fit cum tranſit per cœlos, cumque tranſivit per cœlos ſiſtitur in humana forma, & fit loquela, quæ loquela enuntiatur per ſpiritus, qui cum in illo ſtatu ſunt, vocantur Spiritus Sanctus, & ille dicitur procedere a Divino, quia ſanctum ſpiritus ſeu ſanctum verum quod ſpiritus ille tunc loquitur a Domino procedit: ex his conſtare poteſt, quod Verum, quod procedit immediate a Divino, non poſſit ſiſti alicui ut ſermo aut loquela, niſi per Spiritum Sanctum: hoc intelligitur in ſenſu ſupremo per quod Moſcheh, qui repræſentat Dominum quoad Verum Divinum, dicat ſe non eſſe virum Verborum, & per id quod ei adjunctus fuerit Aharon frater ejus, qui illi pro ore eſſet, & is Aharoni pro Deo.

6983. Etiam ab heri, etiam a nudius tertius, quod ſignificet non ab æterno, quod nempe ei fuerit loquela, conſtat ex ſignificatione ab heri & a nudius tertius, ſit ab æterno; quod ab heri & a nudius tertius ſit ab æterno, eſt quia ſignificat tempus, & quidem tempus præteritum, & tempus cum prædicatur de Domino ſeu de Divino, non ſignificat tempus, ſed æternum: ſunt duo, quæ naturæ propria ſunt, quæ non dantur in cœlo, minus in Divino, nempe ſpatium & tempus; quod illa non dentur in cœlo, ſed quod loco illorum ſint ſtatus, ſpatium ſtatus quoad eſſe, & tempus ſtatus quoad exiſtere, videatur n: 2625. 3938; quod ſpatia & tempora in cœlo ſint ſtatus, n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3387. 3404. 3827. 4321. 4814. 4882. 4901. 4916. 5606. 6110; in Divino autem, quod ſupra cœlos eſt, adhuc minus eſt ſpatium & tempus, & ne quidem ſtatus, ſed pro ſpatio eſt infinitum, & pro tempore eſt æternum; hæc duo ſunt, quibus correſpondent tempora & ſpatia quæ in mundo; ac ſtatus quoad eſſe & quoad exiſtere in cœlis. Quod in Verbo per heri & nudius tertius, non ſignificetur heri & nudius tertius, ſed in genere tempus præteritum, conſtat ex locis ubi nominantur, ut apud Joſuam, "Redierunt aquæ Jordanis in locum ſuum, & iverunt *ſicut heri nudius tertius* ſuper omnibus ripis ſuis," IV: 18. In Libro 1 Samuelis, "Factum eſt, omnis qui noverat Schaulem *ab heri & nudius tertius*, cum viderent, quod ecce cum prophetis prophetaret," X: 11. In Libro 2 Samuelis, "Tribus Iſraelis dicebant ad Davidem, *tam heri quam nudius tertius*, cum eſſet Schaul rex ſuper nos, tu fuiſti educens & reducens Iſraelem," V: 2, in his locis & alibi heri nudius tertius pro antea ſeu pro tempore præterito? Nunc quia per heri & nudius tertius ſignificatur tempus præteritum, & in ſenſu ſupremo agitur de Domino, Qui quoad Divinam Legem ſeu quoad Divinum Verum repræſentatur per Moſchen, patet, quod per ab heri & a nudius tertius ſignificetur ab æterno. Æternum quod per heri ſignificatur,

nificatur, ita exprimitur apud Davidem, "Mille anni in oculis tuis, ſicut *dies heri* cum tranſiit," Pſalm : xc : 4.

6984. Etiam a nunc loqui Te ad ſervum tuum, quod ſignificet ita nec in æternum, influente Divino in Humanum, conſtat a ſignificatione a nunc ſeu ab hodie, quod ſit æternum, de qua n: 2838. 3998. 4304. 6165, ita in æternum, quia involvit tempus ſequens; ex ſignificatione loqui, quod ſit influxus, de qua n: 2951. 5481. 5743. 5797; quod ſit influxus a Divino, ſignificatur per loqui Te, hoc eſt, Jehovam; & ex ſignificatione ſervi, quod ſit Humanum Domini cum adhuc non Divinum factum eſt, de qua n: 2159, at cum Divinum factum eſt, quia unum cum Jehovah, fuit Dominus.

6985. Quia gravis ore, & gravis lingua ego, quod ſignificet quod vox & loquela a Divino, non audiatur nec percipiatur, conſtat ex ſignificatione oris, quod ſit vox; & ex ſignificatione linguæ, quod ſit loquela; per os ſignificatur vox, quia eſt organum vocis, & per linguam ſignificatur loquela, quia eſt organum loquelæ; quæ differentia ſit inter vocem & inter loquelam cuivis patet, tum quod de voce prædicetur audiri, & de loquela percipi. Hoc non aliter in ſenſu literæ hiſtorico exprimi poteſt, ubi agitur de Moſcheh qui homo, & loqui potuit ſed difficulter, quam per gravem ore & gravem lingua; quod cum abit in ſenſum internum, percipitur ab Angelis prædicate ad ſubjectum, & cum dicitur de Divino, percipitur, quod vox inde immediate non poſſit audiri, nec loquela percipi, ſed mediate per ſpiritus, ſecundum illa quæ ſupra n: 6983 dicta ſunt.

6986. Et dixit Jehovah ad illum, quod ſignificet influxum Divinum, conſtat ex ſignificatione dixit, quod ſit influxus, de qua n: 5743. 5797. 6152. 6291; quod a Divino, eſt quia dixit Jehovah.

6987. Quis ponit os hominis, quod ſignificet enuntiationem, conſtat ex ſignificatione oris, quod ſit vox, de qua ſupra n: 6985, & quia eſt vox, eſt enuntiatio. Quid os in ſpecie ſignificat, non conſtare poteſt, niſi ex correſpondentia; os cum labiis correſpondet loquelæ interiori, quæ eſt cogitationis: cogitatio hominis eſt activa & paſſiva, cogitatio activa eſt homini cum loquitur, & vocari poteſt cogitatio loquens; at cogitatio paſſiva eſt, quæ eſt homini cum non loquitur; qualis differentia ſit inter utramque, conſtare poteſt ei qui reflectit: per os hominis ſignificatur cogitatio activa ſeu loquens, ita enuntiatio. Quod cogitationem activam, quæ ſignificatur per os, attinet, ſciendum, quod illa cogitatio etiam ſit ſuo modo loquens, & quod per loquelæ illius activitatem excitet organa corporis ei correſpondentia; apparet, quaſi voces loquelæ forent in cogitatione, ſed eſt fallacia, eſt modo ſenſus loquelæ qui ibi, qui qualis ſit, homo vix ſcire poteſt, nam eſt loquela ſpiritus ejus, quæ loquela eſt loquela univerſalis, qualis eſt loquela ſpirituum in altera vita; hæc loquela cum influit in organa correſpondentia corporis, ſiſtit loquelam vocum, quæ valde differt a cogitatione quæ producit; quod valde differat, patet manifeſte ex eo, quod homo cogitare poſſit uno minuto, quod per temporis ſpatia eloquitur aut ſcribit; aliter foret, ſi cogitatio illa

foret vocum, qualis eſt loquela oris: ex correſpondentia loquelæ cogitationis, & loquelæ oris eſt, quod homo cum poſt mortem inter ſpiritus venit, ſciat loqui lingua univerſali, ita cum ſpiritibus ex quacunque lingua fuerunt in mundo, tum quod tunc vix aliter ſciat, quam quod loquatur ibi ſicut in mundo; cum tamen voces loquelæ illorum non ſunt voces, quales homini in corpore, ſed ſunt ideæ, quæ cogitationis ejus fuerunt, & uni ideæ inſunt perplura; quapropter ſpiritus momento eloqui poſſunt, quæ homo vix per ſemihorium, & uſque ſunt plura, quæ eidem ideæ inſunt, quæ nuſquam loquela corporea exprimi poſſunt. Sed uſque aliter loquuntur angeli qui in cœlo, quam ſpiritus; angelis, qui in cœlo, eſt loquela ex ideis intellectualibus, quæ a Philoſophis vocantur ideæ immateriales; at ſpiritibus eſt loquela ex ideis imaginationis, quæ vocantur ideæ materiales; inde uni ideæ cogitationis angelorum inſunt perplura, quæ ſpiritus non poſſunt per plures ſeries ſuarum idearum eloqui, præter multa quæ nuſquam poſſunt exprimere: at cum ſpiritus fit angelus, in loquela angelica eſt, ſicut homo, cum poſt mortem fit ſpiritus, in loquela ſpirituum eſt, ex ſimili cauſa. Ex his conſtare poteſt, quid cogitatio activa eſt, quod nempe ſit loquela ſpiritus hominis.

6988. Aut quis poſuit mutum, quod ſignificet non enuntiationem, conſtat ex ſignificatione muti, quod ſit non enuntiatio, nam opponitur ori, per quod ſignificatur enuntiatio, de qua mox ſupra n: 6987. Hic per Enuntiationem non intelligitur enuntiatio vocis ſeu loquela, nam hæc enuntiatio eſt naturalis, ſed per enuntiationem intelligitur confeſſio Domini & prædicatio fidei in Ipſum, nam hæc enuntiatio eſt ſpiritualis; inde patet, quid per mutum in ſenſu interno ſignificatur, nempe quod illi, qui non poſſunt confiteri Dominum, ita nec prædicare fidem in Ipſum, ex ignorantia, in quo ſtatu ſunt gentes extra Eccleſiam, & quoque ſimplices intra Eccleſiam; quod tales per mutum ſignificentur, patet apud Eſaiam, "Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & *cantabit lingua Muti*; quia erumpent in deſerto aquæ, & fluvii in planitie deſerti," XXXV: 5. 6; cantabit lingua muti, pro quod illi confitebuntur Dominum, & quæ fidei in Ipſum ſunt; erumpent aquæ in deſerto, & fluvii in planitie deſerti, pro quod cognitiones veri & boni illis, deſertum eſt ſtatus non cognitionum fidei ex ignorantia: per Mutos a Domino ſanatos ſignificantur etiam gentes, quæ per adventum Ipſius in mundum a falſis & inde malis liberati ſunt; ut per mutum apud Matthæum, "Ecce attulerunt ad Ipſum *hominem mutum* a dæmone obſeſſum, ſed *ejecto dæmone loquutus eſt Mutus*," IX: 32. 33; perque Mutum apud Eundem, "Adductus eſt ad Jeſum dæmonio obſeſſus, cæcus & *mutus*, & ſanavit eum, ita ut cæcus & *mutus tam loqueretur*, quam videret," XII: 22: ſimiliter *per mutum* etiam a dæmone obſeſſum, apud Marcum, Cap: IX: 17 ad 30. Sciendum, quod miracula a Domino facta omnia ſignificent ſtatum Eccleſiæ ac generis humani ſalvati per adventum Ipſius in mundum, quod nempe tunc liberati ſint ab inferno, qui fidem charitatis receperunt; hæc involvunt miracula Domini: in genere omnia miracula, de quibus in Veteri Teſtamento, ſignificant ſtatum Eccleſiæ & Regni Domini; in eo diſtinguuntur Miracula Divina a Miraculis diabo-

diabolicis ſeu magicis, utcunque in externa forma apparent ſimilia, ſicut miracula magorum in Ægypto.

6989. Aut ſurdum, ſignificat non perceptionem veri, & inde non obedientiam, conſtat ex ſignificatione ſurdi, quod ſint qui non percipiunt quid verum, & inde non obediunt, ita abſtracte, non perceptio veri & inde non obedientia; quod ſurdus illa ſignificet, eſt quia auditus correſpondet & perceptioni & obedientiæ; perceptioni, quia illa quæ audiuntur intus percipiuntur, & obedientiæ, quia inde noſcitur quid faciendum; quod illa correſpondentia ſit auditus, & quoque auris, videatur n: 3869. 4652 ad 4660. 5017; inde patet, quid per ſurdos ſignificatur. In Verbo, per ſurdos, ſignificantur etiam gentes, quæ non ſciunt vera fidei, quia non habent Verbum, & ideo non poſſunt vivere ſecundum illa, at uſque cum inſtructi ſunt, recipiunt illa, & vivunt ſecundum illa; hi intelliguntur apud Eſaiam, "Tunc aperientur oculi cæcorum, & *aures ſurdorum aperientur*," xxxv: 5. Apud Eundem, "*Surdi audite*, & cæci ſpectate videndo," xlii: 18. 19. 20. Apud Eundem, "*Audient in die illo ſurdi verba libri*, & ex caligine, eque tenebris oculi cæcorum videbunt," xxix: 18. Apud Eundem, "Educ populum cæcum cui oculi ſunt, & *ſurdos quibus aures*," xliii: 8. 9, per ſurdos ibi intelliguntur qui per adventum Domini venirent in ſtatum recipiendi vera fidei, hoc eſt, percipiendi illa & obediendi illis. Iidem *per ſurdos, quos Dominus ſanavit*, ſignificantur, de quibus Marc: vii: 31 ad fin: Cap: ix: 25. Quia ſurdi tales ſignificabant, vetitum fuit illis, apud quos Eccleſia repræſentativa inſtituta fuit, *maledicere ſurdo*, & coram cæco dare offendiculum," Levit: xix: 14.

6990. Aut videntem aut cæcum, quod ſignificet fidem per cognitiones, & non fidem per non cognitiones, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit intelligere & fidem habere, de qua n: 897. 2325. 2807. 3863. 3869. 4403 ad 4421, ita fidem ex cognitionibus, nam in Lingua originali eſt vox quæ ſignificat apertum nempe oculis, ita videntem ex cognitionibus, nam cognitiones aperiunt; & ex ſignificatione cæci, quod ſit non fides ex non cognitionibus, quia cæcus eſt non videns. Quod per Cæcos in Verbo etiam ſignificentur gentes, quæ in ignorantia veri quod fidei, quia extra Eccleſiam, vivunt, at qui inſtructi recipiunt fidem, videatur n: 2383; iidem quoque ſignificantur per Cæcos, quos Dominus ſanavit, de quibus Matth: ix: 27 ad 31. Cap: xii: 22. Cap: xx: 29 ad fin: Cap: xxi: 14. Marc: viii: 22 ad 37. Cap: x: 46 ad fin: Luc: xviii: 35 ad fin: Joh: ix: 1 ad fin.

6991. Nonne Ego Jehovah, quod ſignificet quod illa ex influxu vitæ a Divino, conſtare poteſt ex eo, quod talia, quæ ſignificantur per mutum, per ſurdum, perque cæcum, tum quoque per os, & per videntem, exiſtant apud hominem ex influxu vitæ a Jehovah ſeu Domino; inde enim exiſtunt tam mala, quam bona apud unumquemvis; ſed mala ab homine, & bona a Domino; quod mala ab homine exiſtant, eſt quia vita quæ a Domino influit, hoc eſt, bonum & verum, ab homine vertatur in malum & falſum, ita in contrarium vitæ, quæ mors ſpiritualis vocatur; ſe habet hoc ſicut lux a ſole,

quæ

quæ prout recipitur ab objectis, talis inde color fit, in quibuſdam vivus & lucidus, in quibuſdam quaſi mortuus & fuſcus. At quia apparet, ſicut Dominus etiam inducat malum, quia dat vitam, idcirco ex apparentia in Verbo tribuitur Jehovæ ſeu Domino malum, ut ex pluribus locis conſtare poteſt; ita quoque hic, quod faciat mutum, ſurdum, & cæcum, quæ quia exiſtunt ex influxu vitæ a Divino, ideo dicitur, quod Jehovah illa faciat: at ſenſus internus rem, qualis in ſe eſt, exponit & docet, non qualis apparet.

6992. Et nunc vade, quod ſignificet vitam a Divino, conſtat a ſignificatione vadere ſeu ire, quod ſit vita, de qua n: 3335. 4882. 5493. 5606; quod a Divino eſt, quia per Moſchen repræſentatur Dominus.

6993. Et ero cum ore tuo, & docebo te quæ loqueris, quod ſignificet Divinum in omnibus & ſingulis, quæ a Divino Humano procedunt, conſtat ex ſignificatione eſſe cum ore, cum a Jehovah dicitur, quod ſit eſſe cum illis quæ enuntiat; quod per os ſignificetur enuntiatio, videatur ſupra n: 6987. 6988; & quia ea dicuntur ad Moſchen, per quem repræſentatur Dominus quoad Legem Divinam in Divino Humano, per ero cum ore tuo ſignificatur Divinum in illis quæ a Divino Humano procedunt; & ex ſignificatione docere te quæ loqueris, quod ſit procedere, per docere enim & per loqui ſignificatur influere, & cum prædicatur de Divino Domini, eſt procedere; ab Ipſo enim Divino Humano Domini procedit Divinum Verum, quod vocatur Spiritus Sanctus; & quia Dominus cum in mundo fuit, fuit Ipſe Divinum Verum, docuit Ipſe quæ amoris & fidei erant, & tunc non per Spiritum Sanctum, ut Ipſe docet apud Johannem, "Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum glorificatus erat," VII: 39, at poſtquam Dominus etiam quoad Humanum factus eſt Jehovah, hoc eſt, Divinum Bonum, quod fuit poſt reſurrectionem, tunc non amplius fuit Divinum Verum, ſed hoc a Divino Bono Ipſius proceſſit: quod Spiritus Sanctus ſit Divinum Verum quod a Divino Humano Domini procedit, & non aliquis ſpiritus aut aliqui ſpiritus ab æterno, manifeſte patet a Domini verbis in loco citato, quod nempe nondum erat Spiritus Sanctus; tum quod ipſe ſpiritus non poſſit procedere, ſed ſanctum ſpiritus, hoc eſt, ſanctum quod procedit a Domino, & ſpiritus eloquitur; videatur etiam n: 6788. Ex his nunc ſequitur, quod in Domino omne Trinum ſit perfectum, nempe Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & ſic quod unus Deus ſit, non autem Tres, qui quoad perſonas diſtincti, unum Divinum dicuntur conſtituere. Quod in Verbo dictum ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, fuit ut agnoſcerent Dominum & quoque Divinum in Ipſo; homo enim in tanta caligine fuit, ſicut etiam hodie eſt, ut aliter non agnoviſſit aliquod Divinum in Humano Domini, nam hoc illi, quia prorſus incomprehenſibile, fuiſſet ſupra omnem fidem; & præterea Veritas eſt, quod ſit Trinum, ſed in uno, nempe in Domino; & quoque in Chriſtianis Eccleſiis agnoſcitur, quod Trinum in Ipſo habitet perfecte; docuit etiam Dominus aperte, quod Ipſe cum Patre unum eſſet," Joh: XIV: 9. 10. 11. 12; & quod ſanctum, quod Spiritus Sanctus loquitur, non ſit illius, ſed Domini, apud Johannem, "Paracletus, Spiritus veritatis, *non loquetur a ſeipſo, ſed quæcunque audi-*

audiverit, loquetur: Ille Me glorificabit, *quia ex Meo accipiet, & annuntiabit vobis,"* XVI: 13. 14, quod Paracletus ſit Spiritus Sanctus, dicitur Joh: XIV: 26.

6994. Verſ: 13. 14. 15. 16. 17. *Et dixit, in me, Domine, mitte quæſo, per manum mittas. Et accenſa ira Jehovæ in Moſchen; & dixit, annon Aharon frater tuus Levita, novi quod loquendo loquetur ille, & etiam ecce ille exit obviam tibi, & videbit te, & lætabitur in corde ſuo. Et loquaris ad illum, & ponas verba in ore illius, & Ego ero cum ore tuo, & cum ore ejus, & docebo vos quæ facietis. Et loquetur ille tibi ad populum, & fiet, ille erit tibi ad os, & tu eris illi ad Deum. Et baculum hunc accipias in manu tua, quo facies ſigna.* Et dixit, in me, Domine, ſignificat aſſeverationem: mitte quæſo, per manum mittas, ſignificat quod Divinum Verum a Divino Humano procedens mediate enuntiabitur: & accenſa ira Jehovæ in Moſchen, ſignificat clementiam: & dixit, annon Aharon frater tuus Levita, ſignificat doctrinam boni & veri: novi quod loquetur ille, ſignificat prædicationem: & etiam ecce ille exit obviam tibi, ſignificat receptionem: & videbit te, ſignificat perceptionem: & lætabitur in corde ſuo, ſignificat affectionem amoris: & loquaris ad illum, ſignificat influxum: & ponas verba in ore illius, ſignificat quod quæ enuntiat a Divino Humano procedent: & Ego ero cum ore tuo, ſignificat quod Verum Divinum procedet per Divinum Humanum ab Ipſo Divino: & cum ore ejus, ſignificat ita cum illis quæ inde: & docebo vos quæ facietis, ſignificat ita Divinum in omnibus & ſingulis quæ fient: & loquetur ille tibi ad populum, ſignificat quod illa doctrina erit Eccleſiæ ſpirituali: & fiet, ille erit tibi ad os, ſignificat Verum Divinum quod etiam mediate a Domino procedit: & tu eris illi ad deum, ſignificat Divinum Verum quod immediate a Domino procedit: & baculum hunc accipias in manu tua, ſignificat potentiam Divinam in illis: quo facies ſigna, ſignificat inde illuſtrationem & confirmationem veritatum.

6995. Et dixit, in me, Domine, quod ſignificet aſſeverationem, conſtat ex eo, quod in me ſit formula aſſeverationis quod ita ſit, ut ſupra n: 6981.

6996. Mitte quæſo, per manum mittas, quod ſignificet quod Divinum Verum a Divino Humano procedens mediate enuntiabitur, conſtat ex repræſentatione Moſchis, qui hæc dicit, quod ſit Dominus quoad Verbum, hoc eſt, quoad Divinum Verum, de qua n: 6752; ex ſignificatione mittere, cum dicitur de Domino, quod ſit procedere, de qua n: 2397. 4710; & ex ſignificatione per manum mittere, quod ſit per alium cui dabitur potentia, nempe enuntiandi Divinum Verum a Divino Humano Domini procedens, & quia per alium cui potentia data, eſt mediate. Supra n: 6982. 6985 oſtenſum eſt, quod Divinum Verum immediate procedens a Divino Humano Domini a nullo homine, & ne quidem ab angelo audiri & percipi poſſit; idcirco ut audiatur & percipiatur, erit mediatio, quæ mediatio fit per cœlum, & dein per angelos ac per ſpiritus apud hominem; hoc manifeſte poteſt inde ſciri, quod homo ne quidem audire poſſit ſpiritus, qui apud ſe ſunt, inter ſe loquentes, & ſi audiret non potuiſſet percipere, ex cauſa quia loquela ſpirituum eſt abſque

vocibus

vocibus humanis, & eſt univerſalis omnium linguarum: & porro, ſpiritus non poſſunt audire angelos, & ſi audirent non potuiſſent percipere, nam loquela angelica eſt adhuc magis univerſalis; imo Angeli intimi cœli adhuc minus poſſunt audiri & percipi, quia loquela illorum non eſt loquela idearum, ſed eſt affectionum, quæ ſunt amoris cœleſtis: cum hæ loquelæ tantum diſtant ab homine, ut nequaquam ab illo audiri nec percipi poſſint, quid tunc, ut ita dicatur, loquela Divina, quæ infinite eſt ſupra loquelas in cœlis; loquela Divina dicitur, ſed intelligitur Divinum Verum a Divino Humano Domini procedens: cum ita ſit, conſtare poteſt, quod Divinum Verum a Domino procedens, ut audiatur & percipiatur, tranſibit ad hominem per mediationes; ultima mediatio eſt per ſpiritum qui apud hominem, qui influit vel in cogitationem ejus, vel per vivam vocem. Quod Divinum Verum immediate procedens a Domino non audiri nec percipi poſſit, etiam patet a Correſpondentiis, & inde repræſentativis, quod nempe quæ homo loquitur ſiſtantur prorſus aliter apud ſpiritus, & quæ ſpiritus loquuntur prorſus aliter apud Angelos, ut conſtare poteſt a ſenſu ſpirituali Verbi & ejus ſenſu literali, quod ſenſus literalis, qui adæquatus eſt homini, ſit ſignificativus & repræſentativus rerum quæ in ſenſu ſpirituali; cum hic ſenſus non perceptibilis ſit homini, niſi modo quantum ſiſti & exponi poteſt per talia quæ ſunt mundi & naturæ, & adhuc minus Angelicus; quid non Divinum Verum immediate procedens a Divino Domini, quod infinite eſt ſupra intellectum Angelicum, nec in cœlo perceptibile, niſi quantum tranſit per cœlum, & ſic induit formam adæquatam & convenientem perceptioni illorum qui ibi; quod fit per influxum mirabilem, & nuſquam alicui comprehenſibilem. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod Divinum Verum a Domino procedens non ab aliquo audiri nec percipi poſſit, niſi per mediationes.

6997. Et accenſa ira Jehovæ in Moſchen, quod ſignificet clementiam, conſtat ex ſignificatione iræ Jehovæ, quod non ſit ira, ſed iræ oppoſitum, ita miſericordia, hic clementia: quod Jehovæ non ſit aliqua ira, patet ex eo, quod ſit ipſe Amor, ipſum Bonum, & ipſa Miſericordia, & ira eſt oppoſitum, & quoque eſt infirmum, quod non cadere poteſt in Deum; quapropter cum ira in Verbo prædicatur de Jehovah ſeu Domino, Angeli non percipiunt iram, ſed vel Miſericordiam, vel remotionem malorum e cœlo; hic clementiam, quia dicitur ad Moſchen, per quem repræſentatur Dominus cum in mundo fuit quoad Divinum Verum. Quod tribuatur Jehovæ ſeu Domino ira in Verbo, eſt quia communiſſimum Verum eſt, quod omnia a Deo veniant, ita tam mala quam bona, at communiſſimum hoc verum, quod erit infantibus, pueris, ſimplicibus, poſtmodum illuſtrabitur, nempe quod mala ſint ab homine, ſed quod appareant ſicut a Deo, & quod ita dictum ſit ob cauſam ut diſcant timere Deum, ne a malis, quæ ipſi faciunt, pereant, & poſtmodum poſſint amare Ipſum, nam timor præcedet amorem, ut in amore ſit ſanctus timor; cum enim timor inſinuatur amori, fit ille ſanctus a ſancto amoris, & tunc non eſt timor pro Domino quod iraſcetur & puniet, ſed ne contra Ipſum Bonum faciant, quia hoc cruciabit conſcientiam. Præ-

terea

terea Iſraelitæ & Judæi adigebantur ad obſervanda ſtatuta & præcepta in externa forma per punitiones, & inde credebant quod Jehovah iraſceretur & puniret, cum tamen eſſent ipſi qui per idololatrias ſibi talia inducebant, & ſeparabant a cœlo, unde punitiones, ut quoque dicitur apud Eſaiam, "*Iniquitates veſtræ ſunt dividentes inter vos & Deum veſtrum; & peccata veſtra abſcondunt facies a vobis,*" LIX: 2; & quia Iſraelitæ & Judæi modo in externis erant abſque interno, ideo tenebantur in opinione, quod Jehovah iraſceretur & puniret; nam qui in externis ſunt abſque interno, ex timore omnia faciunt, & ex amore nihil. Ex his nunc conſtare poteſt, quid per iram & excandeſcentiam Jehovæ in Verbo intelligitur, quod nempe punitiones; ut apud Eſaiam, "Ecce Nomen Jehovæ venit e longinquo, *ardens ira Ipſius*, & gravitas oneris, *labia Ipſius plena ſunt indignatione*, & lingua Ipſius ſicut *ignis ardens*," XXX: 27; ira pro redarguitione, & admonitione ne per mala pereant. Apud Eundem, "*In inundatione iræ* abſcondi facies meas momento a te," LIV: 8; inundatio iræ pro tentatione, in qua mala angunt & cruciant. Apud Jeremiam, "Pugnabo Ego Ipſe nobiſcum, per manum extenſam, & per brachium forte, & *in ira*, & *in furore*, & *in indignatione magna: ne exeat ſicut ignis furor meus, ardeatque ut non exſtinguens*, propter malitiam operum veſtrorum," XXI: 5. 12. Apud Eundem, "Ad implendum cadaveribus hominum, quos percuſſi in *ira mea*, & *in excandeſcentia mea*," XXXIII: 5. Apud Zephaniam, "Effundam ſuper eos *indignationem meam, omnem excandeſcentiam iræ meæ*, quia in *igne zeli mei:* comedetur tota terra," III: 8. Apud Davidem, "Miſit in illos *excandeſcentiam iræ ſuæ, indignationem & furorem*, & anguſtiam, & *immiſſionem Angelorum malorum*," Pſalm: LXXVIII: 49, præter multis aliis in locis; in quibus ut in his per iram, excandeſcentiam, furorem, ignem, intelliguntur punitiones & damnationes, in quas ſe homo conjicit, cum in mala, nam ex ordine Divino bona ſecum habent remunerationes, inde eſt quod mala ſecum habeant punitiones, adeo, ut ſint conjuncta; Punitio & damnatio etiam intelliguntur per *diem iræ Jehovæ*," Eſai: XIII: 9. 13. Thren: ii: 1. Zephan: ii: 3. Apoc: VI: 17. Cap: XI: 18: tum per *vinum iræ Dei*, perque *Calicem iræ Dei*," Jer: XXV: 15. 28. Apoc: XIV: 10. Cap: XVI: 19; "ut & *per torcular iræ & furoris Dei*," Apoc: XIV: 19. Cap: XIX: 15. Quod punitio & damnatio per iram ſignificentur, patet quoque apud Matthæum, "Progenies viperarum quis demonſtravit vobis, *fugituros a futura ira*," III: 7. Apud Johannem, "Qui non credit Filio, non videbit vitam, *ſed ira Dei manet ſuper illo*," III: 36. Apud Lucam, "In ultimo tempore erit anguſtia magna ſuper terra, & *ira in populo hoc*," XXI: 23; ex his locis patet, quod per iram Jehovæ ſignificentur punitiones & damnationes; quod per iram intelligatur clementia & miſericordia, eſt inde, quia omnes punitiones malorum exiſtunt ex Miſericordia Domini erga bonos, ne hi a malis lædantur; ſed Dominus non irrogat illis punitiones, ſed illi ſibi ipſis, nam mala ac pœnæ in altera vita conjuncta ſunt: mali imprimis ſibi irrogant punitiones, cum Dominus Miſericordiam facit bonis, nam tunc illis mala accreſcunt, & inde pœnæ: inde eſt quod pro ira Jehovæ, per quam

S ſigni-

ſignificantur punitiones malorum, ab Angelis intelligatur Miſericordia. Ex his conſtare poteſt, quale eſt Verbum in ſenſu literæ, tum quale eſt Verum Divinum in ſuo communiſſimo, quod nempe ſit ſecundum apparentias; ex cauſa, quia homo talis eſt, ut quod videt, & ex ſenſuali ſuo capit, credat, & quod non videt, nec ex ſenſuali ſuo capit, non credat, ita non recipiat: inde eſt, quod Verbum in ſenſu literæ ſit ſecundum illa quæ apparent; ſed uſque in interiori ſuo ſinu recondita habeat genuina vera, & in intimo ſinu ipſum Verum Divinum, quod procedit immediate a Domino, ita quoque Divinum Bonum, hoc eſt, Ipſum Dominum.

6998. Et dixit, annon Aharon frater tuus Levita, quod ſignificet doctrinam boni & veri, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum ſeu Sacerdotium, hic autem, antequam in Sacerdotium initiatus eſt, eſt doctrina boni & veri; quapropter etiam dicitur quod ille erit Moſchi ad os, & Moſcheh illi ad Deum, per Moſchen enim repræſentatur Dominus quoad Divinum Verum quod immediate a Domino procedit, inde per Aharonem Divinum Verum quod mediate a Domino procedit, quod verum eſt doctrina boni & veri; illud Verum quod Moſcheh hic repræſentat, eſt Verum quod ab homine non audiri, nec percipi poteſt, n: 6982, at Verum quod Aharon repræſentat, eſt Verum quod ab homine & audiri & percipi poteſt, inde Aharon dicitur os, & Moſcheh ejus Deus; & inde Aharon dicitur Levita, nam per Levitam ſignificatur doctrina boni & veri Eccleſiæ, quæ ſacerdotio miniſtrat & inſervit.

6999. Novi quod loquetur ille, quod ſignificet prædicationem, conſtat ex ſignificatione loqui, cum dicitur de doctrina, quæ per Aharonem repræſentatur, quod ſit prædicatio, nam hæc eſt doctrina, hoc eſt, ejus qui repræſentat doctrinam, & qui vocatur os, quod eſt enuntiatio, n: 6987.

7000. Et etiam ecce ille exit obviam tibi, quod ſignificet receptionem, conſtat ex ſignificatione obviam exire, quod hic ſit paratum ſiſti recipiendi, nempe Divinum Verum, quod per Moſchen repræſentatur, ita receptio ejus: angeli & ſpiritus, qui Divinum Verum a Domino procedens recipiunt, & ulterius promovent, dicuntur obviam exire, cum ſiſtuntur a Domino parati ad recipiendum.

7001. Et videbit te, quod ſignificet perceptionem, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit intelligere & percipere, de qua n: 2150. 2807. 3764. 3863. 4567. 4723.

7002. Et lætabitur in corde ſuo, quod ſignificet affectionem amoris, conſtat ex ſignificatione lætari in corde, quod ſit amænum & jucundum ex affectione quæ eſt amoris; ex affectione enim amoris omnis lætitia procedit. Quod affectio amoris dicatur de doctrina boni & veri, & non de illis qui in doctrina ſunt, eſt ex loquela Angelica, ita enim loquuntur angeli, quia nolunt loqui de perſonis; nam loquela de perſonis averteret ideas ab intuitione rerum univerſali, ita a comprehenſione rerum innumerabilium ſimul; idcirco doctrinæ tribuunt amænum & jucundum, tum affectionem, & ſimilia; in doctrina etiam inſunt cum homo illam ſibi applicat, quia in doctrina eſt Verum

Divinum

Divinum procedens a Domino; & in Vero Divino procedente a Domino eſt amor, ita amænum & jucundum.

7003. Et loquaris ad illum, quod ſignificet influxum, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit influxus, de qua n: 2951. 5481. 5743. 5797.

7004. Et ponas verba in ore illius, quod ſignificet quod quæ enuntiat a Divino Humano procedent, conſtat ex repræſentatione Moſchis, qui poneret in ore Aharonis verba, quod ſit Dominus quoad Divinum Verum, quod procedit a Divino Humano Ipſius, de qua prius; ex ſignificatione oris, quod ſit vox & enuntiatio, de qua ſupra n: 6987, ita ponere in ore, eſt dare ut enuntiet, at cum prædicatur de Domino, eſt procedere, nam Verbum, quod enuntiatur a ſpiritu ſeu Angelo, a Divino Humano Domini procedit; Aharon enim repræſentat doctrinam boni & veri, quæ enuntiatur. Cum hoc ita ſe habet; a Domino procedit Divinum Verum immediate & mediate; quod immediate procedit, hoc eſt ſupra omnem intellectum Angelorum; quod autem mediate procedit, hoc adæquatum eſt Angelis in cœlis, & quoque hominibus, nam tranſit per cœlum, & inde induit quale Angelicum, & quale humanum; ſed in hoc Verum etiam influit Dominus immediate, & ſic ducit Angelos & homines tam mediate quam immediate, videatur n: 6058; ſunt enim omnia & ſingula a Primo Eſſe, & ordo ita inſtitutus eſt, ut Primum Eſſe in derivatis adſit mediate & immediate, ita æque in ultimo ordinis ac in primo ejus; ipſum enim Divinum Verum eſt unicum ſubſtantiale, derivata non ſunt niſi quam formæ ſucceſſivæ inde, inde etiam patet, quod Divinum influat etiam immediate in omnia & ſingula, nam a Divino Vero omnia creata ſunt, eſt enim Divinum Verum unicum eſſentiale, n: 6880, ita a quo omnia; Divinum Verum eſt quod vocatur Verbum apud Johannem, "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; omnia per Ipſum facta ſunt, & ſine Ipſo factum eſt nihil quod factum eſt," 1: 1. 3. Per talem influxum ducit Dominus hominem non modo Providentia in univerſali, ſed etiam in omni ſingulari, imo in omnium ſingulariſſimis; inde nunc eſt, quod dicatur, quod, quæ enuntiantur, a Divino Humano procedent. Quod immediatus ſit influxus Domini ubi etiam mediatus, ita in ultimo ordinis æque ac in primo ejus, dictum mihi eſt e cœlo, & data ejus rei viva perceptio; tum quod id quod per mediatum influxum fit, hoc eſt, per cœlum ac per angelos ibi, ſit per parum reſpective; ut & quod Dominus per immediatum influxum ſimul ducat cœlum, & per illum omnia & ſingula ibi in ſuo nexu & ordine teneat.

7005. Et Ego ero cum ore tuo, quod ſignificet quod Verum Divinum procedet per Divinum Humanum ab Ipſo Divino, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Verum Divinum, de qua prius; & ex ſignificatione eſſe cum ore tuo, quod ſit ineſſe Vero Divino quod a Divino Humano procedit; Ipſum Divinum, quod Pater vocatur, intelligitur per Ego ſeu Jehovam, inde patet, quod per Ego ero cum ore tuo, ſignificetur quod Verum Divinum procedat per Divinum Humanum ab Ipſo Divino, quod idem eſt ac quod ſanctum ſpiritus procedat a Filio, & quod Filius a

Patre,

Patre, ſecundum doctrinale Eccleſiæ; quod tamen ita intelligendum, quod Trinum illud in Domino ſit, & ibi unum.

7006. Et cum ore ejus, quod ſignificet ita cum illis quæ inde, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit doctrina boni & veri, de qua n: 6998; & ex ſignificatione eſſe cum ore ejus, quod ſit Divinum cum doctrina illa, & in illa; & quia doctrina illa eſt ex Divino Vero, quod immediate a Divino Humano procedit, de quo mox ſupra n: 7005, ideo per eſſe cum ore ejus ſignificatur cum illis quæ inde: quod doctrina boni & veri a Divino Humano Domini procedat mediate & immediate, videatur ſupra n: 7004.

7007. Et docebo vos quæ facietis, quod ſignificet ita Divinum in omnibus & ſingulis quæ fient, conſtat ex ſignificatione docere, quod ſit influere, & cum prædicatur de Divino, ut hic, quod ſit procedere, ut ſupra n: 6993; & ex ſignificatione quæ facietis, quod ſit quæ fient; quod ſit in omnibus & ſingulis, eſt quia dicitur de Divino. Quod Divinum ſit in omnibus & ſingulis, quæ apud hominem fiunt, hic aliquid dicendum; quod ita ſit, apparet homini prorſus aliter, ex cauſa, quia cogitat, ſi Divinum foret in omnibus & ſingulis quæ fiunt, quod non fierent mala, nec foret alicui damnatio, tum quod cauſæ juſtum ſemper triumpharet, quod probi felices in mundo eſſent præ improbis, & plura ſimilia; & quia contrarium vident, non credunt quod Divinum ſit in omnibus & ſingulis; inde eſt, quod ſibimet ſuæque prudentiæ tribuant ſingularia, & Divino ſolum regimen univerſale, & quod cætera vocent fortunam ac caſum, quæ illis ſunt cæca naturæ: ſed ita cogitat homo, quia non ſcit arcana cœli, quæ ſunt, quod Dominus unicuique relinquat ſuum liberum, nam niſi homo in libero ſit, nuſquam poteſt reformari, coactum non reformat, quia nihil irradicat; coactum enim non eſt hominis velle, ſed liberum eſt ejus velle; & tamen bonum & verum, ut ſit homini ſicut ejus proprium, irradicandum eſt eſt in ejus voluntate; quod extra illam eſt, non eſt hominis; & quia quiſque libero ſuo ob illam cauſam relinquitur, inde eſt quod liceat homini cogitare malum, & facere malum, quantum non timores externi non inhibent; & quoque inde eſt, quod improbus lætetur & glorietur in mundo ad apparentiam pluſquam probus, ſed gloriatio & lætitia improbi eſt externa ſeu corporis, quæ in altera vita vertitur in infauſtum infernale, gloriatio autem & lætitia probi eſt interna ſeu ſpiritus, quæ manet & fit fauſtum cœleſte: & præterea in eminentia & opulentia eſt felicitas mundana, non autem æterna, inde illa eſt tam improbis quam probis, ſi non probis eſt ne per talia avertantur a bono; & quia homo in mundanis bonis & fauſtatibus ponit benedictionem Divinam, ideo cum videt contrarium, ex infirmo ſuo labitur in errores de Providentia Divina: concludit etiam a præſentibus quæ videt, nec cogitat quod Divina Providentia ſpectet æternum; imprimis ut omnia in ordine ſint in cœlo, & quoque in inferno, ita ut cœlum jugiter referat unum Hominem, ac ut infernum in oppoſito ſit, unde equilibrium; & quod hæc nequaquam exiſtere poſſint, niſi per Providentiam Divinam in omnium ſingulariſſimis, ita niſi Divinum continue hominis liberum regat & flectat. In cæteris videantur, quæ prius de Providentia

Divina.

Divina dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe Providentia Domini non dari queat univerſalis niſi ſit in ſingulariſſimis, n: 1919 f. 4324. 5122 f. 5904 f. 6481 ad 6486. 6490. Quod Providentia Domini ſpectet æternum, n: 5264. 6491. Quod a Domino prævideatur malum, & provideatur bonum, n: 5155. 5195. 6489. Quod Dominus malum quod prævidet, vertat in bonum, n: 6574. Quod contingentia ſint Providentiæ, n: 5508. 6493. 6494. Quod propria prudentia ſit ſicut rarus grumus in athmoſphæra, & quod Providentia ſit ſicut tota athmoſphæra, n: 6485. Quod plures fallaciæ impugnent Providentiam Divinam in ſingularibus, n: 6481.

7008. Et loquetur ille tibi ad populum, quod ſignificet quod ille doctrina erit Eccleſiæ ſpirituali, conſtat ex repræſentatione Aharonis, de quo dicitur quod loquetur Moſchi ad populum, quod ſit doctrina boni & veri, de qua n: 6998; ex ſignificatione loqui, quod ſit confeſſio & prædicatio, de qua n: 6999; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus, quod ſint Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 6426.

7009. Et fiet, ille erit tibi ad os, quod ſignificet verum doctrinæ, quod etiam mediate a Domino procedit, conſtat ex repræſentatione Aharonis, qui erit Moſchi ad os, quod ſit doctrina, de qua n: 6998; & ex ſignificatione eſſe Moſchi ad os, quod ſit enuntiatio ſeu prædicatio ejus, de qua n: 6987. quod dicatur Verum doctrinæ, quod etiam mediate a Domino procedit, eſt quia Verum doctrinæ, quod per Aharonem repræſentatur, eſt quale auditur & percipitur ab Angelis & ab hominibus, hoc verum eſt quod mediate procedit a Domino; at Verum, quod per Moſchen repræſentatur, eſt quod immediate a Domino procedit, & non auditur nec percipitur ab hominibus, & ne quidem ab angelis, videatur n: 6982. 6985. 6996. 7004.

7010. Et tu eris illi ad deum, quod ſignificet Divinum Verum quod immediate a Domino procedit, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n: 6752; quod ſit Divinum Verum quod immediate a Domino procedit, ſignificatur per quod eſſet Aharoni ad deum; per deum enim in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, & per Jehovam Dominus quoad Divinum Bonum: quod in Verbo Dominus dicatur Deus, ubi agitur de Vero, at Jehovah ubi agitur de bono, videatur n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 f. 4402; quod angeli dicantur dii ex veris in quibus ſunt a Domino, n: 4402: & in oppoſito ſenſu quod dii gentium ſint falſa, n: 4402 f. 4544.

7011. Et baculum hunc accipias in manu tua, quod ſignificet potentiam Divinam in illis, conſtat ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia, de qua n: 4013. 4015. 4876. 4936, & quidem tunc quando in manu eſt; per manum enim ſignificatur potentia ſpiritualis, & per baculum potentia naturalis; ſicut nihil potentiæ eſt naturali niſi ex ſpirituali, ita non baculo niſi in manu ſit, quapropter dicitur ut acciperet illum in manu: quod manus cum prædicatur de Domino, ſit potentia procedens a Divino Rationali Ipſius, & baculus potentia procedens a Divino Naturali Ipſius, videatur n: 6947. dicitur potentia

tia Divina in illis, nempe in Veris, de quibus ſupra, quia potentia prædicatur de Vero, n: 3091. 6344. 6413. 6948.

7012. Quo facies ſigna, quod ſignificet inde illuſtrationem & confirmationem veritatum, conſtat ex ſignificatione ſigni, quod ſit confirmatio veritatum, de qua n: 6870; quod quoque ſit illuſtratio, eſt quia confirmatio veritatum fit per illuſtrationem a Domino cum homo Verbo ſtudet fine ſciendi vera. Quod illuſtrationem attinet, & inde confirmationem veritatum, ſciendum, quod illi qui in externis abſque interno ſunt, ut fuerunt Judæi & Iſraelitæ, non poſſint illuſtrari, ita nec confirmari in veris; at qui in externis ſunt, & ſimul in internis, cum legunt Verbum, illuſtrantur, & in illuſtratione vident vera, in quibus poſtea magis & magis confirmantur: & quod mirum, talis unicuique eſt illuſtratio, qualis ei affectio veri eſt, & talis affectio veri, quale bonum vitæ; inde quoque eſt, quod qui in nulla affectione veri ſunt propter verum, ſed propter lucra, prorſus non illuſtrentur cum legunt Verbum, ſed modo confirmantur in doctrinalibus, qualiacunque ſint, ſive falſa, ut ſunt hæretica, ſive prorſus contraria veris, ut ſunt Judaica, nam Regnum Domini non quærunt, ſed mundum, non fidem ſed famam, ita non divitias cœleſtes ſed modo terreſtres; ſique illis forte incidit cupido ſciendi vera ex Verbo, offerunt ſe falſa loco verorum, & tandem negatio omnium: hæc dicta ſunt, ut ſciatur quid illuſtratio, & inde confirmatio veri.

7013. Verſ: 18. 19. 20. *Et ivit Moſcheh, & reverſus ad Jethronem ſocerum ſuum, & dixit ei, ibo quæſo, & revertar ad fratres meos qui in Ægypto, & videbo num adhuc illi vivunt; & dixit Jethro Moſchi, vade in pace. Et dixit Jehovah ad Moſchen in Midian, vade, revertere Ægyptum, quia mortui ſunt omnes viri quærentes animam tuam. Et accepit Moſcheh uxorem ſuam, & filios ſuos, & equitare fecit illos ſuper aſino, & reverſus terram Ægypti: & accepit Moſcheh baculum Dei in manu ſua.* Et ivit Moſcheh & reverſus, ſignificat vitæ prioris continuum: ad Jethronem ſocerum ſuum, ſignificat in ſimplici bono: & dixit ei, ibo quæſo, & revertar ad fratres meos qui in Ægypto, ſignificat elevationem ad interiorem & magis ſpiritualem vitam in naturali: & videbo, num adhuc illi vivunt, ſignificat illius vitæ perceptionem: & dixit Jethro Moſchi, vade in pace, ſignificat aſſenſum & votivum: & dixit Jehovah ad Moſchen in Midian, ſignificat illuſtrationem & confirmationem a Divino in illo ſtatu: vade, revertere Ægyptum, ſignificat ſpiritualem vitam in naturali: quia mortui ſunt omnes viri quærentes animam tuam, ſignificat remotionem falſorum vitam veri & boni deſtruere conantium: & accepit Moſcheh uxorem ſuam, ſignificat bonum adjunctum: & filios ſuos, ſignificat vera inde: & equitare fecit illos ſuper aſino, ſignificat illa quæ novæ intelligentiæ inſervirent: & reverſus terram Ægypti, ſignificat in mente naturali: & accepit Moſcheh baculum Dei in manu ſua, ſignificat quod illa ex potentia Divina.

7014. Et ivit Moſcheh & reverſus, quod ſignificet vitæ prioris continuum, conſtat ex ſignificatione ire, quod ſit vita, de qua n: 4882. 5493. 5606; ex ſigni-

ſignificatione reverti ſeu redire, quod ſit vivere ubi prius; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Legem ſeu Verum a Divino, de qua n: 6771. 6827: cum Moſcheh fuit in Chorebo monte apud Jehovam in flamma viſum, tunc repræſentabat Dominum quoad Divinum Verum; nunc autem apud Jethronem ſocerum ſuum, qui eſt bonum Eccleſiæ quæ in vero ſimplicis boni, repræſentat Dominum quoad Verum a Divino. Hic & alibi in Verbo in ſenſu interno deſcribuntur, omnes ſtatus vitæ Domini in mundo, quomodo tunc Humanum ſuum Divinum fecit; quod ſtatus ſucceſſivi fuerint, conſtare poteſt ex eo, quod Dominus cum infans ſicut infans fuerit, & quod poſtea ſuccreverit in intelligentia & ſapientia, ac jugiter illis inſinuaverit Divinum Amorem, uſque dum etiam quoad Humanum ſuum factus ſit Divinus Amor, hoc eſt, Divinum Eſſe ſeu Jehovah: & quia Dominus ita ſucceſſive induit Divinum, inde eſt quod primum ſe fecerit Verum a Divino, poſtmodum Divinum Verum, & tandem Divinum Bonum: hi gradus glorificationis Domini fuerunt, qui hic & alibi in ſenſu interno Verbi deſcribuntur.

7015. Ad Jethronem ſocerum ſuum, quod ſignificet in ſimplici bono, nempe vitæ continuum, conſtat ex repræſentatione Jethronis, qui quia ſacerdos Midianis, quod ſit bonum Eccleſiæ quæ in vero ſimplicis boni, de qua n: 6827; hoc bonum intelligitur per ſimplex bonum; & ex ſignificatione ſoceri, quod ſit a quo conjunctio boni & veri, de qua n: 6827.

7016. Et dixit, ibo quæſo & revertar ad fratres meos qui in Ægypto, quod ſignificet elevationem ad interiorem & magis ſpiritualem vitam in naturali, conſtat a ſignificatione ire & reverti, quod ſit vitæ ſucceſſivum, & vitæ ſucceſſivum hic eſt elevatio ad interiorem & magis ſpiritualem vitam, ita propius ad Divinum; cum enim de Domino, Qui per Moſchen repræſentatur, dicitur ire & reverti, intelligitur elevari ad Divinum Eſſe ſeu Jehovam Qui in Ipſo, & a Quo Ipſe; a repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt fratres, quod ſint Regnum Spirituale Domini, & inde Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 6426. 6637; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit naturale, de qua n: 6147. 6252; inde patet, quod per ibo & revertar ad fratres meos qui in Ægypto, ſignificetur elevatio ad interiorem & magis ſpiritualem vitam in naturali; nam ſicut Moſchis habitatio in Midiane ſignificabat vitam cum illis qui in vero ſimplicis boni, ita in ſimplici bono, n: 7015; ita habitatio nunc cum filiis Iſraelis ſignificat vitam cum illis qui in vero & bono Eccleſiæ ſpiritualis; quæ vita priori eſt interior & magis ſpiritualis; quod bonum & verum illius Eccleſiæ ſint in naturali, videatur n: 4286. 4402.

7017. Et videbo num adhuc illi vivunt, quod ſignificet illius vitæ perceptionem, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit intelligere & percipere, de qua n: 2325. 2807. 3764. 3863. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; & ex ſignificatione vivere, quod ſit vita ſpiritualis, de qua n: 5407. Per illius vitæ perceptionem intelligitur perceptio quæ præcedit, nam cum quis ſibi proponit aliquid, percipit id ſicut præſens, mittet enim mentem ſuam in ſtatum illius rei, inde deſideria, & inde jucundum ſicut rei præſentis;

ita

ita fines medii conjungunt ſe cum fine ultimo, & faciunt ſicut unum finem.

7018. Et dixit Jethro Moſchi, vade in pace, quod ſignificet aſſenſum & votivum, conſtat ex ſignificatione dixit Jethro ad Moſchen, quod ſit reſponſum; quod ſit aſſenſus, ſignificatur per vade in pace, tum quod ſit votivum.

7019. Et dixit Jehovah ad Moſchen in Midian, quod ſignificet illuſtrationem & confirmationem a Divino in illo ſtatu, conſtat ex eo, quod Jehovah Moſchi diceret quod reverteretur Ægyptum, cum tamen Moſchi id prius a Jehovah mandatum fuerit, Cap: III: 10 ſeq: & ſupra in hoc Capite Verſ: 12: ſeq: & cum Moſcheh ex mandato jamdum præparaverit ſe ad viam, inde conſtare poteſt, quod per hoc mandatum ſignificetur illuſtratio & confirmatio a Divino: quod illuſtratio & confirmatio fuerit in illo ſtatu, nempe in ſtatu veri ſimplicis boni, ſignificatur per quod a Jehovah dictum id ad Moſchen in Midian; quod Midian ſit verum ſimplicis boni, videatur n: 3242. 4756. 4788. 6773.

7020. Vade, revertere Ægyptum, quod ſignificet ſpiritualem vitam in naturali, conſtat ex ſignificatione vadere ſeu ire & reverti, quod ſit interior & magis ſpiritualis vita, de qua ſupra n: 7016; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit naturale, de qua n: 6147. 6252.

7021. Quia mortui ſunt omnes viri quærentes animam tuam, quod ſignificet remotionem falſorum vitam veri & boni deſtruere conantium, conſtat ex ſignificatione mortui eſſe, quod ſit quod remoti, nam qui mortui ſunt, illi quoque remoti ſunt; ex ſignificatione Ægyptiorum, qui hic ſunt viri, quod ſint qui in falſis, de qua n: 6692; & ex ſignificatione quærentium animam, quod ſint qui vitam deſtruere conantur; & quia vita ſpiritualis eſt vita veri quæ fidei, & boni quæ charitatis, ideo dicitur vita veri & boni: inde patet, quod per quod mortui ſint omnes viri quærentes animam tuam, ſignificetur remotio falſorum vitam veri & boni deſtruere conantium. Per animam in Verbo intelligitur omne vivum, ac tribuitur quoque animalibus, at propria dicitur anima de homine, & cum de homine, in vario ſenſu; ipſe homo vocatur anima, quia ejus vita in communi; tum ejus vita intellectualis in ſpecie, ſeu intellectus, & quoque ejus vita voluntaria ſeu voluntas; ſed in ſpirituali ſenſu per animam intelligitur vita veri quæ fidei, & boni quæ charitatis; & in genere ipſe homo quoad ſpiritum ſuum, qui vivit poſt mortem; in quo ſenſu apud Matthæum, "Ne timete vobis ab iis qui occidere corpus poſſunt, *animam vero occidere non poſſunt*," x: 28: apud Eundem, "Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucratus fuerit, *animæ autem jacturam fecerit*, aut quod dabit homo pretium ſufficiens redemtionis *animæ ſuæ*," XIV: 26: apud Lucam, "Filius hominis non venit ad perdendum *animas hominum*, ſed ad ſervandum," IX: 56: apud Ezechielem, "Prophanaſtis Me apud populum meum, *ad occidendum animas* quæ non mori debent; & *ad vivificandum animas*, quæ non vivere debent," XIII: 19; in illis locis anima pro hominis vita ſpirituali,

ſpirituali, quæ vita eſt ſpiritus ejus poſt mortem ; occidere animam, jacturam animæ facere, perdere animam, pro mori ſpiritualiter ſeu damnari.

7022. Et accepit Moſcheh uxorem ſuam, quod ſignificet bonum adjunctum, conſtat ex repræſentatione Moſchis; quod ſit Dominus quoad Legem ſeu Verum a Divino, de qua prius; & a ſignificatione uxoris, quod ſit bonum adjunctum, de qua n: 4510. 4823. Quod in ſenſu interno, & quoque in ſenſu ſupremo, in quo agitur de Domino, per uxorem, quæ Moſchi, repræſentetur bonum conjunctum vero, eſt quia in omnibus & ſingulis quæ in ſpirituali mundo, & quæ in naturali ſunt, inſtar conjugii eſt ; inſtar conjugii eſt, ubi agens & patiens ; ac agens & ſimul patiens erit ubi aliquid exiſtet, abſque illorum conjunctione nequicquam aliquid produci poteſt: quod inſtar conjugii ſit in omnibus, eſt quia omnia ſe referunt ad bonum & verum, ita ad conjugium cœleſte quod eſt boni & veri ; & conjugium cœleſte ad conjugium Divinum, quod eſt Divini Boni & Divini Veri ; & quia, ut dictum, nihil exiſtere ac produci poteſt, niſi ſit agens & patiens, ita niſi ſit inſtar conjugii ; inde manifeſte patet, quod Verum quod fidei abſque bono quod charitatis, nihil poſſit producere, nec bonum quod charitatis abſque vero quod fidei, ſed erit utriuſque conjunctio quæ producet fructus, & efficiet vitam cœli apud hominem. Quod in omnibus & ſingulis ſit inſtar conjugii, videatur n: 1432. 2173. 2176. 5794. Quod in ſingulis Verbi ſit conjugium boni & veri, n: 683. 793. 801. 2576. 2712. 4138 f. 5738. 6343, conſequenter in ſingulis Verbi eſt Cœlum, nam Cœlum eſt ipſum illud conjugium ; & quia in ſingulis Verbi eſt Cœlum, eſt in ſingulis Verbi Dominus, quoniam Dominus eſt omne in omnibus cœli. Ex his conſtare poteſt, unde eſt, quod uxor Moſchis repreſentet bonum conjunctum vero, etiam in ſupremo ſenſu, in quo de Domino agitur, ſimiliter ac Sarah uxor Abrahami, de qua n: 2063. 2065. 2172. 2173. 2198, tum Rebecca uxor Jiſchaki, n: 3012. 3013. 3077.

7023. Et filios ſuos, quod ſignificet vera inde, conſtat ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373 ; inde dicitur, quia ex conjugio, de quo nunc ſupra.

7024. Et equitare fecit illos ſuper aſino, quod ſignificet illa quæ novæ intelligentiæ inſervirent, conſtat ex ſignificatione equitare, quod ſint illa quæ ſunt intellectus, hic quæ ſunt novæ intelligentiæ, quæ erit vitæ inter illos qui in Eccleſia ſpirituali, n: 7016 ; quod equitare ſint illa, eſt quia equus ſignificat intellectuale, de quibus videatur n: 2761. 2762. 3217. 5321. 6534 ; & ex ſignificatione aſini, quod ſit verum inſerviens, hic novæ intelligentiæ, de qua n: 2781. 5741 ; & quoque quod ſit ſcientificum, n: 5492.

7025. Et reverſus terram Ægypti, quod ſignificet in mente naturali, conſtat ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

7026. Et accepit Moſcheh baculum Dei in manu ſua, quod ſignificet quod illa ex potentia Divina, conſtat ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia, de qua n: 4013. 4015. 4876. 4936, ita baculus Dei eſt potentia Divina: quod baculus ſit potentia naturalis & manus potentia ſpiritualis, & quod naturali ſit

potentia ex ſpirituali, ita quod per baculum ſignificetur potentia cum eſt in manu, videatur ſupra n: 7011. Quod baculus ſit potentia, originem ducit a repræſentativis in altera vita, ibi enim, qui magica exercent, cum baculis apparent, qui illis quoque inſerviunt pro potentiis; inde quoque Magis Ægyptiis fuerunt baculi, per quæ fecerunt talia, quæ apparebant ſicut miracula; inde Antiqui in ſuis ſcriptis ubique aſſignant Magis baculos; ex his conſtare poteſt, quod baculus ſit repræſentativum potentiæ, & quod etiam realis correſpondentia ſit, nam actualiter potentia per baculos exercetur, ſed hoc apud Magos eſt correſpondentiæ abuſus, nec valet quicquam niſi intra inferna ubi ſunt, & ibi quia eluſiones & phantaſiæ regnant. Et quia realis correſpondentia eſt baculi cum potentia, idcirco Moſchi mandatum eſt, ut baculum acciperet in manu, & per illum ſigna faceret; & idcirco etiam regibus eſt ſceptrum, quod eſt curtus baculus, & per illud ſignificatur potentia regia. Correſpondentia baculi & potentiæ inde eſt, quod baculus ſuſtentet manum & brachium, ita ſimul corpus, & manus & brachium correſpondet potentiæ in Maximo Homine, videatur n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544. 6947. 7011.

7027. Verſ: 21. 22. 23. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, in eundo te ad revertendum Ægyptum, vide omnia portenta, quæ poſui in manu tua, & facias illa coram Pharaone; & Ego obfirmabo cor illius, & non mittet populum. Et dicas ad Pharaonem, ita dixit Jehovah, filius meus, primogenitus meus, Iſrael. Et dico ad te, dimitte filium meum, & ſerviat Mihi, & renuis dimittere illum, ecce Ego occido filium tuum, primogenitum tuum.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat perceptionem a Divino: in eundo te ad revertendum Ægyptum, ſignificat ſpiritualem vitam in naturali: vide, omnia portenta, quæ poſui in manu tua, ſignificat media potentiæ ex ſpirituali tunc: & facias illa coram Pharaone, ſignificat contra falſa infeſtantia: & Ego obfirmabo cor illius, & non mittet populum, ſignificat obſtinationem, & ſic nondum liberationem: & dicas ad Pharaonem, ſignificat adhortationem: ita dixit Jehovah, ſignificat a Divino: filius meus primogenitus meus, Iſrael, ſignificat quod illi, qui in vero & bono ſpirituali, adoptati ſint: & dico ad te, ſignificat mandatum: dimitte filium meum, ſignificat ut abſtineant ab infeſtatione verorum Eccleſiæ: & ſerviat Mihi, ſignificat elevationem in cœlum ad uſus inde præſtandos: & renuis dimittere illum, ſignificat obſtinationem uſque ad ultimum: ecce Ego occido filium tuum, primogenitum tuum, ſignificat exſtinctionem fidei abſque charitate, & inde devaſtationem veri apud illos.

7028. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet perceptionem a Divino, conſtat ex ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit perceptio, de qua ſæpius; quod ſit a Divino, ſignificatur per quod Jehovah dixit: quod hic iterum dicatur, dixit Jehovah ad Moſchen, eſt quia nova perceptio ſignificatur, n: 2061. 2238. 2260. 2506. 2515. 2552.

7029. In eundo te ad revertendum Ægyptum, quod ſignificet ſpiritualem vitam in naturali, conſtat ex ſignificatione ire & reverti, quod ſit elevatio ad

inte-

interiorem & magis ſpiritualem vitam; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit naturale, de quibus ſupra n: 7016.

7030. Vide omnia portenta quæ poſui in manu tua, quod ſignificet media potentiæ ex ſpirituali tunc, conſtat ex ſignificatione portentorum ſeu miraculorum, quod ſit potentiæ Divinæ media, de qua n: 6919; & ex ſignificatione manus, quod ſit potentia ſpiritualis, de qua n: 7011; inde patet, quod per vide omnia portenta, quæ poſui in manu tua, ſignificentur media potentiæ ex ſpirituali.

7031. Et facias illa coram Pharaone, quod ſignificet contra falſa infeſtantia, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, quod ſit falſum infeſtans vera Eccleſiæ, de qua n: 6651. 6679. 6683. 6692: quod facias illa coram Pharaone, ſit contra illa falſa, eſt, quia ſequitur in ſerie ex illis quæ præcedunt, ibi enim per vide omnia portenta quæ poſui in manu tua, ſignificantur media potentiæ ex ſpirituali, ita, contra falſa infeſtantia; in ſenſu enim interno res in ſerie ſequuntur, quibus verba ſenſus literæ applicantur.

7032. Et Ego obfirmabo cor illius, & non mittet populum, quod ſignificet obſtinationem, & ſic nondum liberationem, conſtat ex ſignificatione obfirmare, quod ſit obſtinatio; & ex ſignificatione cordis, quod ſit voluntas, de qua n: 2930. 3888; ita per illa verba ſignificatur obſtinatio ex voluntate, proinde ex jucundo faciendi malum, nam quod voluntatis eſt, hoc jucundum eſt, & quod jucundum hoc ex amore eſt; & ex ſignificatione non mittere populum, quod ſit ex obſtinato non liberare velle, ita nondum liberatio. Dicitur hic & in ſequentibus, quod Jehovah obfirmaverit cor Pharaonis; ita dicitur ex apparentia, & ex communi notione de Divino, quod efficiat omnia, ſed hoc intelligendum eſt, prout quod Jehovæ ſeu Domino tribuatur malum, ira, furor, devaſtatio, & ſimilia plura, n: 2447. 6073. 6992. 6997. Quod obſtinationem illorum attinet, qui in falſis & inde malis, ac in malis & inde falſis ſunt, ſciendum, quod obſtinatio talis ſit, ut deſcribi non poſſit, nuſquam deſiſtunt, niſi per graves punitiones & inde timores; exhortationes & minæ nihil prorſus faciunt; cauſa eſt, quia jucundum vitæ eorum eſt malum facere; jucundum illud traxerunt dum vixerunt in mundo, ex eo imprimis, quod ſe ſolum amaverint, non proximum, ita quod in nulla charitate Chriſtiana fuerint; illi qui tales ſunt, quia non duci ſe patiuntur a Domino, ex proprio voluntario ſuo agunt, quod voluntarium malum eſt ex hæreditario, & quoque ex actuali vita; & qui ex proprio voluntario agunt, illi ex amore malum agunt, nam quod voluntarii eſt, amoris eſt; inde illis jucundum malum faciendi, & quantum in jucundo illo ſunt, tantum in obſtinatione ſunt: quod ita ſit, non apparet in mundo, ſed hoc ex cauſa, quia in mundo detinet illos amor ſui & mundi, nam timent jacturam famæ, & inde lucri & honoris, ſi malum aperte facerent; leges quoque & timor vitæ arcent; at ſi non obſtarent illa, ruerent in perniciem omnium, qui ſibi non favent, ac deprædarentur omnium facultates, & abſque ulla miſericordia occiderent quoſcunque; talis eſt homo interius, hoc eſt, talis eſt quoad ſpiritum ſuum, utcunque in mundo non talis apparet: hoc perquam manifeſte conſtare poteſt ab illis in

 altera

altera vita, illis, qui tales fuerunt in mundo, auferuntur externa, & relinquuntur voluntati, ita ſuis amoribus; & cum iis relicta ſunt, nihil jucundius appercipiunt, quam malum facere; quod etiam faciunt cum tanta obſtinatione, ut nuſquam deſiſtant, niſi per punitiones, ut dictum eſt, & dein per demerſiones in infernum. Ex his conſtare poteſt, qualis eſt homo, qui in nulla charitate erga proximum eſt; tum quod unumquemvis vita ſua maneat, non vita civilis quæ fuit externa & apparens in mundo, ſed vita ſpiritualis, quæ fuit interna, & non in mundo apparuit.

7033. Et dicas ad Pharaonem, quod ſignificet exhortationem, conſtat ex ſignificatione dicere, cum ſit ex mandato Divino, quod ſit exhortatio: & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſit falſum infeſtans vera Eccleſiæ, ita illi qui in falſo ſunt & infeſtant, de qua n: 6651. 6679. 6683. 6692.

7034. Ita dixit Jehovah, quod ſignificet ex Divino, nempe exhortatio, conſtat ab illis quæ nunc ſupra dicta ſunt, tum quoque ex nunc ſequentibus.

7035. Filius meus, primogenitus meus, Iſrael, quod ſignificet quod illi, qui in vero & bono ſpirituali, adoptati ſint, conſtat ex ſignificatione filii, cum a Jehovah ſeu Domino dicitur de illis qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, quod ſit adoptatus, de qua ſequitur; ex ſignificatione primogeniti, quod ſit fides charitatis, quæ eſt Eccleſiæ ſpiritualis, de qua n: 367. 2435. 3328. 4925. 4926. 4928. 4930; & ex repræſentatione Iſraelis, quod ſit Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 6637. Quod filius meus, primogenitus meus, Iſrael, ſint illi qui in vero & bono ſpirituali, hoc eſt, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, adoptati ſint, ita pro filiis agniti, eſt quia Dominus per adventum ſuum in mundum illos ſalvavit, videatur n: 6854. 6914; inde etiam, & quoque ex fide in Dominum, vocantur filius primogenitus: illi quoque intelliguntur a Domino apud Johannem, "Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex ovili hoc; etiam illas oportet Me adducere, vocemque meam audient, & fiet unus grex, & unus Paſtor," x: 16.

7036. Et dico ad te, quod ſignificet mandatum, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah, quod ſit mandatum.

7037. Dimitte filium meum, quod ſignificet ut abſtineant ab infeſtatione verorum Eccleſiæ, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, quod ſit falſum infeſtans vera Eccleſiæ, de qua n: 6651. 6679. 6683. 6692; ex ſignificatione dimitte, quod ſit mandatum ut abſtineant; & ex ſignificatione filii, quod ſint qui in vero & bono ſpirituali, & adoptati, de qua mox ſupra n: 7034; inde patet, quod per dimitte filium meum ſignificetur, ut abſtineant ab infeſtatione illorum qui in veris Eccleſiæ.

7038. Et ſervient Mihi, quod ſignificet elevationem in Cœlum ad uſus inde præſtandos, conſtat ex ſignificatione ſervire Jehovæ ſeu Domino, quod ſit uſus præſtare; & quia agitur de illis qui ab Eccleſia ſpirituali ſalvati ſunt per adventum Domini, & qui illorum ante adventum Domini fuerunt in terra inferiore, & dein elevati in cœlum, n: 6854. 6914, ac inde venerunt in ſtatum uſus præſtandi, ideo per ſervient Mihi, ſignificatur elevatio in cœlum ad uſus inde præſtandos. Quod ſervire Domino, ſit uſus præſtare, eſt inde,

quia

quia verus cultus conſiſtit in præſtatione uſuum, ita in charitatis exercitiis: qui credit, quod ſervire Domino conſiſtat ſolum in frequentare templum, audire ibi prædicationem, & precari, & quod hoc ſatis ſit, multum fallitur, ipſe cultus Domini conſiſtit in præſtandis uſibus; & uſus ſunt, cum homo vivit in mundo, ut quiſque in ſua ſtatione functionem ſuam rite obeat, ita inſerviendo patriæ, ſocietatibus, & proximo, ex corde, utque ſincere cum ſocio agat, & officia præſtet prudenter ſecundum cujuſvis quale; hi uſus ſunt præcipue exercitia charitatis, & ſunt per quæ præcipue colitur Dominus; frequentatio templi, auditio prædicationum, & preces, ſunt quoque neceſſaria; ſed abſque illis uſibus nihil valent, nam illa non ſunt vitæ, ſed docent qualis vita erit. Angeli in cœlo omnem felicitatem habent ex uſibus, & ſecundum uſus, adeo ut uſus ſint illis cœlum. Quod ex ordine Divino ſecundum uſus ſit felicitas, conſtare poteſt ex illis quæ apud hominem correſpondent illis quæ in Maximo Homine, prout ex ſenſibus externis, nempe ex viſu, auditu, guſtu, odoratu, tactu, qui quod correſpondeant, ad finem plurium Capitum oſtenſum eſt; his ſenſibus inde ſunt jucunda prorſus ſecundum uſus quos præſtant; jucundiſſimum eſt ſenſus amoris conjugialis, ob maximum uſum, quia inde propagatio generis humani, & ex genere humano cœlum; jucundum guſtus dein ſequitur, cui tale jucundum eſt quia inſervit nutritioni, ac inde ſanitati corporis, ſecundum quam mens ſane agat; jucundum adoratus eſt minus jucundum, quia modo inſervit recreationi, ac ita quoque ſanitati: jucundum auditus, & jucundum viſus, ultimo loco ſunt, quia modo excipiunt illa quæ inſervitura ſunt pro uſibus, ac intellectuali parti, non ita voluntariæ, famulantur. Ex his & aliis ſimilibus pateſcit, quod uſus ſint ſecundum quos a Domino datur felicitas in cœlo; & quod uſus ſint, per quos Dominus principaliter colitur: inde eſt quod Johannes ad pectus Domini ad menſam accubuerit, & Dominus illum præ cæteris amaverit, ſed hoc non propter ipſum, ſed quia repræſentavit exercitia charitatis, hoc eſt, uſus; quod Johannes illa repræſentaverit, videatur Præfatio ad Cap: XVIII & XXII Geneſ: & n: 3934. Et renuis dimittere illum, quod ſignificet obſtinationem uſque ad ultimum, conſtat ex ſignificatione renuere dimittere illum, quod ſit ex obſtinato non liberatio, ut ſupra n: 7032.

7039. Ecce Ego occido filium tuum primogenitum tuum, quod ſignificet exſtinctionem fidei abſque charitate, & inde devaſtationem veri apud illos, conſtat ex ſignificatione occidere, quod ſit exſtinctio; & ex ſignificatione filii primogeniti, nempe Pharaonis & Ægyptiorum, quod ſit fides abſque charitate, de qua n: 3325; per Pharaonem enim & per Ægyptios repræſentata ſunt ſcientifica quæ Eccleſiæ, n: 4749. 4964. 4966. 6004, ita ſcientifica quæ ſunt fidei, nam hæc ſcientifica ſunt Eccleſiæ; at quia verterunt ſcientifica illa in magica n: 6692, & inde opera illorum mala fuerunt, & abſque ulla charitate, idcirco per primogenitos illorum ſignificantur talia quæ ſcientiæ fidei ſunt, ita fides abſque charitate; quod illa per primogenitos Ægypti ſignificentur, patet a ſignificatione primogenitorum Iſraelis, quod ſint fides charitatis, de qua ſupra n: 7035: fides abſque charitate dicitur, ſed per fidem

hic

hic intelligitur ſcientia talium quæ fidei ſunt, nam non datur fides ubi non charitas; talia quæ fidei, apud illos qui non in charitate ſunt, modo ſunt res memoriæ, & in memoria non ſub alia forma, quam eſt aliud ſcientificum; nec ibi eſt ſcientificum veri quod fidei, quia conſpurcatum eſt ideis falſi, & quoque inſervit pro mediis ad patrocinanda falſa; quia ita ſe habet cum fide abſque charitate, idcirco exſtinguitur illa apud malos in altera vita, & illi devaſtantur prorſus quoad verum; ex cauſa, ne vera inſerviant illis pro mediis ad mala, & ſic ne apud illos infernum aliquo modo dominetur ſuper talia quæ ſunt cœli, & ne inde pendeant inter cœlum & infernum; hæc exſtinctio & hæc devaſtatio veri eſt quæ ſignificatur per quod occiderentur primogeniti in Ægypto: quod dein perierint in mari Suph, repræſentabat ſtatum damnationis ſeu mortis ſpiritualis talium poſtea, nam oblatis illis quæ ſunt fidei ſeu Veri, quæ fuerint quaſi alæ quæ elevabant, mox ſicut pondera delabuntur in infernum.

7040. Verſ: 24. 25. 26. *Et fuit in via in diverſorio, & occurrit illi Jehovah, & quæſivit occidere illum. Et accepit Zippora petram, & abſcidit præputium filii ſui, & tangere fecit pedes ejus, & dixit, quod ſponſus ſanguinum tu mihi. Et ceſſavit ab illo; tunc dixit, ſponſus ſanguinum ad circumciſiones.* Et fuit in via in diverſorio, ſignificat poſteritatem ex Jacobo, quod in externis abſque interno: & occurrit illi Jehovah, ſignificat oppoſitionem: & quæſivit occidere illum, ſignificat quod apud illam Eccleſia repræſentativa non inſtitui poſſet: & accepit Zippora petram, ſignificat quale oſtenſum ab Eccleſia repræſentativa per verum: & abſcidit præputium filii ſui, ſignificat remotionem amorum ſpurcorum, & per id nudationem interni: & tangere fecit pedes ejus, ſignificat quod oſtenſum quale tunc naturale: & dixit, quod ſponſus ſanguinum tu mihi, ſignificat quod plenum omni violentia & hoſtilitate contra verum & bonum: & ceſſavit ab illo, ſignificat quod permiſſum ut repræſentarent: tunc dixit, ſponſus ſanguinum ad circumciſiones, ſignificat quod tametſi internum plenum eſſet violentia & hoſtilitate contra verum & bonum, uſque reciperetur circumciſio pro ſigno repræſentativo purificationis ab amoribus ſpurcis.

7041. Et fuit in via in diverſorio, quod ſignificet poſteritatem ex Jacobo quod in externis abſque interno, conſtare poteſt a repræſentatione Moſchis hic; in illis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, agitur in ſenſu interno de Eccleſia ſpirituali, & intelligitur illa per filios Iſraelis; in his autem tribus Verſibus agitur de illa Eccleſia, quod inſtituenda eſſet apud poſteros Jacobi, ſed quod apud illos inſtitui non poſſet, quia in externis erant abſque interno; idcirco Moſcheh hic non repræſentat Legem ſeu Verbum, ſed repræſentat gentem illam ſeu poſteritatem ex Jacobo, cujus dux futurus eſſet, ita quoque cultum illius gentis, nam in Verbo ubivis dux aut judex, & quoque rex, repræſentat gentem & populum, cujus dux, judex aut rex eſt, ex cauſa quia caput ejus eſt, videatur n: 4789; inde eſt quod hic non Moſcheh nominetur, ſed uſque, per fuit in via in diverſorio, intelligatur, & quod Jehovah tunc occurrerit illi, & quæſiverit occidere illum, cum tamen prius tam expreſſe mandaverit,

verit, ut iret & reverteretur Ægyptum: per quod eſſet in via, ſignificatur inſtitutum; & per diverſorium, ſignificatur externum naturale ſeu ſenſuale, n: 5495: & quia agitur, ut dictum eſt, de Eccleſia inſtituenda apud poſteritatem illam, ſignificatur tale quod fuit illi genti, nempe externum abſque interno; ita quoque externum naturale ſeu ſenſuale, at ſeparatum; quod ſenſuale ſeparatum ab interno ſit plenum fallaciis & inde falſis, & quod ſit contra vera & bona fidei, videatur n: 6948. 6949. Antequam explicantur ſequentia, videantur quæ de poſteritate illa prius oſtenſa ſunt, nempe quod apud illam fuerit repræſentativum Eccleſiæ, non autem Eccleſia, n: 4281. 4288. 6304. Quod cultus Divinus apud illos fuerit modo externus ſeparatus ab interno, & quod ad illum cultum adigerentur per media externa, n: 4281. 4432. 4844. 4847. 4865. 4899. 4903. Quod non electi fuerint, ſed quod contumaciter inſtiterint, ut eſſent Eccleſia, n: 4290. 4295. Quod tales fuerint, ut repræſentare poſſent ſancta, tametſi in amoribus corporeis & mundanis eſſent, n: 4293. 4307. Quod gens illa talis fuerit a primis originibus, n: 4314. 4316. 4317; & plura alia quæ de illa gente oſtenſa ſunt, n: 4444. 4459 f. 4503. 4750. 4815. 4817. 4820. 4825. 4832. 4837. 4868. 4874. 4911. 4913. 5057. 6877.

7042. Et occurrit illi Jehovah, quod ſignificet oppoſitionem, conſtat ex ſignificatione occurrere, quod ſit oppoſitio, quod nempe aliqua Eccleſia apud gentem illam inſtitui poſſet; quod oppoſitio ſit contra Divinum, ſignificatur per quod Jehovah illi occurrerit; ex ſenſu literæ apparet, ſicut Jehovah ſeu Divinum ſe oppoſuerit, quia dicitur quod occurrerit illi Jehovah; ſed ſenſus internus eſt, quod oppoſitio fuerit contra Divinum; Divinum enim nuſquam ſe opponit alicui, ſed eſt homo ſeu gens quæ ſe opponit Divino, & cum ſe opponit, quia non ſuſtinet Divinum, apparet ſicut foret reſiſtentia a Divino: quomodo hoc ſe habet, conſtare poteſt ab illis qui in alteram vitam veniunt, & cupiunt venire in cœlum, & tamen non tales ſunt, ut ibi eſſe queant, cum illis permittitur quod cupiunt, tunc cum in via ſunt, & prope ad introitum in cœlum, apparent ſibi ut monſtra, & incipiunt angi & cruciari, quia non ſuſtinent verum & bonum quæ ibi, & credunt quod cœlum & Divinum ſe illis oppoſuerit, cum tamen illi ſunt, quia in oppoſito ſunt, qui hoc ſibi inferunt. Inde quoque conſtare poteſt, quod Divinum non ſe alicui opponat, ſed quod homo ſit qui ſe opponit Divino.

7043. Et quæſivit occidere illum, quod ſignificet quod apud illam Eccleſia repræſentativa non inſtitui poſſet, conſtat ex ſignificatione quærere occidere, quod ſit non recipere, de qua n: 3387. 3395, hic itaque non recipere ſeu eligere gentem illam, ut apud eam Eccleſia repræſentativa inſtitueretur: gens illa per Moſchen futurum illius ducem & caput jugiter in tribus his Verſibus intelligitur, videatur ſupra n: 7041: quod gens illa non electa ſit, ſed quod contumaciter inſtiterit, ut eſſet Eccleſia videatur n: 4290. 4293: & quod non aliqua Eccleſia, ſed modo repræſentativum Eccleſiæ apud illam inſtitutum fuerit, n: 4281. 4288. 6304: quodque illa quæ Eccleſiæ & ſancta ſunt, repræſentari poſſint etiam a malis, quia repræſentativum non ſpectat perſonam:

ſed

ſed rem, n: 3670. 4208. 4281. Simile quod hic, in ſenſu interno intelligitur per id quod Jehovah gentem illam prorſus delere vellet, & loco ejus aliam gentem ex Moſche exſuſcitare, Num: XIV: 12; & quoque quod dicatur, quod Jehovæ pœnituerit, quod gentem illam introduceret, & quod introduxerit in terram Canaanem.

7044. Et accepit Zippora petram, quod ſignificet quale oſtenſum ab Eccleſia repræſentativa per verum, conſtat ex repræſentatione Zipporæ hic, quod ſit Eccleſia repræſentativa; & ex ſignificatione petræ, quod ſit verum fidei. Quod circumciſio facta fuerit per gladiolos petrarum, ſignificabat quod purificatio ab amoribus ſpurcis fieret per vera fidei, n: 3039. 2046. 2799; nam circumciſio erat repræſentativum purificationis ab amoribus illis, n: 2799. Cauſa, quod purificatio fiat per vera fidei, eſt, quia hæc docent quid bonum, tum quoque quid malum, ac ita quid faciendum, & quid non faciendum; ac cum homo ſcit vera illa, & vult facere ſecundum illa, tunc ducitur ille a Domino, & per Divina Ipſius media purificatur. Quia vera fidei docent quid malum & quid bonum, patet, quod per accepit Zippora petram, ſignificetur quale oſtenſum per verum. Quod Zippora repræſentet Eccleſiam repræſentativam, conſtat ab illis quæ in his Verſibus ſequuntur.

7045. Et abſcidit præputium filii ſui, quod ſignificet remotionem amorum ſpurcorum, & per id nudationem interni, conſtat ex ſignificatione abſcindere, quod ſit removere; ex ſignificatione præputii, quod ſit amor terreſtris & corporeus, qui conſpurcat amorem ſpiritualem & cœleſtem, de qua n: 3412. 4462; & ex ſignificatione filii, quod ſit verum Eccleſiæ repræſentativæ; quod filius ſit verum, videatur n: 489. 491. 533. 1143. 2623. 3373; & quod ſit illius Eccleſiæ, eſt quia Zippora repræſentat Eccleſiam illam, & vocat illum filium ſuum, & per illum oſtendit quale gentis illius, & inde quale cultus ejus. Quod per præputium ſignificentur amores ſpurci, eſt quia lumbi cum genitalibus correſpondent amori conjugiali, n: 5050 ad 5062; & quia correſpondent amori conjugiali, correſpondent omni amori cœleſti & ſpirituali, n: 686. 4277. 4280. 5054; ideo præputium correſpondet amoribus maxime externis, qui vocantur amores corporei & terreſtres; hi amores ſi abſque amoribus internis ſunt, qui vocantur amores ſpirituales & cœleſtes, ſunt ſpurci, ut apud gentem illam, quæ in externis abſque interno fuit. Abſque interno dicitur, & per id intelligitur nulla agnitio veri, & nulla affectio boni, ita nulla fides & nulla charitas, hæc enim ſunt interni hominis, & inde procedunt charitatis exercitia, quæ ſunt bona externa; internum hoc, quod abſque fide & charitate, & tamen plenum malis & falſis, vocatur a Domino vacuum, Matth: XII: 43. 44. 45, inde dicitur externum abſque interno: nunc quia per præputium ſignificantur amores maxime externi, idcirco cum illi remoti ſunt, quod ſignificatur per quod Zippora abſciderit præputium, apparet quale amorum illorum, ita nudatio interni.

7046. Et tangere fecit pedes ejus, quod ſignificet quod oſtenſum quale tunc naturale, conſtat ex ſignificatione tangere facere, quod ſit oſtendere, nam per tactum oſtenditur; & ex ſignificatione pedum, quod ſit naturale, de qua

n: 2162.

n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952. Per quod oſtenſum quale ſit naturale, intelligitur, qualis gens illa interius eſſet, quod apparet quando exterius removetur: interius apud hominem in mundo non poteſt apparere, priuſquam remotum eſt exterius; exterius enim apud malos prorſus aliter agit, quam interius vult & cogitat, fingit enim homo honeſtum, fingit juſtum, & quoque bonum Chriſtianum ſeu Charitatem, & hoc ut credatur quod interius talis ſit, ad ſic faciendum, etiam adigunt timores jacturæ lucri, famæ & honoris, pænarum legis, & vitæ; at cum timores illi remoti ſunt, & is agit ex interiori ſuo, tunc ſicut veſanus alterius bona deprædatur, ac necem & ſanguinem, etiam concivium, ſpirat, ut fit in bellis inteſtinis: quod interiora talia ſint, patet adhuc manifeſtius a malis in altera vita, ab illis enim externa auferuntur, & interna nudantur, de qua re videatur n: 7039; & tunc detegitur, quod plures, qui ut angeli apparuerunt in mundo, ſint diaboli. Quod interiora tantum diſſideant ab exterioribus, indicium eſt, quod ſtatus hominis prorſus perverſus ſit; apud illum qui in ſincero eſt, in juſto, & in bono, talis diſſidentia non datur, is loquitur ſicut cogitat, & cogitat ſicut loquitur; aliter prorſus apud illos, qui non in ſincero ſunt, non in juſto, & non in bono, apud illos diſſident interiora ab exterioribus; quod Gens Judaica talis fuerit, deſcribitur his verbis a Domino, apud Matthæum, "Væ vobis ſcribæ & Phariſæi, hypocritæ, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero plena ſunt rapina & intemperantia: Phariſæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut fiat etiam exterius mundum. Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ; quia ſimiles vos facitis ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent pulchra, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni immunditie; ſic etiam vos foris apparetis hominibus juſti, intus vero pleni eſtis hypocriſi & iniquitate," xxiii: 25. 26. 27. 28.

7047. Et dixit quod ſponſus ſanguinum tu mihi, quod ſignificet quod plenum omni violentia & hoſtilitate contra verum & bonum, conſtat ex ſignificatione ſponſi, quod hic ſit Eccleſiæ repræſentativum ſeu ejus externum, cum ipſa Eccleſia repræſentativa eſt ſponſa; quod Moſcheh in his tribus Verſibus repræſentet gentem illam, & Eccleſiæ repræſentativum apud illam, videatur ſupra n: 7041; & quod Zippora repræſentet Eccleſiam repræſentativam, n: 7044: quia Zippora repræſentat Eccleſiam illam, & Moſcheh ejus externum, idcirco Zippora non vocat illum ſuum maritum nec virum, ſed ſponſum, nam diverſum repræſentare poteſt ſponſa quam ſponſus, non autem vir ſeu maritus & uxor, nam conjugiale facit unum; & ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit violentia illata charitati, de qua n: 374. 3005; & quod ſit verum falſificatum & prophanatum, n: 4735. 4978, ita hoſtilitas contra verum & bonum.

7048. Et ceſſavit ab illo, quod ſignificet quod permiſſum ut repræſentarent, conſtat a ſignificatione ceſſare ab illo, nempe occidendo, quod ſit permiſſum ut repræſentarent; nam quod Jehovah quæſiverit occidere illum, ſignificabat quod apud illam gentem Eccleſia repræſentativa inſtitui non poſſet, n: 7043; quare nunc cum dicitur, quod ceſſaverit ab illo, ſignificatur quod permiſſum repræſentarent, hoc eſt, ut apud illam gentem inſtitueretur repræ-

ſentativum Eccleſiæ, non autem Eccleſia; quod aliud ſit repræſentare Eccleſiam, & aliud eſſe Eccleſia, patet ex eo, quod Eccleſiam repræſentare poſſint etiam mali, ſed eſſe Eccleſia non niſi quam boni, nam repræſentare Eccleſiam eſt modo externum, videatur n: 3670. 4208. 4281.

7049. Tum dixit, ſponſus ſanguinum ad circumciſiones, quod ſignificet quod tametſi internum plenum eſſet violentia & hoſtilitate contra verum & bonum, uſque reciperetur circumciſio pro ſigno repræſentativo purificationis ab amoribus ſpurcis, conſtat ex ſignificatione ſponſi ſanguinis, quod ſit plenum omni violentia & hoſtilitate contra verum & bonum, de qua ſupra n: 7047; & ſignificatione circumciſionis, quod ſit ſignum repræſentativum purificationis ab amoribus ſpurcis, de qua n: 2039. 2632. 3412. 3413. 4462. 4486. 4493. Dicitur hoc a Zippora, quia nunc genti illi permiſſum fuit repræſentare Eccleſiam, quod ſignificatur per quod ceſſaverit ab illo occidendo, n: 7048. Quod Circumciſio facta ſit ſignum repræſentativum purificationis, eſt quia per abſciſſionem præputii ſignificabatur remotio amorum ſpurcorum, & per id nudatio interni, n: 7045, cum itaque ad internum nihil attenditur, ut apud illam gentem, quæ fuit in externis abſque interno, tunc remanet ſignificatio circumciſionis ſeu abſciſſionis præputii, nempe quod ſit remotio amorum ſpurcorum, ita purificatio, quapropter illud pro ſigno repræſentativo inſervire potuit.

7050. Quod in his tribus Verſibus arcana ſint, quæ nuſquam ſciri poſſunt abſque ſenſu interno, a ſingulis ibi patet; quis enim ſciret quid ſignificat quod Jehovah, poſtquam Moſchi mandaverat ut iret Ægyptum, mox dein, cum eſſet in via, occurrerit illi, & quæreret occidere illum; quis ſciret quid ſignificat quod Zippora, cum abſciderat præputium filii ſui, faceret tangere pedes ejus, & diceret ad Moſchen, quod ſponſus ſanguinum is ſibi eſſet; tum quod dein diceret, ſponſus ſanguinum ad circumciſiones: quis non videt, quod in his arcana recondita ſint, & quod illa nequaquam detegi queant niſi ex ſenſu interno.

7051. Qui de ſenſu interno Verbi nihil ſciunt, illi non aliter credere poſſunt, quam quod Gens Iſraelitica & Judaica fuerit præ omni alia gente electa, & inde reliquis præſtantior, ut quoque crediderunt ipſi; & quod mirum, hoc non ſolum credit ipſa illa gens, ſed etiam id credunt Chriſtiani; utcunque hi ſciunt, quod gens illa ſit in ſpurcis amoribus, in ſordida avaritia, in odio, & in faſtu; & præterea, quod interna, quæ ſunt Charitatis & fidei, & quæ ſunt Domini, nihili faciant, & quoque averſentur: quod Chriſtiani etiam credant, quod gens illa præ aliis electa fuerit, eſt ex cauſa, quia credunt, quod electio & ſalvatio hominis ſit ex Miſericordia, utcunque homo vivit, ac ita quod ſceleſti poſſint æque in cœlum recipi, ac pii & probi, non conſiderantes, quod Electio ſit univerſalis, nempe omnium qui in bono vivunt; & quod Miſericordia Domini ſit erga omnem hominem, qui abſtinet a malo, & vult vivere in bono, & ſic qui patitur ſe duci a Domino, ac regenerari, quod fit per continuum vitæ ejus: inde quoque eſt, quod plerique in Chriſtiano orbe etiam credant, quod gens illa iterum eligetur, & tunc

tunc reducetur in terram Canaanem, & hoc quoque ſecundum ſenſum literæ, ut in ſequentibus his locis; apud Eſaiam, Cap: x: 20. 23. Cap: xi: 11. 12. Cap: xxix: ad fin: Cap: xliii: 5. 6. Cap: xlix: 6 ad 26. Cap: lvi: 8. Cap: lx: 4 Cap: lxi: 3 ad 10. Cap: lxii. Apud Jeremiam, Cap: iii: 14 ad 19. Cap: xv: 4. 14. Cap: xvi: 13. 15. Cap: xxiii: 7. 8. Cap: xxiv: 9. 10. Cap: xxxi: 31. 33. Cap: xxv: 29. Cap: xxix: 14. 18. Cap: xxx: 3. 8. 9. 10. 11. Cap: xxxi: 8. 9. 10. 17. Cap: xxxiii: 16. 20. 26. Apud Hezechielem, Cap: v: 10. 12. 15. Cap: xvi: 60. Cap: xx: 41. Cap: xxii: 15. 16. Cap: xxxiv: 12. 13. Cap: xxxvii: 21. 22. Cap: xxxviii: 12. Cap: xxxix: 23. 27. 28. Apud Danielem, Cap: vii: 27. Cap: xii: 7. Apud Hoſcheam, Cap: iii: 4. 5. Apud Joelem, Cap: ii: 32. Cap: iii: Apud Amoſum, Cap: ix: 8. 9. ſeq: Apud Micham, Cap: v: 7. 8; ex his & quoque ex aliis locis credunt etiam Chriſtiani, quod gens illa iterum eligetur, ac introducetur in terram Canaanem, tametſi ſciunt quod gens illa exſpectet Meſſiam qui introducet, & tamen norunt quod illa exſpectatio vana ſit, & quod Regnum Meſſiæ ſeu Chriſti non ſit ex hoc mundo, ac ſic quod terra Canaan, in quam Meſſias introducet, ſit cœlum: illi nec expendunt, quod in Verbo ſit ſenſus ſpiritualis, & quod in illo ſenſu per Iſraelem non intelligatur Iſrael, nec per Jacobum Jacob, nec per Jehudam Jehudah, ſed quod per illos intelligantur quæ repræſentant: nec expendunt, quid Hiſtorica de illa gente memorant, qualis illa fuit in deſerto, & qualis dein in terra Canaane, quod corde idololatrica; tum quid Prophetæ de illa, & ejus ſcortatione ſpirituali & abominationibus; qualis illa ſit, deſcribitur in Cantico apud Moſchen, his verbis, "Occultabo facies meas ab iis; videbo quid poſteritas eorum: generatio enim perverſionum illi, filii in quibus fidelitas non: dixerim, in extremos angulos ejiciam illos; ceſſare faciam ab homine memoriam illorum; niſi inimici dicerent, manus noſtra alta, neque Jehovah fecit omne hoc. Nam gens perdita conſiliis illi, nec in illis intelligentia: de Vite Sodomæ vitis eorum, & de agris Gomorrhæ; uvæ ejus uvæ fellis; botri amaritudinum illis. Venenum draconum vinum eorum, & fel aſpidum crudele: nonne iſtud abſconditum apud Me, obſignatum in theſauris meis: Mihi vindicta & retributio; in tempus nutabit pes eorum, prope namque eſt dies interitus eorum, & properent futura illis," Deut: xxxii: 20. 26. 27. 28. 33. 34. 35, quod Jehovah Canticum illud Moſchi dictaverit, videatur ibi Cap: xxxi: 19. 21. De illa gente ita quoque Dominus, apud Johannem, "Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit," viii: 44, præter in multis aliis locis. Quod Chriſtiani, tametſi hæc ſciunt, uſque credant, quod Gens illa tandem convertetur ad Dominum, & tunc introducetur in terram, ubi prius fuerat, eſt, ut dictum, quia non ſciunt ſenſum internum Verbi; & quia putant, quod nihil faciat vita hominis; & quod malum etiam per crebros actus irradicatum, nihil obſtet, quin homo per fidem, etiam unius horulæ, ſpiritualis fieri poſſit, & regenerari, & ſic acceptari a Domino; tum quod intromiſſio in cœlum ſit ſolius Miſericordiæ, & quod hæc ſit erga ſingularem gentem, &

non ita erga omnes in univerſo, qui Miſericordiam Domini recipiunt; qui ita cogitant, non ſciunt, quod prorſus contra Divinum ſit, quod quidam ut electi naſcerentur ad ſalutem & cœlum, & quidam ut non electi ad damnationem & infernum; ita cogitare de Divino, foret horrendum, quia foret ſumma immiſericordia, cum tamen Divinum eſt ipſa Miſericordia. Ex his nunc conſtare poteſt, quod Gens Iſraelitica & Judaica non electa fuerit, & minus quoad eligetur; tum quod non aliquid Eccleſiæ apud illam fuerit, nec eſſe potuerit, ſed modo repræſentativum ejus; & quod uſque ad hunc diem conſervata ſit, fuerit propter Verbum Veteris Teſtamenti, de qua re videatur n: 3479.

7052. Verſ: 27. 28. 29. 30. 31. *Et dixit Jehovah ad Aharonem, vade obviam Moſchi deſertum; & ivit, & occurrit illi in monte Dei, & oſculatus illum. Et indicavit Moſcheh Aharoni omnia verba Jehovæ, quibus miſit illum, & omnia ſigna quæ præcepit illi. Et ivit Moſcheh & Aharon, & congregaverunt omnes ſeniores filiorum Iſraelis. Et loquutus Aharon omnia verba, quæ loquutus Jehovah ad Moſchen, & fecit ſigna ad oculos populi. Et credidit populus, & audiverunt quod viſitaverit Jehovah filios Iſraelis, & quod viderit afflictionem illorum; & inflexerunt ſe & incurvaverunt ſe.* Et dixit Jehovah ad Aharonem, ſignificat verum doctrinæ, & ibi perceptionem a Divino: vade obviam Moſchi, ſignificat quod conjungeretur cum vero immediate a Divino procedente: deſertum, ſignificat ubi non ita prius eſt: & ivit & occurrit illi in monte Dei ſignificat conjunctionem in bono amoris ibi: & oſculatus illum, ſignificat affectionem conjunctionis: & indicavit Moſcheh Aharoni omnia verba Jehovæ, ſignificat influxum veri immediate procedentis a Divino Domini in Verum quod mediate procedit, & inſtructionem in ſingulis doctrinæ: quibus miſit illum, ſignificat quæ procedunt: & omnia ſigna quæ præcepit illi, ſignificat illuſtrationem & inde confirmationem ſimul: & ivit Moſcheh & Aharon, ſignificat vitam conjunctionis utriuſque: & congregarunt omnes ſeniores filiorum Iſraelis, ſignificat præcipua ſapientiæ, quæ Eccleſiæ ſpirituali: & loquutus Aharon omnia verba quæ loquutus Jehovah ad Moſchen, ſignificat doctrinam inde a Divino: & fecit ſigna ad oculos populi, ſignificat confirmationem ad captum: & credidit populus, & audiverunt, ſignificat fidem & ſpem: quod viſitaverit Jehovah filios Iſraelis, ſignificat illos qui ab Eccleſia ſpirituali quod liberarentur & ſalvarentur per adventum Domini: & quod viderit afflictionem illorum, ſignificat poſt tantas tentationes: & inflexerunt ſe & incurvaverunt, ſe ſignificat humiliationem.

7053. Et dixit Jehovah ad Aharonem, quod ſignificet verum doctrinæ, & ibi perceptionem a Divino, conſtat a ſignificatione dixit, quod ſit perceptio, de qua ſæpius; inde dixit Jehovah, eſt perceptio a Divino; & a repræſentatione Aharonis, quod ſit doctrina veri & boni, de qua n: 6998. 7009, ita verum ejus; nam omnis doctrina eſt veri, agit enim doctrina de vero & inde bono, quæ doctrina fidei dicitur, & agit de bono & inde vero, quæ doctrina charitatis vocatur; ſed utraque eſt veri.

7054. Vade obviam Moſchi, quod ſignificet quod conjungeretur cum Vero immediate a Divino procedente, conſtat ex ſignificatione vadere obviam, quod

ſit conjungi; & a repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum immediate a Divino procedens, de qua ſupra n: 7010.

7055. Deſertum, quod ſignificet ubi non ita prius eſt, nempe conjunctio, conſtat a ſignificatione deſerti, quod ſit ubi parum vitale adhuc, de qua n: 1927, ita ubi non bonum & inde verum, n: 4736, nam inde eſt vitale; hic ubi non conjunctio veri immediate a Divino procedentis cum vero mediate procedente, quod ibi conjunctio fieret, ſignificatur per quod Aharon vaderet obviam Moſchi deſertum. Quod conjunctionem illam concernit, ſciendum, quod apud hominem Verum mediate a Divino procedens dari poſſit, & tamen uſque id non eſſe conjunctum cum vero quod immediate a Divino procedit. Sed hæc res, quia arcana eſt, illuſtretur exemplis; qui ſecundum doctrinam ſuæ Eccleſiæ apud ſe confirmatam cogitant & docent, & non ſciunt num vera ſint, aliunde, quam ex eo quod ex doctrinæ Eccleſiæ ſint, & quod a viris doctis & illuſtratis tradita; apud illos verum mediate a Divino procedens poteſt eſſe, ſed uſque hoc non conjunctum eſt cum Vero quod immediate a Divino procedit; ſi enim conjunctum foret, tunc haberent affectionem ſciendi verum propter verum, & imprimis propter vitam, inde quoque donati forent perceptione num doctrinalia Eccleſiæ ſuæ ſunt vera antequam confirmant illa apud ſe, & viderent in ſingulis num concordarent confirmantia cum ipſo vero. Sint etiam pro exemplo, Prophetæ, per quos Verbum ſcriptum eſt, illi ſcripſerunt ſicut ſpiritus a Divino dictavit, ipſa enim verba, quæ ſcriberent, in auribus illorum enuntiabantur; apud illos fuit Verum mediate a Divino procedens, hoc eſt, per cœlum, ſed non ideo Verum quod immediate a Divino proceſſit, nam non perceptionem habebant, quid ſingula in ſenſu interno ſignificarent, nam cum conjuncta ſunt, tunc ut dictum, perceptio datur. Conjunctio illa raro datur apud hominem, ſed datur apud omnes qui in cœlo, cumprimis qui in cœlo intimo ſeu tertio ſunt; nec apud hominem datur, niſi ille in tantum regeneratus ſit, ut elevari queat a ſenſuali uſque verſus rationale ſuum, & ſic in luce cœli, ubi ſunt angeli, ſiſti. Apud omnem quidem hominem eſt influxus Divinus tam immediatus quam mediatus, n: 6063. 7004, ſed conjunctio non eſt, niſi apud illos qui perceptionem veri ex bono habent; nam illi, apud quos conjunctus eſt influxus immediatus Divinus cum mediato, ſe patiuntur a Domino duci, ſed apud quos non conjuncti ſunt influxus illi, ſemetipſos ducunt, & hoc amant. Ex his nunc conſtare poteſt, quid per deſertum hic intelligitur, quod ſit ubi non conjunctio.

7056. Et occurrit illi in monte Dei, quod ſignificet conjunctionem in bono amoris ibi, conſtat ex ſignificatione occurrere ſeu obviam venire, quod ſit conjunctio, de qua mox ſupra n: 7054; & ex ſignificatione montis Dei, quod ſit bonum amoris Divini, de qua n: 6829. Cum hoc ita ſe habet; conjunctio veri immediate a Divino procedentis, cum vero quod mediate procedit, non dari poteſt quam in bono, nam bonum eſt ipſa humus; vera ſunt ſemina, quæ non alibi quam in bono ut in ſua humo creſcunt: bonum etiam eſt ipſa anima veri, inde verum ut ſit verum exiſtit, & inde vivit. Verum,

quod

quod immediate a Divino procedit, vocatur Verum, ſed eſt in ſe bonum, quia a Divino Bono procedit; at eſt bonum, cui omne verum Divinum unitum eſt; Verum dicitur, quia in cœlo apparet ut lux, at eſt lux qualis lux vernalis, cui calor vivificans omnia telluris unitus eſt: ex his conſtare quoque poteſt, quod conjunctio Veri immediate a Divino procedentis cum Vero quod mediate procedit, non dari queat niſi in bono, conſequenter niſi homo afficiatur vero propter verum, imprimis propter bonum, ita propter vitam, tunc enim homo in bono eſt. Adhuc ſciatur quomodo ſe habet cum conjunctione illa, ex his; Verum immediate a Divino procedens intrat in voluntatem hominis, hæc via ejus eſt; at Verum, quod mediate a Divino procedit, intrat in intellectum hominis, quapropter non conjunctio fieri poteſt, niſi voluntas & intellectus unum agant, nempe niſi voluntas velit bonum, & intellectus confirmet id per verum: cum itaque conjunctio eſt, tunc apparet Dominus ut præſens, ejus præſentia etiam percipitur; at cum non conjunctio eſt, tunc eſt Dominus ſicut abſens; ſed abſentia Ipſius non percipitur, ſi non ſcitur ex aliqua perceptione, quid Ipſius præſentia.

7057. Et oſculatus illum, quod ſignificet affectionem conjunctionis, conſtat ex ſignificatione oſculari, quod ſit conjunctio ex affectione, de qua n: *3573. 3574. 4353. 5929.* 6260.

7058. Et indicavit Moſcheh Aharoni omnia verba Jehovæ, quod ſignificet influxum veri immediate procedentis a Divino Domini, in Verum quod mediate procedit, & inſtructionem in ſingulis doctrinæ, conſtat ex ſignificatione indicare, quod ſit influxus, de qua n: 5966; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum immediate procedens a Divino Domini, de qua n: 7010. 7054; ex repræſentatione Aharonis, quod ſit verum mediate procedens a Divino Domini, de qua n: 7009; & ex ſignificatione omnium verborum Jehovæ, quod ſint ſingula doctrinæ; inſtructio ſignificatur per quod Moſcheh indicavit illa Aharoni, fit enim inſtructio a Divino per influxum, qui ſignificatur per indicare: ex his patet, quod per indicavit Moſcheh Aharoni omnia verba Jehovæ, ſignificetur influxus Veri immediate procedentis a Divino Domini, in Verum quod mediate procedit, & inſtructio in ſingulis doctrinæ. Quod inſtructionem in ſingulis doctrinæ attinet, datur illa cum Verum immediate procedens a Divino Domini conjungitur cum Vero, quod mediate procedit, nam tunc datur perceptio, videatur ſupra n: 7055; conjunctio illa datur imprimis apud Angelos, qui in tertio ſeu intimo cœlo ſunt, ac cœleſtes vocantur; illi habent exquiſitam perceptionem utriuſque veri, & inde præſentiæ Domini; cauſa eſt, quia in bono ſunt præ aliis, nam illis bonum innocentiæ eſt; idcirco Domino proximi ſunt ac in luce fulgurante, & quaſi flammante, nam Dominum vident ut Solem, cujus lucis radii tales ſunt ex propinquitate. Verum immediate procedens *a Divino Domini* dicitur, tametſi agitur hic in ſenſu interno de Domino cum fuit in mundo, & cum invocavit Patrem ſuum ſicut a ſe ſeparatum; ſed quomodo hoc ſe habet, prius aliquoties dictum eſt, quod nempe Ipſum Divinum ſeu Jehovah fuit in Ipſo, nam a Jehovah conceptus eſt, quare etiam Ipſum vocat Patrem ſuum, &

Semet

Semet Filium Ipſius; ſed Dominus tunc fuit in Humano infirmo ex hæreditario a matre, & quantum in hoc fuit, tantum Jehovah ſeu Ipſum Divinum, quod fuit in Ipſo, apparuit abſens, at quantum Dominus fuit in Humano glorificato ſeu Divino facto, tantum Jehovah ſeu Ipſum Divinum præſens fuit, ac in Ipſo Humano: inde nunc ſciri poteſt, quomodo intelligitur per quod dicatur, quod Verum quod immediate proceſſerat ex Divino, fuerit ex Divino Domini.

7059 Quibus miſit illum, quod ſignificet quæ procedunt, nempe ſingula doctrinæ, conſtat ex ſignificatione mitti, quod ſit procedere, de qua n: 2397. 4710.

7060. Et omnia ſigna, quæ præcepit illi, quod ſignificet illuſtrationem, & inde confirmationem ſimul, conſtat ex ſignificatione ſignorum, quod ſint illuſtratio & confirmatio veritatum, de qua n: 7012.

7061. Et ivit Moſcheh & Aharon, quod ſignificet vitam conjunctionis utriuſque, nempe Veri immediate a Divino Domini procedentis, & Vero quod mediate procedit, conſtat ex ſignificatione ire, quod ſit vita, de qua n: 3335. 3690. 4882. 5493; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum immediate a Divino procedens, de qua n: 7010. 7054; & a repræſentatione Aharonis, quod ſit Verum mediate a Domino procedens, de qua n: 7009; inde nunc, quia iverunt ſimul ſignificatur vita conjunctionis utriuſque.

7062. Et congregarunt omnes ſeniores filiorum Iſraelis, quod ſignificet præcipua ſapientia quæ Eccleſiæ ſpirituali, conſtat ex ſignificatione ſeniorum, quod ſint præcipua ſapientiæ, ita quæ concordant cum bono, de qua n: 6523; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſit Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 6426. 6637.

7063. Et loquutus Aharon omnia verba quæ loquutus Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet doctrinam inde a Divino, conſtat ex ſignificatione loqui, cum prædicatur de doctrina quæ per Aharonem repræſentatur, quod ſit enuntiatio & prædicatio, de qua n: 6987. 6999; ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Verum mediate procedens a Divino Domini, ita doctrina veri & boni, de qua n: 6998. 7009; & ex ſignificatione verborum, quæ loquutus Jehovah ad Moſchen, quod ſit ex Divino, hoc eſt, per Verum quod immediate procedit a Divino Domini, quod Verum repræſentatur per Moſchen, n: 7010. 7054.

7064. Et fecit ſigna ad oculos populi, quod ſignificet confirmationem ad captum, conſtat ex ſignificatione ſignorum, quod ſint confirmatio veritatum, ac ita cognitio, de qua n: 6870; & ex ſignificatione oculorum, quod ſint illa quæ ſunt viſus interni ſeu intellectus, de qua n: 2701. 3820. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; ita ad oculos eſt ad intellectum ſeu captum.

7065. Et credidit populus, & audiverunt, quod ſignificet fidem & ſpem, conſtat ex ſignificatione credere, quod ſit credere in ſpirituali ſenſu, ſeu fides, de qua n: 6956. 6970; & ex ſignificatione audire, quod ſit obedire & quoque appercipere, de qua n: 5017, hic ſpem habere, nam qui in fide & obedientia eſt, cum appercipit confirmationes, ſpem accipit; nam ſpes eſt inde.

7066. Quod viſitaverit Jehovah filios Iſraelis, quod ſignificet illos qui ab Eccleſia ſpirituali, quod liberarentur & ſalvarentur per adventum Domini, conſtat ex ſignificatione viſitare, quod ſit liberatio per adventum Domini in mundum, de qua n: 6895, ita quoque ſalvatio; quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali per adventum Domini in mundum adoptati ſint ac ſalvati, videatur n: 6854. 6914, 7035; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 6426. 6637; quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6281. 6303. 6905.

7067. Et quod viderit afflictionem illorum, quod ſignificet poſt tantas tentationes, conſtat ex ſignificatione afflictionis, quod ſit tentatio, de qua n: 5356; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637; de afflictione ſeu infeſtatione a falſis, ita de tentationibus illorum, qui ab Eccleſia ſpirituali fuerunt, ante adventum Domini, videatur n: 6854. 6914. 7035.

7068. Et inflexerunt ſe incurvaverunt ſe, quod ſignificet humiliationem, conſtat ex ſignificatione inflectere ſe, & incurvare ſe, quod ſit effectus humiliationis, de qua n: 2153. 6266; ſed quod inflectere ſe ſit humiliatio exterior, & illorum qui in vero ſunt, & quod incurvare ſe ſit humiliatio interior, & illorum qui in bono ſunt, videatur n: 5682: quod ita ſit, patuit ſæpius ab illis qui in vero ſunt, & ab illis qui in bono; qui in vero ſunt, ſunt quaſi rigidi, ac ſtant erecti ſicut duri, & cum ſe coram Divino humiliare debent, ſolum inflectunt parumper corpus; at qui in bono ſunt, illi ſunt quaſi molles, & cum ſe coram Divino humiliant, ſe incurvant uſque ad terram; verum enim abſque bono prorſus rigidum eſt, & cum ſpectat bonum ut finem, rigidum illud incipit molleſcere; at bonum in ſe molle eſt, & verum, quod inſinuatur, quia fit ibi bonum, etiam molleſcit; cauſa eſt, quia verum non in formam cœleſtem ordinari poteſt niſi a bono, inde eſt in ſe durum, forma enim cœleſtis eſt liberrima & nullius reſiſtentiæ; inde bonum, apud quod verum rite ordinatum eſt, ſimile eſt, ac, ut dictum, eſt molle.

Continuatio de Spiritibus Planetæ Mercurii.

7069. *Porro, qualis eſt genius ſpirituum, qui ex Planeta Mercurio ſunt, ex ſequentibus adhuc pateſcere poteſt. Sciendum, quod omnes, quotcunque ſpiritus ſunt, fuerint homines; humanum enim genus eſt ſeminarium cœli; tum quod ipſi ſpiritus tales prorſus ſint, quales fuerunt cum vixerunt in mundo, nam unumquemque ſequitur vita ejus; quia ita eſt, genius hominum cujuſcunque telluris, cognoſci poteſt a genio ſpirituum, qui inde ſunt.*

7070. *Quia ſpiritus e Mercurio in Maximo Homine referunt Memoriam*

riam rerum a materialibus abſtractarum, n: 6808; *idcirco cum aliquis cum illis de terreſtribus, corporeis & mere mundanis, loquitur, nolunt prorſus audire, cumque audire de illis coguntur, tunc tranſmutant ea in alia, & plerumque in contraria, ex cauſa ut evitent.*

7071. *Ut pro certo ſcirem, quod talis eorum genius eſſet, licuit repræſentare illis prata, novalia, hortos, ſylvas, flumina, ſed illico tranſmutabant illa, prata & novalia obſcurabant, & per repræſentationes implebant anguibus; flumina denigrabant, ut aqua non limpida appareret; cum quærerem cur ita facerent, dicebant, quod non velint cogitare de talibus, ſed de realibus, quæ ſunt cognitiones rerum a terreſtribus abſtractarum, imprimis talium quæ exiſtunt in cælis.*

7072. *Poſtea repræſentabam illis volucres majores & minores, quales in noſtra tellure ſunt, ſi nam in altera vita repræſentari poſſunt talia quaſi ad vivum, ipſa loquela ſpirituum & angelorum repræſentationibus plena eſt: Cum volucres illas repræſentatas viderent, primum volebant illas mutare, ſed dein delectabantur illis, & quieſcebant; cauſa erat, quia volucres ſignificant cognitiones rerum, cujus rei perceptio quoque tunc influebat; ideo abſtinebant ab illis tranſmutandis, & ſic ab ideis memoriæ ſuæ avertendis. Poſtea repræſentare licebat coram illis amæniſſimum hortum plenum lampadibus & lucernis; tunc morabantur & detinebantur, ex cauſa quia lampades cum lucernis ſignificant veritates quæ lucent a bono; inde patuit, quod teneri potuerint in ſpectandis materialibus, modo ſimul inſinuatur ſignificatio illorum in ſenſu ſpirituali; quæ enim ſenſus ſpiritualis ſunt, a materialibus abſtracta ſunt, ſed repræſentantur in materialibus.*

7073. *Præterea loquutus ſum cum illis de ovibus & agnis, ſed talia non volebant audire, quia ea illis percepta ſunt ut terreſtria; cauſa erat quia non intelligebant quid Innocentia, quam Agni ſignificant; quod apperceptum eſt ex eo, cum dicerem, quod Agni nec in Cælo ut Agni repræſentati appareant, ſed cum nominantur, ibi loco illorum percipiatur Innocentia; tunc dicebant, ſe non ſcire quid Innocentia, ſed modo ſcire quoad vocem; cauſa eſt, quia modo cognitionibus, non autem uſibus, qui ſunt cognitionum fines, afficiuntur,* n: 6815; *ita quia non afficiuntur cognitionum finibus, nec ſcire poſſunt ex perceptione interna, quid Innocentia.*

7074. *Aliqui ex ſpiritibus telluris Mercurii ad me veniebant miſſi ab aliis, ut audirent quid apud me ageretur; quibus unus ex ſpiritibus noſtræ telluris dicebat, quod dicerent ſuis, ut non aliud quam verum loquerentur, & non, ut ſolent, interrogantibus oppoſita objicerent; nam ſi*

aliquis ex noſtræ telluris ſpiritibus ita faceret, plecteretur; ſed tunc reſpondebat cohors, quæ remota erat, e qua ſpiritus illi emiſſi erant, quod ſi ideo plecterentur, omnes plecterentur, quoniam aliter facere nequeunt ex continuo uſu; dicebant, quod cum loquuntur cum hominibus ſuæ telluris, ita quoque faciant; at hoc non animo illos fallendi, ſed ut ſic inſpirent deſiderium ſciendi; cum enim oppoſita objiciunt, & occultunt res certo modo, tunc cupido ſciendi excitatur, & ſic ex ſtudio explorandi illa, memoria locupletatur.

7075. *De eadem re cum illis alia vice quoque loquebar; & quia ſciebam, quod loquerentur cum hominibus ſuæ telluris, quærebam quomodo incolas ſuos inſtruunt; dicebant, quod non inſtruant illos quomodo ſe res habet, ſed uſque inſinuent aliquam rei apperceptionem, ut inde cupido ſciendi alatur & creſcat; nam ſi reſponderent ad omnia, periret cupido: addebant, quod oppoſita objiciant etiam ob cauſam, ut veritas dein melius appareat; nam omnis veritas apparet relative ad oppoſita.*

7076. *Pro more habent, ut non dicant alicui quæ ſciunt, ſed uſque ob omnibus ſcire velint quæ illi ſciunt: ſed cum ſua ſocietate communicant omnia, uſque adeo, ut quæ unus ſcit, omnes ſciant, & quæ omnes, quiſque ibi.*

7077. *Quia ſpiritus Mercurii tales ſunt, & uſque abundant cognitionibus, in aliqua ſpecie faſtus ſunt, n: 6813; inde putant, quod tam multa ſciant, ut vix ſciri plus poſſit; ſed illis a noſtræ Telluris Spiritibus dictum eſt, quod non multa ſciant ſed pauca, & quod illa, quæ non ſciunt, ſint infinita reſpective; quodque illa quæ non ſciunt ad illa quæ ſciunt, ſint ſicut aquæ maximi oceani ad aquas puſilli fontis. Ut ſcirent quod ita eſſet, dabatur ut quidam angelicus ſpiritus cum illis loqueretur, & diceret illis in genere, quid ſcirent & quid non ſcirent, & quod infinita eſſent quæ non ſcirent, tum quod in æternum ne quidem communia rerum ſcire poſſent. Loquebatur ille per ideas angelicas, multo promptius quam illi, & quia detegebat quid ſcirent, & quid non ſcirent, ſtupore perculſi ſunt. Poſtea vidi alium Angelum cum illis loquentem, apparuit ille in aliqua altitudine dextrorſum; is enumerabat perplurima quæ non ſcirent; & poſtea loquebatur cum illis per mutationes ſtatus, quas dicebant ſe non intelligere; tunc illis dicebat, quod unaquævis mutatio ſtatus infinita contineat, & quoque unumquodvis minimum ejus. Cum hoc audiverunt, quia fuerunt in faſtu propter cognitiones, cæperunt ſe humiliare; humiliatio repræſentabatur per voluminis eorum demiſſionem deorſum (nam apparebat cohors illa tunc ſicut volumen, antrorſum verſus ſiniſtrum ad diſtantiam, in plano regionis infra umbilicum:) ſed volumen apparebat ſicut inca-*

incavatum in medio, & a lateribus elevatum; reciproca etiam motitatio ibi animadvertebatur; dicebatur etiam illis, quid id ſignificaret, hoc eſt, quid cogitarent in ſua humiliatione, & quod illi qui a lateribus elevati apparebant, nondum in aliqua humiliatione eſſent: & vidi quod ſepararetur volumen, & quod illi qui non in humiliatione erant, relegarentur verſus ſuum orbem, reliquis remanentibus. Quia ſpiritus planetæ Mercurii fugiunt ſpiritus noſtræ telluris propter materialia, in quibus ſunt, & quæſiverunt, num tales poſſent angeli fieri, n: 6928, *nunc reſponſum tulerunt, quod Angelus, qui cum illis loquutus eſt, ex hac tellure fuerit.*

7078. *Sciendum, quod Spiritus aliarum tellurum non appareant intra ſphæram, ubi ſpiritus noſtræ telluris, ſed extra illam, quidam ad majorem, quidam ad minorem diſtantiam, & quoque ad diverſas plagas; cauſa eſt, quia ſpiritus unius telluris non ſimilis genii ac vitæ ſunt cum ſpiritibus alius telluris; tum quia alias provincias in Maximo Homine conſtituunt; ſtatus vitæ diſſimilitudo facit apparentiam illam: ſed in cælo intimo non apparent a mutuo ſeparati. Spiritus autem Mercurii non apparent ad certam plagam, nec ad certam diſtantiam, ſed apparent nunc antrorſum, nunc ſiniſtrorſum, nunc paulo ad tergum; cauſa eſt, quia licet illis pervagari univerſum ad comparandum ſibi cognitiones, & ſic ad locupletandum memoriam: planeta illorum ſiſtitur ſpiritibus a tergo, ſimiliter etiam ſol mundi, cum de illo cogitant, nam de illo ne hilum apparet; quod a tergo ſiſtatur, cauſa eſt, quia ſol mundi, illis, qui in altera vita, prorſus in obſcuro eſt, & caligo; Sol cæli autem ſeu Dominus apparet antrorſum ante dextrum oculum, quia inde illis omnis lux; oculus enim dexter non modo correſpondet viſui intellectuali quatenus illuminatur a vero, ſed etiam quatenus a bono, n:* 4410; *ita Dominus aſpicit hominem ex bono, & illuminat illum per bonum.*

7079. *Continuatio de ſpiritibus planetæ Mercurii ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

CAPUT QUINTUM.

Doctrina Charitatis.

7080. In præcedentibus dictum eſt, quid Proximus, ſequitur nunc dicere quid Charitas ſeu Amor, qui erit erga Proximum.

7081. Ipſa vita hominis, eſt ejus amor, & qualis eſt amor, talis eſt vita ejus, imo talis eſt totus homo. Sed amor dominans ſeu regnans, hoc eſt, amor rei quæ pro fine habetur, eſt quæ facit hominem: ille amor ſibi ſubordinatus habet plures amores particulares & ſingulares, qui ſunt derivationes, & ſub alia ſpecie apparent, ſed uſque ſingulis his amor dominans ineſt, & dirigit eos, & per eos, ut per fines medios, ſpectat & intendit finem ſuum, qui eſt omnium primarius & ultimus; & hoc tam directe quam indirecte.

7082. Sunt duo in mundo naturali, quæ faciunt ibi vitam, nempe Calor & Lux; & ſunt duo in mundo ſpirituali, quæ faciunt ibi vitam, nempe Amor & Fides: Calor in mundo naturali correſpondet Amori in mundo ſpirituali, & Lux in mundo naturali correſpondet Fidei in mundo ſpirituali: inde eſt, cum dicitur Calor ſeu Ignis ſpiritualis, quod intelligatur Amor; & cum dicitur Lux ſpiritualis, quod intelligatur Fides: etiam Amor actualiter eſt Calor vitalis hominis, quod enim ex Amore incaleſcat homo, notum eſt; & Fides actualiter eſt Lux hominis, quod enim ex fide illuminetur homo, notum eſſe poteſt.

7083. Calor & Lux in mundo naturali exiſtunt ex ſole mundi; at ſpiritualis Calor & ſpiritualis Lux, ſeu Amor & Fides, exiſtunt ex Sole Cœli: Sol Cœli eſt Dominus, Calor qui ab Ipſo ut Sole venit, eſt Amor, & Lux quæ ab Ipſo ut Sole venit, eſt Fides: quod Dominus ſit Lux, conſtat apud Johannem, "Jeſus dixit, Ego ſum *Lux mundi*, qui Me ſequitur, non ambulabit in tenebris, ſed *habebit Lucem vitæ*," VIII : 12; & quod Dominus ſit Sol, conſtat apud Matthæum, "Cum Jeſus transformatus eſt, ſplenduit *facies* Ipſius *ſicut Sol*, & *veſtimenta* Ipſius facta ſunt *ſicut Lux*," XVII : 2.

7084. Ex hac Correſpondentia etiam ſciri poteſt, quomodo ſe habet cum Fide, & cum Amore, Fides abſque Amore, eſt ſicut Lux abſque Calore,

Calore, qualis eſt lux hyemis; & Fides cum Amore, eſt ſicut Lux cum Calore, qualis eſt lux veris; quod in luce veris omnia & ſingula creſcant & floreant, notum eſt; & quoque quod in luce hyemis omnia & ſingula torpeſcant & emoriantur; ſimiliter ſe habet cum Fide & Amore.

7085. Quia nunc amor eſt unde vita hominis, & quia totus homo talis eſt qualis ejus amor, ut & quia Amor eſt Conjunctio ſpiritualis, inde conſequitur, quod omnes in altera vita conſocientur ſecundum amores, nam vita ſua, hoc eſt, amor ſuus unumquemvis ſequitur: qui in Amore erga proximum, & in Amore in Deum, ſunt, conſociantur in Cœlo; at qui in Amore ſui & in Amore mundi ſunt, conſociantur in Inferno; eſt enim Amor ſui oppoſitus Amori in Deum, & Amor mundi oppoſitus amori erga proximum.

7086. Amor in Deum dicitur, & intelligitur Amor in Dominum, quia in Ipſo eſt Trinitas, & Ille eſt Dominus Cœli, nam Ipſi eſt omnis poteſtas in Cœlo & in Terra," Matth: xxviii: 18.

CAPUT V.

1. ET poſtea venerunt Moſcheh & Aharon, & dixerunt ad Pharaonem, ita dixit JEHOVAH DEUS Iſraelis, dimitte populum meum, & feſtum agant Mihi in deſerto.

2. Et dixit Pharao, quis JEHOVAH, cujus audiam vocem, ad dimittendum Iſraelem; non novi JEHOVAM, & etiam Iſraelem non dimittam.

3. Et dixerunt, DEUS Hebræorum occurrit nobis; eamus quæſo viam trium dierum in deſertum, & ſacrificemus JEHOVÆ DEO noſtro; ne forte incidat in nos peſte & gladio.

4. Et dixit ad illos rex Ægypti, quare, Moſche & Aharon, abſtrahitis populum ab operibus ejus; ite ad onera veſtra.

5. Et dixit Pharao, ecce multi nunc populus terræ, & ceſſare feciſtis illos ab oneribus illorum.

6. Et præcepit Pharao die illo exactoribus in populo, & moderatoribus ejus, dicendo.

7. Non addetis dare paleam populo ad laterificandum lateres, ſicut heri nudius tertius, illi ibunt, & colligant ſibi paleam.

8. Et demenſum laterum, quod illi facientes heri nudius tertius, ponetis

ponetis ſuper illos, non detrahetis ab illo, quia remiſſi illi, propterea illi clamant, dicendo, eamus, ſacrificemus Deo noſtro.

9. Aggravetur ſervitium ſuper viros, & faciant illud, & ne reſpiciant ad verba mendacii.

10. Et exiverunt exactores populi, & moderatores ejus, & dixerunt ad populum, dicendo, ita dixit Pharao, nequaquam do vobis paleam.

11. Vos ite, ſumite vobis paleam, ex quo inveneritis, quia nihil detrahetur e ſervitio veſtro quicquam.

12. Et diſperſit ſe populus in omnem terram Ægypti ad colligendum ſtipulum ad paleam.

13. Et exactores urgentes, dicendo, abſolvite opera veſtra, verbum diei in die ejus, quemadmodum in eſſe palea.

14. Et percuſſi ſunt moderatores filiorum Iſraelis, quos poſuerunt ſuper illos exactores Pharaonis, dicendo, quare non abſolvitis, ſtatutum veſtrum ad laterificandum ſicut heri nudius tertius, etiam heri etiam hodie.

15. Et venerunt moderatores filiorum Iſraelis, & clamaverunt ad Pharaonem, dicendo, quare facis ſic ſervis tuis.

16. Palea nulla datur ſervis tuis, & lateres, dicunt nobis, facite, & ecce ſervi tui percutiuntur, & peccavit populus tuus.

17. Et dixit, remiſſi vos, remiſſi, propterea vos dicitis, eamus, ſacrificemus Jehovæ.

18. Et nunc ite, ſervite, & palea non dabitur vobis, & demenſum laterum dabitis.

19. Et viderunt moderatores filiorum Iſraelis ſemet in malo, dicendo, non detrahetis de lateribus veſtris quicquam die in die ejus.

20. Et occurrerunt Moſchi & Aharoni ſtantibus obviam illis in exire illos a Pharaone.

21. Et dixerunt ad illos, videat Jehovah ſuper vos, & judicet, quod putere feciſtis odorem noſtrum in oculis Pharaonis, & in oculis ſervorum illius, ad dandum gladium in manum illorum ad occidendum nos.

22. Et reverſus Moſcheh ad Jehovam, & dixit, Domine, quare malefeciſti populo huic, quare hoc miſiſti me.

23. Et ex quo veni ad Pharaonem ad loquendum in Nomine Tuo, malefecit populo iſti, & liberando non liberaſti populum tuum.

CON-

CONTENTA.

7087. IN hoc Capite in ſenſu interno continuatur de infeſtatione illorum, qui ab Eccleſia ſpirituali, a falſis. Primum agitur de illis qui infeſtabant, quod ad exhortationem Divinam prorſus nihil attenderent: deinde quod infeſtarent poſtea adhuc magis, injiciendo fallacia & fictitia falſa, quæ illi, qui ab Eccleſia ſpirituali, diſcutere nequirent; & quia ſic infeſtantes non a ſe amovere poſſent, quod coram Divino lamentati ſint.

SENSUS INTERNUS.

7088. VERS: 1. 2. 3. 4. *Et poſtea venerunt Moſcheh & Aharon, & dixerunt ad Pharaonem, ita dixit Jehovah Deus Iſraelis, demitte populum meum, & feſtum agant Mihi in deſerto. Et dixit Pharao, quis Jehovah cujus audiam vocem, ad dimittendum Iſraelem, non novi Jehovam, & etiam Iſraelem non dimittam. Et dixerunt, Deus Hebræorum occurrit nobis, eamus quæſo viam trium dierum in deſertum, & ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro, ne forte incidat in nos peſte vel gladio. Et dixit ad illos rex Ægypti, quare Moſche & Aharon, abſtrahitis populum ab operibus ejus, ite ad onera veſtra.* Et poſtea venerunt Moſcheh & Aharon, ſignificat Divinam Legem & doctrinam inde: & dixerunt ad Pharaonem, ſignificat inde exhortationem ad illos qui contra vera Eccleſiæ: ita dixit Jehovah, Deus Iſraelis, ſignificat quod ex Divino Humano Domini: dimitte populum meum, ſignificat quod deſiſterent ab illis infeſtandis & feſtum agant Mihi in deſerto, ſignificat ut ex læto animo colant Dominum in obſcuro fidei in quo ſunt: & dixit Pharao, ſignificat cogitationem contrariam: quis Jehovah cujus vocem audiam, ſignificat de Domino, Cujus exhortationi auſcultarent: ad dimittendum populum, ſignificat ut deſiſtant: non novi Jehovam, ſignificat quod Dominum non curent: & etiam Iſraelem non dimittam, ſignificat quod nec deſiſtent ab infeſtando: & dixerunt, Deus Hebræorum occurrit nobis, ſignificat quod Ipſe Deus Eccleſiæ mandaverit: eamus quæſo viam trium dierum in deſerto, ſignificat quod erunt in ſtatu prorſus remoto a falſis, tametſi in obſcuro fidei, & ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro, ſignificat ut colant Dominum: ne forte incidat in nos peſte & gladio, ſignificat ad evitandum damnationem mali & falſi: & dixit ad illos rex Ægypti, ſignificat reſponſum ab illis qui in falſis: quare Moſche & Aharon abſtrahitis populum ab operibus ſuis, ſignificat quod illorum Divina Lex & Doctrina non eximent illos a gravaminibus: ite ad onera veſtra, ſignificat quod vivent in pugnis.

7089. Et poſtea venerunt Moſcheh & Aharon, quod ſignificet Divinam Legem & Doctrinam inde, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus

minus quoad Divinam Legem, de qua n: 6752; & ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Doctrina boni & veri, de qua n: 6998. Per Divinam Legem, quam Moſcheh repræſentat, intelligitur Verbum quale eſt in ſuo ſenſu interno, ita quale eſt in cœlis; per Doctrinam autem intelligitur Verbum, quale eſt in ſuo ſenſu literali, ita quale eſt in terris; quantum illa differunt, conſtare poteſt ab iis, quæ hactenus quoad ſenſum internum Verbi explicata ſunt: pro illuſtratione ſint decem Præcepta, quæ in ſpecie Lex vocantur; ſenſus literalis ibi eſt, quod honorandi parentes, quod non occidendum, non mæchandum, non furandum, & plura; at ſenſus internus eſt, quod colendus Dominus, quod odio non habendum, quod verum non falſificandum, & quod ſibi non vindicandum quod Domini eſt; ita intelliguntur hæc quatuor præcepta decalogi in cœlo; & reliqua etiam ſuo modo; nam in cœlis non ſciunt alium Patrem quam Dominum, idcirco pro quod honorandi parentes intelligunt, quod colendus Dominus; in cœlis nec ſciunt quid ſit occidere, nam vivunt in æternum, ſed pro occidere intelligunt odio habere, ac vitam ſpiritualem alicujus lædere; in cœlis nec ſciunt quid mæchari, quare pro illo correſpondens percipiunt, nempe non falſificare verum; pro furari percipiunt non aliquid auferre Domino, & id ſibi vindicare, ſicut bonum & verum: talis eſt illa Lex, & quoque totum Verbum in cœlis, ita talis in ſenſu interno, imo eſt adhuc profundior, nam pleraque quæ in cœlis cogitantur & dicuntur, non cadunt in verba loquelæ humanæ, quia ibi eſt ſpiritualis mundus, non autem naturalis; & quæ ſunt mundi ſpiritualis, tranſcendunt ita illa quæ ſunt naturalis mundi, ſicut non materialia illa quæ ſunt materialia; at quia uſque materialia illis correſpondent, poſſunt illa per materialia exponi, ita naturali loquela, non autem ſpirituali; ſpiritualis enim loquela non eſt vocum materialium, ſed vocum ſpiritualium, quæ ſunt ideæ modificatæ in voces in aura ſpirituali, & repræſentatæ per variegationes lucis cœleſtis, quæ lux in ſe non eſt niſi quam Intelligentia & Sapientia Divina procedens a Domino. Ex his conſtare poteſt, quid per Divinam Legem in ſenſu ſuo genuino intelligitur, quam Moſcheh repræſentat, & quid per Doctrinam, quam Aharon.

7090. Et dixerunt ad Pharaonem, quod ſignificet exhortationem ad illos qui contra vera Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione dicere, quia a Moſche & Aharone ex Mandato Divino, quod ſit exhortatio, ut quoque n: 7033; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſit ſcientificum quod contra vera Eccleſiæ, de qua n: 6651. 6674. 6683, ita illi qui tales ſunt. Hic & in ſequentibus agitur de illis qui ab Eccleſia ſpirituali ſalvati ſunt per adventum Domini in mundum, quique ante adventum Ipſius detenti fuerunt in terra inferiore, & ibi vexati a falſis, hoc eſt, ab infernalibus, qui in falſis ex malo ſunt; Terra illa eſt ſub plantis circumcincta infernis, a parte anteriore illis qui falſificarunt vera & adulterarunt bona; ad dextrum illis qui pervertunt ordinem Divinum, & inde ſibi potentiam acquirere ſtudent; a tergo malis geniis, qui ex amore ſui occulte machinati ſunt malum contra proximum; profunde infra illos, ſunt qui Divinum prorſus ſpreverunt, & naturam coluerunt, & inde omne ſpirituale a ſe removerunt; talibus circumcincti ſunt illi qui in terra inferiore

ſunt,

ſunt, ubi ante adventum Domini reſervati ſunt illi qui ab Eccleſia ſpirituali, ac ibi infeſtati; ſed uſque a Domino tutati, & evecti in cœlum cum Domino, quando Ipſe reſurrexit; de his videantur quæ prius n: 6854. 6955. 6914. 6945. 7035. dicta & oſtenſa ſunt. Terra inferior, ubi reſervati ſunt illi, qui ab Eccleſia ſpirituali ad adventum Domini, in Verbo aliquoties nominatur, ut apud Eſaiam "Cantate Cœli, quia fecit Jehovah, *jubilate Inferiora terræ*, perſonate montes cantu, ſylva & omnis arbor in illa, quia redemit Jehovah Jacobum, & in Iſraele glorioſum ſe reddidit" XLIV: 23: ibi de illis qui in inferiore terra, quod ſalvati a Domino; Jacob & Iſrael ſunt Eccleſia ſpiritualis, Jacob Eccleſia externa, Iſrael interna, n: 3305. 4286. 6426. Apud Ezechielem "Fecero deſcendere te cum deſcendentibus *foveam*, ad populum æternitatis, & habitare fecero te *in terra inferiorum* in deſolationibus" XXVI: 20. Apud Eundem "*Ad terram inferiorum* in medio filiorum hominis, ad deſcendentes foveam: unde conſolabuntur ſe *in terra inferiore* omnes arbores Edenis, ſelectio & præcipuum Libani, omnes bibentes aquas" XXXI: 14. 16, ibi terra inferior, ubi illi qui ab Eccleſia ſpirituali fuerunt. Hodie etiam, qui ab Eccleſia ſunt, & impleverunt ideas ſuas mundanis, & quoque terreſtribus, & fecerunt ut vera fidei talibus adjuncta eſſent, illi ad terram inferiorem demittuntur, & ibi quoque in pugnis ſunt, & hoc uſque dum mundana & terreſtria illa a veris fidei ſeparata ſunt, ac talia inſerta, ut non amplius conjungantur: cum hoc peractum eſt, tunc inde elevantur in cœlum; nam antequam talia amota ſunt, nullatenus poſſunt cum Angelis eſſe, ſunt enim illa tenebræ & inquinamenta, quæ cum luce & puritate cœli non concordant: mundana & terreſtria illa non niſi quam per pugnas contra falſa, ſeparari & amoveri poſſunt; pugnæ illæ fiunt hoc modo, infeſtantur illi, qui ibi, a fallaciis & inde falſis, quæ ab infernalibus circumcirca emittuntur, ſed a Domino per cœlum, refelluntur, & ſimul tunc inſinuantur vera; & hæc apparent ſicut apud illos qui in pugnis ſunt: inde eſt quod Eccleſia ſpiritualis dicenda ſit pugnans; ſed hodie raro eſt pugnans apud aliquem, in mundo, nam homo Eccleſiæ cum vivit in mundo, non ſuſtinet pugnam, propter malorum, turbam in cujus medio eſt; & propter carnem, in qua eſt, quæ infirma; homo in altera vita contineri poteſt firmiter in vinculis conſcientiæ, non autem ita in mundo, nam ſi in mundo perducitur in aliquid deſperationis, ut ſolent illi qui in pugnis ſunt, illico vincula illa rumpit; ſique illa rumpit, tunc ſuccumbit, & ſi ita ſuccumbit, actum eſt de ſalute ejus; inde eſt, quod pauci intra Eccleſiam hodie a Domino admittuntur in pugnas pro veris contra falſa; pugnæ illæ ſunt tentationes ſpirituales. Videantur etiam quæ de terra inferiore, & vaſtationibus ibi, prius n: 4728. 4940 ad 4951. 6854, oſtenſa ſunt.

7091. Ita dixit Jehovah Deus Iſraelis, quod ſignificet ex Divino Humano Domini, nempe exhortatio ad illos qui contra vera Eccleſiæ, conſtat ex eo, quod per Jehovam Deum Iſraelis intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum; quod Dominus ſit Jehovah in Verbo, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6303. 6281. 6905; Deus Iſraelis vocatur,

quia per Iſraelem ſignificatur Regnum Domini ſpirituale, n: 6426. 6637, & quia Dominus per adventum ſuum in mundum illos, qui ab eo Regno ſeu ab ea Eccleſia fuerunt, ſalvavit, n: 6854. 6914. 7035: quod Deus Iſraelis ſit Dominus quoad Divinum Humanum, eſt quia illi, qui ab ea Eccleſia ſunt, de omni ſpirituali & cœleſti naturales ideas habent, & quoque de Divino, quapropter niſi de Divino, ut de Homine Naturali, cogitarent, non poſſent Divino per aliquid affectionis conjungi; nam ſi de Divino non ſicut de Homine naturali cogitarent, de Divino vel nullas vel enormes ideas haberent, & ſic Divinum conſpurcarent; inde eſt, quod per Deum Iſraelis intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, & quidem quoad Divinum naturale: quod per Iſraelem & Jacobum in ſenſu ſupremo intelligatur Dominus quoad Divinum Naturale, per Iſraelem quoad Divinum Naturale Internum, & per Jacobum quoad Divinum Naturale Externum, videatur n: 4570; & quod illi, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, ſalvati fuerint & ſalventur per Divinum Humanum Domini, n: 2833. 2834: tum quod ſpiritualis Eccleſiæ homo, qui Iſrael, ſit interior naturalis, n: 4286. 4402. Ex his nunc patet, cur Dominus in Verbo dicitur Jehovah Deus Iſraelis, & Jehovah Sanctus Iſraelis; quiſque ſcire poteſt, quod Divinum ita nominatum non ſit niſi convenienter ad aliquod Sanctum non apparens in ſenſu literæ. Quod Dominus quoad Divinum Naturale intelligatur per Deum Iſraelis, patet a pluribus locis in Verbo; manifeſte ab his; "Quod Moſcheh & Aharon, Nadab & Abihu, & ſeptuaginta ſeniores Iſraelis, *viderent Deum Iſraelis*, ſub Cujus pedibus quaſi opus lapidis Sapphiri, & quaſi ſubſtantia Cœli quoad munditiem" Exod: XXIV: 9. 10; quod Dominus fuerit, & non Jehovah Qui Pater vocatur, conſtat a Domini verbis apud Johannem "Deum nemo vidit unquam" I: 18; neque vocem Ipſius audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis" V: 37. Apud Eſaiam "Dabo Tibi theſauros tenebrarum, & occultas opes latebrarum, ut cognoſcas quod Ego Jehovah, *Qui vocaverim Te Nomine tuo Deus Iſraelis*" XLV: 3. Apud Ezechielem "Super capite Cheruborum quaſi aſpectus lapidis Sapphiri, ſimilitudo throni; & ſuper ſimilitudine throni, ſimilitudo quaſi *aſpectus Hominis* ſuper illo ſuperius; & illi aſpectus ignis & iridis, & ſplendoris circumcirca" I: 26. 27. 28; illa dicuntur gloria *Jehovæ*, & *Dei Iſraelis*, ibid: Cap: I: 28. Cap: VIII: 4. Cap: IX: 3. Cap: X: 19. 20; & quoque ubi agitur de Novo Templo, apud Eundem, Cap: XLIII: 2. Cap: XLIV: 2; præter in pluribus aliis locis, ut Eſai: XVII: 6. Cap: XXI: 10. 17. Cap: XXIV: 15. Cap: XLI: 17. Pſalm: XLI: 13. LIX: 5. LXVIII: 8. 35. LXIX: 6. LXXII: 18, & alibi: tum quoque SANCTUS ISRAELIS, Eſai: I: 4. Cap: V: 19. Cap: X: 20. Cap: XVII: 7. Cap: XXX: 11. 12. 15. Cap: XLIX: 7. Cap: LX: 9. 14. Ezech: XXXIX: 7. Quod Deus Iſraelis & Sanctus Iſraelis ſit Dominus quoad Divinum Humanum, conſtat quoque ex eo, quod dicatur Redemptor, Salvator, Factor; REDEMPTOR apud Eſaiam "*Redemptor noſter Jehovah Zebaoth, Nomen Ipſius Sanctus Iſraelis*" XLVII: 4; tum Cap: XLI: 14. Cap: XLIII: 14. Cap: XLVIII: 17. Cap:

LIV:

LIV: 5. SALVATOR, apud Eſaiam Cap: XLIII: 3. FACTOR apud Eſaiam Cap: XLV: 11. Ex his etiam patet, quod per Jehovam in Verbo Veteris Teſtamenti, non alius intelligatur quam Dominus, nam dicitur JEHOVAH DEUS & SANCTUS ISRAELIS, REDEMTOR, SALVATOR, FACTOR: Jehovah Redemptor & Salvator, apud Eſaiam "Ut ſciant omnis Caro, quod *Ego Jehovah Salvator* tuus, & *Redemptor tuus*, fortis Jacobi" XLIX: 26: apud Eundem "Ut ſcias quod Ego *Jehovah Salvator tuus*, & *Redemptor tuus*, potens Iſraelis" LX: 16. ut & Eſai: Cap: XLIII: 14. Cap: XLIV: 6. 24. Cap: LIV: 8. Cap: LXIII: 16. Pſalm: XIX: 14. Quod Dominus ſalvaverit Iſraelem, hoc eſt, illos qui ab Eccleſia ſpirituali, apud Eſaiam "Miſericordias Jehovæ commemorabo, laudes Jehovæ, juxta omne quod retribuit nobis Jehovah, multus bonitate *domui Iſraelis*, dixit, *certe populus meus illi*, filii qui non mentiuntur; *ideoque factus eſt illis in Salvatorem*; in omni anguſtia illorum, Ipſi anguſtia; & *Angelus facierum Ipſius liberavit illos, ob amorem ſuum*, & indulgentiam ſuam, *Hic redemit illos*, & *aſſumſit illos*, & *portavit illos omnibus diebus æternitatis*" LXIII: 7. 8. 9.

7092. Dimitte populum meum, quod ſignificet quod deſiſterent ab illis infeſtandis, conſtat ex ſignificatione dimittere, cum dicitur ad Pharaonem, per quem repræſentatur falſum quod infeſtat vera Eccleſiæ, quod ſit deſiſtere ab infeſtatione; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus meus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637.

7093. Et feſtum agant Mihi in deſerto; quod ſignificet ut ex læto animo colant Dominum, in obſcuro fidei in quo ſunt, conſtat ex ſignificatione feſtum agere, quod ſit cultus ex læto animo, de qua ſequitur quod ſit Dominus, Cui feſtum agerent, & Qui hic intelligitur per Mihi, ſeu per Jehovam, videatur mox ſupra n: 7091; & ex ſignificatione deſerti, quod ſit obſcurum fidei, de qua n: 2708. 7055; quod illi, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, in obſcuro fidei reſpective ſint, videatur n: 2708. 2715. 2716. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3241. 3246. 3833. 6289. 6500. 6945. Quod per feſtum agere, ſignificetur cultus ex læto animo, eſt quia feſtum ageretur ad viam trium dierum ab Ægypto, ita in ſtatu non infeſtationis a falſis, hoc eſt, in ſtatu libertatis; qui enim liberatur a falſis, & ab Anguſtia, in qua tunc eſt, ex læto animo agit Deo gratias, ita feſtum: etiam feſta, quæ inſtituta fuerunt apud populum illum, quæ fuerunt tria quotannis, dicuntur etiam inſtituta fuiſſe in memoriam liberationis a ſervitute in Ægypto, hoc eſt, in ſenſu ſpirtuali, in memoriam liberationis ab infeſtatione a falſis, per adventum Domini in mundum: ideo etiam mandatum eſt, ut tunc lætarentur; ut patet apud Moſen, ubi agitur de feſto tabernaculorum "In feſto tabernaculorum, accipient in die primo fructum arboris honoris, ſpathas palmarum, & ramum arboris denſæ, & ſalices torrentis, & *lætemini coram Jehovah Deo veſtro ſeptem diebus*" Levit: XXIII: 40; per fructum arboris honoris, ſpathas palmarum, ramum arboris denſæ, & ſalices torrentis, ſignificatur gaudium ex bono & vero ab in-

timo hominis ad externum ejus; bonum amoris, quod eſt intimum, ſignificatur per fructum arboris honoris, bonum fidei per ſpathas palmarum, verum ſcientificum per ramum arboris denſæ, & verum ſenſuale, quod eſt maxime externum, per ſalices torrentis; quod juſſum fuerit ut illa ſumerentur, non potuit eſſe abſque cauſa e mundo ſpirituali, quæ cauſa nuſquam alicui patere poteſt, niſi ex ſenſu interno, Quod lætarentur in feſto ſeptimanarum, etiam conſtat apud Moſen " Facies feſtum ſeptimanarum Jehovæ Deo tuo, *& læteris coram Jehovah Deo tuo*, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, & levita qui in portis tuis " Deut: VI: 10. 11; etiam per illa verba in ſenſu interno, ſignificatur lætitia ex bono & vero ab intimo ad externum. Quod in feſtis eſſet lætitia, & ſic quod feſtum agere, ſit colere ex læto animo, etiam ab his locis patet; apud Eſaiam " *Cantus erit vobis*, ſicut noctis ſanctificandi *feſtum* " XXX: 29. Apud Nahum " En ſuper montibus pedes *evangelizantis*, *proclamantis pacem*, *feriare Jehuda feſta tua*, redde vota tua, quia non addet amplius tranſire per te belial, omnis exſcindetur " II: 1 Apud Sachariam " Jejunia erunt domui Jehudæ *in gaudium*, & *in lætitiam*, & *in feſta bona*; veritatem modo & pacem amate" VIII: 19. Apud Hoſcheam " Ceſſare faciam *omne gaudium*, *feſtum ejus*, novilunium ejus " II: 11: Apud Amos " Convertam *feſta veſtra* in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentum: VIII: 10. Quod feſtum agere ſit cultus ex læto animo, quod liberati ſint a ſervitute in Ægypto, hoc eſt, in ſenſu ſpirituali, quod liberati ſint ab infeſtatione a falſis, manifeſtum eſt ex feſto Paſchatis, hoc mandatum eſt ut celebraretur die quotannis cum exibant ex Ægypto, & hoc propter liberationem filiorum Iſraelis a ſervitute, hoc eſt, propter liberationem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali a falſis, ita a damnatione; & quia Dominus liberavit illos per adventum ſuum, & illos ſecum in cœlum elevavit, cum reſurrexit, ideo hoc quoque Paſchate factum eſt; hoc quoque ſignificatur per Domini verba apud Johannem " Nunc judicium eſt mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras: Ego vero, ſi exaltatus fuero e terra, omnes traham ad Me Ipſum " XII: 31. 32.

7094. Et dixit Pharao, quod ſignificet cogitationem contrariam, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit cogitare, de qua n: 3395; quod ſit cogitatio contraria ab illis qui infeſtant, qui repræſentantur per Pharaonem, patet a nunc ſequentibus, nam Pharao prorſus non deſtitit, ſed adhuc magis filios Iſraelis aggravavit.

7095. Quis Jehovah, cujus vocem audiam, quod ſignificet de Domino Cujus exhortatione auſcultarent, nempe cogitationem contrariam, conſtat ex ſignificatione vocis, quod hic ſit exhortatio, quia ſunt illa quæ Moſcheh & Aharon ad Pharaonem dixerunt, de qua n: 7090; & ex ſignificatione audire, quod ſit obedire, de qua n: 2542. 3869. 5017; ita vocem audire, eſt exhortationi obedire ſeu auſcultare: quod Dominus ſit, Cujus exhortationi nollet auſcultare, eſt quia per Jehovam in Verbo non alius quam Dominus intelligitur, videatur ſupra n: 7090.

7096. Ad dimittendum populum, quod ſignificet ut deſiſtant, conſtat a ſignificatione dimittere, quod ſit deſiſtere, ut ſupra n: 7092, nempe ab in-

feſtandis

feſtandis illis qui ab Eccleſia ſpirituali, qui hic ſunt populus; quod filii Iſraelis ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, videatur n: 6426.

7497. Non novi Jehovam, quod ſignificet quod Dominum non curent, conſtat ex ſignificatione non noſſe, quod ſit non curare, nam qui non curat, is dicit ſe non noſſe; quod per Jehovam intelligatur Dominus, videatur ſupra n: 7090. Cum hoc, quod Pharao dicit ſe non noſſe Jehovam, ita ſe habet; Ægyptii ab Antiquo tempore noverunt Jehovam, ex cauſa quia etiam in Ægypto fuerat Eccleſia Antiqua, ut manifeſte conſtare poteſt ex eo, quod apud ſe Eccleſiæ illius Repræſentativa & Significativa habuerint; Hieroglifica Ægyptiaca non aliud ſunt; per illa enim ſignificabantur ſpiritualia, etiam ſciverunt quod actualiter correſponderent; & quia incipiebant adhibere talia in cultu ſuo ſacro, & colere illa, & tandem quoque vertere in magica, & ſic aſſociari turbæ diabolicæ in inferno, idcirco apud ſe Antiquam Eccleſiam prorſus deſtruxerunt: inde eſt, quod per Ægyptios in Verbo ſignificentur Scientifica Eccleſiæ perverſa, tum falſa quæ ſunt contra vera Eccleſiæ. Cum ita in Ægypto cultus Divinus perverſus fuit, tunc quoque non amplius licuit eis colere Jehovam, & demum ne quidem ſcire quod Jehovah fuerit Deus Eccleſiæ Antiquæ, & hoc ob cauſam, ne prophanarent Nomen Jehovæ. Quod Nomen Jehovæ etiam illo tempore notum fuerit, & hoc antequam iterum Abrahami poſteris per Moſchen in Monte Chorebo indicatum eſt, evidenter patet ex eo, quod Bileamus, qui fuit ex Syria, non modo noverit Jehovam, ſed etiam adoraverit Ipſum, & quoque ſacrificaverit Ipſi, Numer: Cap: XXII: XXIII. XXIV. Ex his nunc ſciri poteſt, quare Pharao dixit, quis Jehovah Cujus vocem audiam, ad dimittendum populum, non novi Jehovam. At quia per Pharaonem repræſentantur illi in infernis qui in falſis ſunt, & infeſtant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, idcirco dicendum quomodo cum his ſe habet: qui in Infernis ſunt, ac infeſtant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ſunt plerique ex talibus, qui dixerunt quod ſola fides ſalvet, & tamen vixerunt vitam fidei contrariam; & quia poſt mortem corporis vita remanet, ita malum quod cogitarunt, machinati ſunt, & fecerunt, idcirco ad defendendum vitæ ſuæ mala, vel applicant illa quæ dixerunt eſſe fidei, vel illa prorſus rejiciunt: at ne abutantur veris fidei, deprivantur illis, quibus cum deprivati ſunt, falſa, quæ prorſus contra vera fidei ſunt, arripiunt, & dein per falſa infeſtant illos qui in veris ſunt; hoc illis tunc jucundum vitæ eſt; plures etiam illorum, ut ſibi potentiam comparent, magica addiſcunt; hoc faciunt illi, qui per varias artes, quas excogitarunt in mundo, proximum fefellerunt, ac ex ſucceſſu omnia dein ſuæ prudentiæ attribuerunt. Illi qui tales facti ſunt, agnoſcunt Patrem Creatorem univerſi, non autem Dominum; de Domino dicunt ſicut hic Pharao de Jehovah, quis Jehovah, non novi Jehovam; imo ſicut eſt ſphæra univerſalis cœli plena agnitione & amore Domini, ita eſt ſphæra univerſalis infernorum plena negatione Domini & odio contra Ipſum; nec ſuſtinent ut nominetur. Infernales illi tales ſunt, ut per exhortationes & minas non deſiſtant, tantum enim eſt jucundum vitæ eorum infeſtare probos, & eos ab agnitione Domini & fide in Ipſum amovere;

amovere ; ipſum illud vitæ eorum jucundum augetur per exhortationes ut deſiſtant, inde enim credunt, quod brevi actum ſit cum illis quos infeſtant. Hi nunc ſunt, qui per Pharaonem & per Ægyptios in ſpecie intelliguntur.

7098. Et etiam Iſraelem non dimittam, quod ſignificet quod nec deſiſtent ab infeſtando, conſtat ab illis quæ ſupra n: 7092. 7096, dicta ſunt.

7099. Et dixerunt, Deus Hebræorum occurrit nobis, quod ſignificet quod Ipſe Deus Eccleſiæ mandaverit, conſtat ex ſignificatione Hebræorum, quod ſint qui ab Eccleſia, de qua n: 6675. 6684. 6738; & ex ſignificatione occurrere, quod ſit mandare, de qua n: 6903.

7100. Eamus quæſo viam trium dierum in deſerto, quod ſignificet quod erunt in ſtatu prorſus remoto a falſo, tametſi in obſcuro fidei, videatur n: 6904, ubi ſimilia verba.

7101. Et ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro, quod ſignificet ut colant Dominum, videatur n: 6905, ubi quoque ſimilia verba.

7102. Ne forte incidat in nos peſte & gladio, quod ſignificet ad evitandum damnationem mali & falſi, conſtat ex ſignificatione ne forte incidat, quod ſit ne incurrant, nempe in damnationem; ex ſignificatione peſtis, quod ſit damnatio mali, de qua ſequitur; & ex ſignificatione gladii, quod ſit vaſtatio veri, tum punitio falſi, de qua n: 2799, ita quoque damnatio, nam punitio falſi, devaſtato vero, eſt damnatio. In Verbo quatuor Genera vaſtationum & punitionum memorantur, nempe Gladius, Fames, Fera mala, ac Peſtis; & per *Gladium* ſignificatur vaſtatio veri, & punitio falſi; per *Famem* vaſtatio boni & punitio mali; per *Feram malam* punitio mali ex falſo; per *Peſtem* punitio mali quod non ex falſo ſed ex malo; & quia ſignificatur punitio, etiam ſignificatur damnatio, nam hæc eſt punitio illorum qui in malo perſeverant: de quatuor his Punitionum Generibus ita apud Ezechielem "Quando *quatuor Judicia mea mala, Gladium, & Famem, & Feram malam, & Peſtem,* miſero ſuper Hieroſolymam, ad exſcindendum ex ea hominem & beſtiam" XIV: 21: apud Eundem "Mittam ſuper vos *Famem, & Feram malam,* & orbam faciam te, & *Peſtis* & ſanguis tranſibit per te, imprimis *Gladium* adducam ſuper te" V: 17. Quod per Peſtem ſignificetur punitio mali, & ejus damnatio, patet a ſequentibus his locis; apud Ezechielem "Qui in vaſtitatibus *Gladio morientur,* & qui ſuper faciebus agri *feræ* dabo illum ad devorandum illum, & qui in munitionibus & cavernis, *Peſte morientur*" XXXIII: 27; in vaſtitatibus gladio mori, pro eſſe in vaſtatione veri & inde in damnatione falſi; qui ſuper faciebus agri feræ dari ad devorandum, pro damnatione illorum qui in malo ex falſo ſunt; qui in munitionibus & cavernis peſte mori pro damnatione mali quod per falſum ſe munit. Apud Eundem "*Gladius foris, & Peſtis* atque *Fames intus*; qui in agro *Gladio morietur,* qui vero in urbe illum *Fames & Peſtis,* comedent" VII: 15, Gladius pro vaſtatione veri & damnatione falſi; fames & peſtis pro vaſtatione boni & damnatione mali; gladius dicitur foris, ac fames & peſtis intus, quia vaſtatio veri eſt extra, vaſtatio autem boni intra; at cum vivitur ſecundum falſum, damnatio

damnatio ſignificatur per qui in agro gladio morietur, & cum vivitur in malo quod defenditur per falſum, damnatio ſignificatur per qui in urbe illum fames & peſtis comedent. In Levitico "*Adducam ſuper vos gladium* ulciſcentem ultionem fæderis; ubi ſi congregemini in urbes veſtras, *mittam Peſtem in medium veſtri*, & tradam vos in manum hoſtis; dum fracturus ſum vobis baculum panis" xxvi: 25. 26, hic ſimiliter Gladius pro vaſtatione veri & damnatione falſi; peſtis pro damnatione mali; vaſtatio boni, quæ ſignificatur per famem, deſcribitur per quod fracturus ſit illis baculum panis; per urbes in quas congregarentur, pariter ut ſupra ſignificantur falſa per quæ defendunt mala, quod urbes ſint vera, ita in oppoſito ſenſu falſa, videatur n: 402. 2268. 2712. 2943. 3216. 4492. 4493. Apud Ezechielem "Ideo quod ſanctuarium meum polluiſtis omnibus abominationibus tuis, tertia tui pars *Peſte morientur*, & conſumentur in medio tui; deinde tertia *Gladio cadent* circa te; tertiam tandem in omnem ventum diſpergam, ita ut *Gladium evaginem* poſt eos" v: 12, fames pro damnatione mali, gladius pro damnatione falſi; diſpergere in omnem ventum, & gladium evaginare poſt illos, pro diſſipare vera, & falſa arripere. Apud Jeremiam "Si obtulerint holocauſtum aut mincham, Ego non approbans ea, ſed *Gladio*, *Fame*, & *Peſte*, Ego *conſumam eos*" xiv: 12. Apud Eundem "Percutiam habitatores urbis hujus, & hominem & beſtiam, *Peſte magna morientur*; poſtea dabo Zedekiam regem Jehudæ, & ſervos ejus, & populum, & reſiduos in urbe hac *a Peſte*, & *a Gladio* & a *Fame*, in manum Nebuchadnezaris; qui manſerit in urbe hac, morietur *Gladio*, & *Fame*, & *Peſte*; qui vero exiverit, & deſcivent ad Chaldeos obſidentes vos, vivet, & fiet illi anima ejus in ſpolium" xxi: 6. 7. 9. Apud Eundem "Mittam in eos *Gladium*, *Famem*, & *Peſtem*, donec conſumuntur a ſuper terra" xxiv: 10, ibi quoque per Gladium ſignificatur vaſtatio veri, per Famem vaſtatio boni, per Peſtem damnatio: præter per Gladium, Famem, & Peſtem in ſequentibus locis, Jerem: xxviii: 8. Cap: xxix: 17. 18. Cap: xxxii: 24. 36. Cap: xxxiv: 17. Cap: xxxviii: 2. Cap: xlii: 17. 22. Cap: xliv: 13. Exech: xii: 16. Quia tria illa ordine ſuo ſequuntur, idcirco illa tria propoſita fuerunt Davidi a Gade Propheta, nempe "Si venirent ſeptem anni *Famis*; ſi tribus menſibus fugeret coram hoſtibus; & ſi tres dies *Peſtis* in terra" ii Sam: xxiv: 13, fugere coram hoſtibus pro Gladio. Apud Amos "*Miſi in vos Peſtem* in via Ægypti, occidi *Gladio* juvenes veſtros, cum captivitate equorum veſtrorum" iv: 10; Peſtis in via Ægypti pro vaſtatione boni per falſa, quæ ſunt via Ægypti; occidi Gladio juvenes cum captivitate equorum, pro vaſtatione veri, per juvenes ſignificantur vera, & per equos intellectualia, n: 2761. 2762. 3217. 5321. 6534. Apud Ezechielem "*Peſtis* & *Sanguis* tranſibit per te" v: 17. Apud Eundem "Mittam in eam *Peſtem* & *Sanguinem* in plateis ejus" xxviii: 23, ibi Peſtis pro adulterato bono, & ſanguis pro falſificato vero, quod ſanguis ſit falſificatum verum, videatur n: 4735. 4978. Apud Davidem "Non timebis tibi a pavore noctis, a telo volac interdiu, *a Peſte* quæ in caligine ſerpit, a morte vaſtat in meridie" Pſalm: xci:

xci: 5. 6, pavor noctis pro falſo quod in occulto eſt; telum volat interdiu, pro falſo quod in aperto; Peſtis quæ in caligine ſerpit, pro malo quod in occulto; mors vaſtat in meridie pro malo quod in aperto; quod peſtis ſit malum & damnatio mali, patet ex eo quod dicitur mors, quæ diſtinguitur ibi ſolum a peſte, per quod dicatur de morte quod vaſtet in meridie, & de peſte quod in caligine ſerpat. Apud Eundem "Direxit viam iræ ſuæ, non prohibuit a morte animam illorum, & vitam illorum *Peſti* concluſit" Pſalm: lxxviii: 50, ibi de Ægyptiis; Peſtis pro omni genere mali, & ejus damnatione.

7103. Et dixit ad illos rex Ægypti, quod ſignificet reſponſum ab illis qui in falſis, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Pharaone ad Moſchen & Aharonem, quod ſit cogitatio contraria, ut ſupra n: 7044, ita cogitatio quæ reſponſi; & ex repræſentatione Pharaonis ſeu regis Ægypti, quod ſit ſcientificum falſum, de qua n: 6651. 6679. 6683. 6692, ita illi qui in falſis.

7104. Quare Moſche & Aharon abſtrahitis populum ab operibus ſuis, quod ſignificet quod illorum Divina Lex & Doctrina non eximent illos a gravaminibus, conſtat ex repreſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Divinam Legem, de qua n: 9723. 6752; ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Dominus quoad Doctrinam inde, de qua n: 6998. 7009; ex ſignificatione abſtrahere, quod ſit eximere; & ex ſignificatione operum, quod ſint gravamina, nam opera erant labores, & quoque onera, ut ſequitur, ita gravamina ex pugnis, quæ per opera & onera in ſenſu interno ſignificantur.

7105. Ite ad onera veſtra, quod ſignificet quod vivent in pugnis, conſtat ex ſignificatione ire, quod ſit vivere, de qua n: 3335. 4882. 5493. 5606; & ex ſignificatione onerum, quod ſint infeſtationes a falſis, de qua n: 6757, ita pugnæ contra illa.

7106. Verſ: 5. 6. 7. 8. 9. *Et dixit Pharao, ecce multi nunc populus terræ, & ceſſare feciſtis illos ab oneribus illorum. Et præcepit Pharao die illo, exactoribus in populo, & moderatoribus ejus, dicendo. Non addetis dare paleam populo ad laterificandum lateres, ſicut heri nudius tertius, illi ibunt & colligant ſibi paleam. Et demenſum laterum, quod illi facientes heri nudius tertius, ponetis ſuper illos, non detrahetis ab illo, quia remiſſi illi, propterea illi clamant, dicendo, eamus, ſacrificemus Deo noſtro. Aggravetur ſervitium ſuper viros, & faciant illud, & ne reſpiciant ad verba mendacii.* Et dixit Pharao, ſignificat voluntatem illorum qui infeſtant vera Eccleſiæ: ecce multi nunc populus terræ, ſignificat multitudinem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali: & ceſſare feciſtis illos ab oneribus illorum, ſignificat quod non ſatis infeſtaverint: & præcepit Pharao die illo, ſignificat cupiditatem infeſtandi vera Eccleſiæ dum in illo ſtatu: exactoribus in populo & moderatoribus ejus, dicendo, ſignificat illos qui proxime infeſtant, & qui proxime recipiunt: non addetis dare paleam populo, ſignificat ſcientifica infima, quæ omnium communiſſima: ad laterificandum lateres, ſignificat ad fictitia & falſa, quæ injicientur: ſicut heri nudius tertius, ſignificat non ut in ſtatu priori: illi ibunt & colligant ſibi paleam, ſignificat ut ſcientifica illa infima ſibi ipſis comparent: & demenſum

laterum,

laterum, quod illi facientes heri nudius tertius, ponetis ſuper illos, ſignificat quod fictitia & falſa copia, qua prius, injicienda: non detrahetis ab illo, ſignificat abſque diminutione: quia remiſſi illi, ſignificat quia non ſatis oppugnati: propterea illi clamant, dicendo, eamus ſacrificemus Deo noſtro, ſignificat quod inde illis tanta cogitatio de tali cultu: aggravetur ſervitium ſuper viros, ſignificat quod augenda ſit impugnatio: & faciant illud, ſignificat ut ſit effectus: & ne reſpiciunt ad verba mendacii, ſignificat ne ſe vertant ad vera.

7107. Et dixit Pharao, quod ſignificet voluntatem illorum qui infeſtant vera Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit voluntas, de qua ſequitur; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant vera Eccleſiæ, de qua n: 6651. 6676. 6683, ita illos qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, nam illi dicuntur in veris Eccleſiæ eſſe; quod dicere ſignificet velle ſeu voluntatem, eſt quia involvit illa quæ ſequuntur, nam cum quis vult aliquid, edicit illud: quia *dicit* involvit illa quæ ſequuntur, inde varia ſignificat, ſicut mandatum, n: 7036; exhortationem n: 5012. 7033. 7090; communicationem, n: 3060. 4131. 6228; cogitationem, n: 7094; proprie perceptionem, n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2862. 3509. 5686.

7108. Ecce multi nunc populus terræ, quod ſignificet multitudinem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione populi terræ, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 2928; populus enim ſignificat illos qui in veris fidei, n: 1259. 1260. 3581, & terra ſignificat Eccleſiam, de qua n: 662. 1066. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117 2118 f. 3355. 4447. 4535. 4577.

7109. Et ceſſare feciſtis illos ab oneribus ſuis, quod ſignificet quod non ſatis infeſtaverint, conſtat ex ſignificatione onerum, quod ſint infeſtationes a falſis, & inde pugnæ, de qua n: 6757. 7104. 7105; inde ceſſare facere ab oneribus, eſt quod non ſatis infeſtaverint.

7110. Et præcepit Pharao die illo, quod ſignificet cupiditatem infeſtandi vera Ecleſiæ dum in illo ſtatu, conſtat a ſignificatione præcipere, quod ſit mandatum, & quia mandato malorum ineſt cupiditas malum faciendi, inde enim mandatum ab illis venit, idcirco per præcepit etiam ſignificatur cupiditas; ex repræſentatione Pharonis, quod ſint qui infeſtant vera Eccleſiæ, de qua n: 6651. 6679. 6683; & ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus, de qua n: 23. 487, 488, 493. 893. 2488. 3462. 3785. 4850.

7111. Exactoribus in populo, & moderatoribus ejus, dicendo, quod ſignificet illos qui proxime infeſtant, & qui proxime recipiunt, conſtat ex ſignificatione exactorum, quod ſint qui ad ſerviendum adigunt, de qua n: 6852; & quia hoc fit per infeſtationes, etiam per exactores ſignificantur illi qui infeſtant, ſed qui proxime infeſtant, de quibus infra; & ex ſignificatione moderatorum, quod ſint qui proxime recipiunt; erant enim moderatores a filiis Iſraelis, at exactores ab Ægyptiis, ut patet a ſequentibus; ita in ſenſu interno ſunt moderatores illi qui proxime recipiunt, & exactores qui proxime infe-

ſtant: quinam illi ſunt, ſcire poteſt ab illis in altera vita qui infeſtant ac injiciunt falſa & mala, & qui recipiunt illa & communicant; qui infeſtant & injiciunt falſa & mala, ſunt inferna, ſed ut efficere poſſint, emittunt a ſe emiſſarios, per quos agunt; apparent illi non procul ab illis qui infeſtantur; hoc fit ideo, ut cogitationes ac intentiones plurium concentrentur, alioquin diſſiparentur; emiſſarii illi apparent in ſuis certis locis in mundo ſpirituum, exque ipſis locis, ubi apparent, cognoſci poteſt ex quo inferno ſunt; quidam apparent ſupra caput ad variam altitudinem, & ad variam obliquitatem; quidam juxta caput ad dextrum ſive ad ſiniſtrum, etiam poſt illud; quidam infra caput varie ad corpus, in planis a capite uſque ad plantas pedis; illi influunt cum talibus quæ ab inferno ejiciuntur, & quæ influunt; ſpiritus ſeu homo non aliter ſentit, & inde non aliter ſcit, quam quod in ipſo ſint, hoc eſt, quod ipſe cogitet illa ac intendat: emiſſarii illi vocantur ſubjecta, de quibus videantur quæ ab experientia prius n: 4403. 5856. 5983 ad 5989; oſtenſa ſunt: hi quia proxime infeſtant, ſignificantur per exactores; qui autem ab illis recipiunt & communicant, ſunt moderatores, ac ſunt ſpiritus intermedii; Moderatores enim, ut ſupra dictum, erant ex filiis Iſraelis, ſed exactores ab Ægyptiis. Moderatores dicebantur apud populum Iſraeliticum & Judaicum, qui dicerent quid agerent, & qui præciperent; quapropter cum Judicibus & Senioribus etiam ſedebant in portis, & loquebantur ad populum quæ judicabantur, tum quoque quæ a Duce mandabantur; ut conſtare poteſt a ſequentibus his locis; apud Moſchen "Judices & *Moderatores* dabis in omnibus portis tuis juxta tribus tuas, qui judicabunt populum judicio juſtitiæ" xvi: 18. Apud Eundem "Quando exibunt ad bellum, loquetur ſacerdos ad populum, & admonebit ne timerent; poſtea *Moderatores dicent*, quod qui ædificavit domum, reverteretur, & quoque timidi" xx: 5. 8. 9. Apud Joſchuam "Joſchua præcepit *Moderatoribus ut dicerent ad populum*, ut pararent viaticum, antequam tranſirent Jordanem" i: 10. 11. Apud Eundum "A fine trium dierum factum eſt, cum tranſirent *Moderatores* per medium caſtrorum, & *præciperent*, ut cum viderent arcam fœderis Jehovæ, etiam proficiſcerentur" iii: 2. 3. Quod Moderatores fuerint Præfecti populi diſtincti a Principibus illius, videatur Deut: i: 15; quod a Senioribus, Deut: xxxi: 28; & quoque a Judicibus, Joſch: viii: 33.

7112. Non addetis dare paleam populo, quod ſignificet ſcientifica infima, & omnium communiſſima, conſtat ex ſignificatione paleæ ſeu ſtraminis, quod ſint vera ſcientifica, de qua n: 3114, & quidem ſcientifica infima & omnium communiſſima, nam cibus in ſpirituali ſenſu infimus, eſt ſtramen ſeu palea, quia eſt beſtiarum. Scientifica infima dicuntur, quæ fallaciis ſenſuum plena ſunt, quibus mali abutuntur ad pervertendum bona & vera, ac ita ad patrocinandum malis & falſis, nam illa ſcientifica propter fallacias verti poſſunt in favorem principiorum falſi & cupiditatum mali; talia etiam ſunt omnium communiſſima, quæ niſi veris minus communibus & particularibus implentur, inſervire falſis & malis poſſunt, ſed ſicut implentur veris, ita minus inſerviunt. Talia ſunt, per quæ illi qui Solam fidem in mundo confeſſi ſunt,

&

& tamen vitam mali vixerunt, in altera vita probos infeſtant; at quia illa ab angelis diſcutiuntur, dicitur nunc quod non adderent dare paleam ad laterificandum lateres, hoc eſt, quod non adderent illa ad fictitia & falſa, quæ injicientur. Hic ſenſus internus horum Verborum eſt, qui quidem remotus apparet a ſenſu literæ; ſed ſciendum, quod nihil ſit in mundo Naturali quod non correſpondet rei alicui in mundo ſpirituali; & Angeli apud hominem omnia ſpiritualiter intelligunt quæ homo naturaliter; illi non ſciunt quid palea, nec quid lateres; talia illis nota fuerunt cum erant in mundo, ſed oblivioni data cum venerunt in cœlum, quia induerunt ibi ſpiritualia; inde eſt, cum angeli appercipiunt ideas talium apud hominem, vertant illa in correſpondentia ſpiritualia. Quod palea ſeu gramen ſit ſcientificum infimum, & lateres ſint fictitia & falſa, ex pluribus conſtare poteſt; herbacea enim non aliud ſunt, ut & ſtraminea; ſemina autem, hordea, tritica, & ſimilia, ſunt vera & bona interiora; & lapides non facti ſunt vera.

7113. Ad laterificandum lateres quod ſignificet ad fictitia & falſa quæ injicientur, conſtat ex ſignificatione laterificare lateres, quod ſit fingere falſa, de qua n: 1296. 6669. In ſenſu literæ hiſtorico eſt, quod Filii Iſraelis laterificarent lateres, & ſic quaſi illi fingerent falſa; ſed in ſenſu interno ſignificatur quod infernales, qui in falſis, injicerent illa; quæ quia, ut prius dictum, apparent apud illos qui recipiunt, eſt ſenſus literæ ſecundum apparentiam, qui tamen explicatur per ſenſum internum; quod talia permulta in ſenſu literæ ſint, videatur n: 5094. 6400. 6948.

7114. Sicut heri nudius tertius, quod ſignificet non ut in ſtatu priori, conſtat ex ſignificatione heri nudius tertius, quod ſit præteritum, de qua n: 6983; & quia omnia tempora ſignificant ſtatus, n: 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 4814. 4882. 4901. 4916, ita heri nudius tertius ſignificat ſtatum priorem.

7115. Illi ibunt, & colligant ſibi paleam, quod ſignificet ut ſcientifica illa infima ſibi ipſis comparent, conſtat ex ſignificatione colligere, quod ſit comparare; & ex ſignificatione paleæ, quod ſint ſcientifica infima, de qua mox ſupra n: 7112.

7116. Et demenſum laterum, quod illi facientes heri nudius tertius, ponetis ſuper illos, quod ſignificet quod fictitia & falſa copia, qua in ſtatu priori, injicienda, conſtat ex ſignificatione demenſi, quod ſit copia, hic copia eadem; ex ſignificatione laterum, quod ſint fictitia & falſa, de qua mox ſupra n: 7113; ex ſignificatione heri nudius tertius, quod ſit ſtatus prior, de qua etiam mox ſupra n: 7114; & ex ſignificatione ponere ſuper illos, quod ſit injicere, quia prædicatur de fictitiis & falſis: ex his patet, quod per demenſum laterum, quod illi facientes heri nudius tertius, ponetis ſuper illos, ſignificetur quod fictitia & falſa copia, qua in ſtatu priori, injicienda.

7117. Non detrahetis ab illo, quod ſignificet abſque diminutione, conſtat abſque explicatione.

7118. Quia remiſſi illi, quod ſignificet quia non ſatis oppugnati, conſtat ex ſignificatione eſſe remiſſos, quod ſit non ſatis infeſtatos eſſe a falſis, ita

 non

non ſatis oppugnatos. Quomodo hoc ſe habet, etiam ab illis qui infeſtantur a falſis in altera vita ſciri poteſt ; qui infeſtant, quantum poſſunt, inhibent, ne probi, quos infeſtant, cogitent de Domino ; ut primum aliquid cogitationis aperte de Domino incidit, illico auferunt, quod dextre facere ſciunt: ſed quia cogitatio de Domino, apud illos qui infeſtantur, uſque univerſalis eſt, ita interior quam ut pateat, nam per cœlum influit, ideo ut primum non infeſtantur, in cogitationem de Domino veniunt ; quod enim e cœlo influit, & univerſaliter regnat, hoc ſe revelat in omni libero: ex his patet, quis horum verborum, nempe "quia remiſſi illi, propterea illi clamant, dicendo, eamus, ſacrificemus Deo noſtro," ſenſus internus eſt.

7119. Propterea illi clamant, dicendo, eamus ſacrificemus Deo noſtro, quod ſignificet quod inde illis tanta cogitatio de tali cultu, conſtat ex ſignificatione clamare, quod hic ſit cogitatio, per dicere enim & loqui ſignificatur cogitatio, n: 2271. 2287. 7094, ideo etiam per clamare, ſed per clamare cogitatio fortis & cum plena intentione faciendi, inde dicitur tanta cogitatio ; ex ſignificatione ſacrificare Deo ſuo, quod ſit cultus Domini, de qua n: 6905. 7101 ; ſed quia Pharao dixit, quod non noſſet Jehovam, n: 7095. 7097, & quia Ægyptii averſati ſunt ſacrificia, n: 1343, tum quia Moſcheh dixit, quod abirent viam trium dierum in deſertum, n: 6904. 7100, ideo dicitur talis cultus.

7120. Aggravetur ſervitium ſuper viros, quod ſignificet quod augenda ſit impugnatio, conſtat ex ſignificatione aggravari, quod ſit augeri ; ex ſignificatione ſervitii, cum dicitur ab illis qui per falſa infeſtant, quod ſit intentio ſubjugationis, de qua n: 6666. 6670. 6671, ita impugnatio, nam per impugnationem ſubjugare intendunt ; & ex ſignificatione virorum, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali ; ſunt duæ voces in Lingua originali, quæ ſignificant *Hominem*, una eſt Adam, & altera Enoſch ; per hominem qui vocatur Adam intelligitur homo Eccleſiæ cœleſtis ; at per hominem qui vocatur Enoſch intelligitur homo Eccleſiæ ſpiritualis ; hic *Viri* exprimuntur per Enoſch, quia agitur de illis qui ab Eccleſia ſpirituali.

7121. Et faciant illud, quod ſignificet ut ſit effectus, conſtat abſque explicatione.

7122. Et ne reſpiciant ad verba mendacii, quod ſignificet ne ſe vertant ad vera, conſtat ex ſignificatione reſpicere, quod ſit ſe vertere ; & ex ſignificatione verborum mendacii, cum dicitur ab illis quæ in falſis ſunt, quod ſint vera ; nam qui in falſis ſunt, vera vocant falſa, ita verba mendacii, & falſa vocant vera, ſunt enim in oppoſito. In his Verſibus in ſenſu interno nunc deſcripta eſt infeſtatio proborum in altera vita a falſis, & quoque expoſitus eſt modus quo infeſtantur: quod infeſtatio illa permittatur, eſt ob finem, ut falſa removeantur, & vera inſinuentur, quod nequaquam fieri poteſt abſque infeſtatione ; adhæret enim homini, & ineſt ejus memoriis, poſt mortem, omne cogitationis ejus in mundo, omne intentionis, omne voluntatis, omne loquelæ, & omne actionis ejus, nam nihil obliteratur ; ſed quod hæc memoriis ejus, imprimis memoriæ interiori, quæ proprie eſt memoria ejus ſpiritus, impreſſa ſunt videatur n: 2469. 2470. 2474. 2475 ;

&

& quia ita eſt, non poteſt aliter, quam quod fæda & ſpurca, & quoque mala & falſa, ex vita in mundo, adhæreant, & faciant, ut vera, quæ quoque homo addidicit, & bona quæ imbuit, abſcondantur; nam vera & bona inter talia non prodire poſſunt; quampropter antequam vera & bona poſſunt apparere, & ſic is aſſociari illis qui in cœlo, neceſſum eſt ut mala & falſa illa revelentur, ut videat illa, & cognoſcat illa, & ſic diſcat quid verum, & quid bonum: hoc nequaquam fieri poteſt abſque pugna cum malis & falſis apud ſe; quæ pugna fit actualiter, ſpiritus mali excitant falſa & mala, & Angeli excuſant ſi finis fuerit bonus, ac inſinuant vera; hoc percipitur ſicut foret in ipſo, ſicut etiam tentatio apud hominem, quæ non aliter ſentitur quam quod ſit in illo, cum tamen eſt pugna Angelorum cum ſpiritibus malis extra illum, de qua re videatur n: 3927. 4249. 4307. 5036. 6657: quod ita ſe res habeat, ex multa experientia pro certo ſcire datum eſt. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur, cur infeſtatio a falſis fit illis qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua infeſtatione in his verſibus in ſenſu interno actum eſt, & quoque in ſequentibus agitur.

7123. Verſ: 10. 11. 12. 13. *Et exiverunt exactores populi, & moderatores ejus, & dixerunt ad populum, dicendo, ita dixit Pharao, nequaquam do vobis paleam. Vos ite, ſumite vobis paleam, ex quo inveneritis, quia nihil detrahetur e ſervitio veſtro quicquam. Et diſperſit ſe populus in omnem terram Ægypti ad colligendum ſtipulam ad paleam. Et exactores urgentes, dicendo, abſolvite opera veſtra, verbum diei in die ejus, quemadmodum in eſſe palea.* Et exiverunt exactores populi & moderatores ejus, ſignificat emiſſionem & præſentiam illorum qui proxime infeſtant, & qui proxime recipiunt: & dixerunt ad populum, dicendo, ſignificat perceptionem: ita dixit Pharao, ſignificat de infeſtationibus: nequaquam do vobis paleam, ſignificat quod non amplius inde ſcientifica communiſſima: vos ite, ſumite vobis paleam, ex quo inveneritis, ſignificat quod ſibi illa compararent aliunde, ubi poſſent: quia nihil detrahetur de ſervitio veſtro quicquam, ſignificat injectiones falſorum abſque diminutione: & diſperſit ſe populus in omnem terram Ægypti, ſignificant quod diffunderent mentem naturalem undequaque: ad colligendum ſtipulam ad paleam, ſignificat ad inveniendum aliquod verum ſcientificum: & exactores urgentes, ſignificat proxime infeſtantes quod inſtarent: dicendo, abſolvite opera veſtra verbum diei in die ſuo, ſignificat ut ſervirent falſis ita dictis in quolibet ſtatu: quemadmodum in eſſe palea, ſignificat ſicut ſuis veris ita dictis.

7124. Et exiverunt exactores populi & moderatores ejus, quod ſignificet emiſſionem illorum qui proxime infeſtant, & qui proxime recipiunt, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit emiſſio, quia illi qui per exactores ſignificantur, emittuntur, ut inſerviant pro medio communicandi, ut conſtare poteſt ab illis, quæ ſupra n: 7111, dicta ſunt: quod exire etiam ſit ſe ſiſtere præſentem coram alio in forma ei accommodata, videatur n: 6100, ita quoque eſt præſentia; ex ſignificatione exactorum, quod ſint qui proxime infeſtant;

infeſtant; & ex ſignificatione moderatorum, quod ſint qui infeſtationes proxime recipiunt & communicant, de quibus n: 7111.

7125. Et dixerunt ad populum, dicendo, quod ſignificet perceptionem, conſtat ex ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2862. 3509. 5686.

7126. Ita dixit Pharao, quod ſignificet de infeſtationibus, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua prius aliquoties, ita eſt infeſtatio.

7127. Nequaquam do vobis paleam, quod ſignificet quod non amplius inde ſcientifica communia, conſtat ex ſignificatione nequaquam dare, quod ſit non amplius ſubminiſtrare; & ex ſignificatione paleæ, quod ſint ſcientifica omnium communiſſima, de qua n: 7112. Quomodo hæc ſe habent, ſupra dictum eſt; ulterius autem dicendum, quod illi imprimis in altera vita objiciant paleam, hoc eſt, ſcientifica omnium communiſſima, probis quos infeſtant, qui ab Eccleſia fuerunt, & ſibi perſuaſerunt Solam fidem ſalvare, ſed uſque non vixerunt vitam fidei, ſed vitam mali; illi tales ſunt ibi, quales fuerunt in mundo, confirmantia ſciant pro ſola fide, per quam dicunt ſalvari hominem, utcunque vixerat; ſed confirmantia illa non aliud ſunt quam ratiocinia cum propoſitione data concurrentia; nam quodlibet, etiam maxime falſum, per ratiocinia confirmari poteſt, & quoque per artes eloquendi & concludendi ſiſti ſimplicibus ſicut verum; ad hoc adhibent imprimis talia, quæ ſunt omnium communiſſima ex Verbo, quæ abſque ſenſu interno Verbi ad favorem cujuſcunque opinionis trahi queunt: talia ſunt quæ objiciunt, & per quæ infeſtant illos qui ab Eccleſia ſpirituali; ſed uſque non aliud ſunt quam palea ſeu ſtramen ad faciendum lateres; nam ipſiſſimum eſſentiale excludunt, nempe charitatem; dicunt quidem, quod charitatis opera ſint fructus fidei, ſed uſque illa nihili faciunt, & perſuadent quod ſalvetur homo per ſolam fidem, qualiſcunque vita fuerit, etiam in ultima vitæ hora, ita per fidem abſque ſuis fructibus, ſic abſque vita fidei & charitatis: quamdiu talia objiciuntur probis in altera vita, argumenta pugnæ habent, & ſe defendere poſſunt, nam vident quod ratiocinia fallacia ſint, cum eſſentiale, quod eſt charitas, ita excluditur, & quoque cum vident, quod vitam non curent; hæc vident ea omnibus & ſingulis in altera vita, ut in clara die: talia nunc ſunt, quæ intelliguntur per ſcientifica infima & omnium communiſſima, & ſignificantur per paleam. Qui ſibi perſuaſerunt, quod ſola fides ſalvet, & tamen vixerunt vitam mali, ſunt in inferno ſatis profunde verſus dextrum paulo antrorſum; & inde audivi illos ratiociniis infeſtare probos; ſed probi a Domino per angelos ducti, illa ut vana rejecerunt, & quoque detexerunt fallacias, quæ ineſſent confirmantibus, & argumentis ex communibus Verbi.

7128. Vos ite, ſumite vobis paleam ex quo inveneritis, quod ſignificet quod ſibi illa comparent aliunde ubi poſſent, conſtat ex ſignificatione ſumere ex quo invenirent, quod ſit ſibi comparare aliunde ubi poſſent; & ex ſignificatione paleæ, quod ſint ſcientifica infima & omnium communiſſima, de qua n: 7112, & mox ſupra n: 7127.

7129.

7129. Quia nihil detrahetur de ſervitio veſtro quicquam, quod ſignificet injectiones falſorum abſque diminutione; conſtat ex ſignificatione nihil quicquam detrahi, quod ſit abſque diminutione; & ex ſignificatione ſervitii, quod ſit impugnatio a falſis, de qua ſupra n: 7120, ita quoque infeſtatio.

7130. Et diſperſit ſe populus in omnem terram Ægypti, quod ſignificet quod diffunderent mentem naturalem undequaque, conſtat ex ſignificatione diſpergere ſe, quod ſit diffundere; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301. Sunt apud hominem binæ mentes, una eſt mens naturalis, & altera eſt mens rationalis; mens naturalis eſt mens hominis externi, mens autem rationalis eſt mens hominis interni; quæ mentis naturalis ſunt, vocantur ſcientifica, quæ autem mentis rationalis ſunt, vocantur rationes intellectuales; diſtinguuntur quoque per id, quod illa quæ mentis naturalis ſunt, quoad plurimam partem ſint in luce mundi, quæ lux vocatur lumen naturæ; ſed quæ mentis rationalis ſunt, quod ſint in luce cœli, quæ lux eſt lux ſpiritualis.

7131. Ad colligendum ſtipulam ad paleam, quod ſignificet ad inveniendum aliquod verum ſcientificum, conſtat ex ſignificatione ſtipulæ ad paleam, quod ſit verum ſcientificum; ſtipula enim eſt tale verum, quod accommodatum eſt ſcientifico, quod per paleam ſignificatur; quod ſtipula ſit tale verum, eſt quia eſt calamus, in cujus apice eſt ſemen, & per ſemina in Verbo ſignificantur vera & bona; ita per calamum, qui ſub illis, ſignificatur vox commune veri ſic verum ſcientificum; nam ſcientifica fidei & charitatis, quidem ſunt vera, ſed communia, ſic vaſa recipientia verorum particularium & ſingularium; quod etiam conſtare poteſt unicuique; ut pro exemplo Verum ſcientificum eſt, quod Charitas erga proximum ſit eſſentiale Eccleſiæ; tum quod fides non dari queat, niſi ubi charitas; ut & quod verum & bonum conjungi queant non autem verum & malum, nec bonum & falſum; præter plura ſimilia, quæ ſunt vera ſcientifica; quæ quod locupletari queant innumerabilibus, conſtare poteſt ex eo, quod de illis volumina poſſint conſcribi; & uſque vera ſingularia, quæ ſunt interiora fidei, nuſquam poſſunt deſcribi, nam illa ſolum poſſunt videri in luce cœli, & non cadunt in voces naturales; ſe habent vera illa, ſicut charitas, quæ eſt affectio ſpiritualis, quæ quoad maximam partem vocibus exprimi non poteſt, modo communiſſima ejus, nempe quæ naturalem habitum induunt, & quæ comparari poſſunt talibus quæ in mundo: hæc dicta ſunt, ut ſciatur quid ſcientifica communia.

7132. Et exactores urgentes, quod ſignificet proxime infeſtantes quod inſtarent, conſtat ex ſignificatione exactorum, quod ſint qui proxime infeſtant, de qua n: 7111; & ex ſignificatione urgere, quod ſit inſtare.

7133. Dicendo, abſolvite opera veſtra, verbum diei in die ſuo, quod ſignificet ut ſervirent falſis ita dictis in quolibet ſtatu, conſtat ex ſignificatione abſolvere opera veſtra, quod ſit ſervire falſis; nam per laterificare lateres ſignificantur fictitia & falſa quæ injiciuntur; videatur n: 7113, & quia hæc ſunt opera, quæ abſolverent, ſignificatur ut ſervirent illis: dicitur falſis ita dictis, quia mali, quæ loquuntur, non pro falſis agnoſcunt falſa, ſed

pro

pro veris; & ex ſignificatione Verbi diei in die ſuo, quod ſit in quolibet ſtatu, quod dies ſit ſtatus videatur n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850.

7134. Quemadmodum in eſſe palea, quod ſignificet ſicut ſuis veris ita dictis, conſtat ex ſignificatione paleæ, quod ſit ſcientificum commune, quod vos veri, de qua n: 7112. 7131: dicitur veris ita dictis, ex cauſa quia mali hæc dicunt, qui pro veris non agnoſcunt vera.

7135. Verſ: 14. 15. 16. 17. 18. *Et percuſſi ſunt moderatores filiorum Iſraelis quos poſuerunt ſuper illos exactores Pharaonis, dicendo, quare non abſolvitis ſtatutum veſtrum, ad laterificandum ſicut heri nudius tertius, etiam heri, etiam hodie. Et venerunt moderatores filiorum Iſraelis, & clamaverunt ad Pharaonem, dicendo, quare facis ſic ſervis tuis. Palea nulla datur ſervis tuis, & lateres, dicunt nobis, facite, & ecce ſervi tui percutiuntur; & peccavit populus tuus. Et dixit, remiſſi vos, remiſſi, propterea vos dicitis, eamus, ſacrificemus Jehovæ. Et nunc ite, ſervite, & palea non dabitur vobis; & demenſum laterum dabitis.* Et percuſſi ſunt moderatores filiorum Iſraelis, ſignificat quod illi, qui proxime infeſtationes receperunt & communicarunt, ex injectis falſis læſi ſint: quos poſuerunt ſuper illos exactores Pharaonis, ſignificat illos qui ab infeſtatoribus injecti ſunt: dicendo, quare non abſolvitis ſtatutum veſtrum ad laterificandum, ſignificat quod non, ſicut injunctum eſt, recipiant & communicent injectiones falſorum: ſicut heri nudius tertius, ſignificat ut in ſtatu priori: etiam heri etiam hodie, ſignificat ſtatum inde futurum: & venerunt moderatores filiorum Iſraelis, ſignificat illos qui proxime receperunt & communicarunt: & clamaverunt ad Pharaonem, ſignificat indignationem conteſtatam coram illis qui infeſtabant: dicendo, quare ſic facis ſervis tuis, ſignificat quod ſic officio injuncto non poſſent fungi: palea nulla datur ſervis tuis, ſignificat quod ſcientifica continentia veri non amplius ſubminiſtrentur: & lateres, dicunt nobis, facite, ſignificat quod injecta falſa uſque ſuſtinebunt: & ecce ſervi tui percutiuntur, ſignificat quod ſic falſa lædant; & peccavit populus tuus, ſignificat quod ſic illis reatus quod malum fecerint: & dixit, ſignificat reſponſum: remiſſi vos, remiſſi, ſignificat quod non ſatis impugnati fuerint: propterea vos dicitis, eamus, ſacrificemus Jehovæ, ſignificat quod inde cogitatio de tali cultu: & nunc ite ſervite, ſignificat infeſtationis continuum: & palea non dabitur vobis, ſignificat abſque ſcientificis talibus: & demenſum laterum dabitis, ſignificat falſa quæ copia injicienda.

7136. Et percuſſi ſunt moderatores filiorum Iſraelis, quod ſignificet quod illi qui proxime infeſtationes receperunt & communicarunt, ex injectis falſis læſi ſint, conſtat ex ſignificatione percuti, quod, quia ab exactoribus, per quos ſignificantur infeſtatores, ſit lædi a falſis, nam percuti in ſpirituali ſenſu non eſt percuti, ſed quoad verum & bonum, hoc eſt, quoad illa quæ ſunt vitæ ſpiritualis, lædi; ſicut mori in ſpirituali ſenſu non eſt mori, ſed deprivari vero & bono, ac in falſo & malo eſſe, & ideo damnari; & ex ſignificatione moderatorum, quod ſint qui proxime infeſtationes recipiunt & communicant,

cant, de qua n: 7111; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637, cum quibus communicarunt illi qui per Moderatores ſignificantur.

7137. Quos poſuerunt ſuper illos exactores Pharaonis, quod ſignificet illos qui ab infeſtatoribus injecti ſunt, conſtat ex ſignificatione ponere ſuper illos, quod ſit injici, quia fit per injectionem, de qua ſequitur; & ex ſignificatione exactorum, quod ſint qui infeſtant, de qua n: 7111. Quomodo hoc ſe habet, non ſciri poteſt niſi ab experientia ex talibus in altera vita: dictum eſt ſupra, quod per exactores ſignificentur qui proxime infeſtant, & per moderatores proxime recipiunt & communicant, videatur n: 7111; illi qui proxime recipiunt & communicant ſunt ſpiritus ſimplices probi, qui pro tali uſu imprimis inſerviunt; hi ab infeſtatoribus, per artes in altera vita ſolum notas, injiciuntur ad ſocietatem, cum qua communicationem ſibi parant, & hoc fit ab illis qui infeſtant, & ſignificantur per exactores; ita habent inferna communicationem a ſua parte, & illi qui infeſtantur communicationem a ſua: quod res ita ſe habeat, centies ſi non millies vidi, & quoque expertus ſum. Ex his patet, quod non ſcire poſſit, quid in ſenſu interno ſignificatur per hæc verba, niſi ab experientia de talibus in altera vita.

7138. Dicendo, quare non abſolvitis ſtatutum veſtrum ad laterificandum, quod ſignificet quon non, ſicut injunctum eſt, recipiant & communicent injectiones falſorum, conſtat ex ſignificatione moderatorum, ad quos hæc dicuntur, quod ſint qui proxime recipiunt & communicant, de qua n: 7111; ex ſignificatione abſolvere ſtatutum, quod ſit id facere ſicut injunctum eſt; & ex ſignificatione laterificare, quod ſit, fictitia & falſa recipere, de qua n: 7113.

7139. Sicut heri nudius tertius, quod ſignificet ut in ſtatu priori, conſtat ex ſignificatione heri nudius tertius, quod ſit ſtatus prior, de qua n: 6983. 7114.

7140. Etiam heri etiam hodie, quod ſignificet ſtatum inde futurum, conſtat ex ſignificatione heri, quod ſit ſtatus prior, ut mox ſupra; & ex ſignificatione hodie, quod ſit perpetuum, de qua n: 2838. 3998. 4304. 6165, proinde perennaturum, & ſic futurum ut prius.

7141. Et venerunt moderatores filiorum Iſraelis, quod ſignificet illos qui proxime receperunt & communicarunt, conſtat ex ſignificatione moderatorum filiorum Iſraelis, quod ſint qui infeſtationes proxime recipiunt & communicant, de qua mox ſupra n: 7136.

7142. Et clamaverunt ad Pharaonem, quod ſignificet indignationem conteſtatam coram illis qui infeſtabant, conſtat ex ſignificatione clamare, quod hic ſit indignationem conteſtari, nempe quod percuſſi ſint, hoc eſt, ex injectis falſis læſi, & quod palea non daretur ad laterificandum, hoc eſt, quod modo fictitia & falſa reciperent & injicerent; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de qua n: 6651. 6679. 6683. 7126.

7143. Dicendo, quare facis ſic ſervis tuis, quod ſignificet quod ſic officio injuncto non poſſent fungi, conſtat ex ſignificatione ſervi, quod ſit qui miniſtrat & officio fungitur; is quia inſervit, vocatur ſervus, ut paſſim in Verbo; quod

ſervus dicatur qui obedit, videatur n: 1713; & quod ſervire ſit ſtudium, n: 3824. 3846; & quia nunc ſequentia involvunt, quod ſervitium illud ſuſtinere non poſſent, patet, quod per quare facis ſic ſervis tuis, ſignificetur quod ſic officio injuncto fungi non poſſent.

7144. Palea nulla datur ſervis tuis, quod ſignificet quod ſcientifica continentia veri non amplius ſubminiſtrentur, conſtat ex ſignificatione paleæ, quod ſint ſcientifica omnium communiſſima, de qua n: 7112, quæ quia ſunt inſtar vaſorum, quæ impleri poſſunt veris, n: 4345. 4383. 5208. 7131, vocantur ſcientifica continentia veri; ex ſignificatione non dari, quod ſit non ſubminiſtrari; & ex ſignificatione ſervorum, quod ſint qui miniſtrant & officio funguntur, de qua mox ſupra n: 7143.

7145. Et lateres, dicunt nobis, facite, quod ſignificet quod injecta falſa uſque ſuſtinebunt, conſtat ex ſignificatione facere lateres, quod ſit recipere fictitia & falſa, quæ a malis injiciuntur, de qua n: 7113, hic ſuſtinere illa.

7146. Et ecce ſervi tui percutiuntur, quod ſignificet quod ſic falſa lædant, conſtat ex ſignificatione percuti, quod ſit a falſis lædi, de qua n: 7136.

7147. Et peccavit populus tuus, quod ſignificet quod ſic illis reatus quod malum fecerint, conſtat ex ſignificatione peccare, quod ſit reus mali fieri, & ſi hoc, quod ex merito lucrent pænam. Quomodo hæc, quæ in hoc Verſu & in præcedentibus in genere ſe habent, dicendum; qui in inferiore terra ſunt, a falſis & malis injectis ab infernis, quæ circumcirca, infeſtantur, ob cauſam, ut mala & falſa removeantur, & vera ac bona inſinuentur, & ſic in ſtatum perducantur ut elevari in cœlum poſſint, videatur n: 7090. 7122; ſed prope ad finem durius infeſtantur quam prius, nam tunc vera illis ſubtrahuntur, & permittitur ut mera falſa infeſtent, & hoc uſque ad deſperationem; ex ordine enim Divino eſt, ut ultimum infeſtationis, & tentationis ſit deſperatio, videatur n: 1787. 2694. 5279. 5280: ut hic ſtatus illorum qui ab Eccleſia ſpirituali per filios Iſraelis repræſentaretur, factum hoc eſt a Pharaone, & hoc cum infeſtationes prope ad finem eſſent, cum nempe liberarentur, & ducerentur in terram Canaanem. Sciendum eſt, quod infeſtationes fiant eo modo, quod in cogitationes injiciantur falſa & mala ab infernis, & quod vera & bona a cœlo, hoc eſt, per Cœlum a Domino; quod ſit, quia homo & ſpiritus non cogitant a ſe, ſed influunt omnia: hoc tametſi prorſus alienum a ſenſu, & ſic incredibile apparet, uſque tamen eſt veriſſimum; de hac re videantur quæ prius ab experientia n: 2886. 4151. 4249. 5846. 5854. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626, allata & oſtenſa ſunt. Ex his poteſt ſciri, quomodo intelligendum, quod infeſtationes fiant per injectiones falſorum, & quod augeantur uſque ad deſperationem.

7148. Et dixit, quod ſignificet reſponſum, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit reſponſum, de qua n: 7103.

7149. Remiſſi vos, remiſſi, quod ſignificet quod non ſatis impugnati fuerint, conſtat ex ſignificatione eſſe remiſſos, quod ſit non ſatis impugnatos eſſe, nempe a falſis, de qua n: 7118.

7150. Propterea vos dicitis, eamus, ſacrificemus Jehovæ, quod ſignificet quod

quod inde cogitatio de tali cultu, conſtat ex illis quæ ſupra n: 7119, dicta ſunt, ubi ſimilia.

7151. Et nunc ite, ſervite, quod ſignificet infeſtationis continuum, conſtat ex ſignificatione ſervire, quod ſit infeſtari a falſis, de qua n: 7120. 7129; hinc ite, ſervite, eſt infeſtationis continuum; de ſervitio enim conqueſti ſunt, ſed ut continuarent illud, reſponſum eſt.

7152. Et palea non dabitur vobis, quod ſignificet abſque ſcientificis talibus, conſtat ex ſignificatione paleæ, quod ſint ſcientifica communiſſima, & inde veri continentia, de qua n: 7112. 7144; quod erunt abſque illis, ſignificatur per quod non dabitur.

7153. Et demenſum laterum dabitis, quod ſignificet falſa quæ copia injicienda, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 7116, dicta ſunt, ubi ſimilia. Hæc nunc ſunt, quæ in his Verſibus in ſenſu interno continentur, quæ coram homine apparent forte ſicut parvi momenti, & quoque ſicut ſparſa; ſed uſque ſingula ſunt eſſentialia rei, de qua agitur, & pulcherrime cohærentia; quod ita ſit, percipiunt Angeli, nam illi vident rerum ſeries & nexus in luce cœli, cum innumerabilibus arcanis conformatis ex interioribus veris, inde forma rerum pulcherrima & amæniſſima; quod nequicquam ab homine fieri poteſt, quia interiora vera illi abſcondita ſunt, inde nec connectere illa poteſt, ſed ei apparet ut ſparſum, & inde, ut dictum, ſicut parvi momenti.

7154. Verſ: 19. 20. 21. *Et viderunt moderatores filiorum Iſraelis ſemet in malo, dicendo, non detrahetis de lateribus veſtris quicquam die in die ejus. Et occurrerunt Moſchi & Aharoni, ſtantibus obviam illis in exire illos a Pharaone. Et dixerunt ad illos, videat Jehovah ſuper vos, & judicet, quod putere feciſtis odorem noſtrum in oculis Pharaonis, & in oculis ſervorum illius, ad dandum gladium in manum illorum ad occidendum nos.* Et viderunt moderatores filiorum Iſraelis ſemet in malo, ſignificat quod prope damnationem: dicendo, non detrahetis de lateribus veſtris quicquam, ſignificat quia de injectione falſorum nihil diminutum: die in die ejus, ſignificat in quolibet ſtatu: & occurrerunt Moſchi & Aharoni, ſignificat cogitationem de Lege Divina & inde doctrina: ſtantibus obviam illis in exire illos a Pharaone, ſignificat manifeſtationem tunc cum falſa non ita infeſtarent: & dixerunt ad illos, ſignificat perceptionem: videat Jehovah ſuper vos & judicet, ſignificat Divinam diſpoſitionem: quod putere feciſtis odorem noſtrum in oculis Pharaonis & in oculis ſervorum ejus, ſignificat quod propter illa tanta averſatio ſit obſequii noſtri omnibus illis qui in falſis ſunt: ad dandum gladium in manum illorum ad occidendum nos, ſignificat quod inde tantus illis ardor per falſa deſtruendi vera Eccleſiæ.

7155. Et viderunt moderatores filiorum Iſraelis ſemet in malo, quod ſignificet quod prope damnationem, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit appercipere, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; ex ſignificatione moderatorum, quod ſint qui infeſtationes proxime recipiunt & communicant, de qua n: 7111. 7136; & ex ſignificatione mali, quod ſit damnatio; nam malum in ſe ſpectatum eſt infernum, n: 6279, ita damnatio. Quod eſſe in malo, ſit eſſe prope damnationem, eſt quia illi qui infeſtationes proxime

 receperunt

receperunt & communicarunt, fuerint læſi, quod ſignificatur per quod percuſſi ſint ab exactoribus, n: 7136, & quod per falſa continue injecta uſque ad deſperationem ſint infeſta, n: 7147, inde eſt, quod per viderunt ſemet in malo, ſignificetur quod apperciperent ſe prope damnationem eſſe; qui enim in deſperatione ſunt, quia inſultus non amplius ſe ſuſtinere poſſe putant, cogitant quod non poſſint aliter quam ſe tradere falſis ſicut captivos, nam talis ſtatus eſt deſperationis, ſed tunc incipiunt illi ſublevari, & duci quaſi e caligine in lucem.

7156. Dicendo, non detrahetis de lateribus veſtris quicquam, quod ſignificet quia de injectione falſorum nihil imminutum, conſtat ex ſignificatione non detrahi quicquam, quod ſit nihil diminui, ut quoque ſupra n: 7129; & ex ſignificatione laterificare lateres, quod ſit injecta falſa ſuſtinere, de qua n: 7113. 7145.

7157. Die in die, quod ſignificet in quolibet ſtatu, conſtat ex ſignificatione die in die, quod ſit in quolibet ſtatu, ut ſupra n: 7133.

7158. Et occurrerunt Moſchi & Aharoni, quod ſignificet cogitationem de Divina Lege & inde Doctrina, conſtat ex ſignificatione occurrere, quod ſit cogitatio, nam hic per occurrerunt intelligitur quod offenderent illos & loquerentur cum illis, quæ in ſenſu interno ſunt cogitare de illis quæ repræſentant; quod loqui ſit cogitare, videatur n: 2271. 2287. 2619; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Divina Lex, de qua n: 6752; & ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Doctrina boni & veri, de qua n: 6998. 7009. 7089.

7159. Stantibus obviam illis in exire illos a Pharaone, quod ſignificet manifeſtationem tunc cum falſa non ita infeſtarent, conſtat ex ſignificatione ſtare obviam, cum dicitur de Divina Lege & inde Doctrina, quod ſit manifeſtatio; & ex ſignificatione exire ex Pharaone, quod ſit cum falſa non ita infeſtarent; quod Pharao ſit falſum infeſtans, videatur n: 7107. 7110. 7126. 7142.

Et dixerunt ad illos, quod ſignificet perceptionem, conſtat ex ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit percipere, de qua ſæpius.

7160. Videat Jehovah ſuper vos & judicet, quod ſignificet Divinam diſpoſitionem, conſtat ex ſignificatione videat Jehovah & judicet, quod ſit Divina diſpoſitio, quod enim videt Jehovah & judicat, hoc diſponit; per videre enim ſignificatur Divina perceptio, proprie Prævidentia; & per judicare ſignificatur Divina ordinatio, proprie Providentia; quia illa ſignificantur in ſenſu interno per ea verba, ſolenne fuit dicere, quando alicujus culpa contingeret malum, videat Jehovah & judicet.

7161. Quod putere feciſtis odorem noſtrum in oculis Pharaonis, & in oculis ſervorum ejus, quod ſignificet quod propter illa tanta averſatio ſit obſequii noſtri omnibus illis qui in falſis ſunt, conſtat ex ſignificatione putere facere, quod ſit averſatio, de qua ſequitur; & ex ſignificatione odoris, quod ſit perceptivum grati, de qua n: 925. 1514. 1517. 1518. 1519. 3577. 4626. 4628. 4748; & quia odor eſt perceptivum grati, eſt perceptivum fidei & charitatis, nam illa ſunt grata, n: 1519. 4628. 4748; & quia illa ſunt grata,

eſt

eſt obſequium gratiſſimum, nam obſequium eſt ipſum bonum fidei & charitatis; inde eſt, quod per odorem hic ſignificetur obſequium. Quia odor eſt id omne quod Domino gratum eſt, ita putor eſt id quod Domino ingratum eſt, proinde eſt putor Averſatio, & quoque abominatio; etiam putor actualiter correſpondet averſationi & abominationi, quæ ſunt falſi & mali; quia putor eſt id quod averſationis eſt, ideo quoque in Verbo pro Averſatione dicitur; ut apud Samuelem "*Putidus factus eſt Iſrael* apud Philiſtæos" I Libr: Cap: XIII: 4. Apud Eundem "Achiſchus de Davide, quod *putidum faciendo putidum ſe fecerit* in populo ſuo, in Iſraele" I Libr. Cap: XXVII: 12. Apud Eundem "Cum viderent filii Ammonis *quod putidi facti eſſent* apud Davidem" II Libr: Cap: X: 6. Apud Eundem "Achitophel ad Abſchalomem, ut audiat univerſus Iſrael, *quod putidus factus ſis* apud patrem tuum" II Libr: Cap: XVI: 21; in illis locis putidus pro averſatione. Apud Eſaiam "Confoſſi gentium projiciantur, & *cadaverum earum aſcendat putor*, & montes liqueſcant ſanguine" XXXIV: 3; putor pro malo abominabili: ſimiliter apud Amos Cap: IV: 10: & apud Davidem. Pſalm: XXXVIII: 5. 6. Quod in oculis Pharaonis & in oculis ſervorum ejus, ſit in perceptione omnium illorum qui in falſis ſunt, conſtat ex ſignificatione oculorum quod ſit perceptio, n: 4339; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis, de qua n: 6651. 6679. 6683. 7107. 7110. 7126. 7146. Quod in oculis illorum dicatur fætere odor illorum, eſt quia omnes qui in falſis & malis ſunt, averſantur bona & vera illis putent. Quod putor ſit illis qui in malis & inde falſis ſunt, patet manifeſte ab infernis, quæ vocantur inferna cadaveroſa, ubi ſicarii & vindictæ tenaciſſimi, & ab infernis quæ vocantur excrementitia, ubi adulteri & qui pro fine habuerunt fædas voluptates; cum aperiuntur illa inferna, exhalantur inde fætores intolerabiles, n: 4631, ſed illi non ſentiuntur niſi ab illis quibus interiora, quæ ſunt ſpiritus, aperta ſunt; ſed uſque illi qui in infernis illis ſunt, putores illos appercipiunt gratos, & inde amant vivere in fætoribus illis, n: 4628.; ſunt enim ſicut illa animalia, quæ in cadaveribus & excrementis degunt, & ibi vitæ ſuæ jucundum habent: cum illi extra ſphæram fætorum illorum veniunt, odores dulces & grati illis ſunt tetri & maxime ingrati: ex his conſtare poteſt, quomodo intelligendum, quod illi qui in falſis ſunt, tantum averſentur illa quæ ſunt Legis Divinæ, & inde Doctrinæ, quæ repræſentantur per Moſchen & Aharonem, de quibus dicitur, quæ fætere fecerint odorem illorum in oculis Pharaonis, & in oculis ſervorum ejus.

7162. Ad dandum gladium in manum illorum ad occidendum nos, quod ſignificet quod inde tantus ardor per falſa deſtruendi vera Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione gladii, quod ſit falſum pugnans & vaſtans, de qua n: 2799. 6353. 7102.; & ex ſignificatione occidere, quod ſit deſtruere illa quæ fidei & charitatis ſunt, de qua n: 6767; quæ fidei & Charitatis ſunt, ſignificantur per filios Iſraelis, de quibus dicitur quod occiderentur; nam eſſentialia Eccleſiæ ſpiritualis, quæ ſignificatur per filios Iſraelis, n: 6937, ſunt Charitas & fides.

7163

7163. Verſ: 22. 23. *Et reverſus Moſcheh ad Jehovam, & dixit, Domine, quare male feceſti populo huic, quare hoc, miſiſti me. Et ex quo veni ad Pharaonem ad loquendum in Nomine tuo, male fecit populo iſti, & liberando non liberaſti populum tuum.* Et reverſus Moſcheh ad Jehovam, & dixit, ſignificat querimoniam ex Lege Divina: Domine, quare malefeciſti populo huic, ſignificat quod illi qui in veris & bonis nimium infeſtentur a falſis: quare hoc, miſiſti me, ſignificat cum tamen Lex a Divino procedet videatur aliter dicere: & ex quo veni ad Pharaonem ad loquendum in Nomine tuo, ſignificat cum mandatum ex illis quæ Legis Divinæ ſunt appareret illis qui in falſis: male fecit populo huic, ſignificat quod tunc per injecta falſa viderentur lædi illi qui in Eccleſiæ veris & bonis: & liberando non liberaſti populum tuum, ſignificet quod e ſtatu infeſtationum a falſis non exempti.

7164. Et reverſus Moſcheh ad Jehovam & dixit, quod ſignificet querimoniam ex Lege Divina, conſtat ex ſignificatione reverti ad Jehovam, quod ſit querimoniam perferre ad Divinum de infeſtatione illorum, qui in veris & bonis, ab illis qui in falſis & malis; quod reverti ad Jehovam ſit querimonia, patet a ſequentibus; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752. 6771. 6827. 7014; inde querimonia eſt ex vero quod eſt Legis Divinæ, quod tale dominium ſit illis qui in falſis ſuper illos qui in veris.

1765. Domine, quare malefeciſti populo huic, quod ſignificet quod illi qui in veris & bonis nimium infeſtentur a falſis, conſtat ex ſignificatione malefacere quod ſit permittere ut nimium infeſtentur a falſis, nam hoc in ſenſu ſpirituali eſt malefacere, cum dicitur de illis qui in veris & bonis ſunt; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ita qui in veris Eccleſiæ, & in bonis ejus, ut mox ſupra n: 7164.

7166. Quare hoc, miſiſti me, quod ſignificet cum tamen Lex a Divino procedens videatur aliter dicere, conſtat ex ſignificatione quare hoc, quod ſit cur ita eſt cum aliter dicitur; ex repræſentatione Moſchis, qui hæc de ſe dicit, quod ſit Lex a Divino, de qua mox ſupra n: 7164; & ex ſignificatione mitti, quod ſit procedere, de qua n: 4710. 6831; inde per quare hoc, miſiſti me, ſignificatur quod Lex a Divino procedens videatur aliter dicere, Quia hoc dicitur ab illo qui queritur de infeſtatione a falſis, apparet ſicut Lex a Divino aliter dicerent, quare dicitur quod videatur aliter dicere, cum tamen non aliter dicit; nam Lex a Divino eſt Lex ordinis, & lex ordinis de illis qui in ſtatu infeſtationum a falſis ſunt, eſt quod infeſtandi ſint uſque ad deſperationem, & niſi ad deſperationem deeſt ultimum uſus ex infeſtatione: quod uſque ad deſperationem augeatur tentatio, patet manifeſte a tentatione Domini in Gethſemane, Matth: XXVI: 38. 39. Marc: XIV: 33. 34. 35. 36. Luc: XXII: 44; & quoque dein ſuper cruce, Matth: XXVII: 46, quod uſque ad deſperationis ſtatum perducta ſit; & tentatio Domini eſt exemplar tentationis fidelium; quare dicit Dominus, quod qui Ipſum ſequi vult, tollat crucem ſuam, Math: X: 38. Cap: XVI: 24; nam Glorificatio

Domini

Domini eſt exemplar regenerationis hominis, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688; & regeneratio imprimis fit per tentationes.

7167. Et ex quo veni ad Pharaonem ad loquendum in Nomine tuo, cum mandatum, ex illis quæ Legis Divinæ ſunt, appareret illis qui in falſis, conſtat ex ſignificatione venire ad loquendum, quod ſit mandatum perferre, hic apparere, nam mandatum a Divino non manifeſte perfertur ad illos qui in infernis, ſed fit ad illos exhortatio per ſpiritus, inde apparet illis ſicut mandatum a Divino; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua n: 6651. 6679. 6683. 7107. 7110. 7126. 7142; & ex ſignificatione Nominis Jehovæ, quod ſit omne fidei & charitatis, quo Dominus colitur, de qua n: 2724. 3006. 6674, ita omne quod eſt Legis Divina, nam Lex Divina non aliud eſt, quam quod eſt charitatis & fidei; Lex enim Divina eſt verum Divinum procedens a Domino, & quod procedit a Domino eſt Divinum Bonum & Verum, & Divinum Bonum eſt amor & Charitas, & Divinum Verum eſt fides.

7168. Male fecit populo huic, quod ſignificet quod tunc per injecta falſa viderentur lædi illi qui in Eccleſiæ veris & bonis, conſtat ex ſignificatione malefacere, quod ſit lædere per injecta falſa; hic videri lædi, nam qui in infeſtatione & in tentatione ſunt, non poſſunt per injecta falſa lædi, Dominus enim tutatur; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus, quod ſint qui in veris Eccleſiæ & bonis ejus, ut ſupra n: 7162.

7169. Et liberando non liberaſti populum tuum, quod ſignificet quod e ſtatu infeſtationum a falſis exemti, conſtat ex ſignificatione liberari, quod ſit ex ſtatu infeſtationum a falſis eximi, nam de infeſtationibus a falſis in præcedentibus agitur, inde liberari hic eſt ab illis eximi; quod populus tuus ſint qui in veris & bonis Eccleſiæ, & infeſtati, videatur mox ſupra n: 7165. 7168.

Continuatio de Spiritibus & de Incolis Telluris Mercurii

7170. *APPAREBANT ſpiritus Mercurii ad ſiniſtrum in globo, & dein in Volumine extendente ſe in longum; & miratus quo vellent, num ad hanc Tellurem, vel alio, & mox animadvertebam quod reflecterent ſe dextrorſum, & ſe revolvendo approximarent ad Tellurem Veneris, ad plagam ejus averſam a ſole; ſed cum illuc venirent, dicebant, quod ibi eſſe nollent, quia mali; quare ſe circumflectebant ad alteram partem iſtius telluris, qua ſpectat ſolem,*

&

& tunc dicebant, quod ibi morari vellent, quia illi, qui ibi, ſunt boni. Hoc cum factum erat, ſentiebam in Cerebro mutationem inſignem, & operationem fortem inde. Ex illis concludere dabatur, quod Spiritus Veneris, qui ab illa parte Planetæ ſunt, concordarent cum Spiritibus Planetæ Mercurii, & quod illi referrent Memoriam rerum immaterialium, concordantem cum Memoria rerum immaterialium, quam Spiritus Mercurii conſtituunt; inde operatio fortior ſentita eſt ab illis cum ibi eſſent.

7171. *Sciendum, quod Sol mundi prorſus non appareat alicui ſpiritui, nec aliquid lucis inde; lux enim illius Solis eſt ſpiritibus ſicut denſa caligo; ſol ille ſolum in perceptione apud ſpiritus, ex viſo illo, cum fuerunt in mundo, remanet, & ſiſtitur illis in idea ſicut caliginoſum quid, & hoc a tergo ad inſignem diſtantiam, altitudine paulo ſupra planum Capitis. Planetæ, qui intra Solis illius mundum ſunt, apparent ſecundum certum ſitum reſpective ad ſolem; Mercurius a tergo paulo verſus dextrum; Planeta Veneris ad ſiniſtrum paulo retro; Planeta Martis ad ſiniſtrum antrorſum; Planeta Jovis ſimiliter ad ſiniſtrum antrorſum ſed ad majorem diſtantiam; Planeta Saturni prorſus antrorſum ad inſignem diſtantiam; Luna ad ſiniſtrum ſatis alte; ſatellites quoque ad ſiniſtrum reſpective ad ſuum planetam: talis eſt ſitus Planetarum illorum in ideis ſpirituum & angelorum; & quoque ſpiritus apparent juxta ſuum Planetam, ſed extra illum.*

7172. *Quondam vidi quod noſtræ telluris ſpiritus eſſent apud ſpiritus telluris Mercurii, & audivi illos inter ſe colloquentes; & tunc inter alia noſtræ telluris ſpiritus interrogabant illos, in quem crederent, reſpondebant quod crederent in Deum; ſed cum quærerent ulterius de Deo, in quem crederent, nolebant dicere, quoniam ex more illorum eſt, ut non directe ad quæſtiones reſpondeant. At tunc Spiritus ex tellure Mercurii viciſſim interrogabant ſpiritus ex noſtra tellure, in quem illi crederent, dicebant hi quod in Dominum Deum; ſpiritus Mercurii tunc dicebant, quod perciperent illos in nullum Deum credere, & pro more habere ore dicere quod credant, & tamen uſque non credere; (habent ſpiritus Mercurii exquiſitam perceptionem, ex eo, quia continue media perceptione explorant, quid alii ſciunt;) ſpiritus noſtræ telluris erant inter illos, qui in mundo confeſſi ſunt fidem ex doctrina Eccleſiæ, ſed uſque non vixerunt vitam fidei: cum hæc audiverunt, obmuteſcebant, quia ex apperceptione illis tunc data agnoſcebant quod ita eſſet.*

7173. *Quidam Spiritus ſciebant ex cœlo, quod ſpiritibus telluris Mercurii quondam promiſſum fuerit videre Dominum; quare interrogabantur a ſpiritibus circum me, num recordarentur illius promiſſi, dicebant quod recordentur, ſed quod non ſciant an ita promiſſum ſit, ut de eo nihil dubii haberent. Cum ita loquerentur inter ſe, tunc apparuit illis Sol cœli, (Solem cœli qui eſt Dominus, non alii vident quam qui in intimo ſeu tertio cœlo ſunt, reliqui vident lucem inde, & quoque Lunam, de qua* n: 1529. 1530. 1531. 4060;) *Viſo Sole dicebant, quod hoc non eſſet Dominus Deus, quia faciem non videbant. At interea ſpiritus inter ſe loquebantur, ſed quid loquuti ſunt, non ſcio; ſubito autem tunc iterum apparuit Sol, & in ejus medio Dominus circumcinctus ſolari circulo; hoc viſo, ſpiritus Mercurii humiliabant ſe profunde, & ſubſidebant. Tunc quoque Dominus ex Sole viſus eſt ſpiritibus hujus telluris, qui cum homines fuerunt, Ipſum in mundo viderunt, ex quibus unus poſt alterum falſi ſunt, & ſic ordine plures, quod Ipſe Dominus eſſet; & hoc faſſi ſunt coram omni cætu. Tunc quoque Dominus e Sole viſus eſt ſpiritibus Planetæ Jovis, qui manifeſta voce dicebant, quod Ipſe eſſet, Quem in tellure ſua, cum apparuit illis Deus univerſi, viderant.*

7174. *Quidam, poſtquam viſus eſt Dominus, deducti ſunt verſus anteriora dextrorſum, & cum progrederentur, dicebant, quod viderent Lucem multo clariorem & puriorem, quam uſquam viderant, & quod major Lux nuſquam videri poſſit: & tunc erat hic tempus veſperæ: qui id dicebant, erant plures.*

7175. *Poſt aliquod tempus oſtenſa fuit mihi una fæmina incolarum telluris Mercurii, illa erat pulchra facie, at minor facie quam fæminæ noſtræ telluris, gracilior etiam, ſed altitudine æquali: capite erat amicta linteo non arte poſito, ſed uſque decenter. Vir etiam mihi viſus eſt ex tellure illa, qui etiam erat corpore graciliore, quam ſunt viri noſtræ telluris: ille, qui apparuit, indutus erat veſte obſcure cærulea, ad corpus ſtricte aptata, abſque plicis & prominentiis hinc illinc. Aſt quod incolæ illius telluris parum cogitent de corpore ſuo, conſtabat mihi ex eo, quod, cum in alteram vitam veniunt & fiunt ſpiritus, tunc non apparere velint ut homines, ſicut ſpiritus noſtræ telluris, ſed ut globi chryſtallini; quod ita apparere velint, eſt ut removeant a ſe ideas materiales, & quoque cognitiones rerum immaterialium repræſentantur in altera vita per Chryſtalla.*

7176. *Oſtenſæ quoque mihi fuerunt ſpecies eorum boum & vaccarum, quæ quidem non multum differebant ab illis in noſtra tellure*

ſed minores erant, & quodammodo accedebant ad ſpeciem cervarum & cervorum.

7177. *Interrogati etiam ſunt de Sole mundi, qualiter ille ex tellure illorum apparet, dicebant quod magnus; & quod major ibi appareat quam ex aliis telluribus, dicebant ſe ſcire poſſe ex idea aliorum ſpirituum de ſole. Ulterius dicebant, quod temperies illis eſſet media, nec calida nimis nec frigida; dicere illis tunc dabatur, quod ita proviſum ſit a Domino, ut non illis nimius calor, ex cauſa quod tellus illorum propinquior ſoli eſſet quam tellures aliæ, quoniam calor non venit ex propinquitate ad ſolem, ſed ab atmoſphæræ aereæ altitudine & inde denſitate, ut patet a frigore ſuper montibus altis, etiam qui in climatibus calidis ſunt; tum quoque calor variatur ſecundum radiorum ſolis incidentiam rectam & obliquam, ut patet a temporibus hyemis & æſtatis in unaquavis regione. Hæc ſunt, quæ de Spiritibus & incolis telluris Mercurii data ſunt ſcire: ad finem Capitis ſequentis dicetur de ſpiritibus Planetæ Veneris.*

EXODI

CAPUT SEXTUM

Doctrina Charitatis.

7178. NEMO ſcire poteſt quid bonum in ſpirituali ſenſu intellectum, niſi ſciat quid amor erga proximum & amor in Deum; & nemo ſcire poteſt quid malum, niſi ſciat quid amor ſui & amor mundi. Nec quiſquam ſcire poteſt ex agnitione interiore quid verum quod fidei, niſi ſciat quid bonum, & niſi ſit in bono; nec quiſquam ſcire poteſt quid falſum, niſi ſciat quid malum. Quapropter nemo ſe ſcrutari poteſt, niſi ſciat quid bonum ex binis ejus amoribus ac verum ex bono; & niſi ſciat quid malum ex binis ejus amoribus, & falſum ex malo.

7179. Sunt binæ facultates apud hominem, una vocatur Intellectus, & altera Voluntas; voluntas data eſt homini propter bonum quod eſt amoris, & intellectus propter verum quod eſt fidei; nam bonum quod eſt amoris ſe refert ad Voluntatem, & verum quod fidei ſe refert ad intellectum: communicat una facultas cum altera mirabiliter. Se conjungunt apud illos qui in bono ſunt & inde in vero; & quoque ſe conjungunt apud illos qui in malo ſunt & inde in falſo; apud hos & illos binæ illæ facultates faciunt unam mentem: aliter apud illos qui in vero ſunt quoad fidem, & in malo quoad vitam; puriter apud illos qui in falſo ſunt quoad fidem, & in apparente bono quoad vitam.

7180. Non licet homini dividere mentem ſuam, & a ſe mutuo diſtrahere binas illas facultates, hoc eſt, intelligere & loqui verum, ac velle & facere malum; tunc enim una facultas ſpectaret ſurſum ſeu verſus cœlum, & altera ſpectaret deorſum ſeu verſus infernum, & ſic homo penderet inter utrumque: ſed ſciat, quod voluntas auferat, & intellectus faveat. Ex his patet, quomodo ſe habet cum fide & cum amore & quomodo cum ſtatu hominis ſi ſeparantur.

7181. Nihil magis neceſſarium eſt homini, quam ut ſciat num in ſe ſit cœlum, vel num infernum; nam in uno aut in altero vivet in æternum: ut illud ſciat, neceſſum eſt ut ſciat quid bonum & quid ma-

lum, nam bonum conſtituit cœlum, & malum conſtituit infernuum: utrumque docet doctrina charitatis.

7182. Amor in Deum dicitur, & intelligitur amor in Dominum, nam non alius eſt Deus; eſt Pater in Ipſo, Johan: XIV: 9. 10. 11, & eſt ſanctum ſpiritus ab Ipſo Johan: XVI: 13. 14. 15.

EXODI

CAPUT VI.

1. ET dixit JEHOVAH ad Moſchen, nunc videbis quid faciam Pharaoni, quia manu forti mittet illos, & manu forti expellet illos e terra ſua.

2. Et loquutus eſt DEUS ad Moſchen, & dixit ad illum, Ego JEHOVAH.

3. Et apparui ad Abrahamum, ad Jiſchakum, & ad Jacobum, in DEO Schaddai, & Nomine meo JEHOVAH non notus ſum illis.

4. Et etiam erexi fœdus meum cum illis, ad dandum illis terram Canaanem, terram peregrinationum illorum, in qua peregrinati ſunt.

5. Et etiam Ego audivi gemitum filiorum Iſraelis, quod Ægyptii ſervire faciant illos; & recordatus ſum fœderis mei.

6. Propterea dic filiis Iſraelis, Ego JEHOVAH, & educam vos a ſub oneribus Ægyptiorum, & liberabo vos a ſervitio illorum; & redimam vos brachio extenſo, & judiciis magnis.

7. Et accipiam vos Mihi ad populum, & ero vobis ad DEUM, & cognoſcetis quod Ego JEHOVAH DEUS veſter, educens vos a ſub oneribus Ægypti.

8. Et deducam vos ad terram, qua ſuſtuli manum meam ad dandum illam Abrahamo Jiſchako & Jacobo, & dabo illam vobis hæreditatem; Ego JEHOVAH.

9. Et loquutus Moſcheh ita ad filios Iſraelis, & non audiverunt ad Moſchen præ anguſtia ſpiritus, & præ ſervitio duro.

10. Et loquutus JEHOVAH ad Moſchen, dicendo.

11. Veni, loquere ad Pharaonem regem Ægypti, & mittat filios Iſraelis e terra ſua.

12. Et loquutus Moſcheh coram JEHOVAH, dicendo, ecce filii Iſraelis

raelis non audiverunt ad me, & quomodo audiet me Pharao, & ego præputiatus labiis.

13. Et loquutus JEHOVAH ad Moſchen & ad Aharonem & præcepit illis ad filios Iſraelis, & ad Pharaonem regem Ægypti, ad educendum filios Iſraelis e terra Ægypti.

14. Hæc Capita domus patrum illorum; filii Rubenis primogeniti Iſraelis, Canoch, & Pallu, Chezron & Carmi, hæ familiæ Rubenis.

15. Et filii Schimeonis, Jemuel, & Jamin, & Obad, & Jachin, & Zochar, & Schaul filius Canaanitidis; hæ familiæ Schimeonis.

16. Et hæc nomina filiorum Levi juxta nativitates illorum, Gerſchon, & Kehath, & Merari; & anni vitæ Levi ſeptem & triginta & centum anni.

17. Filii Gerſchonis, Libni & Schimei, juxta familias illorum.

18. Et filii Kehath, Amram & Jizhar, & Chebron, & Uſſiel; & anni vitæ Kehath tres & triginta & centum anni.

19. Et filii Merari, Machli & Muſchi: hæ familiæ Levi juxta nativitates illorum.

20. Et accepit Amram Jachebed Amitam ſuam ſibi in mulierem, & peperit illi Aharonem & Moſchen; & anni vitæ Amram ſeptem & triginta & centum anni.

21. Et filii Jizharis Korac & Næpheg, & Sichri.

22. Et filii Uſſiel, Miſchael & Elzaphan, & Sithri.

23. Et accepit Aharon Eliſchebam, filiam Amminadebi, ſororem Nachaſchonis, ſibi in mulierem; & peperit illi Nadabum, & Abihu, Eleaſarem, & Ithamarem.

24. Et filii Korachi, Aſſir & Elkanah, & Abiaſaph; hæ familiæ Korachitarum.

25. Et Eleaſar filius Aharonis accepit ſibi de filiabus Putielis ſibi in mulierem, & peperit illi Pinchaſum: hæc Capita patrum Levitarum juxta familias eorum.

26. Hic Aharon & Moſcheh, quibus dixit JEHOVAH, educite filios Iſraelis e terra Ægypti juxta exercitus illorum.

27. Hi loquentes ad Pharaonem regem Ægypti, ad educendum filios Iſraelis ex Ægypto: hic Moſcheh & Aharon.

28. Et fuit, in die loquutus JEHOVAH ad Moſchen in terra Ægypti.

29. Et loquutus JEHOVAH ad Moſchen, dicendo, Ego JEHOVAH, loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omne quod Ego loquor ad te.

30. Et dixit Moſcheh coram JEHOVAH, ecce ego præputiatus labiis, & quomodo audiet ad me Pharao.

CON-

CONTENTA.

7183. IN præcedente Capite actum eſt, de illis qui e Regno ſpirituali Domini, quod infeſtati a falſis, & tandem quod propter infeſtationes illos prope deſperationem eſſent; nunc ſublevantur ſpe, & promiſſione quod certo liberandi; de hac re in ſenſu interno in hoc Capite agitur; & ſignificantur per illa, quæ Jehova loquutus eſt ad Moſchen.

7184. Poſtea deſcribitur Regnum ſpirituale Domini quoad fidem & quoad charitatem, & dein quoad doctrinam, tum quoad receptionem Legis Divinæ: Reuben & Schimeon, ac illorum familiæ repræſentant illa quæ fidei ſunt; Levi & ejus familiæ illa quæ charitatis; Aharon & ejus familiæ illa quæ ſunt Doctrinæ; & Moſcheh illa quæ ſunt Legis Divinæ.

SENSUS INTERNUS.

7185. Verſ: 1. *ET dixit Jehovah ad Moſchen, nunc videbis quid faciam Pharaoni, quia manu forti mittet illos, & manu forti expellet illos e terra ſua.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem de Lege Divina: nunc videbis quid faciam Pharaoni, ſignificat manifeſtam perceptionem quid eveniet illis qui infeſtant: quia manu forti mittet illos, ſignificat quod omni vi & potentia fugient illos: & manu forti expellet illos e terra ſua, ſignificat quod omni vi & potentia e propinquitate ſua fugabunt illos.

7186. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſit inſtructionem de Lege Divina, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, quod ſit inſtructio ex Divino, de qua ſequitur; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752. 7014. Quod dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificet inſtructionem de Lege Divina, eſt quia ad finem præcedentis Capitis ex Lege Divina fore creditum eſt, quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali ab infeſtationibus ſtatim liberarentur; cum tamen ſecundum ordinem eſt, quod mali qui infeſtant, per gradus removendi ſint, & quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali per gradus liberandi; alius enim non eſt ordo Divinus; inde etiam nec alia eſt Lex Divina, nam omnis Lex Divina eſt ordinis, uſque adeo, ut ſive dicas Lex Divina vel Lex ordinis Divini, idem ſit; de hac Lege nunc inſtruuntur

ſtruuntur illi qui ab Eccleſia ſpirituali, & quod ex illa ſit quod certo liberandi, quando tempus & ſtatus ſecundum ordinem adeſt: quod Moſcheh per quem hic repræſentatur Lex Divina, qualis eſt apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali, cum in ſtatu infeſtationum ſunt, ex Lege Divina crediderit fore, quod ſtatim ab infeſtationibus liberarentur, patet ex illis quæ loquutus ad finem Capitis præcedentis, nempe " Quare malefeciſti populo huic, quare hoc, miſiſti me, & liberando non liberaſti populum tuum, " per quæ ſignificatur, quod nimium infeſtentur a falſis, cum tamen Lex a Divino procedens videatur aliter dicere, & quod ſic e ſtatu infeſtationum non exemti ſint, videatur n: 7165. 7166. 7169. Quod ſucceſſive per gradus liberentur ab infeſtationibus illi qui ab Eccleſia ſpirituali, & in terra inferiore ſunt, & non ſtatim, eſt quia mala & falſa inhærentia non aliter poſſunt removeri, ac bona & vera loco illorum inſinuari, hoc ſit per plures ſtatus mutationes, ita ſucceſſive per gradus: Qui credunt quod homo ſtatim introduci poſſit in cœlum, & quod hoc ſolum Miſericordiæ Domini ſit, nimium falluntur; ſi hoc foret, omnes quotcunque in inferno ſunt, elevarentur in cœlum, nam Domini Miſericordia eſt erga omnes; ſed ſecundum ordinem eſt, ut quiſque vitam ſuam, quam vixerat in mundo, ſecum ferat, & ſecundum illam ſit ſtatus ejus in altera vita, & quod Miſericordia Domini influat apud omnes, ſed quod diverſimode recipiatur, & ab illis qui in malo ſunt, rejiciatur; & quia imbuerunt hoc in mundo, etiam retinent illud in altera vita, nec in altera vita non datur emendatio, arbor enim jacet ubi cecidit; ex his patet quod ſecundum ordinem ſit, ut illi qui in bono vixerunt, & apud quos quoque craſſa & impura, quæ ſunt amorum mundi & ſui, non poſſint aſſociari illis quæ in cœlis, antequam illa amota ſunt. Ex his patet, quod liberatio ab infeſtationibus ſucceſſive per gradus fiat.

7187. Nunc videbis quid faciam Pharaoni, quod ſignificet manifeſtam perceptionem quid eveniet illis qui infeſtant, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400, hic manifeſta perceptio, quia dicitur de inſtructione a Divino; ex ſignificatione quid faciam, quod ſit quid eveniet; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui per injecta falſa infeſtant, de qua n: 6651. 6679. 6683. 7107. 7110. 7126. 7142.

7188. Quia manu forti mittet illos, quod ſignificet quod omni vi & potentia fugient illos, conſtat ex ſignificatione manus fortis, quod ſit omnis vis & potentia, quod manus ſit potentia, videatur n: 878. 3387. 4931. 5327. 5328. 6947. 7011; & ex ſignificatione mittere illos, quod ſit fugere ab illis. Cum hoc ita ſe habet; cum infernales abſterrentur a malis faciendis per punitiones, tandem abſtinent ab infeſtatione, & volunt relinquere illos, & aufugere; ſed quia unicum jucundum vitæ eorum eſt malum facere ac infeſtare, idcirco non abſtinere poſſunt, niſi adhibeant omnem vim & potentiam ad ſe removendum; quod enim jucundum vitæ alicujus eſt, hoc, quia eſt amoris ejus eſt vitæ ejus, & aufert, nec reſiſti poteſt, niſi injucundum punitionis prævaleat ſuper jucundum malum faciendi, inde punitiones malorum in altera vita.

7189. Et manu forti expellet illos e terra ſua, quod ſignificet quod omni vi & potentia a propinquitate fugabunt illos, conſtat ex ſignificatione manu forti, quod ſit omni vi & potentia, de qua mox ſupra n: 7188; ex ſignificatione expellere illos, quod ſit fugare; & ex ſignificatione terræ ſuæ, quod ſit propinquitas; quod terra, ubi illi qui ab Eccleſia ſpirituali infeſtantur a falſis, ſit propinqua infernis quæ infeſtant, & vocatur terra inferior, videatur n: 7090. inde e terra ſua eſt e propinquitate.

7190. Verſ. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Et loquutus eſt Deus ad Moſchen, & dixit ad illum, Ego Jehovah. Et apparui ad Abrahamum, ad Jiſchakum, & ad Jacobum, in Deo Schaddai; & Nomine Meo Jehovah non notus ſum illis. Et etiam erexi fœdus meum cum illis, ad dandum illis terram Canaanem, terram peregrinationum illorum, in qua peregrinati ſunt. Et etiam Ego audivi gemitum filiorum Iſraelis, quod Ægyptii ſervire faciant illos; & recordatus ſum fœderis mei. Propterea dic filiis Iſraelis, Ego Jehovah, & educam vos a ſub oneribus Ægyptiorum, & liberabo vos a ſervitio illorum; & redimam vos brachio extenſo, & judiciis magnis. Et accipiam vos Mihi ad populum, & ero vobis ad Deum, & cognoſcetis quod Ego Jehovah Deus veſter educens vos a ſub oneribus Ægypti. Et deducam vos ad terram, qua ſuſtuli manum meam ad dandum illam Abrahamo, Jiſchako, & Jacobo, & dabo illam vobis hæreditatem, Ego Jehovah.* Et loquutus eſt Deus ad Moſchen, ſignificat novum ſed priori continuum: & dixit ad illum, Ego Jehovah, ſignificat confirmationem a Divino, quæ irrevocabilis: & apparui ad Abrahamum, ad Jiſchakum, & ad Jacobum, in Deo Schaddai, ſignificat tentationes Domini quoad Humanum, & tentationes fidelium, ac poſtea conſolationes: & Nomine meo Jehovah non notus ſum illis, ſignificat quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali in ſtatu tentationum non cogitarent de Divinis quæ Eccleſiæ: & etiam erexi fædus meum cum illis, ſignificat tunc uſque conjunctionem per Divinum Humanum Domini: ad dandum illis terram Canaanem, ſignificat per quam elevarentur in cœlum: terram peregrinationum illorum, in qua peregrinati ſunt, ſignificat ubi illa quæ fidei & charitatis, de quibus inſtructi fuerunt, & ſecundum quæ vixerunt: & etiam Ego audivi gemitum filiorum Iſraelis, ſignificat illorum dolorem ex pugna: quod Ægyptii ſervire faciant illos, ſignificat cum illis qui in falſis, qui conantur ſubjugare: & recordatus ſum fæderis mei, ſignificat quod exemtio ab illis propter conjunctionem: propterea dic filiis Iſraelis, ſignificat quod Lex Divina dabit ut appercipiant illi qui e Regno ſpirituali Domini: Ego Jehovah, ſignificat confirmationem a Divino: & educam vos a ſub oneribus Ægyptiorum, ſignificat quod Dominus eximet illos ab infeſtationibus illorum qui in falſis: & liberabo eos e ſervitio illorum, ſignificat plene a conatu ſubjugationis illorum: & redimam vos brachio extenſo, ſignificat eductionem ab inferno ex Divina potentia: Et accipiam vos Mihi in populum, ſignificat quod illi adjicientur iis in cœlo qui ibi Domino ſerviunt: & ero vobis ad Deum, ſignificat quod Divinum quoque recipient: & cognoſcetis quod Ego Jehovah Deus veſter, ſignificat tunc apperceptionem quod Dominus ſolus Deus: educens

ducens vos a ſub oneribus Ægypti, ſignificat Qui ab infeſtationibus a falſis liberavit: & deducam vos ad terram, qua ſuſtuli manum meam ad dandum illam Abrahamo, Jiſchako & Jacobo, ſignificat ex Divina potentia elevationem ad Cœlum, ubi Divinum Humanum Domini eſt omne: & dabo illam vobis hæreditatem, ſignificat vitam ibi Domini in æternum: Ego Jehovah, ſignificat confirmationem a Divino.

7191. Et loquutus eſt Deus ad Moſchen, quod ſignificet novum ſed priori continuum, conſtat ex eo, quod ſæpius legatur in textu continuo, *dixit Jehovah, & loquutus eſt Jehovah*, ut quoque in hoc Capite, Verſ: 1, *dixit Jehovah ad Moſchen*; hoc Verſu *loquutus eſt Deus ad Moſchen*; pariter Verſ: 10. 13. 28. 29; ſimiliter alibi; quæ repetitio non aliud ſignificat quam aliquod novum ibi inchoans, quod tamen annectendum eſt præcedenti; quod *dixit Jehovah*, ſit novum perceptionis, videatur n: 2061. 2238. 2260. Sciendum quod Verbum in Lingua ſua originali careat terminationum ſignis, quare loco illorum fuerunt talia, & loco terminationum ſeu diſtinxionum minorum fuit *Et*, quapropter hoc tam frequenter occurrit; eſt quoque ſermo Angelicus continuus, cum terminationibus quidem, ſed mirabiliter ibi antecedentia connectuntur ſequentibus; ſunt enim ideæ Angelicæ pleniſſimæ rebus, & innumerabilibus quæ ineffabiles, & homini, cum in mundo eſt, incomprehenſibiles, inde fines periodorum præcedentium cum principiis periodorum ſequentium, plene connecti poſſunt, & ſic ex pluribus ſeriebus formari una: quod ſtupendum & incredibile, in ſermone Angelico repræſentatur forma cœli, inde in omni ſermone angelico, eſt concentus qualis eſt canticorum, qui in quavis terminatione deſinit in monoſyllabicum, ita in unum; & mihi dictum eſt, quod id fiat ex cauſa, quia omnia & ſingula in cœlo ſe referunt ad unum Deum, ut ad finem ſuum. Ex his etiam conſtare potuit, quod omne cogitationis, & inde ſermonis, per cœlum influat a Domino, & quod inde concentus talis in ſermone cadens in unum.

7192. Et dixit ad illum, Ego Jehovah, quod ſignificet confirmationem a Divino, quæ irrevocabilis, conſtare poteſt abſque explicatione; a Jehovah enim, hoc eſt, a Domino, non confirmari aliquid poteſt quam per Se Ipſum; per cœlum non poteſt, quia hoc longe infra Ipſum eſt, minus per aliquod in mundo; ſed ut Divina confirmatio ſit, quæ æterna & irrevocabilis, ab Ipſo Divino erit: talis confirmatio, nempe *Ego Jehovah*, legitur ſæpe apud Moſchen, ut Exod: Cap: XII: 12. Levit: Cap: XVIII: 5. 6. Cap: XIX: 12. 14. 18. 28. 30. 32. 37. Cap: XX: 8. Cap: XXI: 12. Cap: XXII: 2. 3. 8. 30. 31. 33. Cap: XXVI: 2. 45. Num: III: 13. 41. 45. Et apud Prophetas, *dictum Jehovæ*, per quod ſimiliter confirmatio a Divino intelligitur, ut Eſai: III: 15. Cap: XIV: 22. 23. Cap: XVII: 6. Cap: XXII: 14. 25. Cap: XLIII: 12. Cap: LII: 5. Jerem: Cap: II: 22. Cap: III: 1. 10. 13. 20. Cap: VIII: 12. Cap: XII: 17. Cap: XIII: 25. Cap: XXV: 6. 20. Cap: XVI: 17. Cap: XXIII: 7. 24. 29. 31, & alibi pluries. Confirmatio a Divino, etiam fit per Divinum Humanum, ita quoque per

Se Ipſum, apud Eſaiam "Juravit Deus per dextram ſuam, & per brachium roboris ſui" LXII: 8.

7193. Et apparui ad Abrahamum, & ad Jiſchakum, & ad Jacobum in Deo Schaddai, quod ſignificet tentationes Domini quoad Humanum, & tentationes fidelium, ac poſtea conſolationes, conſtat a ſignificatione apparere ſeu videri, cum de Jehovah dicitur, quod ſit perceptio a Divino, de qua n: 2150. 3764. 4567. 5400; ex repræſentatione Abrahami, Jiſchaki & Jacobi, quod ſit Dominus quoad Ipſum Divinum, & quoad Divinum Humanum, de qua n: 6804. 6847; hic autem, quia Jehovah loquitur & dicit quod apparuerit illis, ſignificatur Dominus quoad Humanum, hoc eſt, Humanum antequam Divinum factum eſt, per Abrahamum ſignificatur Cœleſte in Humano illo, per Jiſchakum ſpirituale, & per Jacobum Naturale. Quod Dominus quoad Humanum hic per illos intelligatur, non quoad Ipſum Divinum, ac quoad Divinum Humanum, eſt quia de tentationibus agitur, & Dominus quoad Humanum, antequam Divinum factum eſt, potuit tentari, non autem quoad Divinum Humanum, & minus quoad Ipſum Divinum; Divinum enim eſt extra omnes tentationes; infernales, qui tentant, ne quidem accedere poſſunt ad angelos cœleſtes, cum enim accedunt, corripiuntur horrore & angore, & ſunt ſicut exanimarentur; cum ad illos accedere non poſſunt, & hoc propter Divinum quod eſt apud illos, multo minus poſſunt accedere ad Divinum, quod infinite eſt ſupra Angelicum: ex his conſtare poteſt, quod Dominus Humanum infirmum a matre aſſumſerit, ut tentari poſſet, & per tentationes reducere omnia in cœlo & in inferno in ordinem, ac ſimul tunc Humanum ſuum glorificare, hoc eſt, Divinum facere. Quod per Deum Schaddai ſignificentur tentationes, & poſtea conſolationes, videatur n: 1992. 3667. 4572. 5628: poſtea conſolationes dicitur, quia ex ordine Divino eſt, quod poſt tentationum dolores ſequantur ſolatia, non aliter ac poſt veſperam & noctem mane & aurora, correſpondent etiam, nam ſunt vices ſtatuum in altera vita, ſicut ſunt vices temporum in mundo: ſtatus tentationum, & infeſtationum, tum ſtatus deſolationum, ſunt ibi veſpera & nox, & ſtatus conſolationum & feſtivitatum ſunt ibi mane & aurora. Quod per eadem verba, nempe apparui ad Abrahamum, ad Jiſchakum, & ad Jacobum, etiam ſignificentur tentationes fidelium, & poſtea conſolationes, eſt quia regeneratio hominis, quæ fit mediis tentationibus, eſt imago glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688, ideo quæ de Domino in ſupremo ſenſu, de fidelibus in ſenſu reſpectivo interno, in Verbo intelliguntur.

7194. In Nomine meo Jehovah non notus ſum illis, quod ſignificet quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali in ſtatu tentationum non cogitarent de Divinis quæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione Nominis Jehovæ, quod ſit omne in uno complexu, quo colitur Deus, de qua n: 2724. 3006. 6674, ita omne Divinum in Eccleſia: per Nomen Jehovæ proprie intelligitur Divinum Humanum Domini, n: 2628. 6887, & quia per Illud & ab Illo procedit omne fidei & omne amoris, quæ ſunt Divina in Eccleſia, eſt Illud in uno

complexu

complexu omne cultus Divini; & ex ſignificatione non notus eſſe, quod ſit non ſciri, ſeu non cogitari de illis, hoc eſt, de Divinis quæ in Eccleſia, nempe in ſtatu tentationum, quæ per Deum Schaddai ſignificantur, quare dicitur quod ille notus fuerit Abrahamo, Jiſchako & Jacobo, non autem Nomine ſuo Jehovah: hic ſenſus internus eſt horum Verborum; at ſenſus externus ſeu hiſtoricus alius eſt, ex hoc ſenſu conſtare poteſt, quod Abraham, Jiſchak, & Jacob non coluerint Jehovam, ſed Deum Schaddai, videatur n: 1992. 3667. 5628, & quod Abraham neſciverit Jehovam, n: 1356. 2559: quod autem in hiſtoricis de Abrahamo, Jiſchako & Jacobo, nominetur Jehovah, eſt quia Verbum illud ſcriptum eſt a Moſche, cui Nomen Jehovæ notum factum eſt, & in hiſtoricis illis Jehovah nominatur ob ſenſum internum; nam ubivis in Verbo Jehovah nominatur cum de Bono quod amoris agitur, at Deus cum de vero quod fidei, n: 709. 732. 1096. 2586. 2769. 2807. 2822. 3921 f: 4402.

7195. Et etiam erexi fœdus meum cum illis, quod ſignificet tunc uſque conjunctionem per Divinnm Humanum, conſtat ex ſignificatione fœderis, quod ſit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804; & ex repræſentatione Abrahami, Jiſchaki & Jacobi, qui hic ſunt illi cum quibus fœdus, quod ſit Divinum Humanum Domini, de qua n: 6804. 6847; ex his patet, quis ſenſus internus horum verborum eſt, proximus, quod unio Ipſius Divini ſit cum Divino Humano; & inde ſenſus ſequens, quod conjunctio ſit Ipſius Divini cum illis qui ab Eccleſia ſpirituali per Divinum Humanum, nam, ut prius aliquoties oſtenſum eſt, illi qui ab Eccleſia ſpirituali ſalvati ſunt per Divinum Humanum Domini, videatur n: 6854. 6914. 7035. 7091, f: *tunc uſque* dicitur, ut conjungatur cum mox præcedente, quod nempe tunc conjunctio, cum in ſtatu tentationum non cogitarent de Divinis in Eccleſia, nam in ſtatu tentationum Dominus præſentior eſt, quam extra illum, tametſi aliter apparet, videatur n: 840.

7196. Ad dandum illis terram Canaanem, quod ſignificet per quam elevarentur in cœlum, conſtat ex ſignificatione terræ Canaanis, quod ſit Regnum Domini in cœlis, & quod ſit Eccleſia, de qua n: 1607. 3038. 3481. 3705. 4447. 6516; quod elevari in cœlum ſignificetur per dare illam terram, patet, nam illi, quibus datur cœlum, elevantur.

7197. Terram peregrinationum illorum, in qua peregrinati ſunt, quod ſignificet ubi illa quæ fidei & charitatis, de quibus inſtructi ſunt, & ſecundum quæ vixerunt, conſtat ex ſignificatione terræ, quod ſit Regnum Domini in cœlis & in terris, de qua mox ſupra n: 7196, ita quoque quæ ſunt Regni Domini, quæ quod ſint fides & charitas, notum eſt; inde quoque hæc, ubi de inſtructione & vita, quæ ſignificantur per peregrinari, agitur, per terram Canaanem ſignificantur; & ex ſignificatione peregrinari, quod ſit inſtructio & vita, de qua n: 1463. 2025. 3762; inde patet, quod per terram peregrinationum illorum, in qua peregrinati ſunt, ſignificetur ubi illa quæ fidei & charitatis, de quibus inſtructi ſunt, & ſecundum quæ vixerunt. Cum his ita ſe

 habet;

habet; Cuique in altera vita datur Cœlum ſecundum illa quæ fidei & charitatis ſunt apud illum, nam charitas & fides faciunt cœlum apud unumquemvis; ſed cum dicitur quod charitas & fides faciant cœlum, intelligitur vita charitatis & fidei: at probe ſciendum, quod vita, cui cœlum, ſit vita ſecundum vera & bona fidei, de quibus inſtructus eſt homo; niſi illa ſint normæ & principia vitæ ejus, fruſtra exſpectat cœlum, utcunque vixerit; abſque illis enim eſt homo ſit arundo, qui ſecundum omnem ventum nutat, nam flectitur a malis æque ac a bonis, quia nihil veri & boni habet apud ſe firmatum, per quod ab Angelis teneri poſſit in veris & bonis, & abduci a falſis & malis, quæ infernales continuo injiciunt; verbo, vita boni Chriſtiani eſt quæ facit cœlum, non vita boni naturalis.

7198. Et etiam Ego audivi gemitum filiorum Iſraelis, quod ſignificet illorum dolorem ex pugna, conſtat ex ſignificatione gemitus, quod ſit dolor ex pugna; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, qui infeſtati a falſis, & inde in pugna ſunt.

7199. Quod Ægyptii ſervire faciant illos, quod ſignificet cum illis qui in falſis, qui conantur ſubjugare, conſtat ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis, de qua n: 6692. 7097. 7107. 7110. 7126. 7142; & ex ſignificatione ſervire facere, quod ſit conari ſubjugare, de qua n: 6666. 6670. 6671.

7200. Et recordatus ſum fæderis mei, quod ſignificet quod exemtio ab illis propter conjunctionem, conſtat ex ſignificatione recordari fæderis, nempe cum Abrahamo, Jiſchako, & Jacobo, ad dandum illis terram Canaanem, quod ſit liberatio ſeu exemtio ab infeſtationibus, quæ ſignificantur per ſervitutes in Ægypto, & elevatio ad cœlum; & ex ſignificatione fæderis, quod ſit conjunctio, de qua ſupra n: 7194. Propter conjunctionem, dicitur, quod liberandi & elevandi in cœlum, conjunctio enim cum Domino fit per fidem & amorem nam vera quæ fidei & bona quæ amoris procedunt a Domino, & quæ procedunt ab Ipſo, ſunt Ipſius adeo ut ſint Ipſe, qui itaque recipiunt illa, conjunguntur Ipſi, & qui conjunguntur Ipſi, non poſſunt aliter quam elevari ad Ipſum, hoc eſt, in cœlum.

7201. Propterea dic filiis Iſraelis, quod ſignificet quod Lex Divina dabit ut appercipiant illi qui e Regno ſpirituali Domini, conſtat ex repræſentatione Moſchis, ad quem dicitur quod diceret filiis Iſraelis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752; ex ſignificatione dicere, quod ſit appercipere, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2506. 2515. 2619. 2862. 3509. 5877, hic dare appercipere, quia dicitur de Lege Divina quod diceret; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui e Regno ſpirituali Domini, de qua n: 6426. 6637.

7202. Ego Jehovah, quod ſignificet confirmationem a Divino, conſtat ab illis ſupra n: 7192.

7203. Et educam vos a ſub oneribus Ægyptiorum, quod ſignificet quod Dominus eximet illos ab infeſtationibus illorum qui in falſis, conſtat ex ſignificatione

ficatione educere, quod ſit eximere; ex ſignificatione onerum, quod ſint infeſtationes a falſis, & pugnæ, de qua n: 6757. 7104. 7105; & a ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui per injecta falſa infeſtant, de qua mox ſupra n: 7198.

7204. Et liberabo vos e ſervitio illorum, quod ſignificet plene a conatu ſubjugationis, conſtat ex ſignificatione ſervitii, quod ſit conatus ſubjugationis, de qua n: 6666. 6670. 6671.

7205. Et redimam vos brachio extenſo, quod ſignificet eductionem ab inferno ex Divina potentia, conſtat ex ſignificatione redimere, quod ſit educere ab inferno; quod redemtio dicatur de ſervitio, de malo, deque morte, quod inde eximantur, ita de inferno, & quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Redemptor, videatur n: 6281; & ex ſignificatione brachii extenſi, quod ſit Divina potentia, quod brachium ſit potentia, videatur n: 478. 4931. 4932 3934. 4935; quod autem Brachium extenſum ſit Omnipotentia ſeu Divina potentia, eſt quia per brachium, cum apparet extenſum in cœlis, repræſentatur potentia a Divino; cum autem non extenſum ſed incurvatum, repræſentatur potentia in ſenſu communi; inde nunc eſt, quod Divina potentia in Verbo pluries exprimatur per Brachium extenſum & per manum fortem, ut apud Jeremiam "Ego feci terram, hominem, & beſtiam, quæ ſuper faciebus terræ, per *virtutem meam magnam*, & per *brachium meum extenſum*" XXVII: 5. Apud Eundem "Ah Domine Jehovih, ecce tu feciſti cœlum & terram, per *Virtutem tuam magnam*, & per *Brachium tuum extenſum*, non mirabile eſt præ Te ullum verbum: & eduxiſti populum tuum Iſraelem e terra Ægypti per ſigna & miracula, & *per manum fortem*, & *per Brachium extenſum*" XXXII: 17. 21. Apud Ezechielem "Educam vos ex populis, & congregabo vos e terris, in quas diſperſi eſtis, *per manum fortem*, & *per brachium extenſum*" XX: 34. Apud Davidem "Eduxit Iſraelem e medio Ægyptiorum, per *manum fortem* & *Brachium extenſum*" Pſalm: CXXXVI: II: 12. & præterea, Deuteron: Cap: IV: 34. Cap: V: 15. Cap: VII: 19. Cap: IX: 29. Cap: XI: 2. Cap: XXVI: 8. I Reg: VIII: 42. II Reg: XVII: 36.

7206. Et judiciis magnis, quod ſignificet ſecundum leges ordinis ex Divino Humano Domini, conſtat ex ſignificatione judiciorum, quod ſint vera, de qua n: 2235. 6397, & in ſupremo ſenſu, ubi dicitur de Domino, quod ſint vera Divina, quæ vera non aliud ſunt quam Leges Ordinis ex Divino Humano Domini, nam omnis ordo eſt ab Ipſo, ita omnes Leges ordinis; ſecundum illas Leges eſt totum cœlum, conſequenter etiam univerſum: Leges ordinis ſeu Vera, quæ procedunt a Domino, ſecundum quæ totum Cœlum ac univerſum, ſunt quæ vocantur Verbum, per quod omnia facta ſunt, apud Johannem Cap: I: 1. 2. 3, nam Verbum eſt Divinum Verum procedens a Divino Bono Divini Humani Domini; inde eſt quod omnia in mundo ſpirituali, & quoque in mundo naturali, ſe referant ad Verum, ut conſtare poteſt ei qui reflectit. Per judicia magna in proximo ſenſu hic intelliguntur vera ſecundum quæ judicabuntur illi qui per injecta falſa infeſtarunt, qui ſignificantur per Ægyptios & per Pharaonem; & quoque intelli-

intelliguntur vera ſecundum quæ judicabuntur illi qui eximentur ab infeſtationibus, qui ſignificantur per filios Iſraelis; ex judiciis illis damnantur illi qui in falſis ex malo ſunt, & ex judiciis illis ſalvantur illi qui in veris ex bono; non quod Vera, quæ procedunt a Domino, aliquem damnent, nam omnia vera quæ procedunt a Domino ſunt ex Divino Bono Ipſius, ita non niſi quam Miſericordiæ; ſed quia non recipiunt Miſericordiam Domini, ſemet ipſos damnationi exponunt, ſunt enim tunc in malis, & mala damnant; nec vera quæ procedunt a Domino ſalvant, ſi homo credit quod ex Veris fidei apud ſe ſalvetur, & non ex Miſericordia, homo enim eſt in malis, & ex ſe in inferno, ſed ex Miſericordia Domini detinetur a malo & tenetur in bono, & hoc vi forti. Quod per Judicia utrumque ſignificetur, nempe tam damnatio malorum quam ſalvatio bonorum, patet ab illis locis in Verbo ubi agitur de ultimo Judicio, ut apud Matth: Cap: xxv: 31 ad 45, & alibi.

7207. Et accipiam vos Mihi ad populum, quod ſignificet quod illi adjicientur illis in cœlo qui ibi Domino ſerviunt, conſtat ex ſignificatione accipere in populum, cum hoc dicitur a Jehovah ſeu Domino, quod ſit accipere inter illos qui in cœlo ſunt, nam qui ibi ſunt, populus Domini vocantur, etiam iidem cum in mundo ſunt, nam quod animas ſuas tunc quoque in cœlo ſunt, videatur n: 687. 697. 3255. 4067. 4074. 4077. Quod per illa verba ſignificetur, quod illi, qui ab Eccleſia ſpirituali, adjicientur iis in cœlo, qui ibi Domino ſerviunt, eſt quia illi ante adventum Domini detenti fuerunt in inferiore terra, & elevati in cœlum cum Dominus reſurrexit, & tunc adjecti iis ibi qui Domino ſerviunt, videatur n: 6854. 6914. 7091 f.

7208. Et ero vobis ad Deum, quod ſignificet quod Divinum quoque recipient, conſtat ex ſignificatione eſſe illis ad Deum, cum hoc a Jehovah ſeu Domino dicitur, quod ſit Divinum recipere; nam omnibus illis, qui in cœlo ſunt, datur recipere Divinum, hoc eſt, Divinum Bonum & Verum, ita ſapientiam & intelligentiam, proinde vitæ felicitatem ex uſibus, qui ſunt exercitia charitatis; hæc ſignificantur per ero vobis in Deum.

7209. Et cognoſcetis quod Ego Jehovah Deus veſter, quod ſignificet tunc apperceptionem quod Dominus ſolus Deus, conſtat ex ſignificatione cognoſcere, quod ſit appercipere; quod Ego Jehovah Deus veſter, ſit quod Dominus ſolus Deus, eſt quia per Jehovam in Verbo non alius quam Dominus intelligitur, n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6281. 6303. 6905; & quia in Cœlo ſciunt & percipiunt, quod Dominus ſit Dominus Cœli, ac ita Dominus univerſi, ſicut Ipſe dicit apud Matthæum "quod Ipſi ſit omnis poteſtas in Cœlis & in terris" xxviii: 18; & quod Jehovah non alteri det gloriam ſuam quam Sibi, Eſai: Cap: xlii: 8; tum quod ſit unum cum Patre, Johan: Cap: xiv: 9. 10. 11; & quod Sanctus Spiritus ſit ſanctum quod procedit ab Ipſo, Johan: Cap: xvi: 13. 14. 15, ita quod Dominus ſit ſolus Deus.

7210. Educens vos a ſub oneribus Ægypti, quod ſignificet Qui ab infeſtationibus a falſis liberavit, conſtat ex illis ſupra n: 7205, ubi ſimilia.

7211.

7211. Et deducam vos ad terram, qua ſuſtuli manum meam, ad dandum illam Abrahamo, Jiſchako & Jacobo, quod ſignificet ex Divina potentia elevationem ad cœlum, ubi Divinum Humanum eſt Omne, conſtat ex ſignificatione deducere ad terram, nempe Canaanem, quod ſit elevare ad cœlum, quod terra Canaan ſit Regnum Domini ſeu Cœlum, videatur ſupra n: 7195; ex ſignificatione tollere manum, cum dicitur de Jehovah ſeu Domino, quod ſit ex Divina potentia, quod manus ſit potentia, videatur n: 878. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6947. 7011; & ex repræſentatione Abrahami, Jiſchaki, & Jacobi, quod ſit Dominus quoad Ipſum Divinum, & quoad Divinum Humanum, de qua n: 6804. 6847, hic Dominus quoad Divinum Humanum, quia hoc eſt omne in Cœlo: cauſa quod Divinum Humanum eſt omne in Cœlo, eſt quia nullus ibi, ne quidem Angelus intimi ſeu tertii cœli aliquam ideam de Ipſo Divino poteſt habere, ſecundum Domini verba apud Johannem "Deum nemo vidit unquam" i: 18. "Non vocem Patris audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis" v: 17, ſunt enim Angeli finiti, & finitum non poteſt habere ideam Infiniti; quapropter in cœlo niſi de Deo haberent ideam ſpeciei humanæ, nullam haberent, vel indecentem; ac ita non potuiſſent conjungi Divino, nec per fidem nec per amorem; cum ergo ita eſt, in cœlo percipiunt Divinum in forma Humana; inde eſt, quod Divinum Humanum in cœlis ſit omne in intuitionibus, & inde omne in fide & amore, unde conjunctio, per quam ſalvatio, n: 2700.

7212. Et dabo illam vobis hæreditatem, quod ſignificet vitam ibi Domini in æternum, conſtat ex ſignificatione hæreditatis, cum prædicatur de cœlo, quod ſit vita Domini, de qua n: 2658; & quia omne, quod datur ut hæreditas, eſt illius, cui datur, poſſeſſio perpetua, in cœlo æterna, quia ibi vivunt in æternum, ſignificatur vita Domini ibi in æternum. Quod in Cœlo ſit vita Domini, proinde quod illi qui ibi, ſint in vita Ipſius, eſt quia ſunt in vero & bono quæ procedunt a Domino, ac Bonum quod in Vero, eſt Ipſe Dominus, & Verum in quo Bonum, eſt Vita, ex Domino ex qua omnes vivunt; ex his patet, quod qui in bono ſunt & inde in vero, ut ſunt omnes qui in cœlis, in vita Domini ſint.

7213. Ego Jehovah, quod ſignificet confirmationem a Divino, conſtat ex illis ſupra n: 7192. 7202.

7214. Verſ: 9. 10. 11. 12. 13. *Et loquutus Moſcheh ita ad filios Iſraelis, & non audiverunt ad Moſchen, præ anguſtia ſpiritus, & præ ſervitio duro. Et loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo. Veni, loquere ad Pharaonem regem Ægypti, & mittat filios Iſraelis e terra ſua. Et loquutus Moſcheh coram Jehovah, dicendo, ecce filii Iſraelis non audiverunt ad me, & quomodo audiet me Pharao, & ego præputiatus labiis. Et loquutus Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, & præcepit illis ad filios Iſraelis, & ad Pharaonem regem Ægypti, ad educendum filios Iſraelis e terra Ægypti.* Et loquutus Moſcheh ita ad filios Iſraelis, ſignificat exhortationem a Lege Divina ad illos qui e Regno ſpirituali Domini: & non audiverunt ad Moſchen, ſignificat quod non reciperent ex fide & obedientia:

dientia: præ anguſtia ſpiritus, ſignificat propter ſtatum prope deſperationem: & præ ſervitio duro, ſignificat ab infeſtationibus e meris falſis: & loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo, ſignificat continuationem: veni, loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ſignificat admonitionem ad illos qui infeſtant per mera falſa: & mittat filios Iſraelis e terra ſua, ſignificat ut abeant & relinquant illos: & loquutus Moſcheh cum Jehovah, dicendo, ſignificat Legem a Divino, & inde cogitationem: ecce filii Iſraelis non audiverunt ad me, ſignificat quod ſpirituales non receperint quæ illis annuntiata ſunt: & quomodo audiet ad me Pharao, ſignificat quod non recepturi qui in falſis: & ego præputiatus labiis, ſignificat quod his ſim impurus: & loquutus Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, ſignificat e novo inſtructionem ex Lege Divina & ſimul ex doctrina: & præcepit illis ad filios Iſraelis, ſignificat de mandato ad illos qui e Regno ſpirituali Domini: & ad Pharaonem regem Ægypti, ſignificat admonitionem ad illos qui infeſtant per mera falſa: ad educendum filios Iſraelis e terra Ægypti, ſignificat quod liberandi.

7215. Et loquutus Moſcheh ita ad filios Iſraelis, quod ſignificet exhortationem a lege Divina ad illos qui e Regno ſpirituali Domini, conſtat ex ſignificatione loqui, quód ſit exhortatio, nam loquutus eſt ad illos quod mandatum ei a Jehovah; repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſit Regnum Spirituale Domini, de qua n: 6426. 6637.

7216. Et non audiverunt ad Moſchen, quod ſignificet quod non reciperent ex fide & obedientia, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit recipere ex fide & obedientia; quod audire ſit fides voluntate & actu, ac obedientia, videatur n: 2542. 3869. 4652 ad 4660. 5017.

7217. Præ anguſtia ſpiritus, quod ſignificet propter ſtatum prope deſperationem, conſtat ex ſignificatione anguſtiæ ſpiritus, quod ſit ſtatus prope deſperationem, qui enim in illo ſtatu ſunt, in anguſtia Spiritus ſunt; quod ille ſtatus ſignificetur per onus impoſitum filiis Iſraelis a Pharaone, quod ſibi ipſis conquirerent paleam ad faciendum lateres, ad finem Capitis præcedentis oſtenſum eſt. Quod anguſtia ſpiritus ſit ſtatus prope deſperationem; ex eo conſtare poteſt, quod qui in ſtatu prope deſperationem ſunt, in anxietate interna ſint, & tunc actualiter in anguſtia ſpiritus: anguſtia ſpiritus in ſenſu externo eſt compreſſio pectoris, & inde quaſi difficultas reſpirandi, in ſenſu autem interno eſt anxietas propter deprivationem veri quod fidei, & boni quod charitatis, ac inde ſtatus prope deſperationem; quod ſtatus compreſſionis quoad reſpirationem, & anxietas propter deprivationem veri fidei & boni charitatis ſibi mutuo correſpondeant, ut effectus naturalis in corpore ex cauſa ſpirituali in mente, videri poteſt ab illis quæ n: 97. 1119. 3886. 3887. 3889. 3892. 3893, oſtenſa ſunt. Quod deprivatio veri & boni ſpiritualis talem anxietatem, & conſeqenter talem anguſtiam pariat, non credere poſſunt illi, qui non in fide & charitate ſunt, putant hi quod propterea angi, ſit debilitas & ægritudo animi; cauſa eſt, quia in fide & charitate nihil reale ponunt, ita non in illis quæ ſunt animæ illorum & quæ ſunt cœli, ſed ſolum in opu-

lentia

lentia & eminentia, ita in illis quæ ſunt corporis & mundi; cogitant etiam, quid fides & charitas? nonne ſunt meræ voces? imo quid conſcientia? angi ex illis eſt angi ex talibus quæ homo ex phantaſiæ delirio intus in ſe videt, & inde putat eſſe aliquid & tamen non ſunt; at quid opulentia & eminentia, hoc videmus oculis, & ſentimus voluptate quod ſit, nam totum corpus expanditur, & impletur gaudio ex illis; ita cogitant, ac ita inter ſe loquuntur mere naturales homines, aſt ſpirituales aliter, nam hi primariam in ſuo ſpiritu vitam habent, ita in illis quæ ſunt ſpiritus, nempe in fide & charitate, & ideo cum ſe deprivari putant veris & bonis fidei & charitatis, afficiuntur angore ſicut qui in angore mortis ſunt, nam vident ante ſe mortem ſpiritualem, hoc eſt, damnationem; hi, ut ſupra dictum eſt, coram mere naturalibus apparent debiles & ægri ſpiritu, ſed ſunt fortes & validi, at qui mere naturales ſunt, apparent ſibi fortes & validi, & quoque ſunt quoad corpus, ſed ſunt prorſus invalidi quoad ſpiritum, quia ſpiritualiter mortui; ſi viderent, qualis eſſet ſpiritus illorum, id agnoſcerent, ſed eum non vident priuſquam obiit corpus.

7218. Et præ ſervitio duro, quod ſignificet ab infeſtationibus a meris falſis, conſtat ex ſignificatione ſervitii, quod ſit infeſtatio a falſis, de qua n: 7120. 7129, ita ſervitium durum, eſt infeſtatio a meris falſis; nam qui infeſtantur a mere falſis, & non refocillantur per vera, per quæ falſa diſcutiantur, & tamen vita illorum eſt vita veri quod fidei & boni quod charitatis, illi in maximo angore ſunt, & quamdiu in illo ſtatu, quaſi in duro ſervitio ſunt, inde eſt, quod tales infeſtationes per ſervitium durum ſignificentur. Sciendum, quod omne cogitationis influat, ſed quando ſpiritibus eſt ſtatus. veſperæ & noctis, quod tunc cogitatio illorum in ſtatu coacto ſit, tunc coguntur cogitare de falſis quæ injiciuntur, & ex coactione illa ſe exſolvere nequicquam poſſunt; aſt cum illis eſt ſtatus mane & meridiei, tunc cogitatio illorum in ſtatu libero eſt, nam tunc licet illis cogitare de illis quæ amant, ita de veris & bonis fidei & charitatis, nam hæc amoris illorum ſunt; quod id liberum ſit quod eſt amoris, videatur n: 2870 ad 2893.

7219. Et loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo, quod ſignificet continuationem, conſtat ex illis ſupra n: 7191.

7220. Veni, loquere ad Pharaonem regem Ægypti, quod ſignificet admonitionem ad illos qui infeſtant per mera falſa, conſtat ex ſignificatione loqui, cum ex mandato Divino, quod ſit admonitio; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant per falſa, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142; & quia per mera falſa, dicitur Pharao *rex Ægypti*, nam per regem ſignificatur in genuino ſenſu Verum, & in oppoſito falſum, n: 2015. 2069.

7221. Et mittat filios Iſraelis e terra ſua, quod ſignificet ut abeant & relinquant illos, conſtat ex ſignificatione mittere, quod ſit abire & relinquere; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpe: & a ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ſtatus infeſtationum: ex quibus patet, quod per mittat filios Iſraelis e terra ſua, ſignificetur quod

relinquant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, nec infeſtent.

7222. Et loquutus Moſcheh cum Jehovah, dicendo, quod ſignificet Legem a Divino, & inde cogitationem, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit cogitatio, de qua n: 2271. 2287. 2619; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex a Divino, de qua n: 6771. 6827.

7223. Ecce filii Iſraelis non audiverunt ad me, quod ſignificet quod ſpirituales non reciperint quæ illis annuntiata ſunt, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint ſpirituales, hoc eſt, illi qui ab Eccleſia ſpirituali Domini, de qua n: 6426. 6637; & ex ſignificatione non audire, quod ſit non ex fide & obedientia recipere, de qua ſupra n: 7216; quod ſint quæ illis annuntiata ſunt, hoc eſt de liberatione, patet.

7224. Et quomodo audiet ad me Pharao, quod ſignificet quod non recepturi qui in falſis, conſtat ex ſignificatione non audire, quod ſit non recipere, ut nunc ſupra n: 7223; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis, de qua n: 6651. 6679. 6683. 7107. 7110. 7126. 7142; quod Pharaonem repræſententur illi qui in falſis, & infeſtant, ita plures, eſt quia rex eſt caput populi, & ideo per regem ſignificatur ſimile ac quod per populum, videatur n: 4789.

7225. Et ego præputiatus labiis, quod ſignificet quod his ſim impurus, conſtat ex ſignificatione præputiatum ſeu incircumciſum eſſe, quod ſit impurum eſſe; per circucifionem enim repræſentabatur purificatio ab amoribus ſpurcis, hoc eſt, ab amoribus ſui & mundi, videatur n: 2039. 2632. 2799. 4462. 7045; inde qui non circumciſi ſunt, & dicti præputiati, repræſentabant non purificatos ab amoribus illis, ita impuros, n: 3412. 3413. 4462. 7045; & ex ſignificatione labiorum, quod ſint quæ doctrinæ, de qua n: 1286. 1288, ita per præputiatum labiis ſignificatur impurus eſſe quoad illa quæ ſunt doctrinæ, nam præputiatum dicitur tam de doctrina, quam de vita; inde *Auris* dicitur *præputiata*, apud Jeremiam "Super quem loquar, & teſtificabor, & audient, ecce *præputiata auris eorum*, & non poſſunt auſcultare; ecce Verbum Jehovæ factum in opprobrium, non volunt illud" VI: 10. Et Cor *præputiatum* apud Eundem "Omnis domus Iſraelis *præputiati corde*" IX: 25. Apud Ezechielem "Introdicitis filios alienigenæ *præputiatos corde* & *præputiatos carne*, ut ſint in ſanctuario meo" XLIV: 7. 9. Apud Moſchen "Tunc humiliabitur *Cor illorum præputiatum*" Levit: XXVI: 41; ex his patet, quod præputiatum ſeu incircumciſum ſit impurum; & quia omne impurum eſt ex amoribus impuris, qui ſunt amor mundi & amor ſui, idcirco per incircumciſum ſignificatur id quod impedit influxum boni & veri; ubi amores illi ſunt, ibi bonum & verum influens extinguitur, ſunt enim contraria, ſicut ſunt Cœlum & infernum; inde per aurem præputiatam ſignificatur inobedientia, & per cor præputiatum rejectio boni & veri; quod ſit imprimis cum amores illi muniverunt ſe falſo ſicut muro. Quod Moſcheh quia balbus ſe dicat præputiatum labiis, eſt propter ſenſum internum, ut per id ſignificentur quod illi qui in falſis, qui repræſentantur per Pharaonem, non auſcultaturi quæ illis dicerentur ex Lege Divina, ex cauſa, quia illi qui in falſis, Vera quæ Legis Divinæ ſunt,

vocant

vocant falſa, & falſa quæ contra vera quæ Legis Divinæ, vocant vera, ſunt enim prorſus in oppoſito; inde ab illis vera Doctrinæ non aliter appercipiuntur quam ſicut impura; amores cœleſtes etiam apparent illis ſicut impuri; cum quoque appropinquant ad ſocietatem aliquam cœleſtem, tunc graveolenter olent, quod cum ſentiunt, putant tale ex ſocietate cœleſti profluere, cum tamen ex illis ipſis, nam graveolentia non ſentitur niſi juxta ſuum oppoſitum.

7226. Et loquutus Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, quod ſignificet e novo inſtructionem ex Lege Divina, & ſimul ex Doctrina, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit e novo inſtructio, nam in nunc ſequentibus inſtruuntur quid faciunt; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina de qua n: 6723. 6752; & ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Doctrina boni & veri, de qua n: 6998: quale diſcrimen ſit inter Legem Divinam, & Doctrinam, videatur n: 7009. 7010. 7089.

7227. Et præcepit illis ad filios Iſraelis, quod ſignificet de mandato ad illos qui e Regno ſpirituali Domini, conſtat ex ſignificatione præcipere, quod ſit mandatum; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint illi qui e Regno ſpirituali Domini, de qua prius ſæpe.

7228. Et ad Pharaonem regem Ægypti, quod ſignificet admonitionem ad illos qui infeſtant per mera falſa, conſtat ex ſignificatione loqui, cum ex mandato Divino ad illos qui in falſis, quod ſit admonitio, ut ſupra n: 7220; & ex repræſentatione Pharaonis, cum etiam vocatur rex Ægypti, quod ſint qui infeſtant per mera falſa, de qua ſupra n: 7220.

7229 Ad educendum filios Iſraelis e terra Ægypti, quod ſignificet quod liberandi, conſtat abſque explicatione.

7230. Verſ: 14 ad 25. *Hæc Capita domus patrum illorum; filii Rubenis primogeniti Iſraelis, Chanoch & Pallu, Chezron & Carmi, hæ familiæ Rubenis. Et filii Schimeonis, Jemuel, & Jamin, & Ohad, & Jachin, & Zochar, & Schaul filius Canaanitidis; hæ familiæ Schimeonis. Et hæc nomina filiorum Levi juxta nativitates illorum, Gerſchon, & Kehath, & Merari; & anni vitæ Levi ſeptem & triginta & centum anni. Filii Gerſchonis, Libni & Schimei, juxta familias illorum. Et filii Kehath, Amram & Jizhar, & Chebron, & Uſſiel; & anni vitæ Kehath tres & triginta & centum anni. Et filii Merari, Machli & Muſchi; hæ familiæ Levi juxta nativitates illorum. Et accepit Amram Jachebed amitam ſuam ſibi in mulierem, & peperit illi Aharonem & Moſchen; & anni vitæ Amram ſeptem & triginta & centum anni. Et filii Jizharis, Korach & Næpheg, & Sichri. Et filii Uſſiel, Miſchael & Elzaphan, & Sithri. Et accepit Aharon Eliſchebam, filiam Aminadabi, ſororem Nachaſchonis, ſibi in mulierem; & peperit illi Nadabum, & Abihu, & Eleaſarem, & Ithamarem. Et filii Korachi, Aſſir & Elkanah, & Abiaſaph; hæ familiæ Korachitarum. Et Eleaſar filius Aharonis accepit ſibi de filiabus Putielis ſibi in mulierem; & peperit illi Pinchaſum. Hæc Capita patrum Levitarum juxta familias eorum.* Hæc Capita domus patrum illorum, ſignificat præcipua Eccleſiæ: filii Rubenis, Chanoch & Pallu, Chezron & Carmi, ſignificat illa

quæ fidei intellectu ſunt: hæ familiæ Rubenis, ſignificat vera ejus: & filii Schimeonis, Jemuel & Jamin, & Ohad & Jachin, & Zochar, ſignificat illa quæ fidei actu: & Schaul filius Canaanitidis, ſignificat quæ Veri actu ſunt extra Eccleſiam: hæ familiæ Schimeonis, ſignificat vera & bona illius: & hæc nomina filiorum Levi juxta nativitates illorum, Gerſchon & Kehath, & Merari, ſignificat illa quæ ſunt charitatis: & anni vitæ Levi ſeptem & triginta & centum anni, ſignificat quale & ſtatum: Filii Gerſchonis, Libni & Schimei, juxta familias illorum, ſignificat primam claſſem derivationum boni & veri inde: & filii Kehath, Amram & Jizhar, & Chebron & Uſſiel, ſignificat alteram claſſem derivationum boni & veri inde: & anni vitæ Kehath, tres & triginta & centum anni, ſignificat quale & ſtatum: & filii Merari, Machli & Muſchi, ſignificat tertiam claſſem derivationum boni & veri: hæ familiæ Levi juxta nativitates illorum, ſignificat quod illa ſint bona & vera ex charitate: & accepit Amram Jachebed amitam ſuam ſibi in mulierem, ſignificat boni derivati cum vero affini conjunctionem: & peperit illi Aharonem & Moſchen, ſignificat quod inde illis Doctrina Eccleſiæ & Lex a Divino: Et anni vitæ Amram, ſeptem & triginta & centum anni, ſignificat quale & ſtatum: & filii Jizharis, Korach, & Nepheg, & Sichri, ſignificat derivationem ſucceſſivam ex altera claſſe, quod bonum & inde verum: & filii Uſſiel, Miſchael & Elzaphan, & Sithri, ſignificat derivationem alteram ſucceſſivam ex eadem claſſe quoad bonum in vero: & accepit Aharon Eliſchebam, filiam Amminadabi, ſororem Nachaſchonis ſibi in mulierem, ſignificat Doctrinam Eccleſiæ, & quomodo bonum & verum ibi conjuncta ſunt: & peperit illi Nadabum, & Abihu, & Eleaſarem, & Ithamarem, ſignificat derivationes fidei & charitatis, quales: & filii Korachi, Aſſir & Elkanah, & Abiaſaph, ſignificat derivationem iteratam ex ſecunda Claſſe: hæ familiæ Korachitarum, ſignificat bona & vera qualia: & Eleazar filius Aharonis, ſignificat Doctrinalia derivata ex ipſa doctrina charitatis: accepit ſibi de filiabus Putielis ſibi in mulierem, ſignificat conjunctionem boni & veri in doctrinalibus illis: & peperit illi Pinchaſum, ſignificat inde derivationem: hæc capita patrum Levitarum juxta familias eorum, ſignificat præcipua Eccleſiæ quoad charitatem & inde fidem.

7231. Hæc quia mera nomina ſunt, ſingillatim explicare ſuperſedetur, ex cauſa etiam, quia prius oſtenſum eſt, quid per Reubenem, Schimeonem, Levin, Aharonem, & Moſchen, repræſentatur; ſunt filii illorum, ac nepotes, qui hic nominantur, non aliud quam derivationes: quod Reuben repræſentet fidem intellectu, videatur n: 3861. 3866. 4731. 4734. 4761: quod Schimeon repræſentet fidem voluntate & actu n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503. 5482. 5626. 5630; quod Levi Charitatem, n: 3875. 3877. 4497. 4502. 4503: quod Aharon doctrinam Eccleſiæ, n: 6998. 7009. 7089: & quod Moſcheh legem a Divino, n: 6771. 6827. Cur hic memorantur Ruben, Schimeon, & Levi, & eorum filii, & non reliqui patres tribuum cum ſuis filiis, in ſuo ordine, non ſciri poteſt, niſi ex ſenſu interno: quod recenſio illa in hoc Capite facta ſit, ut ſciretur nativitas Aharonis & Moſchis,

Moſchis, patet, ſed ad illam ſatis fuiſſet genealogia Levi, nam ad illam nihil quicquam conducit Rubenis & Schimeonis, nec filiorum illorum: ſed cauſa, quæ ex ſenſu interno ſolum patet, eſt, quia agitur de Eccleſia ſpirituali, quæ per filios Iſraelis repræſentatur; quæ Eccleſia apud hominem incipit per fidem ſcientia & dein intellectu, quæ repræſentatur per Rubenem & ejus filios; poſtea cum Eccleſia apud hominem creſcit, tranſit fides illa in voluntatem & a voluntate in actum, & tunc homo vult verum quod fidei, & facit illud, quia ita mandatum eſt in Verbo; hoc fidei repræſentatur per Schimeonem; demum in voluntate ejus, quæ nova, appercipitur charitatis affectio, ut velit bonum facere, non ut prius, ex fide, ſed ex charitate erga proximum; cum enim homo eo uſque regeneratur, tunc eſt homo Eccleſiæ ſpiritualis, nam in illo tunc eſt Eccleſia, charitas hæc cum ſua affectione eſt quæ repræſentatur per Levin: inde nunc eſt, quod familiæ Rubenis, & quoque Schimeonis recenſeantur, & demum familia Levi, per quem repræſentatur, ut dictum eſt, Charitas, quæ eſt ipſum ſpirituale Eccleſiæ: Aharon repræſentat Externum illius Eccleſiæ, & Moſcheh Internum; Internum Eccleſiæ vocatur Lex a Divino, & Externum Doctrina inde; Lex a Divino, quæ eſt Internum Eccleſiæ, eſt quoque Verbum in ſenſu interno; & Doctrina inde eſt Verbum in ſenſu externo; quod illa per Moſchen & Aharonem repræſententur, videatur n: 7089.

7232. Verſ: 26. 27. 28. 29. 30. *Et Aharon & Moſcheh, quibus dixit Jehovah, educite filios Iſraelis e terra Ægypti, juxta exercitus illorum. Hi loquentes ad Pharaonem regem Ægypti, ad educendum filios Iſraelis ex Ægypto; hic Moſcheh & Aharon. Et fuit, in die loquutus Jehovah ad Moſchen in terra Ægypti. Et loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo, Ego Jehovah, loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omne quod Ego loquor ad te. Et dixit Moſcheh coram Jehovah, ecce ego præputiatus labiis, & quomodo audiet ad me Pharao.* Hic Aharon & Moſcheh, ſignificat quod ex illis Doctrina & Lex apud illos Divina: quibus dixit Jehovah, ſignificat ex quibus mandatum: educite filios Iſraelis e terra Ægypti, ſignificat quod illi qui e Regno ſpirituali Domini liberarentur; juxta exercitus illorum, ſignificat ſecundum genera & ſpecies boni in veris: hi loquentes ad Pharaonem regem Ægypti, ſignificat ex illis admonitionem ad illos qui per mera falſa infeſtant: ad educendum filios Iſraelis ex Ægypto, ſignificat ut relinquant illos & non infeſtant: hic Moſcheh & Aharon, ſignificat quod hoc ex Lege a Divino, & ex Doctrina inde: & fuit in die illo loquutus eſt Jehovah ad Moſchen in terra Ægypti, ſignificat ſtatum tunc Eccleſiæ cum mandatum eſt per Legem a Divino ad illos qui e Regno ſpirituali Domini, cum adhuc in propinquitate eſſent illis qui in infernis: & loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo, ſignificat inſtructionem a Divino: Ego Jehovah, ſignificat confirmationem Divinam: loquere ad Pharaonem regem Ægypti omne quod Ego loquor ad te, ſignificat admonitiones ad illos, qui infeſtant per mera falſa ex illis quæ a Divino influunt: & dixit Moſcheh coram Jehovah, ſignificat cogitationem de Lege Divina, apud illos qui in falſis: ecce ego præputiatus labiis, ſignificat quod im-

pura: & quomodo audiet ad me Pharao, ſignificat quod ſic non recepturi qui in falſis.

7233. Hic Aharon & Moſcheh, quod ſignificet quod ex illis doctrina & lex apud illos Divina, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Doctrina Eccleſiæ, de qua n: 6998. 7009. 7089; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752; hæ, nempe Lex Divina & Doctrina, apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali, exiſtit principaliter ex Verbo, ſed uſque applicate ad fidem & charitatem, quæ fuerunt apud inſtauratores: *ex illis* dicitur, ſed non intelligitur ex Aharone & Moſcheh, verum ex Charitate & fide, quæ repræſentantur per Levi, Schimeon, & Ruben, de quibus mox ſupra. Quod hæc ulterius attinet, ſciendum, quod Doctrina Eccleſiæ ſpiritualis non ſit Doctrina veri ipſius Divini, cauſa eſt, quia illi qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, nullam perceptionem Veri Divini habent, ſicut illi qui ab Eccleſia cœleſti ſunt, ſed loco illius perceptionis habent conſcientiam, quæ formatur ex vero & bono, quæ agnoverunt intra ſuam Eccleſiam, qualiacunque illa ſunt; quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali in obſcuro ſint quoad vera fidei, reſpective, videatur n: 86. 2708. 2715. 2716. 2718. 2831. 2935. 2937. 3241. 3246. 3833. 6289. 6500. 6865. 6945; inde eſt, quod quiſque intra Eccleſiam ſpiritualem agnoſcat id pro vero fidei, quod inſtauratores illorum dictaverunt, nec ulterius ex Verbo inquirant, num id ipſum verum ſint; & quoque ſi inquirerent, ſi non regenerati eſſent, & tunc peculiariter illuſtrati, nec invenirent illud; cauſa eſt, quia Intellectuale eorum quidem illuſtrari poteſt, ſed novum voluntarium non alio bono affici, quam quod formatum eſt per conjunctionem cum vero intra Eccleſiam recepto; nam proprium voluntarium apud illos deperditum eſt, & novum voluntarium formatum eſt in parte intellectuali, videatur n: 863. 875. 1023. 1043. 1044. 1555. 2256. 4328. 5113; & cum proprium voluntarium ſeparatum eſt a novo voluntario, quod in parte intellectuali, eſt lumen ibi debile, quale reſpective lumen nocturnum a Luna & ſtellis, ad lumen diurnum a ſole; inde quoque eſt, quod per Lunam in Verbo in ſenſu interno intelligatur bonum amoris ſpiritualis, & per Solem bonum amoris cœleſtis, n: 30 ad 38. 1529. 1530. 1531. 2495. 4060. Quia ita ſe res habet cum Eccleſia ſpirituali, nec mirum eſt, quod apud pleroſque fides ſit eſſentiale Eccleſiæ, non charitas, tum quod nulla illis ſit Doctrina charitatis. Quod doctrinalia ſua ex Verbo habeant, hoc non facit quod illa ſint vera Divina, nam ex Verbi ſenſu literæ excludi poteſt doctrinale quodcunque, & arripi poteſt tale quod concupiſcentiis favet, ita quoque falſum pro vero, ſicut ſunt doctrinalia Judæorum, Socinianorum, & plurium aliorum, non autem ſi doctrinale formatur ex ſenſu interno; ſenſus internus non ſolum eſt ille ſenſus qui latet in ſenſu externo, ut hactenus oſtenſum, ſed etiam qui a pluribus locis ſenſus literæ inter ſe rite collatis reſultat, & appercipitur ab illis qui quoad Intellectuale a Domino illuſtrantur; Intellectuale enim illuſtratum diſcernit inter apparentia vera & ipſa vera, imprimis inter falſa & vera, tametſi non judicat de ipſis veris in ſe: ſed Intellectuale non illuſtrari poteſt, niſi credatur quod amor in

Dominum

Dominum, & charitas erga proximum, ſint principalia & eſſentialia Eccleſiæ; qui ex illis agnitis procedit, modo ipſe in illis ſit, innumerabilia vera, imo perplura arcana ſibi detecta videt, & illud ex interiore agnitione, ſecundum gradum illuſtrationis a Domino.

7234. Quibus dixit Jehovah, quod ſignificet mandatum, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, quod ſit mandatum, de qua n: 7036.

7235. Educite filios Iſraelis e terra Ægypti, quod ſignificet quod illi qui e Regno ſpirituali Domini liberarentur, nempe a propinquitate illorum qui in falſis, conſtat ex ſignificatione educere, quod ſit liberare; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui e Regno ſpirituali Domini, de qua n: 6426. 6637, & quoque 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ubi falſa, a quibus infeſtationes.

7236. Juxta exercitus illorum, quod ſignificet ſecundùm genera & ſpecies boni in veris, conſtat ex ſignificatione exercitus, quod ſint vera quæ fidei, de qua n: 3448; bona autem Eccleſiæ ſpiritualis ſunt in ſua eſſentia non aliud quam vera, hæc enim dicuntur bona cum vivitur ſecundum ea; hinc per exercitum, cum dicitur de regeneratis intra Eccleſiam ſpiritualem, ſignificantur bona veri, ſeu bona in veris. Quod dicatur, quod filii Iſraelis educendi ſint juxta exercitus illorum, eſt quia dicitur de illis quando exibunt Ægypto, in ſenſu interno quando ex pugnis cum falſis venient, ita poſtquam militiam ſpiritualem exercuerunt: proprie intelligitur per quod educendi juxta exercitus, quod diſtinguendi quoad bona in veris, ita in claſſes ſecundum qualia boni, & hoc ob cauſam, ut repræſentarent Regnum Domini in cœlis; ibi omnes diſtincti ſunt & locum in Maximo Homine ſortiti ſunt ſecundum quale boni, tam in genere quam in ſpecie. Ex cœlis, quod diſtincti ſint omnes ibi ſecundum bona, conſtare poteſt, quam multiplex & quam varium eſt bonum, eſt enim tam varium, ut nuſquam unus in ſimili bono ſit in quo alter; imo ſi myriades myriadum multiplicarentur in æternum, non foret unius bonum ſimile alterius; ſicut nec unus ſimili facie ac alter; etiam bonum in cœlis format facies angelorum: quod perpetua varietas ſit, eſt quia omnis forma ex diſtinctis variis conſiſtit, ſi enim duo prorſus ſimiles eſſent, tunc non potuiſſent duo eſſe ſed unum: inde quoque eſt, quod in natura nuſquam detur unum omni modo ſimile alteri. Quod facit bonum tam varium, eſt verum, hoc cum conjungitur qualificat bonum; quod verum tam multiplex ſit & varium, ut in tantum variare queat bonum, eſt quia innumerabilia vera ſunt, & in alia forma vera interiora quam exteriora, & quod fallaciæ quæ ſenſuum externorum, ſe adjungant, & quoque falſa quæ ſunt concupiſcentiarum; cum itaque tam innumerabilia vera ſunt, conſtare poteſt, quod per conjunctiones totidem varia exiſtant ut nuſquam poſſit unum cum altero idem eſſe; hoc liquet ei qui novit, quod modo ex viginti tribus variis per diverſas conjunctiones exiſtere poſſint voces omnium linguarum, imo cum perpetua varietate ſi millia linguarum forent, quid non ex millibus ac myriadibus variorum, ut ſunt vera: hoc quoque confirmat regula communis in mundo, quod tot ſenſus ſint quot capita, hoc eſt, quod tot diverſitates idearum, quot homines.

7237. Hi loquentes ad Pharaonem regem Ægypti, quod ſignificet ex illis admonitionem ad illos qui per mera falſa infeſtant, conſtat ex illis ſupra n: 7228, ubi ſimilia.

7238. Ad educendum filios Iſraelis ex Ægypto, quod ſignificet ut relinquant illos & non infeſtent, conſtat ex ſignificatione educi, quod ſit liberari, ut ſupra n: 7235, ita ut relinquant & non infeſtent; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua mox ſupra n: 7235; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit falſum a quo infeſtatio, de qua prius.

7239. Hic Moſcheh & Aharon, quod ſignificet quod hoc ex Lege a Divino, & ex doctrina inde, conſtat a repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex a Divino, de qua n: 6771. 6817; & ex repræſentatione Aharonis, quod ſit doctrina inde, de qua n: 6998. 7009. 7089.

7240. Et fuit in die illo loquutus eſt Jehovah ad Moſchen in terra Ægypti, quod ſignificet ſtatum tunc Eccleſiæ cum mandatum eſt per Legem a Divino ad illos qui e Regno ſpirituali Domini, cum adhuc in propinquitate eſſent illis qui in infernis, conſtat ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 6110, hic ſtatus Eccleſiæ, quia de illo agitur; ex ſignificatione loqui Jehovah, quod ſit mandatum, hic ad illos qui e Regno ſpirituali Domini; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex a Divino, de qua n: 6771. 6827; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ubi illi, qui e Regno ſpirituali Domini, infeſtati ſunt a falſis, quod hoc fuerit in terra inferiore, quæ propinqua infernis, videatur n: 7090; terra Ægypti, ubi filii Iſraelis erant, & vocabatur Goſchen, ſignificat Terram illam inferiorem; ſed ubi Ægyptii, ſignificat inferna circum, e quibus infeſtationes a falſis.

7241. Et loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo, quod ſignificet inſtructionem a Divino, conſtat ex ſignificatione loqui Jehovah, quod ſit e novo inſtructio, de qua n: 7226; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex a Divino, de qua n: 6771. 6817.

7242. Ego Jehovah, quod ſignificet confirmationem Divinam, conſtat ex illis ſupra n: 7192. 7202.

7243. Loquere ad Pharaonem regem Ægypti omne quod Ego loquor ad te, quod ſignificet admonitiones ad illos qui infeſtant per mera falſa, ex illis quæ a Divino influunt, conſtat ex ſignificatione loqui, cum ad illos qui in falſis, quod ſit admonitio, ut ſupra n: 7220; ex repræſentatione Pharaonis regis Ægypti, quod ſint qui infeſtant per mera falſa, de qua n: 7220. 7228; & ex ſignificatione omne quod Ego loquor ad te, quod ſint illa quæ a Divino influunt.

7244. Et dixit Moſcheh coram Jehovah, quod ſignificet cogitationem de Lege Divina apud illos qui in falſis, conſtat ex ſignificatione dixit, quod ſit cogitatio, de qua n: 7094; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752; quod ſit cogitatio de Lege Divina apud illos qui in falſis, patet a ſerie continua cum ſequentibus, cum enim dicitur *dixit*;

&

& per hoc ſignificatur cogitatio, involvitur id quod ſequitur, hic quod Lex Divina ſit impura illis qui in falſis.

7245. Ecce ego præputiatus labiis, quod ſignificet quod impura, nempe Lex Divina illis qui in falſis; & quomodo audiet ad me Pharao, quod ſignificet quod ſic non recepturi qui in falſis, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 7224 & 7225, dicta ſunt, ubi eadem verba. Quod Moſcheh ſe dicat præputiatum labiis, in ſenſu interno ſignificat quod Lex Divina impura appareat illis qui in falſis, ſecundum illa quæ n: 7225 oſtenſa ſunt; in ſenſu autem hiſtorico, in quo Moſcheh ut caput refert poſteritatem ex Jacobo, ac id quod eſt Eccleſiæ apud illos, ut ſupra n: 7041, præputiatus labiis ſignificat quod cultus Divinus apud gentem illam talis eſſet; erat enim cultus apud illam gentem impurus, nam externa colebant, ac interna prorſus rejiciebant, quæ ſunt fides & charitas; imo ipſas cognitiones rerum internarum reſpuebant, ſicut omnia illa quæ ritualia ſignificabant & repræſentabant; & quia tales erant, cultus erat impurus, colebant enim Jehovam ex amore ſui & amore mundi, non autem ex amore in Ipſum, & ex amore erga proximum; hic cultus in ſenſu hiſtorico ſignificatur per quod Moſcheh ſe dicat præputiatum labiis, at in ſenſu interno ſignificatur prout explicatum eſt ſupra n: 7225.

De Incolis & Spiritibus Planetæ Veneris.

7246. *IN Planeta Veneris ſunt duo hominum genera, indole ſibi contraria, ſunt qui immites & pæne ferini, & ſunt qui mites & humani: qui immites ſunt & pæne ferini, apparent a parte Planetæ huc ſpectante; qui autem mites & humani ſunt, apparent a parte oppoſita. At ſciendum quod ita appareant ſecundum ſtatus vitæ eorum, nam ſtatus vitæ ſiſtit omnem apparentiam loci & ſpatii.*

7247. *Planeta Veneris in idea ſpirituum apparet ad ſiniſtrum paulo retro, ad aliquantam diſtantiam ab hac tellure: in idea ſpirituum dicitur, quia nulli ſpiritui apparet Sol mundi, nec aliquis Planeta, ſed ſpiritus modo habent ideam quod ſint, & ſecundum illam apparent, Sol mundi a tergo ſicut caliginoſum quid, planetæ non ſicut in mundo errantes, ſed in ſuis locis conſtanter, de qua re videatur n: 7171.*

7248. *Dictum mihi, quod incolæ illius planetæ qui cum obeunt & fiunt ſpiritus, ab hac parte apparent, admodum delectentur rapinis,*

& quam maxime edere ex rapinis; jucunditas illorum cum cogitant de edere ex rapinis mecum communicata fuit, & appercepta quod ſumma eſſet. Quod incolæ tali natura ferina etiam in hac tellure fuerint, patet ex hiſtoriis variarum gentium, tum ex incolis terræ Canaanis I *Sam*: XXX: 16; *& quoque ex gente Judaica & Iſraelitica etiam tempore Davidis, quod quotannis excurſiones fecerint, & deprædati gentes, & ex præda lætati. Quod hos incolas Planetæ Veneris concernit, quidem delectantur rapinis, ſed uſque non crudeles ſunt, projiciunt homines, quos diripiunt in aquas, ac eo modo interimunt, aſt quos conſervare poſſunt, conſervant; & quos ita interemerunt, poſtea ſepeliunt, indicium quod aliquid humani apud ſe habeant, ſecus ac Judæi, quibus delectatio fuit, projicere illos, quos occiderunt, & exponere feris ſylvæ & avibus devorandos, & quandoque ſæve & crudeliter illos morti dare,* II *Sam*: XII: 31: *quantum jucunditatis ex talibus habuerant Judæi, datum quoque erat percipere ex ſphæra mecum communicata plurium illorum, qui cito appulerunt & aufugerunt.*

7249. *Dictum etiam, quod incolæ illius telluris quoad plurem partem ſint gigantes, & quod noſtræ telluris incolæ modo ad umbilicum eorum pertingant: tum quoque, quod illi, qui ab hac parte illius telluris apparent, ſint ſtupidi, non quærentes quid cœlum, aut quid vita æterna, ſed quod ſolum illa curent quæ ſunt eorum terræ, & eorum pecorum.*

7250. *Quia tales ſunt, etiam cum in alteram vitam veniunt, infeſtantur ibi quam maxime a falſis & malis: inferna quæ illis, apparent circa Tellurem illam, nec communicant cum infernis malorum noſtræ Telluris, ex cauſa quia prorſus alio genio, & alia indole ſunt, inde quoque mala & falſa illorum ſunt ex prorſus alio genere. Qui aut emtales ſunt, ut ſalvari poſſint, ſunt in locis vaſtationis, ac ibi ad ultimum deſperationis rediguntur; nam illius generis mala & falſa non aliter poſſunt removeri; cum in ſtatu deſperationis ſunt, clamant quod beſtiæ ſint, quod bruta, quod abominationes, quod odia, & ſic quod damnati: quidam eorum cum in tali ſtatu ſunt, etiam contra cœlum clamant; ſed hoc illis ignoſcitur, quia ex deſperatione; Dominus moderatur, ne in vituperia ſe effundant niſi ad certos limites: hi cum extrema paſſi ſunt, quia corporea tunc apud illos quaſi mortua ſunt, demum ſalvantur.*

7251. *De illis quoque dictum eſt, quod, cum in ſua Tellure vixerunt, crediderint in quendam ſummum Creatorem, abſque Mediatore;*

hi

hi ſunt qui ita vaſtantur, & demum ſalvantur dum prius inſtructi ſint & receperint, quod Dominus ſit Solus Deus, Salvator, & Mediator: audivi illos confitentes, quod abſque Mediatore nuſquam ſalvari poſſent, quia ſpurci & indigni. Vidi etiam quoſdam illorum, poſtquam extrema paſſi ſunt, ſublatos in cœlum, & cum ibi recepti ſunt, appercepi teneritudinem lætitiæ ab illis talem, ut exprimeret lachrymas ex oculis meis.

7252. *Incolæ & Spiritus Veneris, qui apparent ab altera parte illius Telluris, ex pæne cotraria indole ſunt, ſunt enim mites & humani: conceſſum erat a Domino ut venirent aliqui ex illis ſpiritibus inde ad me, apparebant tunc prope ſupra caput; hi mecum loquuti dicebant, quod, cum in mundo fuerunt, agnoverint, & quod magis nunc agnoſcant Dominum noſtrum pro ſuo unico Deo; dicebant, quod in Tellure ſua viderint Ipſum, ambulantem inter illos, & quoque quomodo Ipſum viderunt, repræſentabant.*

7253. *Hi Spiritus in Maximo Homine referunt Memoriam rerum materialium correſpondentem memoriæ rerum immaterialium, quam ſpiritus Planetæ Mercurii conſtituunt; videatur in deſcriptione ſpirituum Mercurii, n:* 7170.

7254. *Ad finem Capitis ſequentis dicetur de Incolis & Spiritibus Planetæ Martis.*

EXODI

CAPUT SEPTIMUM.

Doctrina Charitatis.

7255. QUIA Bonum facit cœlum apud hominem, & malum facit infernum, ſciendum eſt omnino quid Bonum, & quid Malum; prius dictum eſt, quod id bonum ſit, quod eſt amoris in Dominum, & charitatis erga proximum; & quod id malum ſit, quod eſt amoris ſui & amoris mundi, inde ſequitur, quod non niſi quam ex amoribus ſciatur quid bonum, & quid malum.

7256. Omnia in univerſo, quæ ſunt ſecundum ordinem Divinum, ſe referunt ad Bonum & Verum; & omnia in univerſo, quæ ſunt contra ordinem Divinum, ſe referunt ad malum & falſum: cauſa eſt, quia Bonum & Verum, quæ procedunt a Divino, faciunt ordinem, adeo, ut ſint ordo.

7257. Bonum, quod eſt Amoris in Dominum, vocatur Bonum cœleſte, & Bonum, quod eſt Charitatis erga proximum, vocatur Bonum ſpirituale: quæ & quanta differentia eſt inter Bonum cœleſte quod eſt amoris in Dominum, & inter Bonum ſpirituale quod eſt Charitatis erga proximum, in ſequentibus dicendum eſt.

7258. Doctrina Boni cœleſtis quæ eſt amoris in Dominum, eſt ampliſſima & ſimul arcaniſſima; Doctrina autem Boni ſpiritualis, quæ eſt Charitatis erga proximum eſt quoque ampla & arcana, ſed minus quam Doctrina boni cœleſtis quæ eſt Amoris in Dominum. Quod Doctrina Charitatis, ſit ampla, inde conſtare poteſt, quod Charitas non detur ſimilis apud unum ut apud alterum, nec quod proximus ſit ſimilis unus ſicut alter.

7259. Quia tam ampla fuit Doctrina Charitatis, Antiqui, apud quos Doctrina Charitatis fuit ipſa Doctrina Eccleſiæ, deſtinguebant Charitatem erga proximum in plures Claſſes, quas etiam ſubdividebant, & ſingulis Claſſibus indebant nomina, & docebant quomodo Charitas exercenda eſſet erga illos qui in una Claſſe, & quomodo erga illos qui in altera; & ſic redigebant Doctrinam Charitatis in ordinem, & exercitia charitatis ut diſtincte caderent ſub intellectum.

7260. Nomina, quæ indebant illis erga quos charitatem exercerent, erant plura, quoſdam vocabant cæcos, quoſdam claudos, quoſdam mancos, quoſdam pauperes, tum miſeros & afflictos, quoſdam pupillos, quoſdam viduas: in genere autem vocabant illos Eſurientes quibus darent edere, Sitientes quibus darent bibere, Peregrinos quos colligerent, Nudos quos induerent, Ægrotos quos viſitarent, & in Carcere ad quos venirent; de his videatur n: 4954 ad 4959.

7261. Hæc Nomina e Cœlo data fuerunt Antiquis qui ab Eccleſia, & per illos, qui ita nominabantur, intelligebant qui ſpiritualiter tales eſſent; Doctrina illorum Charitatis docebat, quinam eſſent, & qualis eſſet erga unumquemvis Charitas.

7262. Inde eſt quod eadem illa Nomina in Verbo ſint, & ſignificent illos qui tales in ſpirituali ſenſu ſunt. Verbum in ſe non eſt niſi quam Doctrina amoris in Dominum & Charitatis erga proximum, ut quoque Dominus docet "Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, *hoc eſt primum & magnum Mandatum*; ſecundum eſt ſimile illi, amabis proximum tuum ſicut te ipſum, *in his duobus Mandatis Lex & Prophetæ pendent*" Matth: XXII: 35, 36. 37. 38, Lex & Prophetæ ſunt totum Verbum.

7263. Quod eadem illa nomina in Verbo ſint, eſt quia illi qui in externo cultu erant, erga tales, qui ita nominabantur, charitatem exercerent; & qui in interno cultu, erga tales ſpiritualiter intellectos; ita quod ſimplices ſimpliciter intelligerent & facerent Verbum, & quo ſapientes ſapienter: tum quoque, ut ſimplices per externa charitatis, initiarentur in interna ejus.

CAPUT VII.

1. ET dixit JEHOVAH ad Moſchen, vide, dedi te deum Pharaoni, & Aharon frater tuus erit propheta tuus.

2. Tu loqueris omne quod præcepero tibi; & Aharon frater tuus loquetur ad Pharaonem, & mittat filios Iſraelis e terra ſua.

3. Et

3. Et Ego obdurabo cor Pharaonis, & multiplicabo ſigna mea, & prodigia mea, in terra Ægypti.

4. Et non audiet ad vos Pharao; & dabo manum meam in Ægyptios & educam exercitus meos, populum meum, filios Iſraelis, e terra Ægypti, judiciis magnis.

5. Et cognoſcent Ægyptii, quod Ego JEHOVAH, in extendere Me manum meam ſuper Ægyptum, & eduxero filios Iſraelis e medio illorum.

6. Et fecit Moſcheh & Aharon, quemadmodum præcepit JEHOVAH illis ita fecerunt.

7. Et Moſcheh filius octoginta annorum, & Aharon filius trium & octoginta annorum, in loqui illos ad Pharaonem.

8. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen & Aharonem, dicendo.

9. Quod cum dixerit ad vos Pharao, dicendo, date vobis prodigium, & dices ad Aharonem, accipe baculum tuum, & projice coram Pharaone, erit in ſerpentem aqueum.

10. Et venit Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & fecerunt ita quemadmodum præcepit JEHOVAH, & projecit Aharon baculum ſuum coram Pharaone, & coram ſervis illius, & factus in ſerpentem aqueum.

11. Et vocavit etiam Pharao ſapientes & præſtigiatores, & fecerunt etiam illi, magi Ægypti incantationibus ſuis ita.

12. Et projecerunt quiſque baculum ſuum, & facti in ſerpentes aqueos; & deglutivit baculus Aharonis baculos illorum.

13. Et obfirmatum cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus JEHOVAH.

14. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, ingravatum eſt cor Pharaonis, renuit mittere populum.

15. Vade ad Pharaonem in matutino, ecce egreditur ad aquas, & conſiſte obviam illi juxta ripam fluminis, & baculum, qui verſus in ſerpentem, accipe in manum tuam.

16. Et dices ad illum, JEHOVAH DEUS Hebræorum miſit me ad te, dicendo, mitte populum meum, ut ſerviant Mihi in deſerto, & ecce non audiviſti uſque huc.

17. Ita dixit JEHOVAH in hoc cognoſces quod Ego JEHOVAH, ecce ego percutio baculo qui in manu mea, ſuper aquas quæ in fluvio & vertentur in ſanguinem

18. Et piſcis, qui in fluvio, morietur, & putebit fluvius, & laborabunt Ægyptii ad bibendum aquas e fluvio.

19. Et

19. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, dic ad Aharonem, accipe baculum tuum, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, ſuper flumina illorum, ſuper fluvios illorum, & ſuper ſtagna illorum, & ſuper omnem congregationem aquarum illorum, & erunt ſanguis; & erit ſanguis in omni terra Ægypti, & in lignis & in lapidibus.

20. Et fecerunt ita Moſcheh & Aharon quemadmodum præcepit JEHOVAH, & ſuſtulit baculum, & percuſſit aquas quæ in fluvio, ad oculos Pharaonis, & ad oculos ſervorum illius, & converſæ ſunt omnes aquæ quæ in fluvio in ſanguinem.

21. Et piſcis qui in fluvio, moriebatur, & putuit fluvius, & non potuerunt Ægyptii bibere aquam ex fluvio; & fuit ſanguis in tota terra Ægypti.

22. Et fecerunt ita magi Ægypti incantationibus ſuis; & obfirmatum cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus JEHOVAH.

23. Et reſpexit Pharao, & venit ad domum ſuam, & non poſuit cor ſuum etiam ad hoc.

24. Et foderunt omnes Ægyptii circum fluvium aquas ad bibendum quia non potuerunt bibere ex aquis fluvii.

25. Et impleti ſeptem dies poſtquam percutere JEHOVAH fluvium.

26. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, veni ad Pharaonem, & & dices ad illum, ita dicit JEHOVAH, mitte populum meum, & ſerviant Mihi.

27. Et ſi renuis tu mittere, ecce Ego afficio omnem terminum tuum ranis.

28. Et prorepere faciet fluvius ranas, & aſcendent & venient in domum tuam, & in conclave cubilis tui, & ſuper lectum tuum, & in domum ſervorum tuorum, & in populi tui, & in clibanos tuos, & in mactras tuas.

29. Et in te, & in populum tuum, & in omnes ſervos tuos, aſcendent ranæ.

CONTENTA.

7264. AGitur in ſenſu interno in ſequentibus de Vaſtatione, & tandem Damnatione illorum, qui in falſis & malis ſunt; proceſſus devaſtationis illorum diſcribitur per undecim plagas Ægyptiis & terræ illorum illatas.

7265. In hoc Capite in ſenſu interno agitur de tribus primis gradibus

bus vaſtationis; *Primus*, qui eſt quod apud illos inciperent regnare meræ fallaciæ, unde falſa, deſcribitur per ſerpentem in quem verſus eſt baculus Pharaonis: *Secundus*, qui eſt quod ipſa vera apud illos fierent falſa, & quod falſa vera, deſcribitur per ſanguinem, in quem verſæ ſunt aquæ: *Tertius* gradus, qui eſt quod ex falſis ratiocinarentur contra vera & bona quæ Eccleſiæ, deſcribitur per ranas e fluvio.

SENSUS INTERNUS.

7266. Verſ: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *ET dixit Jehovah ad Moſchen, vide, dedi te deum Pharaoni, & Aharon frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris omne quod præcepero tibi, & Aharon frater tuus loquetur ad Pharaonem, & mittat filios Iſraelis e terra ſua. Et Ego obdurabo cor Pharaonis, & multiplicabo ſigna mea, & prodigia mea, in terra Ægypti. Et non audiet ad vos Pharao; & dabo manum meam in Ægptios, & educam exercitus meos, populum meum, filios Iſraelis, e terra Ægypti, judiciis magnis. Et cognoſcent Ægyptii, quod ego Jehovah, in extendere Me manum meam ſuper Ægyptios, & eduxero filios Iſraelis e medio illorum. Et fecit Moſcheh & Aharon, quemadmodum præcepit Jehovah illis, ita fecerunt. Et Moſcheh filius octoginta annorum, & Aharon filius trium & octoginta annorum, in loqui illos ad Pharaonem.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem: vide, dedi te deum Pharaoni, ſignificat Legem Divinam & ejus potentiam ſuper illos qui in falſis: & Aharon frater tuus erit propheta tuus, ſignificat doctrinam inde: tu loqueris omne quod præcepero tibi, ſignificat receptionem influxus Divini, & communicationem: & Aharon frater tuus loquetur ad Pharaonem, ſignificat receptionem influxus inde, & communicationem cum illis qui in falſis: & mittat filios Iſraelis, ſignificat ut recedant ab infeſtatione: & Ego obdurabo cor Pharaonis, ſignificat obſtinationem a malo falſi: & multiplicabo ſigna mea, & prodigia mea, ſignificat admonitiones omnis generis, nec aliquid deerit: in terra Ægypti, ſignificat ubi illi qui infeſtant: & non audiet ad vos Pharao, ſignificat quod non recepturi qui in falſis: & dabo manum meam in Ægyptios, ſignificat quod ideo per Divinam potentiam adigentur: & educam exercitum meum, populum meum, filios Iſraelis, ſignificat quod liberandi qui in bonis & veris: e terra Ægypti, ſignificat ab infeſtationibus: judiciis magnis, ſignificat ſecundum leges ordinis: & cognoſcent Ægyptii, quod Ego Jehovah, ſignificat quod timorem habebunt pro Divino: in extendere manum meam ſuper Ægyptios,

Ægyptios, ſignificat cum potentiam Divinam in ſe animadvertunt: & eduxero filios Iſraelis e medio illorum, ſignificat & cum videbunt liberari illos qui ab Eccleſia ſpirituali: & fecit Moſcheh & Aharon, quemadmodum præcepit Jehovah, ita fecerunt, ſignificat quod quæ dicta etiam facta ſint: & Moſcheh filius octoginta annorum, ſignificat ſtatum & quale Legis a Divino: & Aharon filius trium & octoginta annorum, ſignificat ſtatum & quale doctrinæ: in loqui illos ad Pharaonem, ſignificat cum illa mandata ſunt.

7267. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet inſtructionem, hic quomodo procedendum cum illis qui in falſis ſunt, & infeſtant, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, quod ſit inſtructio, de qua n: 7186.

7268. Vide dedi te deum Pharaoni, quod ſignificet Legem Divinam, & ejus potentiam ſuper illos qui in falſis, conſtat ex ſignificatione dare te in deum, quod ſit Divinum Verum, ſeu quod idem, Divina Lex, & quoque ejus potentia; in Verbo enim, ubi agitur de Vero, & quoque de potentia veri, dicitur Deus, aſt ubi de Bono, dicitur Jehovah, videatur n: 300. 2586. 2769. 2807. 2822. 3910. 3921 f. 4287. 4295. 4402. 7010; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua n: 6651. 6679. 6083. Quod ſignificationem DEI ulterius attinet, ſciendum, quod Deus in ſupremo ſenſu ſit Divinum quod ſupra Cœlos eſt, at Deus in ſenſu interno eſt Divinum quod in cœlis; Divinum quod ſupra cœlos eſt Divinum Bonum, at Divinum in cœlis eſt Divinum Verum; ex Divino enim Bono procedit Divinum Verum, & facit cœlum, ac diſponit illud; nam quod proprie cœlum dicitur, non eſt niſi quam Divinum ibi formatum, nam Angeli, qui in Cœlo, ſunt formæ humanæ recipientes Divini, & conſtituentes communem formam, quæ eſt Hominis: & quia Divinum Verum in cœlis eſt quod in Verbo Veteris Teſtamenti intelligitur per Deum, inde eſt, quod in Lingua originali Deus dicatur Elohim in plurali; & quoque quod angeli qui in cœlis, quia ſunt recipientes Divini Veri, dicantur dii; ut apud Davidem "Quis in cœlo comparabit ſe Jehovæ, aſſimilabitur Jehovæ *in filiis deorum*" Pſalm: LXXXIX: 7. 8. 9: apud Eundem "Date Jehovæ *filii deorum*, date Jehovæ gloriam & robur" Pſalm: XXIX: 1: apud Eundem "Ego dixi, *dii vos*, & filii Altiſſimi omnes vos" Pſalm: LXXXII: 6. Apud Johannem "Jeſus dixit, nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra, Ego dixi, *dii eſtis*, ſic illos dixit *deos*, ad quos Verbum factum eſt" X: 34. 35; præter in locis, ubi Dominus dicitur Deus deorum, & Dominus dominorum, ut Geneſ: XLVI: 2. 3. Deut: X: 17. Num: XVI: 22. Dan: XI: 36. Pſalm: CXXXVI: 2. 3: ex his videri poteſt, in quo ſenſu Moſcheh vocatur deus, hic deus Pharaoni, & deus Aharoni, Exod: IV: 16, nempe quia Moſcheh repræſentabat Divinam Legem, quæ eſt Divinum Verum, & vocatur Verbum; inde quoque eſt, quod Aharon dicatur hic propheta ejus, & in priori loco os ejus, hoc eſt, qui adæquate ad intellectum enuntiat Divinum Verum, quod a Domino immediate procedit, & quod omnem intellectum tranſcendit; & quia propheta eſt qui

 docet

docet & enuntiat Divinum Verum adæquate ad intellectum, eſt propheta quoque doctrina Eccleſiæ; de qua re in nunc ſequentibus.

7269. Et Aharon frater tuus erit propheta tuus, quod ſignificet Doctrinam inde, conſtat ex ſignificatione Prophetæ, quod ſit verum Doctrinæ, ita Doctrina ex Verbo, de qua n: 2534; quod Aharon repræſentet Doctrinam Eccleſiæ, ſeu doctrinam boni & veri, quæ ex Verbo, videatur n: 6998. 7009. 7089: quia propheta ſignificat doctrinam, inde in ſenſu determinato ſignificat docentem, ſecundum illa quæ mox ſupra n: 7268 ad fin: dicta ſunt.

7270. Tu loqueris omne quod præcepero tibi, quod ſignificet receptionem influxus Divini & communicationem, conſtat ex repræſentatione Moſchis, qui loquetur, quod ſit Divinum Verum; & ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Doctrina inde, de quibus n: 7089; ex ſignificatione loqui, quod ſit influxus & ejus receptio, de qua n: 5797; & ex ſignificatione præcipere, quod etiam ſit influxus, de qua n: 5486. 5732, hic receptio influxus: ex his patet quod per loqui ſignificetur Influxus mediatus Divini Veri in Doctrinam, hoc eſt, apud docentem, nam intelligitur quod Moſcheh, qui eſt Divinum Verum, loqueretur quod præciperet Jehovah, ad Aharonem, qui eſt Doctrina ſeu docens, ita ad illum qui communicaret; & quod præcipere ſignificetur Influxus immediatus Divinus in Divinam Legem, quæ repræſentatur per Moſchen. Quomodo hæc intelligenda ſunt, conſtare poteſt ex illis, quæ prius n: 7009. 7010, dicta ſunt, quod nempe Moſcheh repræſentet Verum quod immediate a Divino procedit, & quod Aharon repræſentet Verum, quod mediate: qui non ſcit, quomodo cum ordine in ſucceſſivis ſe habet, nec ſcire poteſt quomodo cum Influxu, paucis ideo dicendum; Verum quod immediate a Domino procedit, hoc quia ex Ipſo Infinito Divino eſt, nullatenus poteſt recipi ab aliqua ſubſtantia Viva quæ finita, ita non ab aliquo Angelo, quapropter creaverat Dominus ſucceſſiva, per quæ ut media communicari poſſet Divinum Verum immediate procedens; ſed primum ex hoc ſucceſſivum Divino plenius eſt, quam ut adhuc recipi poſſit ab aliqua ſubſtantia viva quæ finita, ita ab aliquo Angelo; idcirco Dominus adhuc creavit ſucceſſivum, per quod Divinum Verum immediate procedens quoad aliquam partem receptibile eſſet; hoc ſucceſſivum eſt Verum Divinum, quod in Cœlo eſt; prima bina ſunt ſupra cœlos, & ſunt quaſi cingula radioſa ex flammeo, quæ circumdant ſolem, qui eſt Dominus; talis eſt ordo ſucceſſivus uſque ad cœlum Domino proximum, quod eſt Cœlum Tertium, ubi illi qui Innocentes & Sapientes; inde continuantur ſucceſſive uſque ad Cœlum ultimum, & a cœlo ultimo uſque ad ſenſuale & corporeum hominis quod poſtremo recipit influxum: ex his conſtat, quod continuæ ſucceſſiones ſint a Primo, hoc eſt, a Domino, uſque ad ultima, quæ ſunt apud hominem, imo ad ultima, quæ ſunt in natura; ultima quæ apud hominem, ſicut & in natura, ſunt pigra reſpective, & inde frigida, & ſunt communia reſpective, ac inde obſcura; inde etiam patet, quod per ſucceſſiones illas ſit nexus continuus omnium cum Primo Eſſe: ſecundum ſucceſſiones illas ſe

habet

habet Influxus; nam Divinum Verum quod immediate procedit a Divino Bono, influit ſucceſſive; & in via ſeu circa quodlibet novum ſucceſſivum fit communis, ita craſſius & obſcurius, & fit lentius, ita pigrius & frigidius: ex his liquet, qualis eſt Divinus ordo ſucceſſivorum, ac inde influxuum. Sed probe ſciendum, quod Verum Divinum, quod influit in Tertium Cœlum Domino proximum, etiam ſimul abſque ſucceſſiva formatione influat uſque in ultima ordinis, & ibi a Primo immediate quoque regat & provideat omnia & ſingula; inde ſucceſſiva in ſuo ordine & nexu continentur. Quod ita ſit, etiam aliquatenus conſtare poteſt a regula Eruditis in mundo nec ignota, quod ſubſtantia, quæ ſubſtantia, ſit modo unica, & quod reliqua ſint formationes inde, & quod in formationibus unica illa ſubſtantia regnet, non modo ut forma, ſed etiam ut non forma, prout in ſua origine; niſi ita eſſet, formatum nequaquam poſſet ſubſiſtere & agere: ſed hæc intelligenti ſint dicta.

7271. Et mittat filios Iſraelis, quod ſignificet ut recedant ab infeſtatione, conſtat a repræſentatione Pharaonis, ad quem illa dicerentur, quod ſint qui per falſa infeſtant, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142; ex ſignificatione mittere, quod ſit ut recedant; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ut n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198.

7272. Et Ego obdurabo cor Pharaonis, quod ſignificet obſtinationem a malo falſi, conſtat a ſignificatione obdurare, quod ſit obſtinatio; quod ſit a malo falſi ſignificatur per Cor Pharaonis, per Cor enim in genuino ſenſu ſignificatur bonum quod eſt Amoris cœleſtis, n: 3313. 3887. 3889, inde in oppoſito ſenſu eſt malum infernale; quod ſit malum falſi, eſt quia per Pharaonem repræſentantur illi qui in falſo. Malum falſi eſt, quod originem ex principiis falſi ducit; ſicut pro exemplo; quod ſanctificarentur per externa, ſicut, apud Iſraelitas & Judæos, per ſacrificia, per lavationes, per aſperſionem ſanguinis, & quod non ſanctificarentur per charitatem & fidem, & ſic quod ſancti eſſent, tametſi viverent in odiis, in vindictis, in rapinis, in ſævitiis, & ſimilibus; hæc mala ſunt quæ vocantur mala falſi, quia originem ex principiis falſi ducunt. Sit quoque pro exemplo, qui credit quod ſola fides ſalvet, & quod ad ſalutem opera charitatis nihil faciant; tum quoque qui credit, quod ſalvetur etiam in ultima mortis hora, qualitercumque per integrum vitæ ſuæ curriculum vixerat; & ex principiis illis vivit abſque ulla charitate, in contemtu aliorum, in inimicitia & odio contra quemcunque qui non illum colit, in cupiditate vindictæ, in concupiſcentia deprivandi alios ſuis bonis, in immiſericordia, in aſtu, in dolo, hæc mala ſunt quoque mala falſi, quia ex falſo ſibi perſuaſit ſive quod mala non ſint, ſive, ſi vel forent mala, quod uſque abſtergerentur, modo ante exſpirationem ex apparente confidentia confiteretur mediationem Domini, & abſterſionem peccatorum per paſſionem Crucis Ipſius. Sit quoque pro exemplo, qui homines mortuos ut ſanctos ſupplicatione adeunt, & ſic illos adorant, etiam imagines illorum, malum illius cultus eſt malum falſi. Qui malum falſi agunt,

agunt, omnes credunt falſum eſſe verum, & conſequenter malum vel non eſſe malum, vel non eſſe damnabile. Similiter qui credunt peccata condonari poſſe ab hominibus; tum qui credunt ſe introduci poſſe in cœlum, in quibuſcunque peccatis fuerint, hoc eſt, in qualicunque fætore & putore ſpirituali. Verbo, mala falſi ſunt totidem, quot falſa fidei & cultus: hæc mala condemnant, ſed non in tantum in quantum mala ex origine mali, mala ex origine mali ſunt quæ ex cupiditate exſurgente ex amore ſui & mundi.

7273. Et multiplicabo ſigna mea & prodigia mea, quod ſignificet admonitiones omnis generis, nec aliquid deerit, conſtat ex ſignificatione ſignorum & prodigiorum, quod ſint confirmationes veritatis, de qua n: 3900. 6870. 7012, & quoque potentiæ Divinæ media, n: 6910, hic admonitiones, nam ſic & videbant quod in falſis eſſent, & videbant potentiam Divinam, & inde admonebantur. Quod dicatur, quod ad illos qui in falſis admonitiones fiant omnis generis, nec aliquid deerit, eſt quia damnatio illorum qui in malis, non fit momento, cum in alteram vitam veniunt, ſed poſtquam primum viſitati ſunt, hoc eſt, explorati; explorationes fiunt ob cauſam, ut ipſi appercipiant, quod non aliter poſſint quam damnari, quia non aliter vixerunt; tum quoque ut ſpiritus & angeli ſciant, quod tales fuerint; ita non amplius poſſunt exculpari apud ſemet, nec apud alios: ordo, ſecundum quem explorantur, eſt ordo veri Divini, qui talis eſt, ut prorſus nihil deſit: ordo veri Divini, qui eſt malis qui damnantur, differt ab ordine Veri Divini, qui eſt bonis qui ſalvantur; differentia eſt, quod ordo qui eſt malis qui damnantur, ſit Veri Divini ſeparati a Divino Bono, ita a Miſericordia, ex cauſa quia non receperunt Divinum Bonum, ac ita rejecerunt Miſericordiam; hic autem ordo, qui eſt bonis qui ſalvantur, eſt Veri Divini conjuncti Divino Bono, ita Miſericordiæ: ex cauſa quia Divinum Bonum receperunt, ita Domini Miſericordiam: per gradus, ſicut mali ſecundum ordinem explorantur, ita quoque judicantur & damnantur. Inde ſciri poteſt, quod fiant admonitiones omnis generis, ut non aliquid deſit, antequam damnantur inferno; hæc ſunt, quæ quoque ſignificantur per ſigna & miracula facta in Ægypto, antequam Primogenita exſtincta ſunt, & Ægyptii in Mari Suph perierunt; Mare Suph enim eſt Infernum.

7274. In terra Ægypti, quod ſignificet ubi illi qui infeſtant, conſtat ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ubi illi qui in falſis, & infeſtant, de qua n: 7240.

7275. Et non audiet ad vos Pharao, quod ſignificet quod non recepturi qui in falſis, conſtat ex illis prius n: 7224, ubi ſimilia verba.

7276. Et dabo manum meam in Ægyptios, quod ſignificet quod ideo per Divinam potentiam adigentur, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 7011. 7188. 7189, & cum Jehovah de Se loquitur, & dicit Manus ſua, quod ſit Divina potentia; & a ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua prius: inde patet, quod per dabo manum meam in Ægyptios, ſignificetur quod per Divinam potentiam adigentur illi qui in falſis.

7277. Et educam exercitum meum, populum meum, filios Iſraelis, quod ſignificet quod liberandi qui in bonis & veris, conſtat ex ſignificatione educere, quod ſit liberare; ex ſignificatione exercitus, quod ſint omnia genera bona in veris; ex ſignificatione populi, quod prædicetur de illis qui in vero & bono ſpirituali ſunt, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581. 4619, ita quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, n: 2928. 7207; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 7271, ita qui in bonis & veris.

7278. E terra Ægypti, quod ſignificet ab infeſtationibus, conſtat ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ubi illi qui in falſis & infeſtant, de qua n: 7240, 7274, ita quoque infeſtationes, nam per terram ſignificatur ipſa gens, & per gentem in ſenſu interno id quod eſt gentis, hic ideo infeſtatio.

7279. Judiciis magnis, quod ſignificet ſecundum leges ordinis, conſtat ex illis prius n: 7206.

7280. Et cognoſcant Ægyptii quod Ego Jehovah, quod ſignificet quod timorem habebunt pro Divino, conſtat ex ſignificatione cognoſcere quod Ego Jehovah, quod ſit timorem habere pro Divino, de qua ſequitur; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis ſunt & infeſtant. Quod timorem attinet, quem illi qui in falſis ſunt & infeſtant, habebunt pro Divino, ſciendum, quod timor ſit unicum medium, quod coercet internales & tenet illos in vinculis: timor enim eſt commune vinculum, tam illis qui probi ſunt, quam illis qui mali; ſed illis qui probi ſunt eſt timor internus, qui eſt pro ſalute, ne ſcilicet pereant quoad animas, & propterea ne contra conſcientiam, hoc eſt, ne contra verum & bonum, quæ ſunt conſcientiæ, aliquid faciant, conſequenter eſt illis timor ne aliquid contra juſtum & æquum, ita ne contra proximum; at timor hic ſit timor ſanctus, quantum conjungitur affectioni charitatis, & magis quantum conjungitur amori in Dominum; timor tunc ſit qualis infantum erga parentes quos amant; tunc quantum in bono amoris ſunt, tantum non apparet timor, at quantum non in bono ſunt, tantum apparet, & fit anxietas; talis eſt timor Dei, de quo in Verbo multoties. At timor illis qui mali ſunt, non eſt aliquis timor internus, nempe pro ſalute, ac inde conſcientiæ, nam talem timorem in mundo prorſus rejecerunt tam per vitam, quam per principia falſi faventia vitæ; ſed pro timore interno illis eſt timor externus, ne ſcilicet depriventur honoribus, ne lucro, ne fama propter illa, ne puniantur ſecundum leges, ne orbentur vita; pro his eſt timor illis, qui in malo, quando in mundo ſunt: hi cum in alteram vitam veniunt, quia non coerceri & in vinculis teneri poſſunt per timorem internum, tenentur per timorem externum, qui illis imprimitur per punitiones; inde timor illis malum faciendi; & tandem illis fit timor pro Divino, ſed timor externus, ut dictum, qui eſt abſque ulla voluntate deſiſtendi a malo faciendo, ex affectione boni, ſed ex terrore pœnarum, quas demum horrent. Ex his nunc conſtare poteſt, quod timor ſit unicum medium tenendi in vinculis; & quod timor externus, qui eſt timor punitionum, ſit unicum medium coercendi malos; & quod illa cauſa ſit cru-

ciatus

ciatus malorum in inferno: nam mali, cum in alteram vitam veniunt, quando illis auferuntur vincula externa, quæ illis fuerunt in mundo, & relinquuntur ſuis cupiditatibus, tunc ſunt ſicut feræ, & nihil plus cupiunt quam dominari, & quoſcunque, qui non favent, perdere, hoc jucundiſſimum vitæ eorum; eſt nam quantum quis ſemet amat, tantum alios qui non favent odio habet; & quantum quiſque in odio eſt, tantum eſt in jucundo perdendi; ſed in mundo hoc occultatur.

7281. In extendere manum meam ſuper Ægyptios, quod ſignificet cum potentiam Divinam in ſe animadvertant, conſtat ex ſignificatione manus, cum dicitur de Divino, quod ſit potentia Divina, de qua ſupra n: 7276, inde patet, quid ſit ſedere a dextris Dei, quod nempe ſit Omnipotentia; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua prius.

7282. Et eduxero filios Iſraelis e medio illorum, quod ſignificet & cum videbunt liberari illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione educere, quod ſit liberari, ut ſupra n: 7277; & ex ſignificatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 7271.

7283. Et fecit Moſcheh & Aharon, quemadmodum præcepit Jehovah, ita fecerunt, quod ſignificet quod quæ dicta etiam facta ſint, conſtare poteſt abſque explicatione.

7284. Et Moſcheh filius octoginta annorum, quod ſignificet ſtatum & quale Legis a Divino, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex a Divino, de qua n: 6771. 6827; & ex ſignificatione octoginta annorum, quod ſint ſtatus & quale Legis a Divino, nempe apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali, tempore primo viſitationis; quid in ſpecie octoginta ſignificant, non dici poteſt, quia involvunt omnem ſtatum & omne quale Legis a Divino tunc apud illos; quod octoginta ſint ſtatus tentationum, videatur n: 1963, ſed tunc involvunt octoginta ſimile ac quadraginta; at quia componitur etiam ex decem & octo in ſe ductis, inde quoque petenda eſt illius numeri ſignificatio; quid decem, videatur n: 576. 1906. 1988. 2284. 3107. 4638, & quid octo, n: 2044. 2866: in genere quod omnes numeri ſignificent res, & quidem rerum ſtatus & quale, videatur n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3352. 4264. 4495. 4670. 5265. 5291. 5335. 5708. 6175.

7285. Et Aharon filius trium & octoginta annorum, quod ſignificet ſtatum & quale doctrinæ, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit doctrina Eccleſiæ, de qua n: 6998. 7009. 7089; & ex ſignificatione numeri trium & octoginta, quod ſint ſtatus & quale, nempe illius doctrinæ; ſed ſtatus & quale in ſpecie non ſciri poſſunt, niſi ex reductione numeri hujus in ſuos ſimplices, & dein ex applicatione ad illos apud quos doctrina; præterea de numeris in Verbo, videatur mox ſupra n: 7284.

7286. In loqui illos ad Pharaonem, quod ſignificet cum illa mandata ſunt, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit mandatum, de qua n: 7240; & ex

ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142.

7287. Verſ: 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Et dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, dicendo. Quod cum dixerit ad vos Pharao, dicendo, date vobis prodigium; & dices ad Aharonem, accipe baculum tuum, & projice coram Pharaone, erit in ſerpentem aqueum. Et venit Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & fecerunt ita quemadmodum præcepit Jehovah, & projecit Aharon baculum ſuum coram Pharaone, & coram ſervis illius, & factus in ſerpentem aqueum. Et vocavit etiam Pharao ſapientes & præſtigiatores, & fecerunt etiam illi, magi Ægypti incantationibus ſuis ita. Et projecerunt quiſque baculum ſuum, & facti in ſerpentes aqueos; & deglutivit baculus Aharonis baculos illorum. Et obfirmatum cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus Jehovah.* Et dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, dicendo, ſignificat inſtructionem: quod cum dixerit ad vos Pharao, ſignificat ſi dubium illis de Divino: dicendo, date prodigium, ſignificat & ideo confirmari volunt: & dices an Aharonem, ſignificat influxum & communicationem: accipe baculum tuum, & projice coram Pharaone, ſignificat potentiam quæ oſtenditur: erit in ſerpentem aqueum, ſignificat per id quod meræ fallaciæ & inde falſa regnabunt apud illos: & venit Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & fecerunt ita quemadmodum præcepit Jehovah, ſignificat effectum: & projecit Aharon baculum ſuum coram Pharaone & ſervis ejus, & factus in ſerpentem aqueum, ſignificat quod meræ fallaciæ & inde falſa regnarent apud illos: & vocavit etiam Pharao ſapientes & præſtigiatores, ſignificat abuſum ordinis Divini: & fecerunt etiam illi, magi Ægypti, incantationibus ſuis, ſignificat ita ad apparentiam ſimile pervertendo fines ordinis: & projecerunt quiſque baculum ſuum, & facti in ſerpentes aqueos, ſignificat potentiam ex ordine quod hebetes facti quoad apperceptionem veri: & declutivit baculus Aharonis baculos illorum, ſignificat quod ea potentia illis adempta ſit: & obfirmatum cor Pharaonis, ſignificat obſtinationem: & non audivit ad illos, ſignificat quod qui in malis ex falſis non reciperet: quemadmodum loquutus Jehovah, ſignificat prædictionem.

7288. Et dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, dicendo, quod ſignificet inſtructionem, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, quod ſit inſtructio, de qua n: 6879. 6881. 6889. 6891.

7289. Quod cum dixerit ad vos Pharao, quod ſignificet ſi dubium illis de Divino, conſtat ex nunc ſequentibus, nempe "ſi Pharao dixerit, date prodigium," quæ quod dubium de Divino involvant, patet; nam prodigium velle, eſt dubitare antequam ſenſualiter confirmatur.

7290. Dicendo, date prodigium, quod ſignificet & ideo confirmari volunt, conſtat ex ſignificatione prodigiorum & ſignorum, quod ſint confirmationes veritatum, de qua n: 3900. 6870. Quod prodigia & ſigna attinet, de quibus in nunc ſequentibus, ſciendum quod facta ſint apud tales, qui in externo cultu fuerunt, & de interno non ſcire volebant; qui enim in tali cultu fuerunt, adigi-

adigendi erant per media externa; inde eſt, quod miracula facta ſint apud populum Iſraeliticum & Judaicum, erant enim ſolum in cultu externo, & in nullo interno; & quoque externus cultus erat in quo eſſe debebant, cum non in interno cultu eſſe vellent, ex cauſa, ut in externis repræſentarent ſancta, & ſic communicatio daretur cum cœlo, ſicut per aliquod Eccleſiæ, nam correſpondentiæ, repræſentativa & ſignificativa conjungunt naturalem mundum ſpirituali; inde nunc erat, quod apud illam gentem tot miracula facta ſint: at apud illos, qui in cultu interno ſunt, hoc eſt, in charitate & fide, miracula non fiunt, ſunt enim illis damnoſa, nam miracula cogunt ad credendum, & coactum non remanet, ſed diſſipatur; interna cultus, quæ ſunt fides & charitas, implantanda ſunt in libero, tunc enim appropriantur, & quæ ſic appropriantur remanent: quæ autem implantantur in coacto, manent extra Internum hominem in Externo; nam in Internum hominem nihil intrat niſi per ideas intellectuales, quæ ſunt rationes, humus enim quæ recipit, ibi eſt Rationale illuſtratum; inde eſt, quod miracula hodie nulla fiant: quod etiam ſint damnoſa, inde conſtare poteſt; adigunt enim ad credendum, ac in externo homine ideas figunt, quod ita ſit; ſi internus homo poſtea negat id, quod miracula confirmarunt, tunc fit oppoſitio & colliſio Interni & Externi hominis, & tandem, cum ideæ ex miraculis diſſipantur, fit conjunctio falſi & veri, ita prophanatio; inde patet, quam damnoſa ſunt miracula hodie in Eccleſia, in qua interna cultus detecta ſunt; hæc quoque ſignificantur per Domini verba ad Thomam "Quia vidiſti Me, Thoma, credidiſti, beati qui non vident, & credunt" Joh: xx: 29, ita quoque beati, qui non per miracula credunt. At miracula non damnoſa ſunt illis, qui in cultu externo abſque interno ſunt, nam apud illos oppoſitio interni & externi hominis non dari poteſt, ita nec colliſio, proinde nec prophanatio. Quod Miracula nec aliquod ad fidem contribuant, ſatis conſtare poteſt a miraculis apud populum Iſraeliticum in Ægypto, & in deſerto, quod prorſus nihil apud illos effecerint; populus ille, tametſi ante paucum tempus viderunt tot miracula in Ægypto, poſtea Mare Suph diviſum, & Ægyptios ibi immerſos, columnam nubis euntem ante ſe interdiu, & columnam ignis noctu, mannam quotidie depluentem e cœlo, & tametſi viderunt Montem Sinai fumantem, & audiverunt Jehovam inde loquentem, præter alia, uſque tamen in medio talium, ab omni fide delapſi ſunt, & a cultu Jehovæ ad cultum vituli, Exod: xxxii: 1 ad fin: inde patet, quid Miracula efficiunt: Minus adhuc effectura eſſent hodie, quando non agnoſcitur quod ſit aliquid ex ſpirituali mundo; & cum negatur omne tale quod fit, & non tribuitur naturæ; contra Divinum enim influxum & regimen in terris univerſaliter regnat negativum; quapropter hodie, homo Eccleſiæ ſi ipſiſſima Miracula Divina videret, primum illa deduceret in naturam, & ibi conſpurcaret illa, & poſtea ſicut phantaſmata rejiceret, & demum irrideret quoſcunque qui illa tribuerent Divino, & non naturæ; quod Miracula nihil efficiant, conſtat etiam a Domini verbis apud Lucam "Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, perſuadebuntur" xvi: 31.

7291. Et dices ad Aharonem, quod ſignificet influxum & communicationem, nempe Legis Divinæ, quam Moſcheh repræſentat, cum doctrina, quam Aharon, conſtat a ſignificatione dicere, cum ſit a Moſcheh ad Aharonem, quod ſit influxus & communicatio, ut n: 6291, hic dicere ſimile ſignificat quod loqui, nempe tam influxum quam communicationem, quod loqui, videatur n: 7270, influxus ille & communicatio non aliter exprimi poteſt in hiſtoricis Verbi, quam per dicere & loqui: quod Lex Divina, quam Moſcheh repræſentat, influeret in doctrinam, quam Aharon, eſt quia Lex Divina eſt Internum verum, & doctrina eſt Externum, & regula communis eſt, quod Interna influant in Externa, & non viciſſim, ex cauſa quia Interna puriora ſunt & ſimplicia reſpective, at externa craſſiora, nam ſunt communia internorum.

7292. Accipe baculum tuum, & projice coram Pharaone, quod ſignificet potentiam quæ oſtenditur, conſtat, ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia, de qua n: 4013. 4015. 4876. 4936. 6947. 7011. 7026; & ex ſignificatione projicere coram Pharaone, quod ſit oſtendere, nam quod ante oculos projicitur, hoc oſtenditur.

7293. Erit in Serpentem aqueum, quod ſignificet per id quod meræ fallaciæ & inde falſa regnabunt apud illos, conſtat ex ſignificatione ſerpentis, quod ſit ſenſuale & corporeum, de qua n: 6949, inde fallaciæ, nam ſenſuale & corporeum ſeparatum a rationali, hoc eſt, non ei ſubordinatum, plenum eſt fallaciis, in tantum, ut vix aliud ſint quam fallaciæ, videatur n: 6948. 6949. Eſt ſerpens aqueus qui hic ſignificatur, nam in Lingua originali hic ſerpens per eandem vocem exprimitur, per quam Balæna, quæ eſt piſcis maximus maris, & Balæna ſignificat ſcientificum in communi; cum itaque per Ægyptios ſignificantur falſa ex fallaciis, vox illa ſignificat ſerpentem, nempe aqueum, quia eſt pro balæna quæ in aquis, & quia aquæ Ægypti ſunt falſa. Quod Pharao ſeu Ægyptus dicatur Balæna, conſtat apud Ezechielem "Loquere & dic, ſic dixit Dominus Jehovih, ecce Ego contra te Pharao, rex Ægypti, *Balæna magna*, quæ cubat in medio fluviorum ſuorum" XXIX: 3: apud Eundem "Fili hominis, tolle lamentationem ſuper Pharaonem regem Ægypti, & dic ad illum, leoni gentium juveni ſimilis factus es; *tuque ſicut Balænæ in maribus*, & prodiiſti cum fluminibus tuis conturbaſti flumina tua" XXXII: 2; ibi per Balænam ſignificantur ſcientifica in communi, per quæ, quia ex ſenſuali homine, illa quæ fidei ſunt, pervertuntur; quod Balæna ſit ſcientificum in communi, eſt quia piſcis eſt ſcientificum in particulari, n: 40. 991: & quia Balænæ ſignificant ſcientifica pervertentia vera fidei, etiam per illas ſignificantur ratiocinia ex fallaciis, unde falſa; ea ſignificantur per Balænas apud Davidem "Tu perupiſti robore tuo mare, *fregiſti capita Balænarum ſuper aquis*" Pſalm: LXXIV: 13: ſimilia etiam per Leviathanem apud Eſaiam "In die illo viſitabit Jehovah gladio ſuo duro, & magno, & forti, ſuper *Leviathanem ſerpentem oblongum*, & ſuper *Leviathanem ſerpentem tortuoſum*, & occidet *Balænas* quæ in mari" XXVII: 1; & apud Davidem "*Confregiſti capita Leviathanis*, dediſti illum cibum populo Ziim" Pſalm LXXIV: 14: Le-

viathan in bono ſenſu pro ratione ex veris, apud Hiobum, Cap: XL: 25 ad 32, & Cap: XLI: 1 ad 26, ratio ex veris eſt in oppoſito ratiociniis ex falſis. Et quia per Balænas ſignificantur ratiocinia ex fallaciis pervertentia vera, per ſerpentes aqueos, qui eadem voce in Lingua originali exprimuntur, ſignificantur ipſa falſa ex fallaciis, ex quibus ratiocinia, & per quæ perverſiones; falſa per illos ſerpentes in ſequentibus locis ſignificantur; apud Eſaiam "Reſpondebunt Jim in palatiis ejus, & *ſerpentes* in palatiis delitiarum" XIII: 22. Apud Eundem "Aſcendent in palatia ejus ſpinæ, carduus & ſentis in munitiones ejus, ut ſit *habitaculum ſerpentum*, atrium filiabus noctuæ" XXXIV: 13. Apud Eundem "In *habitaculo ſerpentum* cubile ejus, gramen pro calamo & junco" XXXV: 7. Apud Jeremiam "Dabo Hieroſolymam in acervos, *habitaculum ſerpentum*" IX: 10. Apud Malachiam "Poſui montes Eſavi vaſtitatem, & hæriditatem ejus *ſerpentibus deſerti*" I: 3, in his locis ſerpentes pro falſis, ex quibus ratiocinia; eadem quoque per dracones ſignificantur, ſed dracones ſunt ratiocinia ex amoribus ſui & mundi, ita ex cupiditatibus mali, quæ non ſolum pervertunt vera, ſed etiam bona; quæ ratiocinia prodeunt ex illis, qui corde negant vera & bona fidei, ſed ore propter libidinem imperandi & lucrandi illa confitentur, ita quoque ex illis, qui vera & bona prophanant; hi & illi per *draconem, ſerpentem Antiquum*, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit totum terrarum orbem" Apoc: XII: 9, intelliguntur; & quoque per eundem, nempe draconem, qui perſequutus eſt mulierem, quæ peperit filium raptum ad Deum & ad thronum Ipſius, ibid: Verſ: 5, & qui ejecit ex ore ſuo aquam ſicut fluvium, ut mulierem abſorberet, ibid: Verſ: 13. 15; filius quem mulier peperit, eſt Divinum Verum hodie detectum, mulier eſt Eccleſia, draco ſerpens ſunt qui perſequuturi, aqua ſicut fluvius quam draco ejiceret, ſunt falſa ex malo & inde ratiocinia, per quæ conaturi mulierem, hoc eſt, Eccleſiam deſtruere; ſed quod nihil effecturi ſint, deſcribitur per "quod adjuverit terra mulierem, & aperuerit terra os ſuum, & deglutiverit fluvium quem ejecit draco" ibid: Verſ: 16.

7294. Et veni Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & fecerunt ita quemadmodum præcepit Jehovah, quod ſignificet effectum, conſtare poteſt abſque explicatione.

7295. Et projecit Aharon baculum ſuum coram Pharaone & ſervis ejus, & factus in ſerpentem aqueum, quod ſignificet quod meræ fallaciæ & inde falſa regnarent apud illos, conſtat ex ſignificatione projicere baculum, quod ſit oſtendere potentiam, de qua mox ſupra n: 7292; ex repræſentatione Pharaonis, & ſervorum illius, quod ſint qui per falſa infeſtant; & ex ſignificatione ſerpentes aquei, quod ſint fallaciæ & inde falſa, de qua mox ſupra n: 7293. Hoc prodigium ſignificat primam admonitionem apud illos qui infeſtant, ut deſiſtant; cum malis enim, qui in altera vita infeſtant probos, ita ſe habet; primum cum illuc e mundo veniunt, habent ſibi adjunctos ſpiritus bonos, & angelos, ſicut cum vixerunt homines in corpore, nam homines etiam mali habent quoque angelos apud ſe, ex cauſa, ut poſſint, ſi

velint,

velint, vertere ſe ad cœlum, & recipere influxum inde, & reformari, inde eſt, quia omne vitæ ſequitur quod primum aſſociati ſint angelis; ſed cum tales ſunt ex vita in mundo, ut recipere influxum veri & boni e cœlo non poſſint, tunc angeli & ſpiritus boni per gradus ab illis recedunt; & ſicut illi recedunt, ita minus & minus rationales fiunt; rationales enim eſſe eſt per Cœlum a Domino; Primus gradus ablationis & deprivationis influxus veri & boni, eſt qui hic deſcribitur per baculum Aharonis verſum in ſerpentem, per quod ſignificatur quod meræ fallaciæ regnarent, & inde falſa; Secundus gradus deſcribitur per aquas Ægypti verſas in ſanguinem, per quod ſignificatur quod ipſa vera falſificata ſint; Tertius gradus eſt, quod ex aquis prorepſerint ranæ, per quod ſignificantur ratiocinia ex meris falſis, & ſic porro: per tales etiam gradus mali in altera vita deprivantur intellectu veri & boni.

7296. Et vocavit etiam Pharao ſapientes & præſtigiatores, quod ſignificet abuſum ordinis Divini, conſtat ex ſignificatione ſapientum, quod ſint qui in ſcientia rerum ſpiritualium, & correſpondentiæ illarum cum naturalibus; qui illa inveſtigabant & docebant, dicebantur apud illos ſapientes, nam erant myſtica; & quia Ægyptii talibus incumbebant, ſe vocabant filium ſapientum, & regum antiquitatis, ut patet apud Eſaiam "Quomodo dicitis ad Pharaonem, *filius ſapientum ego*, filius regum antiquitatis" XIX: 11; Ægyptii ſcientias rerum vocabant ſapientiam, ut quoque Chaldæi, Jerem: L: 35; & ex ſignificatione præſtigiatorum, quod ſint qui pervertunt Divinum ordinem, ita qui leges ordinis; quod præſtigiæ & magiæ non aliud ſint, conſtare poteſt a præſtigiatoribus & magis in altera vita, ubi abundant; nam qui in vita corporis uſi ſunt aſtu, & excogitarunt plures artes defraudandi alios, & tandem ex ſucceſſu omnia tribuerunt propriæ prudentiæ, illi in altera vita addiſcunt magica, quæ non aliud ſunt quam abuſus ordinis Divini, imprimis correſpondentiarum; nam ſecundum ordinem Divinum eſt, ut omnia & ſingula correſpondeant, ſicut pro exemplo, manus, brachia, humeri correſpondent potentiæ, & inde quoque baculus, idcirco baculos ſibi formant, tum quoque repræſentative ſiſtunt humeros, brachia, & manus, & ſic exercent potentiam magicam; ita in mille & mille aliis; abuſus ordinis & correſpondentiarum eſt, cum illa quæ ordinis ſunt non applicantur ad fines bonos, ſed ad fines malos, ſicut ad finem imperandi ſuper alios, & ad finem perdendi, finis enim ordinis eſt ſalvatio, ita omnibus bonum facere; inde nunc patet, quid per abuſum ordinis, qui ſignificatur per præſtigiatores, intelligitur.

7297. Et fecerunt etiam illi, magi Ægypti, incantationibus ſuis, quod ſignificet ita ad apparentiam ſimile pervertendo fines ordinis, conſtat ex ſignificatione fecerunt etiam illi, cum dicitur de magis Ægypti, quod ſit ſiſtere ſimile ad apparentiam, nam quæ fluunt ex ordine, per abuſum non variantur ſed apparent ſimilia quoad formam externam, non autem quoad formam internam, nam ſunt contra fines ordinis; & ex ſignificatione incantationum, quod ſint ipſæ artes pervertendi ordinem: per præſtigias & incantationes in

Verbo, ubi memorantur, ſignificatur ars ſiſtendi falſa ut appareant ſicut vera, ac ſiſtendi vera ut appareant ſicut falſa, quod imprimis fit per fallacias; illa ſignificantur per præſtigias & incantationes in ſequentibus his locis; apud Eſaiam "Atqui venient tibi duo illa momento in die uno, orbitas & viduitas, in perfectione ſua venient ſuper te, *propter multitudinem præſtigiarum tuarum, ob magnitudinem incantationum tuarum* plurimam: perſta *in incantationibus tuis, & in multitudine præſtigiarum tuarum,* in quibus laboraſti a juventute tua" XLVII: 9. 12, ibi de Babele & Chaldeis. Apud Eundem "Accedite huc *filii Præſtigiatricis*, ſemen adulteri, & ſcortata eſt" LVII: 3. Apud Nahum "Væ urbi ſanguinum, præ multitudine ſcortationum ſcorti, boni cauſa, *magiſtræ præſtigiarum*, vendentes gentes per ſcortationes ſuas, & familias *per præſtigias ſuas*" III: 4, urbs ſanguinum pro veri falſificatione, ſcortationes pro falſificato bono veri, præſtigiæ pro artibus ſiſtendi falſa ut vera, & vera ut falſa. Apud Malachiam "Accedam ad vos in judicium, & ero teſtis feſtinans *contra Præſtigiatores*, & contra adulteros, & contra jurantes falſo" III: 5. Apud Johannem "*Incantatione tua* ſeductæ ſunt omnes gentes" Apoc: XVIII: 23, ibi de Babylone. Apud Micham "Exſcindam equos tuos e medio tui, & perdam currus tuos, & exſcindam urbes terræ tuæ, & deſtruam omnia munimenta tua, & *exſcindam Præſtigias e manu tua*" V: 9. 10. 11; ex his patet, quod per præſtigias ſignificentur artes ſiſtendi vera ut falſa, & falſa ut vera, nam per equos qui exſcindendi, ſignificantur intellectualia, n: 2761. 2762, 3217. 5321. 6125. 6534; per currus qui perdendi ſignificantur doctrinalia veri, n: 2760. 5321; per urbes terræ quæ etiam exſcindendæ, ſignificantur vera Eccleſiæ, quod urbes ſint vera n: 2268. 2481. 2712. 2943. 4492. 4493, & quod terra ſit Eccleſia, n: 662. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118. 3355. 4447. 4535. 5577, per munimenta ſignificantur vera quatenus defendunt bona; inde nunc ſciri poteſt, quid per præſtigias quæ e manu exſcindendæ ſunt, ſignificatur, quod nempe artes ſiſtendi vera ut falſa, & falſa ut vera; hæ artes etiam correſpondent phantaſiis, per quas mali in altera vita ſiſtunt coram oculis pulchra ſicut fæda, & fæda ſicut pulchra, quæ phantaſiæ etiam ſpecies præſtigiarum ſunt, nam ſunt quoque abuſus & inverſiones ordinis Divini.

7298. Et projecerunt quiſque baculum ſuum, & facti in ſerpentes aqueos, quod ſignificet potentiam ex ordine quod hebetes facti quoad apperceptionem veri, conſtat ex ſignificatione projicere baculum, quod ſit oſtenſio potentiæ, de qua n: 7292; & ex ſignificatione ſerpentum aqueorum, quod ſint falſa ex fallaciis, de qua n: 7293, hic hebetudo quoad apperceptionem veri, nam ſicut fallaciæ faciunt ut vera non appercipiantur, ita quoque hebetudo inducta: talis hebetudo etiam inducitur a magis in altera vita, & hoc per abuſum & perverſionem ordinis, ſciunt enim auferre influxum e cœlo, quo ablato fit hebetudo quoad apperceptionem veri; & quoque ſciunt fallacias inducere, & ſiſtere illas in luce ſicut in luce veri, & ſimul tunc obſcurare ipſa vera; ſciunt etiam perſuaſivum injicere, & ſic hebetare apperceptionem veri; præter per alios modos: quando hebetudo eſt, apparent falſa ut vera, quæ ſignificantur

per præſtigias & incantationes: ex his patet, quomodo m gi ſimile ad apparentiam ſiſtere poſſunt. Præterea ſciendum, quod ſecundum leges ordinis ſit, quod nemo perſuaderi momento de vero debeat, hoc eſt, quod verum momento ita confirmetur, ut non ſit relicta aliqua dubitatio; cauſa eſt, quia verum, quod ita imprimitur, fit verum perſuaſivum, & eſt abſque ulla extenſione, & quoque abſque ulla cedentia; tale verum repræſentatur in altera vita ſicut durum, & ſicut tale quod non admittit in ſe bonum, ut fiat applicabile: inde eſt, ut primum per experientiam manifeſtam ſiſtitur in altera vita aliquod verum coram bonis ſpiritibus, quod mox dein ſiſtatur aliquod oppoſitum, quod facit dubium; ita datur illis cogitare & expendere num ita ſit, & colligere rationes, & ſic inducere verum illud rationaliter in mentem ſuam; ex eo fit extenſio viſui ſpirituali quoad verum illud, uſque etiam ad oppoſita; inde videt & percipit intellectu omne quale veri, & inde poteſt admittere e cœlo influxum ſecundum ſtatus rerum, nam vera varias formas accipiunt ſecundum circumſtantias: hæc quoque cauſa eſt, quod licuerit magis ſimile facere, ac quod fecit Aharon; nam ſic apud filios Iſraelis miraculum in dubium, num Divinum eſſet, miſſum eſt, & per id illis data eſt copia cogitandi & expendendi, num fuerit Divinum, & tandem ſe confirmandi quod fuerit.

7199 Et deglutivit baculus Aharonis baculos illorum, quod ſignificet quod ea potentia illis adempta ſit, conſtat ex ſignificatione deglutire, quod ſit adimere; & ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia, de qua ſupra n: 7292; Magis etiam in altera vita aufertur potentia abutendi ordine & pervertendi leges ejus, duplici modo, uno quod Angeli ex potentia Divina Domini magica illorum annihilent, & hoc quando illa ad faciendum probis malum exercent; angelica potentia a Domino tanta eſt, ut diſſipet momento omnia talia; altero, quod illis magium prorſus auferatur, ſic ut non poſſint amplius aliquid tale ſiſtere.

7300. Et obfirmatum cor Pharaonis, quod ſignificet obſtinationem, conſtat ex ſignificatione obfirmari cor, quod ſit obſtinatio, ut ſupra n: 7272.

7301. Et non audivit ad illos, quod ſignificet quod qui in malis ex falſis non reciperent, conſtat ex illis ſupra n: 7224. 7275; per Pharaonem enim, de quo hic dicitur quod non audivit, repræſentantur illi qui in falſis ſunt & infeſtant, & quatenus infeſtant, in malo ſunt ex falſis, nam infeſtatio eſt ex malo, & fit per falſa.

7302. Quemadmodum loquutus Jehovah, quod ſignificet ſecundum prædictionem, conſtat abſque explicatione.

7303. Verſ: 14 ad 24. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, ingravatum eſt cor Pharaonis, renuit mittere populum. Vade ad Pharaonem, & conſiſtes obviam illi juxta ripam fluminis; & baculum, qui verſus in ſerpentem, accipe in manum tuam. Et dices ad illum, Jehovah Deus Hebræorum miſit me ad te, dicendo, mitte populum meum & ſerviant Mihi in deſerto, & ecce non audiviſti uſque huc. Ita dixit Jehovah, in hoc cognoſces quod Ego Jehovah, ecce ego percutio baculo, qui in manu mea, ſuper aquas quæ in fluvio, & vertentur in ſanguinem. Et piſcis qui in fluvio morietur, & putebit fluvius, & laborabunt Ægyptii ad bibendum*

bendum aquas e fluvio. Et dixit Jehovah ad Moſchen, dic ad Aharonem, accipe baculum tuum, & extende manum tuam, ſuper aquas Ægypti, ſuper flumina illorum, ſuper fluvios illorum, & ſuper ſtagna illorum, & ſuper omnem congregationem aquarum illorum, & erunt ſanguis; & erit ſanguis in omni terra Ægypti, & in lignis & in lapidibus. Et fecerunt ita Moſcheh & Aharon quemadmodum præcepit Jehovah, & ſuſtulit baculum, & percuſſit aquas quæ in fluvio ad oculos Pharaonis, & ad oculos ſervorum illius; & converſæ ſunt omnes aquæ, quæ in fluvio, in ſanguinem. Et piſcis qui in fluvio moriebatur, & putuit fluvius, & non potuerunt Ægyptii bibere aquam ex fluvio & fuit ſanguis in tota terra Ægypti. Et fecerunt ita Magi Ægypti incantationibus ſuis, & obfirmatum cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus Jehovah. Et reſpexit Pharao, & venit ad domum ſuam, & non poſuit cor ſuum etiam ad hoc. Et foderunt omnes Ægyptii circum fluvium aquas ad bibendum, quia non potuerunt bibere ex aquis fluvii. Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem Divinam: ingravatum eſt cor Pharaonis, renuit mittere populum, ſignificat quod obſtinaverint ſe non relinquere illos quos infeſtant: vade ad Pharaonem in matutino, ſignificat elevationem ad magis confirmantia: ecce egreditur ad aquas, ſignificat quod tunc illi qui infeſtabant in falſis ex fallaciis eſſent: & conſiſte obviam illi juxta ripam fluminis, ſignificat influxum ſecundum ſtatum: & baculum, qui verſus in ſerpentem, accipe in manum tuam, ſignificat potentiam priori ſimilem: & dices ad illum, ſignificat mandatum: Jehovah Deus Hebræorum miſit me ad te, dicendo, ſignificat a Divino Eccleſiæ ad illos qui infeſtabant: mitte populum meum, ſignificat quod relinquent: & ſerviant Mihi in deſerto, ſignificat cultum in obſcuro: & ecce non audiviſti uſque huc, ſignificat non obedientiam: & dixit Jehovah, in hoc cognoſces quod Ego Jehovah, ſignificat ut timorem habeant pro Divino: ecce ego percutio baculo qui in manu mea ſuper aquas quæ in fluvio, ſignificat potentiam ſuper falſa quæ ex fallaciis: & vertentur in ſanguinem, ſignificat quod falſificabunt vera: piſcis qui in fluvio morietur, ſignificat quod ſcientificum veri exſtinguetur: & putebit fluvius, ſignificat averſationem pro illo: & laborabunt Ægyptii ad bibendum aquas e fluvio, ſignificat ut de illo vix aliquid ſcire vellent: & dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat executionem: dic ad Aharonem, accipe baculum tuum, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, ſignificat potentiam in falſa quæ apud infeſtantes: ſuper flumina illorum, ſuper fluvios illorum, ſignificat in doctrinalia: & ſuper ſtagna illorum, ſignificat in ſcientifica illis inſervientia: & ſuper omnem congregationem aquarum, ſignificat ubi aliquid falſum: & erunt ſanguis, ſignificat quod falſificabunt vera: & erit ſanguis in omni terra Ægypti, ſignificat falſificationem totalem: & in lignis & in lapidibus, ſignificat boni quod charitatis & veri quod fidei: & fecerunt ita Moſcheh & Aharon quemadmodum præcepit Jehovah, ſignificat effectum: & ſuſtulit baculum, & percuſſit aquas quæ in fluvio, ſignificat potentiam in falſa validam: ad oculos Pharaonis, & ad oculos ſervorum ejus, ſignificat in apperceptionem omnium qui infeſtabant: & converſæ ſunt omnes aquæ quæ in fluvio in ſanguinem, ſignificat

ſignificat inde falſificationem omnis veri: & piſcis qui in fluvio moriebatur, ſignificat ſcientificum veri etiam exſtinctum: & putuit fluvius, ſignificat averſationem: & non potuerunt Ægyptii bibere aquam ex fluvio, ſignificat quod de illo vix aliquid ſcire vellent: & fuit ſanguis in tota terra Ægypti, ſignificat falſificationem totalem: & fecerunt ita Magi Ægypti incantationibus ſuis, ſignificat quod falſificatores illorum effigiarent ſimile abutendo ordine: & obfirmatum cor Pharaonis, ſignificat obſtinationem: & non audivit ad illos, ſignificat non receptionem & non obedientiam: & reſpexit Pharao, & venit ad domum ſuam, ſignificat cogitationem & reflexionem ex falſis: & non poſuit cor ſuum ad hoc, ſignificat retuſum ex voluntate, & inde obſtinationem: & foderunt omnes Ægyptii circum fluvium aquas ad bibendum, ſignificat perveſtigationem veri quod applicarent falſis: quia non potuerunt bibere ex aquis fluvii, ſignificat non applicationem ex meris falſis:

7304. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet inſtructionem Divinam, conſtat ex ſignificatione dixit, cum e novo aliquid mandatur, quod ſit inſtructio, de qua n: 7186. 7267. 7288, hic inſtructio Divina, quia dixit Jehovah, nempe inſtructio quomodo ulterius agendum.

7305. Ingravatum eſt cor Pharaonis, renuit mittere populum, quod ſignificet quod obſtinaverint ſe non relinquere illos quos infeſtant, conſtat ex ſignificatione ingravatum, tum obfirmatum ac induratum cor eſſe, quod ſit obſtinatio, ut ſupra n: 7272. 7300; & ex ſignificatione renuere mittere, quod ſit non relinquere; & ex repræſentatione Pharaonis, de quo illa dicuntur, quod ſint qui infeſtant, de qua prius.

7306. Vade ad Pharaonem in matutino, quod ſignificet elevationem ad magis confirmantia, conſtat ex ſignificatione vadere, ſeu intrare ad Pharaonem, quod ſit communicatio, de qua n: 7000, hic communicatio confirmantium, quod Divinum ſit quod admonet illos ut ab infeſtationibus deſiſtant; & ex ſignificatione mane ſeu matutini, quod ſit ſtatus illuſtrationis & revelationis, de qua n: 3458. 3723. 5097. 5740, hic elevatio, quia prædicatur de illis qui in falſis, qui non illuſtrari poſſunt, ſed elevari quoad attentionem: quod qui in falſis illuſtrari non poſſint, eſt quia falſa rejiciunt & exſtinguunt omnem lucem quæ illuſtrat, illam lucem ſolum vera recipiunt.

7307. Ecce egreditur ad aquas, quod ſignificet quod tunc illi qui infeſtabant in falſis ex fallaciis eſſent, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de qua prius; & ex ſignificatione aquarum, hic aquarum Ægypti, quod ſint falſa ex fallaciis, quod illa falſa, ſeu falſa inde hic ſignificentur, eſt quia per ſerpentem, in quem verſus baculus Pharaonis, illa falſa ſignificantur, n: 7293; quod aquæ ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, videatur n: 739. 790. 2702. 3058. 3424. 4976. 5668; quod flumen Ægypti ſit falſum, n: 6693.

7308. Et conſiſte obviam illi juxta ripam fluminis, quod ſignificet influxum ſecundum ſtatum, conſtat ex ſignificatione conſiſtere obviam, quod ſit influxus; cum enim dicitur de Lege Divina, quæ repræſentatur per Moſchen, quod conſiſteret obviam illis qui in falſis & infeſtant, qui repræſentantur per Pharaonem, non aliud per conſiſtere obviam poteſt ſignificari,

quam

quam influxus & inde receptio, & ſic apperceptio; & ex ſignificatione ripæ fluminis, quod ſit ſtatus falſi in quo eſſent qui infeſtabant; quod flumen Ægypti ſit falſum, videatur n: 6693, hic falſum ex fallaciis, n: 7307; ripa autem, quæ eſt ſicut continens, nam circuit & includit, eſt ſtatus illius falſi; unumquodvis enim habet ſuum ſtatum, in quo, & ſecundum quem illud eſt.

7309. Et baculum, qui verſus in ſerpentem, accipe in manum tuam, quod ſignificet potentiam priori ſimilem, conſtat ex ſignificatione baculi quod ſit potentia, de qua n: 4013. 4315. 4876. 4936. 7026, quod ſit potentia priori ſimilis, ſignificatur per quod acciperet baculum, qui verſus in ſerpentem; & ex ſignificatione manus, quod etiam ſit potentia, ſed potentia ſpiritualis, ex qua potentia naturalis, quæ eſt baculus, de quibus n: 6947. 7011.

7310. Et dices ad illum, quod ſignificet mandatum, conſtat a ſignificatione dicere, cum a Lege Divina, quæ repræſentatur per Moſchen, ad illos qui in falſis, qui repræſentantur per Pharaonem, quod ſit mandatum.

7311. Jehovah Deus Hebræorum miſit me ad te, dicendo, quod ſignificet a Divino Eccleſiæ ad illos qui infeſtabant, conſtat ex ſignificatione Hebræorum, quod ſint quæ Eccleſiæ, de qua n: 5136. 6675. 6684. 6684. 6738; Divinum Eccleſiæ eſt Jehovah Deus Hebræorum, & Jehovah Deus eſt Dominus, Jehovah quoad Divinum Bonum, & Deus quoad Divinum Verum; & ex ſignificatione miſit me ad te, quod ſit ad illos qui infeſtant; quod per Pharaonem, ad quem Jehovah miſit, repræſententur qui infeſtant, ſæpius oſtenſum eſt.

7312. Mitte populum meum, quod ſignificet quod relinquant, conſtat abſque explicatione.

7313. Et ſerviant Mihi in deſerto, quod ſignificet cultum in obſcuro, conſtat ex ſignificatione ſervire Jehovæ, quod ſit cultus; & ex ſignificatione deſerti, quod ſit quod non habitatum & excultum eſt, de qua n: 2708. 3900, in ſpirituali ſenſu quod obſcurum quoad bonum & verum fidei; quod hic deſertum ſit tale obſcurum, eſt quia in genere illi qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, qui repræſentantur per filios Iſraelis, in obſcuro ſunt quoad vera fidei, videatur n: 2715. 2716. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3833. 4402. 6289. 6500. 6865. 6945. 7233; in ſpecie quia in obſcuro ſunt, cum e ſtatu infeſtationum & tentationum emergunt; qui enim in infeſtationibus ſunt, illi a falſis circumfunduntur, & aguntur ſicut calamus a vento, ſic a dubio in affirmativum, & ab affirmativo in dubium, inde cum recens e ſtatu illo aſcendunt, in obſcuro ſunt; ſed obſcurum illud tunc per gradus illuſtratur: quia talis ſtatus ex illis qui infeſtantur, idcirco filii Iſraelis deducti ſunt in deſertum, ut repræſentarent ſtatum illum, in quo fuerunt illi qui ab Eccleſia ſpirituali ante adventum Domini; & quoque illum, in quo ſunt qui ab illa Eccleſia hodie, & quoad falſa vaſtantur.

7314. Et ecce non audiviſti uſque huc, quod ſignificet non obedientiam, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit obedientia, de qua n: 2542. 3869. 5017. 5471. 5475. 7216, ita non audire, eſt non obedientia.

7315. Et dixit Jehovah, in hoc cognoſces quod Ego Jehovah, quod ſignificet ut timorem habeant pro Divino, conſtat ex illis ſupra n: 7280, ubi ſimilia verba.

7316. Ecce ego percutio baculo qui in manu mea ſuper aquas quæ in fluvio, quod ſignificet potentiam ſuper falſa quæ ex fallaciis, conſtat ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia, de qua ſupra n: 7309; & ex ſignificatione aquarum quæ in fluvio, quod ſint falſa quæ ex fallaciis, de qua etiam ſupra n: 7307.

7317. Et vertentur in ſanguinem, quod ſignificet quod falſificabunt vera, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit verum falſificatum, de qua n: 4735. 4978; ſanguis enim in genuino ſenſu eſt Verum procedens a Domino, ita ſanctum fidei, hoc ſignificatur per ſanguinem in Sacra Cæna; at in oppoſito ſenſu eſt ſanguis violentia illata Divino Vero, quæ quia fit per falſificationes, eſt ſanguis falſificatio veri. Ex his, & ex ſequentibus conſtare poteſt, quinam in ſpecie repræſentantur per Pharaonem, ſeu quinam in ſpecie repræſentantur per Pharaonem, ſeu quinam in ſpecie intelliguntur per illos qui infeſtant, quod nempe ſint illi intra Eccleſiam qui profeſſi ſunt fidem, & quoque ſibi perſuaſerunt quod fides ſalvet, & tamen vixerunt contra præcepta fidei; verbo qui in fide perſuaſiva fuerunt, ac in vita mali: illi cum in alteram vitam veniunt, ſecum ferunt principia, quod in cœlum introducendi, quia nati intra Eccleſiam, baptizati, Verbum habuerunt, & doctrinam inde, quam profeſſi, imprimis quia Dominum, & quod is pro peccatis illorum paſſus ſit, ac ita illos qui intra Eccleſiam Ipſum ex doctrina profeſſi ſint, ſalvaverit; hi cum in alteram vitam e mundo recens veniunt, non ſcire aliquid volunt de fidei & charitatis vita, hanc nihili faciunt, dicunt, quia fidem habuerunt, omnia vitæ mala abſterſa & abluta eſſe per ſanguinem Agni; cum illis dicitur, quod hæc contra Domini verba ſint apud Matthæum, ubi hæc "Multi dicent Mihi in die illa, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus, & per Nomen tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine tuo virtutes multas fecimus; ſed tunc confitebor, non novi vos, diſcedite a Me operarii iniquitatis; omnis qui audit mea verba & facit illa, comparo viro prudenti; at omnis audiens verba mea, ſed non faciens illa, comparo viro ſtulto" VII: 21. 22. 23. 24. 26: & apud Lucam, "Tunc incipietis foris ſtare, & pulſare januam, dicendo, Domine, Domine, aperi nobis, ſed reſpondens dicet illis, non novi vos unde ſitis: tunc incipietis dicere, edimus coram Te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti; ſed dicet, dico vobis, non novi vos unde ſitis; diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis" XIII: 25. 26. 27; ſed ad hæc reſpondent, quod per illos non intelligantur alii, quam qui in fide miraculoſa fuerunt, non autem in fide Eccleſiæ. Aſt iidem poſt aliquod tempus ſcire incipiunt, quod non alii in cœlum intromittantur, quam qui vitam fidei vixerunt, ita qui charitatem erga proximum habuerunt; & cum hoc incipiunt ſcire, tunc doctrinalia fidei ſuæ incipiunt vilipendere, & quoque ipſam fidem, nam fides illorum non fuit fides, ſed modo ſcientia talium quæ fidei, & non fuit propter vitam, ſed propter lu-

crum & honores; inde eſt, quod illa quæ ſcientiæ fidei illis fuerant, tunc vilipendant, & quoque rejiciant; & mox ſe injiciunt in falſa contra vera fidei: in hunc ſtatum vertitur vita illorum qui confeſſi fidem, & vixerunt vitam fidei contrariam. Hi ſunt qui in altera vita per falſa infeſtant probos, ita qui per Pharaonem in ſpecie intelliguntur.

7318. Piſcis qui in fluvio morietur, quod ſignificet quod ſcientificum veri exſtinguetur, conſtat ex ſignificatione piſcis, quod ſit ſcientificum, de qua n: 40. 991, hic ſcientificum veri, quia dicitur quod moriturus, quoniam in aquis verſis in ſanguinem, per quæ ſignificatur quod exſtinguetur per falſificationem; & ex ſignificatione mori, quod ſit exſtingui. Quid ſit falſificatio veri, per aliquot exempla illuſtrabitur; falſificatur verum cum ex ratiociniis concluditur, & dicitur, quod quia nemo bonum poteſt facere a ſe, ideo bonum nihil faciat ad ſalutem: falſificatur etiam verum cum dicitur, quod omne bonum, quod homo facit, ſpectet ipſum, & fiat remunerationis cauſa, & quia ita, quod opera charitatis non facienda: falſificatur verum cum dicitur, quod, quia omne bonum a Domino, homo nihil boni facere debeat, ſed exſpectet influxum: falſificatur verum, cum dicitur, quod verum apud hominem abſque bono quod charitatis poſſit dari, ita fides abſque charitate: falſificatur verum, cum dicitur, quod intrare in cœlum nemo poſſit, niſi qui miſer ſit & pauper; etiam cum dicitur, niſi quis det omnia ſua pauperibus, & ſe in miſerias redigat: falſificatur verum, cum dicitur, quod quiſque, qualitercunque vixerat, intromitti queat in cœlum ex Miſericordia: adhuc magis falſificatur verum, cum dicitur quod homini data ſit poteſtas intromittendi quoſlibet in cœlum: falſificatur verum, cum dicitur quod peccata abſtergantur, & abluantur ſicut ſordes ab aquis; & adhuc magis falſificatur verum, cum dicitur, quod homini ſit poteſtas remittendi peccata, & cum remiſſa ſunt, quod prorſus abſterſa ſint, & homo ſit purus: falſificatur verum, cum dicitur quod Dominus in ſe derivaverit omnia peccata, & ſic illa ſuſtulerit, & ſic quod homo ſalvari poſſit, qualiſcunque ei vita ſit: falſificatur verum cum dicitur, quod nemo ſalvetur niſi qui intra Eccleſiam eſt; ratiocinia, per quæ falſificatio, ſunt, quod qui intra Eccleſiam, baptizati ſint, habeant Verbum, ſciant de Domino, de reſurrectione, de vita æterna, de cœlo, & de inferno, ac ita quod ſciant quid fides, per quam juſtificari poſſunt. His ſimilia ſunt innumera, nam ne quidem unicum verum datur, quod non falſificari poteſt, & falſificatio per ratiocinia ex fallaciis confirmari.

7319. Et putebit fluvius, quod ſignificet averſationem pro illo, conſtat ex ſignificatione putere, quod ſit averſatio, de qua n: 7161; & ex ſignificatione fluvii, hic fluvii Ægypti in ſanguinem verſi, quod ſit falſificatum verum. Sciendum, quod in altera vita nihil abominabilius ſit, & conſequenter nihil gravius puteat, quam prophanatum verum; ſe habet hoc ſicut graveolentia cadaveris, quæ fit cum caro viva moritur: falſum enim non olet, niſi appoſitum ſit vero, nec malum niſi appoſitum ſit bono; ſentitur quodlibet non a ſe, ſed a ſuo oppoſito, quale eſt; inde in quantum puteat prophanatum verum, conſtare poteſt, prophanatum verum eſt falſum conjunctum

junctum vero, & falſificatum verum eſt falſum non conjunctum ſed adjunctum vero, & dominans ſuper vero.

7320. Et laborabunt Ægyptii ad bibendum aquas e fluvio, quod ſignificet ut de illo vix aliquid ſcire vellent, conſtat ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui falſificant vera; ex ſignificatione bibere, quod ſit inſtrui in veris, de qua n: 3069. 3772. 4017. 4018, inde laborare ad bibendum, eſt non inſtrui velle, ita vix aliquid ſcire velle, nempe de veris; & ex ſignificatione aquarum fluvii, quod ſint falſa, de qua ſupra n: 7307, hic falſificata vera: ex his patet, quod per laborabunt Ægyptii ad bibendum aquas e fluvio, ſignificetur quod illi qui in falſis ex fallaciis vix aliquid ſcire vellent de veris, ita quod averſarentur illa: cauſa averſationis eſt, quia vera, quæ per falſa pervertuntur, uſque clam & tacite pugnant, & a ſe diſcutere falſa laborant, atque ita pungunt; nam ſi removentur paulo falſa, cum fide horum, vera damnant.

7321. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet executionem, conſtat ex illis quæ nunc ſequuntur, nam *dixit Jehovah* illa involvit.

7322. Dic ad Aharonem, accipe baculum tuum, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, quod ſignificet potentiam in falſa quæ apud infeſtantes, conſtat ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia naturalis, & ex ſignificatione manus, quod ſit potentia ſpiritualis, de quibus ſupra n: 7309; inde accipere baculum extendere manum, eſt exercere potentiam ſpiritualem per naturale; & ex ſignificatione aquarum Ægypti, quod ſint falſa quæ infeſtant, de qua etiam ſupra n: 7307.

7323. Super flumina illorum, ſuper fluvios illorum, quod ſignificet in doctrinalia falſi, conſtat ex ſignificatione fluminum & fluviorum, quod ſint doctrinalia, ſunt enim aquæ falſa, videatur ſupra n: 7307, inde flumina ac fluvii, quæ ſunt collectiones illorum, ſunt doctrinalia, hic doctrinalia falſi; quod flumina ſint illa quæ intelligentiæ, ita quæ veri, videatur n: 2702. 3051, inde in oppoſito ſenſu ſunt illa quæ contraria intelligentiæ, ita quæ falſi.

7324. Et ſuper ſtagna illorum, quod ſignificet in ſcientifica illis inſervientia, conſtat ex ſignificatione ſtagnorum, quod ſint ſcientifica inſervientia veris quæ doctrinalium, ac in oppoſito ſenſu ſcientifica inſervientia falſis doctrinalium. Stagna in Verbo, ubi nominantur, in ſenſu ſpirituali ſignificant intelligentiam ex cognitionibus boni & veri, nam ſtagna ibi pro aquis congregatis ſeu lacubus accipiuntur, & aquæ congregatæ & lacus ſunt in complexu cognitiones per quas intelligentia, ut apud Eſaiam "Erumpent e deſerto aquæ, & fluvii in planitie deſerti, & *erit aridus locus in ſtagnum*, & ſiticuloſus in ſcaturigines aquarum" xxxv: 6. 7. Apud Eundem "Aperiam ſuper clivis fluvios, & in medio vallium fontes ponam, *deſertum in ſtagnum aquarum*, & terram ſiccam in ſcaturigines aquarum" xli: 18, ibi ponere deſertum in ſtagnum aquarum, pro dare cognitiones boni & veri, & inde intelligentiam, ubi prius non fuerunt. Apud Eundem "Vaſtabo montes & colles, & omnem herbam areſaciam, & ponam fluvios in inſulas, & *ſtagna*

exſiccabo" xlii: 15, ſtagna pro ſimilibus: pariter apud Davidem "Jehovah ponit fluvios in deſertum, & exitus aquarum in ſiccitatem, *ponit deſertum in ſtagnum aquarum*, & terram ſiccitatis in exitus aquarum" Pſalm: cvii: 33. 35. Apud Eundem "A coram Domino parturis terra, a coram Deo Jacobi, *qui convertit petram in ſtagnum aquarum*, ſilicem in fontem aquarum" Pſalm: cxiv: 7. 8. Apud Eſaiam "Comminuentur & exſiccabuntur *flumina Ægypti*, ideo lugebunt *piſcatores*, & omnes projicientes in flumen hamum; inde erunt fundamenta ejus contuſa; *omnes facientes mercedem ex ſtagnis animæ*" xix: 6. 8. 10; ſtagna animæ pro illis quæ ſunt intelligentiæ ex cognitionibus; at quia de Ægypto agitur, ſunt ſtagna animæ illa quæ ſunt intelligentiæ ex ſcientificis Eccleſiæ, nam Ægyptus ſunt ſcientifica illa; ſcientifica ſunt cognitiones, ſed in inferiori gradu. Quod ſtagna aquarum in oppoſito ſenſu ſint mala ex falſis, & inde inſania, patet apud Eſaiam "Exſcindam Babeli nomen & reſiduum, & filium & nepotem, & ponam eam in hæreditatem anatariæ, & in *ſtagna aquarum*" xiv: 22. 23; & quia ſtagna in oppoſito ſenſu ſunt mala ex falſis, & inde inſaniæ, etiam ſignificant Infernum, ubi talia regnant, ſed tunc ſtagnum vocatur ſtagnum ignis & ſtagnum ardens igne & ſulphure, ut Apoc: xix: 20. Cap: xx: 10. 14. 15. Cap: xxi: 8; ignis & ſulphur pro amore ſui & inde cupiditatibus, nam amor ſui & ejus cupiditates non aliud ſunt quam ignis, non ignis elementaris, ſed ignis ex igne ſpirituali, qui ignis nempe ſpiritualis dat homini vivere; quod amores ſint ignes vitales, patet ei qui expendit; hi ignes ſunt qui intelliguntur per ignes ſacros qui in cœlis, & per ignes inferni, elementaris ignis non datur ibi.

7325. Et ſuper omnem congregationem aquarum, quod ſignificet ubi aliquid falſum, conſtat ex ſignificatione aquarum, quod ſint falſa, de qua ſupra n: 7307; inde congregatio aquarum eſt ubi falſa ſimul.

7326. Et erunt ſanguis, quod ſignificet quod falſificabunt vera, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit falſificatio veri, de qua ſupra n: 7317. Sanguis in genuino ſenſu ſignificat ſanctum amoris, ita charitatem & fidem, nam hæ ſunt ſancta amoris, ita ſanguis ſignificat ſanctum verum procedens a Domino, n: 1001. 4735. 4978; in oppoſito autem ſenſu ſanguis ſignificat violentiam illatam charitati, & quoque illatam fidei, ita ſancto vero procedenti a Domino; & quia violentia infertur quando falſificatur, inde per ſanguinem ſignificatur falſificatio veri; & in majori gradu per ſanguinem ſignificatur prophanatio veri, hæc per eſum ſanguinis ſignificata eſt, quapropter is tam ſevere prohibitus eſt, n: 1003.

7327. Et erit ſanguis in omni terra Ægypti, quod ſignificet falſificationem totalem, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit falſificatio veri, de qua nunc ſupra n: 7326; & ex ſignificatione in omni terra Ægypti, quod ſit ubivis, ita totalis. Falſificatio totalis fit, cum falſum regnare incipit, nam homo vivit tunc ſecundum malum innatum & acquiſitum, & in illo jucundum ſentit; & quia vera fidei talia prohibent, ea tunc averſatur, & cum averſatur,

ſatur, vera ubicunque illa ſunt, a ſe rejicit, & ſi non rejicere poteſt falſificat.

7328. Et in lignis & in lapidibus, quod ſignificet boni quod charitatis, & veri quod fidei, nempe falſificationem totalem, conſtat ex ſignificatione lignorum, quod ſint bona quæ charitatis, de qua n: 2784. 2812. 3720; & ex ſignificatione lapidum, quod ſint vera quæ fidei; de qua n: 1298. 3720. 6426.

7329. Et fecerunt ita Moſcheh & Aharon, quemadmodum præcepit Jehovah, quod ſignificet effectum, conſtat abſque explicatione.

7330. Et ſuſtulit baculum, & percuſſit aquas quæ in fluvio, quod ſignificet potentiam in falſa validam, conſtat ex illis ſupra n: 7316; validum ſignificatur per quod ſuſtulerit baculum, & ſic percuſſent.

7331. Ad oculos Pharaonis, & ad oculos ſervorum ejus, quod ſignificet in apperceptionem omnium illorum qui infeſtabant, conſtat ex ſignificatione oculorum, quod ſint apperceptio, de qua n: 4083. 4339; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui per falſa infeſtant, de qua prius; *omnes illi* ſignificantur cum dicitur ad oculos Pharaonis & ad oculos ſervorum ejus.

7332. Et converſæ ſunt omnes aquæ quæ in fluvio in ſanguinem, quod ſignificet inde falſificationem omnis veri, conſtat ex ſignificatione aquarum quæ in fluvio, quod ſint falſa, de qua ſupra n: 7307; & ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit falſificatio veri, de qua etiam ſupra n: 7317. 7326. Quod permittatur, quod illi qui in falſis & infeſtant in altera vita, falſificent vera, eſt cauſa, ne per Vera quæ fidei communicationem habeant cum illis qui in cœlo, & per mala quæ ſunt vitæ communicationem habeant cum illis qui in inferno, & inde per vera acquirant ſibi aliquid lucis e cœlo, & ſic aliquid intelligentiæ, & faciant ut ea ſerviant malis quæ vitæ, nam ad favorem mali applicarent illa quæ intelligentiæ ſunt, ac ſic illa quæ cœli ſubjicerent apud ſe illis quæ inferni; & quoque ne ſeducerent ſimplices probos ſpiritus, cum quibus per vera communicationem habent: ſciunt etiam mali in altera vita, apud quos vera nondum falſificata ſunt, per illa ſibi dominium acquirere, nam potentia ineſt veris, uſque adeo ut non reſiſti queat, n: 3091. 6344. 6413. 6948, inde quoque abuterentur veris: præterea vera apud malos nihil prorſus ad emendationem vitæ eorum efficiunt, ſed mali modo utuntur illis ut mediis ad faciendum malum, abſque illo uſu mali prorſus irrident vera; ſunt ſicut mali antiſtites, qui ſi non doctrinæ vera inſerviant illis pro mediis luctandi, illa ſubſannarent: hæ cauſæ ſunt, cur permittitur malis ut apud ſe vera falſificent.

7333. Et piſcis qui in fluvio moriebatur, quod ſignificet ſcientificum veri & etiam exſtinctum, conſtat ex illis ſupra n: 7318, ubi eadem verba.

7334. Et putuit fluvius, quod ſignificet averſationem, conſtat ex illis ſupra n: 7319.

7335. Et non potuerunt Ægyptii bibere aquam ex fluvio, quod ſignificet

ficet quod de illo vix aliquid ſcire vellent, conſtat quoque ex illis ſupra n: 7320

7336. Et fuit ſanguis in tota terra Ægypti, quod ſignificet falſificationem totalem, videatur ſupra n: 7327.

7337. Et fecerunt ita Magi Ægyptii incantationibus ſuis, quod ſignificet quod falſificatores illorum effigiarent ſimile, conſtat ex ſignificatione magiæ Ægyptiacæ & incantationum, quod ſint abuſus ordinis Divini, de qua n: 5223. 6052. 7296. Quod miracula attinet, ſciendum, quod Divina Miracula differant a miraculis magicis, ut cœlum ab inferno; Divina miracula procedunt a Divino Vero, & progrediuntur ſecundum ordinem, effectus in ultimis ſunt Miracula, quando Domino placet ut in illa forma ſiſtantur; inde eſt, quod omnia miracula Divina repræſentent ſtatus Regni Domini in Cœlis, & Regni Domini in terris ſeu Eccleſiæ, hæc eſt forma interna Divinorum Miraculorum; ita ſe habet cum Omnibus Miraculis in Ægypto, & quoque cum reliquis, de quibus in Verbo; omnia etiam Miracula, quæ Ipſe Dominus, cum fuit in mundo, fecit, ſignificabat ſtatum venturum Eccleſiæ, ſicut quod aperirentur oculi cæcorum, aures ſurdorum, linguæ mutorum, quod claudi ambularent, mutili & quoque leproſi ſanarentur, ſignificabant quod tales qui ſignificantur per cæcos, ſurdos, mutos, claudos, mutilos, leproſos, reciperent Evangelium, & ſpiritualiter ſanarentur, & hoc per adventum Domini in mundum; talia ſunt Divina Miracula in forma ſua interna: ac miracula magica nihil prorſus involvunt, fiant a malis ad potentiam ſibi acquirendam ſuper alios; & apparent in forma externa ſi ſimilia Divinis miraculis; cauſa quod ſimilia appareant, eſt, quia ex ordine fluunt, & ordo apparet ſimilis in ultimis ubi ſiſtuntur miracula; ſicut pro exemplo, Divinum Verum procedens a Domino in ſe omnem potentiam habet, inde eſt, quod etiam Veris in ultimis ordinis inſit potentia; ideo mali per vera ſibi acquirunt potentiam, & dominantur ſuper alios: ſit quoque pro exemplo, ſecundum ordinem eſt, ut ſtatus affectionis & cogitationis faciant ideam loci & diſtantiæ in altera vita, & quod tantum a ſe mutuo appareant diſtare, quantum in diverſo ſtatu ſunt; hoc ordinis a Divino eſt, ut omnes qui in Maximo Homine diſtincti a ſe mutuo ſint; Magi in altera vita hoc ordinis abutuntur, inducunt enim aliis mutationes ſtatus, & ſic illos transferunt nunc in altum, nunc in profundum, & quoque conjiciunt in ſocietates, ut inſerviant ſibi pro ſubjectis; ita innumeris aliis: ex his patet, quod miracula magica, tametſi in externa forma ſimilia appareant miraculis Divinis, uſque tamen intus in ſe finem habeant contrarium, nempe deſtruendi illa quæ Eccleſiæ ſunt, at miracula Divina intus in ſe habent finem ædificandi illa quæ Eccleſiæ ſunt: ſe habent illa ſicut binæ mulieres formoſæ, quarum una ex ſcortatione intus tota quanta putida eſt, altera autem ex caſtitate aut ex genuino amore conjugiali, tota quanta intus pura eſt; externæ formæ illorum ſunt ſimiles, ſed internæ differunt ſicut cœlum & infernum.

7338. Et obfirmatum cor Pharaonis, quod ſignificet obſtinationem, ut ſupra n: 7272. 7300.

7339. Et non audivit ad illos, quod ſignificet non receptionem & non obedientiam, ut quoque ſupra n: 7274. 7275. 7301.

7340. Quemadmodum loquutus Jehovah, quod ſignificet ſecundum prædictionem, etiam ut ſupra n: 7302.

7341. Et reſpexit Pharao, & venit ad domum ſuam, quod ſignificet cogitationem & reflexionem ex falſis, conſtat ex ſignificatione reſpicere, quod ſit cogitatio & reflexio, nam reſpicere in ſenſu ſpirituali non eſt ſpectare oculis verſus aliquid, ſed eſt ſpectare mente, ita cogitare & reflectere; & ex ſignificatione domus Pharaonis, quod ſit falſum; cum enim Pharao repræſentat falſum, etiam idem domus ejus; inde venire ad domum ſuam, ſignificat falſa; & quia per illa verba ſignificatur cogitatio & reflexio ex falſis, ideo ſequitur, quod non poſuerit cor ad hoc, nam qui ex falſis cogitat, non ponit cor ad Divinum quod admonet.

7342. Et non poſuit cor ſuum ad hoc; quod ſignificet remiſum ex voluntate, & inde obſtinationem, conſtat ex ſignificatione non ponere cor ad aliquid, quod ſit non attendere; & quia non attentio ad Divina apud malos eſt a reniſu ex voluntate, idcirco per eadem verba id ſignificatur; & quia non ponere cor ad illud, idem involvit quod obfirmari, idcirco etiam obſtinatio ſignificatur, ut prius n: 7272. 7300. 3738. Quod reniſum ex voluntate attinet, ſciendum eſt quod voluntas ſit quæ regit hominem; creditur a quibuſdam quod intellectus regat, ſed intellectus non regit niſi voluntas inclinet, intellectus enim favet voluntati, nam intellectus in ſe ſpectatus non eſt niſi quam forma voluntatis: cum voluntas dicitur, intelligitur affectio quæ amoris, voluntas enim hominis nihil aliud eſt, illa affectio eſt quæ regit hominem, nam affectio amoris eſt vita illius; ſi homini eſt affectio ſui & mundi, tunc tota vita ejus non aliud eſt; nec poteſt ei reniti, nam id foret reniti ipſi ſuæ vitæ; principia veri nihil faciunt; ſi affectio amorum illorum dominatur, trahit illa verum in ſuas partes, & ſic falſificat illud, & ſi non plene favet, rejicit; inde eſt, quod principia veri fidei prorſus nihil efficiunt apud hominem, niſi Dominus inſinuat affectionem amoris ſpiritualis, hoc eſt, amoris erga proximum; & quantum homo hanc affectionem recipit tantum etiam recipit vera fidei; affectio amoris hujus eſt quæ facit novam voluntatem. Ex his nunc conſtare poteſt, quod homo nuſquam ponat cor ad aliquod verum, ſi voluntas renititur: inde eſt, quod infernales, quia in affectione ſeu cupiditate mali ſunt, non poſſint recipere vera fidei, conſequenter non emendari; inde quoque eſt, quod mali, quantum poſſunt, vera, quæ fidei falſificent.

7343 Et foderunt omnes Ægyptii circum fluvium aquas ad bibendum, quod ſignificet perveſtigationem veri quod applicarent falſis, conſtat a ſignificatione fodere quod ſit perveſtigatio, de qua ſequitur; ex ſignificatione aquarum circum fluvium, quod ſint vera; quod aquæ circum fluvium ſint vera, eſt quia illæ erant extra fluvium, & non factæ ſanguis; quod aquæ ſint vera, videatur n: 739. 790. 7702. 3058. 3424. 4976. 5668; & ex ſignificatione bibere, quod ſit applicare falſis; quod bibere ſit applicare, videatur n: 5709, qui enim bibit, ſibi applicat; ſed ſciendum, quod applicatio

plicatio fiat ſecundum quale & ſtatum ejus qui ſibi applicat; qui in affectione veri eſt, is ſibi applicat vera ſecundum ſtatum & quale affectionis; qui in affectione falſi eſt, is cum applicat ſibi vera, pervertit & falſificat illa; quod ex eo conſtare poteſt, quod Divinum Verum influat apud omnes, ſed quod varietur apud unumquemvis ſecundum ſtatum & quale vitæ ejus; & inde quod infernales vertant illud in falſa, ſimiliter Divinum Bonum vertunt in malum, amores cœleſtes in amores diabolicos, miſericordiam in odium, & in crudelitatem, amorem conjugialem in adulteria, ita in contraria; ex cauſa quia quale & ſtatus vitæ eorum ſunt contraria; inde eſt, quod per foderunt omnes Ægyptii circum fluvium, ſignificetur perveſtigatio veri quod applicarent falſis. Quod verum vertatur in falſum, & bonum in malum, apud illos qui in falſis & malis ſunt, & quoque viciſſim, patet a regula communi, quod puris ſint omnia pura, & impuris omnia impura: hoc quoque ab illis quæ in natura illuſtrari poteſt; ut a Luce quæ a Sole, Lux illa candida eſt, at uſque variatur ſecundum formas in quas influit, inde colores, & fit pulchra in pulchris formis, & impulchra in impulchris: illuſtrari etiam hoc poteſt ab inſitione frondium in arboribus, frons inſita communi ſtirpi fert ſuum fructum, quare ſuccus arboris, ut primum in frondem inſitam influit, variatur, & fit ſuccus frondis aptus producendi ejus folia & fructus: ſimiliter ſe habet cum illis quæ influunt apud hominem. Quod fodere ſit perveſtigare, eſt quia per aquam, fontem, puteum, quæ effodiuntur, ſignificantur vera, quæ non effodiuntur ſed perveſtigantur; quare etiam in Lingua originali per eandem vocem, cum illa applicatur veris, ſignificatur inveſtigare; in propheticis autem loco veri dicitur vel aqua vel fons, & loco inveſtigare dicitur fodere; talis enim eſt ſermo propheticus, ut patet apud Moſchen, ubi agitur de fonte Beer, de quo Iſrael cecinit Canticum hoc "Aſcende fons, reſpondete ſuper eo, *fons quem foderunt principes, effoderunt* primores populi, per Legiſlatorem, baculis ſuis" Numer: XXI: 16. 17. 18, ibi per fontem ſignificatur doctrina Veri Divini, per fodere inveſtigatio ejus.

7344. Quia non potuerunt bibere ex aquis fluvii, quod ſignificet non applicationem ex meris falſis, conſtat ex ſignificatione non poſſe bibere, quod ſit non applicatio, quod bibere ſit applicare, videatur mox ſupra n: 7343; & ex ſignificatione aquarum fluvii, quod ſint falſa, de qua etiam ſupra n: 7307; quod per non poſſe bibere ex aquis fluvii, ſignificetur, quod vera non applicari poſſint meris falſis, hoc eſt, falſificari per mera falſa, etiam ſequitur ex ſenſu interno mox præcedentium, nempe fodere aquas ad bibendum circum fluvium, quod ſit inveſtigare vera, quæ applicarent falſis. Quod vera non applicari falſis poſſint per mera falſa, eſt quia vera & falſa prorſus oppoſita ſunt, & oppoſita non applicari poſſunt, niſi ſint intermedia, quæ conjungunt; intermedia quæ conjungunt ſunt fallaciæ ſenſuum externorum, & ſunt quoque illa quæ in Verbo ſecundum apparentiam dicta ſunt; ſit pro exemplo, quod nihil niſi quam bonum ſit a Domino, & nuſquam aliquod malum; hoc Verum falſificatur per fallacias, quod Dominus poſſit auferre

malum

malum ſi velit, ex omnipotentia, & quia non aufert, quod cauſa ejus ſit, ac ita etiam malum a Domino ſit; ex illis quæ ſecundum apparentiam dicta ſunt in Verbo, quod Jehovah ſeu Dominus iraſcatur, puniat, condemnet, conjiciat in infernum, cum tamen ſunt ipſi qui in malo ſunt, qui hoc ſibi faciunt, & inde ſibi inducunt malum pænæ, nam malum pænæ & malum culpæ in altera vita conjuncta ſunt: ſimiliter in innumeris aliis.

7345. Verſ: 25. 26. 27. 28. 29. *Et impleti ſeptem dies poſtquam percutere Jehovah fluvium. Et dixit Jehovah ad Moſchen, veni ad Pharaonem, & dices ad illum, ita dicit Jehovah, mitte populum meum, & ſerviant Mihi. Et ſi renuis tu mittere, ecce Ego afficiam omnem terminum tuum ranis. Et prorepere faciet fluvius ranas, & aſcendent & venient in domum tuam, & in conclave cubilis tui, & ſuper lectum tuum, & in domum ſervorum tuorum, & in populum tuum, & in clibanos tuos, & in mactras tuas. Et in te, & in populum tuum, & in omnes ſervos tuos aſcendent ranæ.* Et impleti ſeptem dies poſtquam percutere Jehovah fluvium, ſignificat finem ſtatus illius poſtquam vera falſificata: & dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat novam inſtructionem: veni ad Pharaonem, & dices ad illum, ſignificat mandatum ad infeſtantes: ita dicit Jehovah, mitte populum meum, ut ſerviant Mihi, ſignificat ut relinquant illos ab Eccleſia, ut in libero Deum ſuum colant: & ſi renuis tu mittere, ſignificat ſi non relinquerent: ecce Ego afficiam omnem terminum tuum ranis, ſignificat ratiocinia ex meris falſis: & prorepere faciet fluvius ranas, ſignificat quod ratiocinia ex falſis illis: & aſcendent & venient in domum tuam, & in conclave cubilis tui, ſignificat quod implebunt mentem uſque ad interiora ejus: & ſuper lectum tuum, ſignificat ad intima: & in domum ſervorum tuorum, & populi tui, ſignificat omnia quæ in naturali: & in clibanos tuos, & in mactras tuas, ſignificat in jucunda cupiditatum: & in te, & in populum tuum, & in omnes ſervos tuos, aſcendent ranæ, ſignificat quod ratiocinia ex falſis erunt in omnibus & ſingulis.

7346. Et impleti ſeptem dies poſtquam percutere Jehovah fluvium, quod ſignificet finem ſtatus illius poſtquam vera falſificata, conſtat ex ſignificatione ſeptem dierum, quod ſint integra periodus a principio ad finem, ita ſtatus plenus, de qua n: 728. 6508, ſimile ac ſeptimana, n: 2044. 3845; ita impleti ſeptem dies ſunt finis periodi ſeu ſtatus illius; & a ſignificatione poſtquam percutere Jehovah fluvium, quod ſit poſtquam falſificata ſunt vera; quod enim percuſſus baculo Aharonis fluvius, & aquæ factæ ſanguis, ſit quod falſificata ſint vera, videatur n: 7316. 7317. 7330. 7332.

7347. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet novam inſtructionem, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, cum e novo quid mandatur, quod ſit nova inſtructio, de qua n: 7186. 2267. 7304.

7348. Veni ad Pharaonem, & dices ad illum, quod ſignificet mandatum ad infeſtantes, conſtat a ſignificatione venire ſeu intrare & dicere, cum a Jehovah, quod ſit mandatum; & a repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui per falſa infeſtant, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142.

7349. Ita dicit Jehovah, mitte populum meum ut ſerviant Mihi, quod

ſignificet ut relinquant illos qui ab Eccleſia, ut in libero Deum ſuum colant, conſtat ex ſignificatione mittere, quod ſit relinquere; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus meus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; & ex ſignificatione ſervire Mihi, quod ſit colere Deum ſuum; quod ſit colere in libero, eſt quia cultus non fieri potuit ubi falſa infeſtabant; & quia omnis cultus qui vere cultus erit in libero, n: 1947. 2875. 2876. 2880. 2881. 3145. 3146. 3158. 4031.

7350. Et ſi renuis tu mittere, quod ſignificet ſi non relinquerent, conſtat ex ſignificatione mittere, quod ſit relinquere, ut nunc ſupra n: 7349, ita ſi renuis mittere, eſt ſi non relinquerent.

7351. Ecce Ego afficiam omnem terminum tuum ranis, quod ſignificet ratiocinia ex meris falſis, conſtat ex ſignificatione ranarum, quod ſint ratiocinia; quod ex meris falſis ſignificatur per quod ex fluvio proreperent, ut mox ſequitur, quod fluvius Ægypti ſit falſum, videatur n: 6693. 7307, & quia dicitur, quod omnis terminus illis afficeretur: ſignificatur etiam per illa, quod ratiocinia non erunt ex falſificatis veris, ſed ex meris falſis; cauſa eſt, quia ratiocinia ex falſificatis veris vertuntur tandem in blaſphemias contra verum & bonum; & præterea ipſa vera falſificationem a ſe rejiciunt, non enim una cum falſis eſſe poſſunt, & quamdiu ſunt, cum illis pugnant, & tandem ab illis ſe exſolvunt & ſeparant; inde eſt, quod poſtquam homo vera falſificaverit, tandem prorſus negat illa; alioquin etiam falſa dominarentur ſuper vera; inde eſt, quod malis in altera vita, poſtquam conjecti ſunt in infernum, non ratiocinari liceat ex falſificatis veris, ſed ex meris falſis. Quod Ranæ ſint ratiocinia ex falſis, conſtat apud Johannem "Vidi *ex ore draconis*, & *ex ore beſtiæ*, & *ex ore pſeudoprophetæ*, ſpiritus tres immundos, *ſimiles Ranis*: ſunt enim ſpiritus dæmonum, facientes ſigna ad exeundum ad reges terræ, & orbis terrarum totius, ad congregandum illos in bellum diei illius magni Dei omnipotentis" Apoc: XVI: 13. 14, quod ranæ ſint ratiocinia ex falſis contra vera, ex ſingulis ibi patet, nam dicitur quod exiverint *ex ore* draconis, ex *ore* beſtiæ, & *ex ore* pſeudoprophetæ; tum quod exirent ad reges terræ, ad congregandum illos in bellum; reges terræ ſunt vera Eccleſiæ; quod reges ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, videatur n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148, & quod terra ſit Eccleſia, n: 662. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118. 3355. 4447. 4535. 5577; quod bellum ſit pugna ſpiritualis, n: 2686, ita contra vera & bona fidei; inde patet, quod ranæ ſint ratiocinia ex falſis contra vera. Apud Davidem "Vertit aquas illorum in ſanguinem; & occidit piſcem eorum; *prorepere fecit in terram illorum ranas*, in *conclavibus regum* illorum" Pſalm: CV: 29. 30, in conclavibus regum illorum dicitur, quia intelligitur ratiocinatio contra vera ex falſis, conclavia regum ſunt interiora vera, & in oppoſito ſenſu interiora falſa quod reges ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, videatur mox ſupra.

7352. Et prorepere faciet fluvius ranas, quod ſignificet ratiocinia ex falſis illis, conſtat a ſignificatione fluvii Ægypti, quod ſit falſum, de qua n:

6693.

6693. 7307; & ex ſignificatione ranarum, quod ſint ratiocinia, de qua mox ſupra, n: 7351; quod ranæ ſint ratiocinia, eſt quia in aquis ſunt, & ibi garrule ſonant, & coaxant, & ſunt quoque inter immunda. Quid ratiocinatio ex meris falſis, per aliquot exempla illuſtrabitur; ex meris falſis ratiocinatur, qui omnia naturæ tribuit, & vix aliquid Divino; cum tamen omnia ex Divino ſunt, & natura eſt modo inſtrumentale per quod. Ex meris falſis ratiocinatur, qui credit quod homo ſit ſicut beſtia, modo perfectior, quia cogitare poteſt; & ſic quod homo moriturus ſit ſicut beſtia; is quia negat conjunctionem hominis cum Divino per cogitationem quæ fidei, & per affectionem quæ amoris, & inde negat reſurrectionem, & vitam æternam, ex meris falſis loquitur. Similiter qui credit quod non infernum ſit. Tum quoque qui credit, quod homo non plus habeat quam jucundum vitæ, cum eſt in mundo, & ideo quod illo fructurus ſit, quia cum moritur prorſus moritur. Ex meris falſis ratiocinatur, qui credit quod omnia ſint prudentiæ propriæ ac fortunæ, non autem Providentiæ Divinæ, niſi quæ univerſalis. Ut & qui credit, quod Religio non aliud ſit, quam ut ſimplices teneantur in vinculis. Imprimis ex meris falſis ratiocinantur, qui credunt quod Verbum non ſit Divinum. In ſumma, omnes illi ex meris falſis ratiocinantur, qui vera Divina prorſus negant.

7353. Et aſcendent & venient in domum tuam, & in conclave cubilis tui, quod ſignificet quod implebunt mentem & uſque ad interiora ejus, conſtat ex ſignificatione domus, quod ſit mens hominis, de qua n: 3538. 4973. 5023; & ex ſignificatione conclavis cubilis, quod ſint interiora mentis; quod conclavia cubilis ſint interiora mentis, eſt quia interius in domo ſunt. Per conclavia ſignificantur interiora, & per conclavia cubilis adhuc interiora, in his locis; apud Eſaiam "Abi popule, *intra in conclavia tua*, & claude januam poſt te, occulta te ſicut parum momenti, uſque dum tranſeat ira" XXVI: 20. Apud Ezechielem "Dixit ad me, num vidiſti, fili hominis, quæ ſeniores filiorum Iſraelis faciunt in tenebris, quiſque *in conclavibus imaginis ſuæ*" VIII: 12. Apud Moſchen "Foris orbabit gladius, & *ex conclavibus* terror" Deut: XXXII: 25. In Libro II Regum "Eliſcha propheta, qui in Iſraele, indicat regi Iſraelis verba, *quæ loqueris in Conclavi cubilis tui*" VI: 12. Antiqui comparaverunt mentem hominis domui, & illa quæ intus in homine conclavibus; Mens humana quoque talis eſt, nam res, quæ ibi, diſtinctæ ſunt vix aliter quam ſicut domus in ſua conclavia; quæ in medio ſunt ibi intima ſunt, quæ ad latera ibi exteriora ſunt, hæc comparabantur atriis, & quæ extra cum interioribus cohærebant, porticibus.

7354. Et ſuper lectum tuum, quod ſignificet ad intima, conſtat ex ſignificatione lecti, quod ſit intimum; cum enim conclavia cubilis ſunt interiora, cubile ſeu lectus, qui inibi, eſt intimum.

7355. Et in domum ſervorum tuorum & populi tui, quod ſignificet omnia quæ in naturali, conſtat ex ſignificatione domus, quod ſit mens hominis, & quia prædicatur de Ægyptiis, & de ſervis Pharaonis, eſt mens naturalis; quod domus ſit mens, videatur mox ſupra n: 7353; & ex ſignificatione ſervorum & populi Pharaonis, quod ſint omnia quæ in naturali; quæ ibi

inſerviunt confirmandis falſis, vocantur ſervi; quod populus prædicetur de veris, & in oppoſito ſenſu de falſis, videatur n: 1259. 1260. 3295. 3581. 4619. 6451. 6464; inde patet, quod per in domum ſervorum & populi Pharaonis, ſignificetur in omnia quæ in naturali.

7356. Et in clibanos tuos, & in mactras tuas, quod ſignificet in jucunda cupiditatum, conſtat ex ſignificatione clibanorum, quod, quia ſunt illa in quibus conficitur panis, ſint bona exteriora, & bona exteriora ſunt illa quæ in naturali ſunt, & communiter vocantur jucunda; nam bona interiora, quæ ſunt amorum & inde affectionum, cum influunt in naturale, ſentiuntur ibi ut jucunda; hæc ſignificantur per clibanos in bono ſenſu; at in oppoſito, ut hic, per clibanos ſignificantur jucunda cupiditatum, hoc eſt, jucunda ex amoribus inferni, qui amores ſunt amores ſui & mundi; & ex ſignificatione mactrarum, quod quoque ſint jucunda cupiditatum in naturali, ſed adhuc exteriora, quia mactræ ſunt vaſa, in quibus maſſa pro pane præparatur. Per quod ratiocinia intrabunt in jucunda cupiditatum, intelligitur, quod jucundum vitæ eorum erit ratiocinari ex falſis, ac ita fallere & ſeducere alios; malis etiam inter jucundiora eſt falſa ſpargere, illa confirmare, vera ſubſannare, imprimis alios ſeducere. Quod Clibanus ſit jucundum affectionum, quæ ſunt charitatis & fidei, & in oppoſito ſenſu jucundum cupiditatum, quæ ſunt amoris ſui & mundi, patet apud Hoſcheam "Omnes adulterantes, *ſicut clibanus accenſus a piſtore*, ceſſat excitator a ſubigendo maſſam ejus; quando convertit *ſicut Clibanus* animum in inſidiari ſuo, tota nocte dormitans piſtor eorum, *mane ille ardens*, ſicut *ignis flammæ*; omnes *incaleſcunt ſicut clibanus*, & comedent judices ſuos, omnes reges ejus cadunt" VII: 4. 6. 7; Clibanus pro jucundo cupiditatum, quæ ſunt malorum; ardere, incaleſcere, ignis flammæ, pro ipſis cupiditatibus, quod ignis ſit cupiditas mali, videatur n: 1297. 1861. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 3724, fin: comedunt judices ſuos, omnes reges cadunt, pro quod pereant bona & vera; quiſque videre poteſt quod abſque ſenſu interno, qui talis, non ſciri poſſit quid ſit, omnes adulterantes ſicut clibanus accenſus a piſtore, omnes incaleſcunt ſicut clibanus, comedunt judices, & reges cadunt. Clibanus in bono ſenſu apud Eſaiam "Dictum Jehovæ, Cui focus in Zione, & *Clibanus* Ipſi in Hieroſolyma" XXXI: 9, Zion pro Eccleſia cœleſti, ita pro bono amoris quod eſt illius Eccleſiæ; Hieroſolyma pro Eccleſia ſpirituali, ita pro bono illius amoris, quod eſt bonum charitatis & inde fidei, hic clibanus pro jucundo interiori affectionum boni & veri; clibanus id ſignificat, quia panis, qui in clibano conficitur, ſignificat bonum amoris cœleſtis & ſpiritualis, quod panis id ſignificet, videatur n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915: & quia inde ſignificatio clibani, idcirco panis qui confectus pro ſacrificiis, & vocabatur Minchah, ea quæ conficiebatur in Clibano, diſtinguebatur a mincha quæ conficiebatur in farragine, & a mincha quæ conficiebatur in cacabo, Levit: II: 4. 5. 7; erant diverſitates boni amoris quæ per illas ſignificabantur.

7357. Et in te, in populum tuum, & in omnes ſervos tuos, aſcendent ranæ, quod ſignificet quod ratiocinia ex falſis erunt in omnibus & ſingulis, conſtat

conſtat ex illis quæ ſupra n: 7355, dicta ſunt; omnes & ſinguli qui in terra Ægypti, ſignificantur per Pharaonem, populum ejus, & ſervos ejus, ita falſa in omnibus & ſingulis: quod per Pharaonem & Ægyptios falſa ſignificentur, ſæpius ſupra oſtenſum eſt. Sciendum, quod qui in inferno ſunt, quibus vera quæ in mundo ſciverunt, adempta ſunt, non poſſint aliter quam falſa loqui; inde eſt cum aliquis talis loquitur, quod fit cum apparent in mundo ſpirituum, quod illico ſciatur quod falſum ſit; hoc probi in altera vita ex communi experientia norunt: quod non niſi quam falſum loquantur, liquet etiam a Domini Verbis apud Johannem "Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in illo; *quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendacium loquens eſt, & pater ejus*" VIII: 44; quiſque enim ſecundum affectionem amoris ſui loquitur, & contra illam nemo loqui poteſt, niſi ex ſimulatione, hypocriſi, fraude & dolo, ut ſolent mali cum vera loquuntur; ſed hæc vera, quæ ita loquuntur, uſque apud illos ſunt falſa: viciſſim autem, qui in vero ſunt ex bono, illi non poſſunt aliter quam vera loqui.

De Incolis & Spiritibus Planetæ Martis

7358. *PLANETA Martis apparet in idea Spirituum & Angelorum, ſicut cæteræ Planetæ, in ſuo loco conſtanter, & quidem ad ſiniſtrum antrorſum ad aliquam diſtantiam in plano pectoris; & ſic extra ſphæram, ubi ſunt ſpiritus noſtræ telluris. Spiritus unius telluris ſeparati ſunt a Spiritibus alius telluris, ex cauſa, quia Spiritus cujuſvis telluris referunt aliquam peculiarem Provinciam in Maximo Homine, ac inde in alio & diverſo ſtatu ſunt; & diverſitas ſtatus facit, ut a ſe mutuo vel ad dextrum vel ad ſiniſtrum, ad diſtantiam majorem vel minorem, ſeparati appareant.*

7359. *Spiritus inde ad me veniebant, & ſe applicabant ſiniſtro meo tempori, & ibi me afflabant loquela, ſed illam non intelligebam; erat quoad fluxum molliuſcula, molliorem non prius, quantum memini, perceperam, erat ſicut molliſſima aura; afflabat illa primo ſiniſtrum tempus, & ſiniſtram aurem ſuperne; & afflatus inde pergebat ad ſiniſtrum oculum, & paullatim ad dextrum, & defluebat dein, imprimis a ſiniſtro oculo, ad labia, & cum ad labia, intrabat per os, & per viam intra os; & quidem per tubam Euſtachianam;*

nam, in Cerebrum; cum afflatus illuc pervenit, tunc loquelam eorum intellexi, & loqui datum eſt cum illis: obſervabam, cum loquerentur mecum, quod labia apud me moverentur, & parumper etiam lingua, hoc propter correſpondentiam loquelæ interioris cum loquela exteriori; exterior loquela eſt ſoni articulati labentis verſus membranam Auris externam, & exinde mediis organulis, membranis & fibris, quæ intus in Aure, aufertur in Cerebrum.

7360. *Ex his ſcire datum eſt, quod loquela incolarum Martis diverſa eſſet a loquela incolarum noſtræ telluris, quod nempe non ſonora, ſed pæne tacita, ſe in auditum & viſum interiorem per breviorem viam inſinuans; & quia talis, quod plenior & perfectior eſſet, plenior ideis cogitationis, ita propius accedens ad loquelam ſpirituum & angelorum; ipſa etiam loquelæ affectio repræſentatur apud illos in facie, & ejus cogitatio in oculis; nam cogitatio & loquela, tum affectio & facies, apud illos unum agunt; reputant pro nefario aliud cogitare & aliud loqui, ac aliud velle & aliud facie oſtendere; non ſciunt quid hypocriſis, & quid ſimulatio fraudulenta ac dolus.*

7361. *Quod talis etiam loquela fuerit Antiquiſſimis in hac tellure, etiam per converſationem cum quibuſdam ex illis, datum eſt ſcire, de qua videatur n:* 607. 608: *ut elucidetur hæc res, licet iterum referre quæ de loquela Antiquiſſimorum hujus telluris per experientiam ſcire data ſunt, quæ ſunt hæc quæ nunc ſequuntur; "Oſtenſum eſt mihi per influxum quendam, quem deſcribere non poſſum, qualis loquela fuerat illorum qui ab Antiquiſſima Eccleſia fuerunt, quod nempe non articulata, ſicut loquela vocum noſtri temporis, ſed tacita, quæ fiebat non per reſpirationem externam, ſed per internam; appercipere etiam datum eſt, qualis illorum reſpiratio interna fuit, proceſſit ab umbilico verſus cor, & ſic per labia abſque ſonoro cum loquerentur, & quod non intraverit in alterius aurem per viam externam, & pulſaverint in quoddam, quod vocatur tympanum auris, ſed per viam quandam internam, & quidem per quoddam ibi quod vocatur hodie tuba Euſtachiana: oſtenſum, quod per talem loquelam multo plenius potuerint exprimere ſenſa animi, & ideas cogitationis, quam uſquam fieri poteſt per ſonos articulatos aut voces ſonoras, quæ ſimiliter diriguntur per reſpirationem ſed externam, nam nulla vox eſt, imo nec quiquam in voce, quod non dirigitur per applicationes reſpirationis; ſed apud illos multo perfectius, quia per reſpirationem internam, quæ quia interior etiam perfectior eſt, & ipſis ideis cogitationis applicabilior*

lior & conformior: præter etiam per labiorum motiunculas, & correſpondentes faciei mutationes; nam, quoniam cœleſtes homines fuerunt, quicquid cogitabant hoc a facie & oculis illorum elucebat, quæ conformiter variebantur, facies quoad formam & quoad vitam, & oculi quoad lucem; nuſquam potuerunt alium vultum præferre, quam ſecundum illa quæ cogitabant; ſimulatio & magis adhuc dolus, illis fuit facinus enorme: quia talis illis loquela, & quia interna reſpiratio, ideo cum angelis potuerunt conſortium habere; n: 1118.

7362. *Reſpiratio Spirituum Planetæ Martis etiam mecum communicata fuit (quod Spiritus & Angeli reſpirent, videatur n:* 3884 *ad* 3894; *) & perceptum quod illorum reſpiratio eſſet interior, procedens e regione thoracis verſus umbilicum, & inde ſe volvens ſurſum per pectus, cum imperceptibili halitu verſus os: ex his conſtare mihi potuit, tum quoque ab aliis experientiæ documentis, quod cœleſti genio eſſent, ita quod non abſimiles illis qui ab Antiquiſſima Eccleſia in hac tellure.*

7363. *Loquuti ſunt mecum de vita incolarum in tellure ſua, quod non ſub imperiis ſint, ſed quod diſtincti in ſocietates majores & minores, & quod ibi ſibi conſocient tales qui conveniunt animis; & quod hoc ſciant illico ex facie & loquela; quodque id illos raro fallat; ſunt tunc illico amici: at cæteros non averſantur, nam nulla averſatio eſt, minus odium. Dicebant quoque, quod conſociationes illorum ſint jucundæ, & quod inter ſe loquantur de iis rebus quæ in ſocietatibus fiunt, imprimis quæ in cœlo; nam plures illorum communicationem manifeſtam habent cum Angelis qui in cœlo. Credibile etiam eſt, quia tales ſunt, ac ita conſociati, quod ſocietates illorum ſimul ſumtæ per tellurem illam, repræſentent ſocietatem communem Angelicam, nam ſocietates ibi omnes variæ ſunt, ſed Dominus conjungit omnes per cœleſtem formam, ut unum ſint; unum enim fit ex variis in formam convenienter diſpoſitis.*

7364. *Qui in ſocietatibus illorum incipiunt ſiniſtre cogitare, & inde ſiniſtre velle, diſſociantur, relinquunt illos ſibi ſolis, unde degunt extra ſocietatem, admodum miſere, in petris aut alibi, nam illos non amplius curant: quædam ſocietates tales ad reſipiſcentiam variis modis tentant cogere, ſed cum hoc incaſſum fit, ab illis ſe diſſociant. Ita præcavent ne cupiditas dominii & cupiditas lucri irrepant, hoc eſt, ne aliqui ex cupiditate dominii ſibi ſubjiciant ſocietatem in qua ſunt; & dein plures alias; & ne aliqui ex cupiditate lucri ſua bona aliis eripiant; quiſque ibi ſuis bonis contentus vivit, & quiſque ſuo honore*

quod

quod audiat juſtus & proximi amans; hoc jucundum & tranquillum animi periturum foret, niſi illi, qui male cogitant & male volunt, ejicerentur, & niſi prudenter & ſevere obviam irent in ipſis initiis amori ſui & amori mundi, apud quos illi ſunt; hi enim amores ſunt, qui fecerunt ut ex ſocietatibus imperia & regna facta ſint, intra quæ pauci ſunt qui non dominari volunt, ac poſſidere omnia aliorum, nam pauci ſunt qui juſtum & æquum ex juſto & æquo faciunt, minus qui bonum ex charitate, & verum ex fide, ſed ex timore legis, damni, vitæ, jacturæ lucri, honoris; & famæ propter illa.

7365. *Continuatio de incolis & ſpiritibus Planetæ Martis ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

CAPUT OCTAVUM

Doctrina Charitatis

7366. SUpra dictum eſt, quod Amores ſui & mundi apud hominem faciant Infernum; nunc dicendum, quales illi amores ſunt, ob cauſam, ut ſciat homo num in illis ſit, & conſequenter num Infernum vel num Cœlum in ipſo ſit; nam in ipſo homine eſt vel Infernum vel Cœlum; quod Regnum Dei intra hominem ſit, docet Dominus apud Lucam Cap: XVII: 21, proinde etiam Infernum.

7367. Amor ſui apud hominem regnat, hoc eſt, homo in amore ſui eſt, quando in illis quæ cogitat & facit non intuetur proximum, ita non publicum, minus Dominum, ſed modo ſemet ac ſuos conſequenter quando propter ſemet & ſuos omnia facit; & ſi propter publicum & proximum, ſit modo ut appareat.

7368. Propter ſemet & ſuos dicitur, quia ille cum ſuis & ſui cum illo unum faciunt; prout cum quis propter uxorem, liberos, nepotes, generos, nurus aliquid facit, is propter ſemet facit, quia ſui ſunt; pariter qui propter affines, & propter amicos qui favent ipſius amori, & per id ſe ei conjungunt nam illi per talem conjunctionem conſtituunt unum cum illo, hoc eſt, ſpectant ſe in illo, & illum in ſe.

7369. Quantum homo in amore ſui eſt, tantum is ſe removet ab amore proximi; conſequenter quantum homo in amore ſui eſt, tantum removet ſe a cœlo; nam in cœlo eſt amor proximi; inde etiam ſequitur, quod quantum homo in amore ſui eſt, tantum in inferno ſit, nam in inferno eſt amor ſui.

7370 Ille homo in amore ſui eſt, qui proximum contemnit præ ſe, qui inimicum illum habet ſi non ſibi favet, & ſi non ſe colit; magis adhuc in amore ſui eſt, qui propterea proximum odio habet, & perſequitur; & magis adhuc, qui propterea flagrat vindicta contra illum, & cupit ejus perniciem: tales tandem amant ſævire contra proximum; & iidem, ſi quoque adulteri ſunt, crudeles fiunt.

7371. Jucundum, quod illi in talibus percipiunt, eſt jucundum amoris ſui; hoc jucundum apud hominem, eſt jucundum infernale: om-

ne quod ſit ſecundum amorem, jucundum eſt, quapropter ex jucundo etiam ſciri poteſt, qualis amor.

7372. Ex illis, quæ nunc memorata ſunt n: 7370, ut indiciis, cognoſcitur quinam in amore ſui ſunt: non refert qualiter apparent in externa forma, ſi vel elati vel ſubmiſſi; nam talia ſunt in interiore homine; & interior homo hodie a pleriſque occultatur, & exterior inſtruitur repræſentare illa quæ amoris publici & proximi ſunt, ita contraria; & hoc quoque propter ſe, & propter mundum.

7373. Amor autem mundi apud hominem regnat, hoc eſt, homo in amore mundi eſt, quando in illis quæ cogitat & facit non niſi quam lucrum ſpectat & intendit, nihil curans num hoc fiat cum damno proximi, & cum damno publici.

7374. Illi in amore mundi ſunt, qui cupiunt aliorum bona in ſe derivare per excogitatas artes, magis qui per aſtus & dolos. Qui in illo amore ſunt, invident aliis ſua bona, & concupiſcunt illa; & quantum non timent leges, deprivant, imo deprædantur.

7375. Hi bini amores creſcunt, quantum illis laxantur fræna, & quantum homo in illos evehitur; & tandem creſcunt ultra modum, ut non tantum omnibus in ſuo regno imperare velint, ſed etiam quæ ultra ſunt, uſque ad fines terræ; imo, amores illi, quando illis laxantur fræna, aſcendunt uſque ad Deum univerſi, hoc eſt, in tantum, ut illi, qui in illis ſunt, ſcandere velint in thronum Dei, & pro ipſo Deo coli; ſecundum hæc apud Eſaiam de Lucifero, per quem intelliguntur qui in illis amoribus ſunt, ac Babel vocantur "*Tu dixiſti in corde tuo, cœlos aſcendam, ſuper ſtellas Dei exaltabo thronum meum, & ſedebo in monte conventis, in lateribus ſeptentrionis: aſcendam ſupra excelſa nubis, & ſimilis fiam Altiſſimo; ſed ad infernum demiſſus es*" XIV: 13. 14. 15.

7376. Ex his nunc conſtare poteſt, quod illi bini amores ſint origines omnium malorum, ſunt enim e diametro contra amorem erga proximum, & contra amorem in Dominum; ita e diametro contra cœlum, ubi amor in Dominum & amor erga proximum regnant; conſequenter ſunt amores illi, nempe amor ſui & amor mundi, qui faciunt infernum apud hominem, nam in inferno hi bini amores regnant.

7377. Sed illi in his amoribus non ſunt, qui aſpirant ad honores non propter ſe ſed propter patriam; & qui aſpirant ad opes non propter opes, ſed propter neceſſitates vitæ & ſuæ & ſuorum, tum propter uſum bonum, propter quem opulentia delectat; honores & opes apud hos ſunt media benefaciendi.

CAPUT

CAPUT VIII.

1. ET dixit JEHOVAH ad Moſchen, dic ad Aharonem, extende manum tuam baculo tuo, ſuper flumina, ſuper fluvios, & ſuper ſtagna; & fac aſcendere ranas ſuper terram Ægypti.

2. Et extendit Aharon manum ſuam ſuper aquas Ægypti, & aſcendit rana, & obtexit terram Ægypti.

3. Et fecerunt ita magi Ægypti incantationibus ſuis, & aſcendere fecerunt ranas ſuper terram Ægypti.

4. Et vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, & dixit, ſupplicate ad JEHOVAM, & removeat ranas a me, & a populo meo, & dimittam populum, & ſacrificent JEHOVÆ.

5. Et dixit Moſcheh ad Pharaonem, honorem habe ſuper me, quouſque ſupplicabo tibi & ſervis tuis, & populo tuo, ad exſcindendum ranas a te, & a domibus tuis; tantum in fluvio ſupererunt.

6. Et dixit, ad craſtinum; & dixit, ſecundum verbum tuum, propterea ut ſcias, quod nullus ſicut JEHOVAH DEUS noſter.

7. Et removebuntur ranæ a te, & a domibus tuis, & a ſervis tuis, & a populo tuo, tantum in fluvio ſupererunt.

8. Et exivit Moſcheh & Aharon a cum Pharaone, & clamavit Moſcheh ad JEHOVAM ſuper verbo ranarum, quas impoſuit Pharaoni.

9. Et fecit JEHOVAH ſecundum Verbum Moſchis; & mortuæ ſunt ranæ e dominibus ex atriis, & ex agris.

10. Et congregaverunt illas acervis acervis; & putuit terra.

11. Et vidit Pharaoh, quod facta reſpiratio, & aggravavit cor ſuum, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus JEHOVAH.

12. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, dic ad Aharonem, extende baculum tuum, & percute pulverem terræ, & erit in pediculos in omni terra Ægypti.

13. Et fecerunt ita, & extendit Aharon manum ſuam baculo ſuo, & percuſſit pulverem terræ, & fuit pediculus in homine & in beſtia:

omnis pulvis terræ factus eſt pediculus in tota terra Ægypti.

14. Et fecerunt ita magi incantationibus ſuis ad educendum pediculos; & non potuerunt, & fuit pediculus in homine & in beſtia.

15. Et dixerunt magi ad Pharaonem, digitus Dei hoc: & obfirmatum cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus Jehovah.

16. Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſurge mane in matutino, & conſiſtas coram Pharaone, ecce egreditur ad aquas, & dicas ad illum, ita dicit Jehovah, mitte populum meum, & ſerviant Mihi.

17. Quia ſi haud tu dimittis populum meum, ecce Ego immitto in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, Volatile noxium; & implebuntur domus Ægyptiorum Volatili noxio, & etiam terra ſuper qua illa.

18. Et diſtinguam in die illo terram Goſchen, ſuper qua populus meus ſtat, ut non eſſe ibi Volatile noxium, propterea ut ſcias, quod Ego Jehovah in medio terræ.

19. Et ponam redemptionem inter populum meum & inter populum tuum; ad cras erit ſignum hoc.

20. Et fecit Jehovah ita, & venit Volatile noxium grave domum Pharaonis, & domum ſervorum illius, & in omnem terram Ægypti; perdebatur terra a coram volatili noxio.

21. Et vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, & dixit, ite, ſacrificate Deo veſtro in terra.

22. Et dixit Moſcheh, non conſultum facere ita, quia abominationem Ægyptiorum ſacrificaremus Jehovæ Deo noſtro, ecce ſacrificaremus abominationem Ægyptiorum ad oculos illorum, nonne lapidabunt nos.

23. Viam trium dierum ibimus in deſertum, & ſacrificabimus Jehovæ Deo noſtro, quemadmodum dixit ad nos.

24. Et dixit Pharao, ego dimittam vos, & ſacrificetis Jehovæ Deo veſtro in deſerto, tantum elongando non elongetis vos ad eundum; ſupplicate pro me.

25. Et dixit Moſcheh, ecce ego egredior a cum te, & ſupplicabo ad Jehovam, & removeat volatile noxium a Pharaone, a ſervis illius, & a populo illius, cras; tantum ne addat Pharao illudere, quominus dimittat populum ad ſacrificandum Jehovæ.

26. Et egreſſus Moſcheh a cum Pharaone, & ſupplicavit ad Jehovam.

27. Et fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis, & removit volatile

latile noxium a Pharaone, a ſervis illus, & a populo illius; non relictum unum.

28. Et aggravavit Pharao cor ſuum etiam vice hac, & non dimiſit populum.

CONTENTA.

7378. Continuatur in hoc Capite in ſenſu interno de vaſtatione illorum qui in falſis ſunt & probos infeſtant in altera vita: duo primi gradus vaſtationis deſcripti ſunt in præcedente Capite, tum quoque tertius gradus quoad partem, qui erat ut non niſi quam ex meris falſis ratiocinarentur; ratiocinationes ex meris falſis ſignificantur per ranas; de his continuatur in hoc Capite; & dein agitur de quarto & quinto gradu vaſtationis illorum qui in falſis ſunt, & infeſtant probos in altera vita; quartus gradus eſt, quod eſſent in malis, quæ omne bonum apud illos perderent, etiam quicquid illis eſſet ex bono naturali; hæc ſignificantur per pediculos ex pulvere terræ: quintus gradus eſt, quod in falſis ex malis illis eſſent, per quæ perderetur omne verum; hæc ſignificantur per volatile noxium.

SENSUS INTERNUS.

7379. Verſ: 1 ad 10. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, dic ad Aharonem, extende manum tuam baculo tuo, ſuper flumina, ſuper fluvios, & ſuper ſtagna, & fac aſcendere ranas ſuper terram Ægypti. Et extendit Aharon manum ſuam ſuper aquas Ægypti, & aſcendit rana, & obtexit terram Ægypti. Et fecerunt ita magi Ægypti incantationibus ſuis, & aſcendere fecerunt ranas ſuper terram Ægypti. Et vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, & dixit, ſupplicate ad Jehovam, & removeat ranas a me, & a populo meo; & dimittam populum, & ſacrificent Jehovæ. Et dixit Moſcheh ad Pharaonem, honorem habe ſuper me, quouſque ſupplicabo tibi, & ſervis tuis, & populo tuo, ad exſcindendum ranas a te, & a domibus tuis; tantum in fluvio ſupererunt. Et dixit, ad craſtinum, & dixit, ſecundum verbum tuum; propterea ut ſcias, quod nullus ſicut Jehovah Deus noſter. Et removebuntur ranæ a te, & a domibus tuis, & a ſervis tuis, & a populo tuo, tantum in fluvio ſupererunt. Et exivit Moſcheh & Aharon a cum Pharaone, & clamavit Moſcheh ad Jehovam ſuper verbo ranarum, quas impoſuit Pharaoni. Et fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis; & mortuæ ſunt ranæ e domibus, ex atriis, & ex agris. Et congregaverunt illos acervis acervis, & putuit terra.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem:

ſtructionem: dic ad Aharonem, ſignificat influxum Legis internæ in legem externam: extende manum tuam baculo tuo, ſignificat potentiam veri interni per verum externum: ſuper flumina, ſuper fluvios, & ſuper ſtagna, ſignificat contra falſa: & fac aſcendere ranas ſuper terram Ægypti, ſignificat ratiocinationes ex meris falſis: & extendit Aharon manum ſuam ſuper aquas Ægypti, ſignificat effectum potentiæ veri interni per verum externum contra falſa: & aſcendit rana, ſignificat ratiocinationes ex meris falſis: & obtexit terram Ægypti, ſignificat mentem naturalem quod talis facta: & fecerunt ita magi Ægypti incantationibus ſuis, ſignificat abuſum ordinis Divini, unde ſimile in externa forma: & aſcendere fecerunt ranas ſuper terram Ægypti, ſignificat quoad ratiocinationes ex mente naturali: & vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, ſignificat præſentiam Legis Divinæ: & dixit, ſupplicate ad Jehovam, ſignificat ex tædio humiliationem: & removeat ranas a me, & a populo meo, ſignificat ut non adigerentur ad ratiocinandum ex meris falſis: & dimittam populum, & ſacrificent Jehovæ, ſignificat quod relinquerent tunc illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Deum ſuum: & dixit Moſcheh ad Pharaonem, ſignificat reſponſum: honorem habe ſuper me, ſignificat quod fidendum Legi Divinæ: quouſque ſupplicabo tibi, & ſervis tuis, & populo tuo, ſignificat interceſſionem pro illis qui in falſis & infeſtant: ad exſcindendum ranas a te, & a domibus tuis, ſignificat ut ceſſent ratiocinationes: tantum in fluvio ſupererunt, ſignificat quod remanſuræ cum falſis ubi illa: & dixit ad craſtinum, ſignificat in perpetuum: & dixit, ſecundum verbum tuum, ſignificat confirmationem inde: ut ſcias quod nullus ſicut Jehovah Deus noſter, ſignificat quod unus Deus, & non præter ipſum: & removebuntur ranæ a te, & a domibus tuis, & a ſervis tuis, & a populo tuo, ſignificat quod non adigerentur ratiocinari ex meris falſis: tantum in fluvio ſupererunt, ſignificat quod remanerent cum falſis ubi illa: & exivit Moſcheh & Aharon a cum Pharaone, ſignificat ſeparationem ab illis qui ex meris falſis ratiocinati ſunt: & clamavit Moſcheh ad Jehovam ſuper verbo ranarum, quas impoſuit Pharaoni, ſignificat interceſſionem: & fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis, ſignificat quod ita factum ſecundum verbum Domini: & mortuæ ſunt ranæ e domibus, ex atriis, & ex agris, ſignificat quod apud illos ceſſarent ratiocinationes ex meris falſis ubique in naturali: & congregaverunt illos acervis acervis, ſignificat quod falſa illa ratiocinantia faſciculatim in naturali diſponerentur: & putuit terra, ſignificat tetrum inde & averſatile.

7380. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet inſtructionem, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit inſtructio, de qua n: 7186. 7304. Quid *dicere* in Hiſtoricis Verbi ſignificat, patet ab illis quæ ſequuntur, nam illa involvit: quod hic ſignificat inſtructionem, eſt quia dicitur a Jehovah quid ulterius agendum; Moſcheh etiam repræſentat Legem Divinam, per quam a Jehovah fit inſtructio.

7381. Dic ad Aharonem, quod ſignificet influxum Legis internæ in legem externam, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina,

de

de qua n: 6722. 6752; & ex repræſentatione Aharonis, quod ſit doctrina boni & veri, de qua n: 6998. 7089; doctrina boni & veri, quam Aharon repræſentat, non aliud eſt quam Lex externa, exiſtens a Lege Interna, hoc eſt, per Legem internam a Divino; & ex ſignificatione dicere, quod ſit influxus, ut n: 6152. 6291. 7291; quod dicere hic ſit influxus, eſt quia Moſcheh diceret ad Aharonem, & Moſcheh eſt Lex interna, & Aharon externa, & influxus a Divino fit per Internum in Externum: Lex interna eſt ipſum Verum Divinum, quale eſt in cœlo, & Lex externa eſt Verum Divinum quale eſt in terra; ita Lex interna eſt Verum accommodatum Angelis, & Lex externa eſt verum accommodatum hominibus. Quia Lex interna, quam Moſcheh repræſentat, eſt Verum accommodatum Angelis, & Lex externa, quam Aharon repræſentat, eſt Verum accommodatum hominibus, de illis licet hic aliquid dicere; Verum accommodatum Angelis, eſt quoad maximam partem hominibus incomprehenſibile, hoc conſtat ex eo, quod talia in cœlo videantur & dicantur, quæ oculus nuſquam viderat, nec auris uſquam audiverat; cauſa eſt, quia illa, quæ apud Angelos dicuntur, ſunt ſpiritualia, quæ abſtracta ſunt a naturalibus, conſequenter remota ab ideis & vocibus loquelæ humanæ; homo enim ideas ſuas formaverat ex illis quæ in natura ſunt, & quidem in natura craſſiore, hoc eſt, ab illis quæ in mundo & ſuper terra viderat, & ſenſu tetigerat, quæ materialia ſunt; ideæ cogitationis interioris apud hominem, tametſi ſupra materialia ſunt, uſque in materialibus terminantur, & ubi terminantur ibi apparent eſſe, inde percipit quid cogitat; inde patet, quomodo ſe habet cum vero fidei, & quale eſt, quod cadit in cogitationem hominis, & quod vocatur Lex externa, & repræſentatur per Aharonem; illuſtretur hoc exemplo; homo nequaquam cogitare poteſt abſque idea temporis & ſpatii, hæc idea adhæret pæne ſingulis quæ homo cogitat; ſi idea ex tempore & ſpatio auferretur homini, non ſciret quid cogitat, vix num cogitet; aſt ideis angelorum nihil ex tempore & ſpatio ineſt, ſed loco illorum ſunt ſtatus; cauſa eſt, quia mundus naturalis ſe diſtinguit a mundo ſpirituali per tempus & ſpatium: quod tempus & ſpatium ſit in mundo naturali, & pro illis ſtatus in mundo ſpirituali, eſt, quia in mundo naturali apparet ſol per apparentes circumvolutiones facere dies & annos, ac diſtinguere dies in quatuor tempora, in noctem, mane, meridiem & veſperam, & annos quoque in quatuor tempora, in hyemem, ver, æſtatem, & autumnum, & hoc quoque per variationes lucis & umbræ, tum caloris & frigoris; inde ideæ temporis, & ejus variationum; ideæ ſpatii exiſtunt ex menſuratione per tempora, quare ubi unum eſt, ibi eſt alterum: at in mundo ſpirituali, Sol cœli, unde lux ſpiritualis & calor ſpiritualis, non circumgyrationes & circumvolutiones facit, ac inde ideas temporis & ſpatii inducit; lux quæ ex ſole illo eſt Verum Divinum, & calor qui ex ſole illo, eſt Bonum Divinum; ex his exiſtunt ideæ ſtatuum apud angelos, ſtatus intelligentiæ & fidei a Vero Divino, ac ſtatus ſapientiæ & amoris a Bono Divino; variationes horum ſtatuum apud angelos ſunt, quibus correſpondent in mundo ſtatus lucis & umbræ, tum caloris & frigoris, quæ ſunt ſolis cum tempora facit, & ſpatia menſurat.

Ex

Ex hoc exemplo conſtare aliquatenus poteſt, quale eſt verum internum ſeu verum accommodatum angelis, quod Lex interna vocatur, & quale eſt verum externum, ſeu verum accommodatum hominibus, quod Lex externa dicitur; tum unde eſt; quod, quæ angeli apud ſe loquuntur, homini ſint incomprehenſibilia, & quoque ineffabilia.

7382. Extende manum tuam baculo tuo, quod ſignificet potentiam veri interni per Verum externum, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia ſpiritualis, quæ eſt veſtri interni; & ex repræſentatione baculi, quod ſit potentia naturalis, quæ eſt veri externi, de quibus n: 6947. 6948; quod omnis potentia in ſpirituali mundo ſit veri, videatur n: 3091. 3387. 4931. 6344. 6413. 6948: quia Moſcheh repræſentat Legem internam, quæ eadem eſt cum Vero interno, & Aharon repræſentat Legem externam, quæ eadem eſt cum Vero externo, & quia Verum internum influit in Verum externum, & ei dat potentiam, n: 7381, idcirco per verbum Moſchis ad Aharonem "extende manum tuum baculo tuo" ſignificatur potentia Veri interni per verum externum.

7383. Super flumina, ſuper fluvios, & ſuper ſtagna, quod ſignificet contra falſa, conſtat ex ſignificatione fluminum & fluviorum Ægypti, quod ſint doctrinalia falſi, de qua n: 7323, & ex ſignificatione ſtagnorum, quod ſint ſcientifica illis inſervientia, de qua n: 7324, ita ſunt falſa, quæ per flumina, fluvios, & ſtagna ſignificantur.

7384. Et fac aſcendere ranas ſuper terram Ægypti, quod ſignificet ratiocinationes ex meris falſis, de qua n: 7351. 7352; illæ etiam ratiocinationibus ex falſis correſpondent, nam omnia & ſingula, quæ in mundo naturali ſunt, correſpondentiam habent cum illis quæ in mundo ſpirituali; & hoc ex cauſa, quia naturale per ſpirituale exiſtit; ideo univerſa natura eſt theatrum repræſentativum mundi ſpiritualis, n: 2758. 3483. 4939.

7385. Et extendit Aharon manum ſuam ſuper aquas Ægypti, quod ſignificet effectum potentiæ veri interni per verum externum contra falſa, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit doctrina veri & boni, ita verum externum, de qua n: 6998. 7009. 7089; ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 4931 ad 4937, hic potentia veri interni per verum externum, ut ſupra n: 7382; & ex ſignificatione aquarum Ægypti, quod ſint falſa, de qua n: 6693. 7307; effectus ſignificatur per quod extendit manum & aſcendit rana: ex his patet, quod per extendit Aharon manum ſuam ſuper aquas Ægypti, ſignificetur effectus potentiæ veri interni per verum externum contra falſa.

7386. Et aſcendit rana, quod ſignificet ratiocinationes ex meris falſis conſtat ex illis ſupra n: 7384.

7387. Et obtexit terram Ægypti, quod ſignificet mentem naturalem, quod talis facta, conſtat ex ſignificatione obtegere, quod, quia de mente naturali dicitur, ſit quod falſis & inde ratiociniis oppleta ſit, ita quod talis facta ſit; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

7388. Et fecerunt ita magi Ægypti incantationibus ſuis, quod ſignificet abuſum ordinis Divini, unde ſimile in externa forma, videatur n: 7296. 7297. 7337, ubi ſimilia.

7389. Et aſcendere fecerunt ranas ſuper terram Ægypti, quod ſignificet quoad ratiocinationes ex mente naturali, conſtat ex ſignificatione ranarum, quod ſint ratiocinationes ex meris falſis, de qua n: 7351. 7352. 7384; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua mox ſupra n: 7387.

7390. Et vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, quod ſignificet præſentiam Legis Divinæ, conſtat ex ſignificatione vocare, quod ſit præſentia, de qua n: 6177, quod vocare ſit præſentia, eſt quia vocare eſt velle loqui cum illo, & communicare quæ cogitat, & in altera vita ex lege ordinis eſt, quod is præſens ſiſtatur, cum quo aliquis vult loqui, & deſiderat communicare quæ cogitat; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis ſunt & infeſtant, de qua ſæpe prius; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex interna, & ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Lex externa, de quibus ſupra n: 7381.

7391. Et dixit, ſupplicate ad Jehovam, quod ſignificet ex tædio humiliationem, conſtat ex ſignificatione ſupplicare ad Jehovam, quod ſit humiliatio, nam qui ſupplicat, in humiliatione eſt, ſimiliter qui petit ut alius pro ſe ſupplicet; cauſa quod ſupplicare ſit humiliatio, eſt quia Angeli non attendunt ad ſupplicationem, ſed ad humiliationem, in qua eſt homo cum ſupplicat, ſupplicatio enim abſque humiliatione eſt modo vox ſonans, quæ ad auditum & perceptionem Angelorum non venit. Quod tædium ſit cauſa, nempe tædium ratiocinandi ex meris falſis, in nunc ſequentibus videbitur.

7392. Et removeat ranas a me, & a populo meo, quod ſignificet ut non adigerentur ad ratiocinandum ex meris falſis, conſtat ex ſignificatione removere, quod ſit non adigi, nam cauſa ſupplicationis erat tædium, ex eo quod adigerentur ad ratiocinandum ex meris falſis; & ex ſignificatione ranarum, quod ſint ratiocinationes ex meris falſis, de qua n: 7351. 7352; & ex repræſentatione Pharaonis, tum Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua ſæpius. Quod tædium attinet, propter quod ſupplicatio ſeu humiliatio illorum qui infeſtant, ſciendum, quod hoc injucundum illis ſit, nam per ratiocinationes ex meris falſis malefacere non poſſunt, mera enim falſa, quæ ſunt negativa veri, rident probi, hic illi qui ab Eccleſia ſpirituali Domini, quos infeſtabant; at per falſa, quæ ex fallaciis & ex apparentiis, per quas falſificantur vera, quæ ſignificata ſunt per ſanguinem, in quem aquæ in Ægypto verſæ ſunt, n: 7317. 7326, malefacere potuerunt, quia fallaciæ & apparentiæ ſeducunt, ſunt enim ſicut umbraculum & velamen veris; & quia non malefacere poſſunt per ratiocinia ex meris falſis, hoc eſt, ex prorſus negativis veri, injucundum illis fuit, & ideo deprecantur; nihil enim infernales delectat, quam malum facere, quocunque modo id fieri poteſt; malefacere enim eſt ipſum jucundum vitæ eorum, uſque adeo ut ſit ipſa vita eorum; quapropter cum malefacere non permittitur, in tædio ſunt: hæc cauſa eſt, quod Pharao deprecatus ſit malum ranarum, non autem malum ſanguinis, de quo

 ſupra;

ſupra; nec malum pediculorum, de quo infra; nam per malum ranarum ſignificatur infeſtatio per ratiocinationes ex meris falſis, per quas non malefacere poſſunt; per malum autem ſanguinis ſignificatur infeſtatio per falſa ex fallaciis & apparentiis, quæ infeſtatio illis jucunda eſt, quia per illam malefacere poſſunt; & per malum pediculorum ſignificantur mala, quæ illis jucunda quia mala ſunt. Omnes illi jucundum in malefaciendo in altera vita percipiunt, qui in mundo non benefaciunt proximo propter proximum, non patriæ propter patriam, nec Eccleſiæ propter Eccleſiam, ſed propter ſemet; proinde qui non verum & bonum faciunt propter verum & bonum: quod illis jucundum ſit malefacere, non in mundo elucet, quia externus homo occultat illud; at in altera vita, cum externa auferuntur, & homo interioribus ſuis relinquitur, tunc jucundum illud prodit & ſe manifeſtat; inde eſt, quod in inferno ſint; qui enim ibi ſunt, omnes amant malefacere, qui autem in cœlo ſunt, omnes amant benefacere.

7393. Et dimittam populum, & ſacrificent Jehovæ, quod ſignificet quod relinquerent tunc illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Deum ſuum, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, ut n: 7312. 7349. 7350; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ut n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; & ex ſignificatione ſacrificare Jehovæ, quod ſit colere Deum ſuum; quod ſacrificia ſignificaverint omnem cultum in genere, videatur n: 6905; ita hic colere.

7394. Et dixit Moſcheh ad Pharaonem, quod ſignificet reſponſum conſtat a ſignificatione dicere, quia eſt ad Pharaonem qui nunc loquutus eſt, quod ſit reſponſum, ut quoque n: 7103.

7395. Honorem habe ſuper me, quod ſignificet quod fidendum Vero Divino, conſtat ex ſignificatione honorem habere, quod ſit fidere; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752, proinde quod ſit verum Divinum, de qua n: 6771. 7014. 7382.

7396. Quouſque ſupplicabo tibi & ſervis tuis, & populo tuo, quod ſignificet interceſſionem pro illis qui in falſis & infeſtant, conſtat ex ſignificatione ſupplicare, quia eſt pro alio, quod ſit interceſſio; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142. 7317; & quia illi per Pharaonem repræſentantur, cum etiam adjiciuntur ſervi ejus, & populus ejus, intelliguntur omnes & ſinguli, ſervi enim ſunt qui inferioris ſortis ſunt & miniſtrant, populus ſunt ſinguli: imperia & regna, repræſentantur in cœlo ſicut homo, & ſocietates quæ inibi ſunt, repræſentantur ſicut membra illius hominis; rex autem ſicut caput: repræſentativum hoc inde ducit cauſam, quia univerſum cœlum repræſentat unum hominem, ac ſocietates ibi repræſentant membra ejus, & hoc ſecundum functiones; inde conſtare poteſt, quam pulchra & jucunda repræſentatio imperii, regni, & ſocietatis, eſſet in cœlo, ſi inter ſe per charitatem & fidem ſimiliter conjuncti eſſent: Dominus etiam, ubicunque hoc dari poteſt, ita ſocietates conjungit, ipſum enim Divinum Verum, quod a Domino procedit, illum

illum ordinem introducit ubicunque ille recipitur; inde eſt ille ordo in cœlo; eſt quoque in terris, ſed ſocietates quæ illum conſtituunt ſunt ſparſæ per totum terrarum orbem, ſuntque illi qui in amore in Ipſum, & in charitate erga proximum ſunt; ſed ſparſæ illæ ſocietates a Domino collectæ ſunt; ut quoque unum hominem, ſicut ſocietates in cœlo, repræſentent; hæ ſocietates nam modo ſunt intra Eccleſiam, ſed etiam extra illam, & ſimul ſumtæ vocantur Eccleſia Domini ſparſa & collecta a bonis in univerſo terrarum orbe, quæ quoque vocatur communio; hæc communio, ſeu hæc Eccleſia, eſt Regnum Domini in terris conjunctum Regno Domini in Cœlis, ac ita conjunctum Ipſi Domino

7397. Ad exſcindendum ranas a te, & a Domibus tuis, quod ſignificet ut ceſſent ratiocinationes, conſtat ex ſignificatione ranarum, quod ſint ratiocinationes ex meris falſis, de qua n: 7351. 7352. 7384; ex ſignificatione exſcindere, quod ſit ceſſare; exſcindere enim prædicatur de ranis, at ceſſare de ratiocinationibus; a repræſentatione Pharaonis, a quo exſcinderentur ranæ, quod ſint qui in falſis ſunt & infeſtant, de qua mox ſupra n: 7369; & a ſignificatione domuum, quod ſint illa quæ mentis naturalis, quod domus ſit mens naturalis, videatur n: 4973. 5023. 7353; inde domus in plurali ſunt illa quæ ibi.

7398. Tantum in fluvio ſupererunt, quod ſignificet quod remanſuræ cum falſis ubi illa, conſtat ex ſignificatione fluvii, hic fluvii Ægypti, quod ſit falſum, de qua n: 6693. 7307; & ex ſignificatione ſupereſſe quod ſit remanere. Cum hoc ita ſe habet, omnia quæcunque intrant apud hominem, remanent apud illum, imprimis illa quæ ex affectione recipiuntur; creditur quod illa quæ intrant, prorſus obliterata & ejecta ſint, cum homo illorum non amplius reminiſcitur, ſed non obliterata aut ejecta ſunt, verum inhærent, vel in interiore memoria, vel in exteriore inter illa; quæ familiaria facta ſunt; quæ enim familiaria fiunt, ſunt ſicut naturalia, quæ fluunt ſua ſponte, & non ex ſenſibili revocatione ex memoria exciuntur; ſicut loquela hominis, cujus voces ex cogitatione ſponte affluunt, etiam geſtus & actiones, imo greſſus; ut quoque cogitare; hæc intrant ab infantia ſucceſſive, & tempore fiunt familiaria, & tunc ſua ſponte fluunt; ex quibus, ut ex ſimilibus aliis, conſtat, quod omnia, quæ intrant apud hominem, remaneant, & quod quæ habitum traxerunt, hoc eſt, quæ familiaria facta ſunt, non amplius appercipiantur ineſſe, cum tamen inſunt; ita ſe habet cum falſis & malis, quæ intrant apud hominem; & quoque cum veris & bonis; talia ſunt quæ formant illum, & faciunt ut talis ſit; quod omnia quæ homo vidit, audivit, cogitavit, loquutus eſt, & egit, inſcripta ſint, videatur n: 2474. 2489. Ex his nunc patet, quomodo intelligendum, quod ratiocinationes remanſuræ cum falſis ubi illa; falſa enim, poſtquam removentur, ſua loca alibi in naturali ſortiuntur, & cum falſis conatus & cupiditas ratiocinandi; ſed non ut prius in medio directe ſub intuitione mentis. Inde eſt, quod, ut in ſequentibus memoratur, ranæ congregatæ ſint in acervos, & quod ex illis putuerit terra, per quæ ſignificatur quod falſa illa ratiocinantia faſciculatim

tim in naturali diſpoſita ſint, & quod inde tetrum & averſatile, vide infra n: 7408. 7409.

7399. Et dixit ad craſtinum, quod ſignificet in perpetuum, conſtat ex ſignificatione in craſtinum, quod ſit in perpetuum, & in æternum, de qua n: 3998.

7400. Et dixit, ſecundum verbum tuum, quod ſignificet confirmationem inde, conſtat abſque explicatione.

7401. Ut ſcias quod nullus ſicut Jehovah Deus noſter, quod ſignificet quod unus Deus, & non præter Ipſum, conſtat ex eo, quod cum in ſenſu hiſtorico dicitur, quod nullus ſit ſicut Jehovah Deus, in ſenſu interno intelligatur, quod nullus Deus præter Ipſum, & quia nullus præter ipſum, quod unus Deus ſit; in Verbo aliquoties dicitur, quod nullus ſit ſicut Jehovah Deus, tum quoque quod nullus Deus ſit ſicut Ipſe; ita dictum eſt in Verbo, quia eo tempore, in terra ubi Eccleſia, ſicut etiam in terris ubi non Eccleſia, plures deos coluerunt, & quiſque ſuum deum prætulit deo alterius; diſtinguebant illos per nomina, ac Iſraelitarum & Judeorum Deum per nomen Jehovæ; ipſi Judæi & Iſraelitæ crediderunt etiam plures deos dari, ſed Jehovam reliquis majorem eſſe, ob miracula; quapropter etiam cum miracula ceſſarunt, illico ad cultum aliorum deorum lapſi ſunt, ut patet ab hiſtoricis Verbi; quod unus Deus ſit, & non præter Ipſum, quidem ore dixerunt, ſed corde non crediderunt; inde nunc in Verbo dicitur, quod Jehovah ſit major reliquis diis, & nullus ſicut Ipſe; ut apud Davidem "*Quis Deus magnus ſicut Tu*, Tu Deus faciens mirabile" Pſalm: LXXVII: 14. 15: apud Eundem "*Quis ſicut Jehovah Deus noſter*" Pſalm: CXIII: 5: apud Eundem "*Deus magnus Jehovah*, & rex *magnus ſuper omnes deos*" Pſalm: XCV: 3: apud Eundem "Magnus Jehovah & laudatus valde, *timendus ille ſuper omnes Deos*" Pſalm: XCVI: 4: ideo quoque Jehovah vocatur *Deus deorum*, & Dominus dominorum" Pſalm: CXXXVI: 2. 3. Dan: II: 47: quod tamen id in ſenſu interno ſit, quod unus ſit Deus, & non præter Ipſum, patet apud Eſaiam "Recordamini priorum a ſæculo, quia Ego Deus, & *non amplius Deus*; & *non ſicut Ego*" XLVI: 9.

7402. Et removebuntur ranæ a te & a domibus tuis, & a ſervis tuis, & a populo tuo, quod ſignificet quod non adigerentur ratiocinari ex meris falſis, conſtat ex ſignificatione removeri ranæ, quod ſit non adigi ratiocinari a meris falſis, de qua ſupra n: 7392; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua prius; ex ſignificatione domuum, quod ſint illa quæ mentis naturalis, de qua n: 7397; & ex ſignificatione ſervorum & populi ejus, quod ſint omnes & ſinguli qui in falſis & infeſtant, de qua etiam ſupra n: 7396.

7403. Tantum in fluvio ſupererunt, quod ſignificet quod remanerent cum falſis ubi illa, conſtat ab illis ſupra n: 7398, ubi eadem verba.

7404. Et exivit Moſcheh & Aharon a coram Pharaone, quod ſignificet ſeparationem ab illis qui ex meris falſis ratiocinati ſunt, conſtat a ſignificatione exire, quod ſit ſeparari; a repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Lex Divina, Moſcheh Lex interna, & Aharon Lex externa, de qua n: 7381;

&

& a repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua ſupra n: 7396, hic qui infeſtant per ratiocinationes ex meris falſis.

7405. Et clamavit Moſcheh ad Jehovam ſuper verbo ranarum, quas impoſuit Pharaoni, quod ſignificet interceſſionem, conſtat ab illis quæ præcedunt, ita abſque ulteriore explicatione.

7406. Et fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis, quod ſignificet quod ita factum ſecundum verbum Domini, nam quod Moſcheh ſupplicavit, fuit quidem ex ore Moſchis, ſed uſque a Domino; nam quicquid homo cogitat & inde loquitur, & quicquid vult & inde facit, influit, eſt homo modo organum recipiens, videatur n: 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626. 6613 ad 6626; ita hæc quæ Moſcheh loquutus & fecit; idcirco hic per fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis, ſignificatur quod ita factum ſecundum verbum Domini; quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. 6281. 6905.

7407. Et mortuæ ſunt ranæ e domibus, ex atriis, & ex agris, quod ſignificet quod apud illos ceſſarent ratiocinationes ex meris falſis ubique in naturali, conſtat a ſignificatione mori, quod ſit ceſſare; ex ſignificatione ranarum, quod ſint ratiocinationes ex meris falſis, de qua ſupra; ex ſignificatione domorum, quod ſint illa quæ mentis naturalis, de qua ſupra n: 7397, hic quæ ſunt interiora ibi; ex ſignificatione atriorum, quod ſint exteriora mentis naturalis; quod naturale ſit interius & exterius, videatur n: 3293. 3294. 4570. 5118. 5497. 5649; & ex ſignificatione agrorum, quod ſint quæ communiora ſunt, ita quæ adhuc exteriora, nam agri ſunt extra domos & atria: ita per mortuæ ſunt ranæ e domibus, ex atriis & ex agris, ſignificatur quod ceſſarent ratiocinationes ex meris falſis ubique in naturali.

7408. Et congregaverunt illos acervis, acervis, quod ſignificet quod falſa illa ratiocinantia faſciculatim in naturali diſponerentur, conſtat ex ſignificatione congregari acervis acervis, quod ſit diſponi faſciculatim: quod congregari acervis illa ſint, eſt quia omnia quæ in mente hominis, in ſeries, & quaſi in faſciculos, diſpoſita ſunt; & in ſeries intra ſeries, ſeu in faſciculos intra faſciculos, videatur n: 5339. 5530. 5881; quod diſpoſitio talis ſit, patet a diſpoſitione omnium in corpore, ibi apparent fibræ in faſciculos, & glandulæ in glomeres diſpoſitæ, & hoc ubivis; perfectius adhuc in purioribus, quæ non patent coram viſu nudo; faſciculatio illa imprimis ſiſtitur videnda in Cerebro, in binis ibi ſubſtantiis, quarum una corticalis, & altera medullaris, appellatur; non diſſimiliter ſe habet in purioribus, & tandem in puriſſimis, ubi ſunt formæ, quæ recipiunt illa, ipſæ formæ vitæ; quod formæ ſeu ſubſtantiæ recipientes vitæ ſint, conſtare poteſt a ſingulis quæ apparent in vivis; tum quod formæ ſeu ſubſtantiæ recipientes ſint convenientiſſime ad influxum vitæ diſpoſitæ; abſque receptione vitæ in ſubſtantiis, quæ ſunt formæ, non daretur aliquid vivum in mundo naturali, nec in mundo ſpirituali; ſunt ſeries puriſſimorum ſtaminum, ad inſtar faſciculorum, quæ conſtituunt illos formas;

mas;

mas; ſimiliter ſe habet cum illis, quæ inibi eminenter modificantur; modificationes enim ſuam formam accipiunt a formis quæ ſunt ſubſtantiæ, in quibus ſunt, & a quibus fluunt, nam ſubſtantiæ ſeu formæ ſunt ſubjecta determinantiæ. Quod eruditi illa quæ vitæ hominis ſunt, ſicut illa quæ ejus cogitationis & voluntatis, perceperint abſque ſubſtantiis ſeu formis recipientibus, cauſa fuit, quod vitam ſeu animam crediderint eſſe vel flammeum quid, vel æthereum, ita tale quod poſt mortem diſſiparetur; inde plurium illorum inſania, quod nulla poſt mortem vita. Ex his conſtare poteſt, quomodo intelligendum, quod falſa ratiocinantia faſciculatim in naturali diſponeretur.

7409. Et putuit terra, quod ſignificet tetrum inde & averſatile, conſtat ex ſignificatione putere, quod ſit id quod tetrum & averſatile, de qua n: 4516. 7161. 7319; & ex ſignificatione terræ, hic terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

7410. Verſ: 11. 12. 13. 14. 15. *Et vidit Pharao, quod facta reſpiratio, & aggravavit cor ſuum, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus Jehovah. Et dixit Jehovah ad Moſchen, dic ad Aharonem, extende baculum tuum, & percute pulverem terræ, & erit in Pediculos in omni terra Ægypti. Et fecerunt ita, & extendit Aharon manum ſuam baculo ſuo, & percuſſit pulverem terræ, & fuit pediculus in homine & in beſtia; omnis pulvis terræ factus eſt pediculus in tota terra Ægypti. Et fecerunt ita magi incantationibus ſuis ad educendum pediculos, & non potuerunt; & fuit pediculus in homine & in beſtia. Et dixerunt magi ad Pharaonem, digitus Dei hoc: & obfirmatum cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus Jehovah.* Et vidit Pharao, quod facta reſpiratio, ſignificat quod tædium ceſſaverit: & aggravavit cor ſuum, ſignificat obſtinationem: & non audivit ad illos, ſignificat non obedientiam: quemadmodum loquutus Jehovah, ſignificat ſecundum prædictionem: Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat e novo inſtructionem: dic ad Aharonem, ſignificat influxum Legis internæ in Legem externam: extende baculum tuum, ſignificat ut oſtenderet potentiam Divinam: & percute pulverem terræ, ſignificat quod emoveret illa quæ damnata ſunt in naturali: & erit in pediculos, ſignificat quod inde exſurgent mala: in omni terra Ægypti, ſignificat per totam mentem naturalem: & fecerunt ita, ſignificat effectum: & extendit Aharon manum ſuam baculo ſuo, ſignificat potentiam veri interni per verum externum: & percuſſit pulverem terræ, ſignificat quod emoverentur damnata: & fuit pediculus in homine & in beſtia, ſignificat quod mala interiora & exteriora cupiditatum inde: omnis pulvis terræ factus eſt pediculus in tota terra Ægypti, ſignificat quod illa ex damnatis: & fecerunt ita magi incantationibus ſuis ad educendum pediculos, ſignificat conatum pervertendi ordinem Divinum, & effigiandi ſimile in his quoque: & non potuerunt, ſignificat quod incaſſum: & fuit pediculus in homine & in beſtia, ſignificat mala interiora & exteriora cupiditatum: & dixerunt magi ad Pharaonem, ſignificat perceptionem & ejus communicationem cum illis qui in malis: digitus Dei hoc, ſignificat quod potentia ex Divino eſſet: & obfir-

obfirmatum cor Pharaonis, ſignificat obſtinationem: & non audivit ad illos, ſignificat non obedientiam: quemadmodum loquutus Jehovah, ſignificat ſecundum prædictionem.

7411. Et vidit Pharao quod facta reſpiratio, quod ſignificet quod tædium ceſſaverit, conſtat ex ſignificatione quod facta reſpiratio, quod ſit quod non amplius injucundum, ita quod non amplius tædium; quod tædium & injucundum fuerit illis ratiocinari ex meris falſis, videatur ſupra n: 7392; jucundum facit homini reſpirare libere & plene, injucundum autem non libere nec plene, inde eſt quod per facta reſpiratio ſignificetur quod injucundum ſeu tædium ceſſaverit.

7412. Et aggravavit cor ſuum, quod ſignificet obſtinationem, conſtat ex ſignificatione aggravari, tum indurari ac obfirmari cor, quod ſit obſtinatio, de qua n: 7272. 7300. 7305.

7413. Et non audivit ad illos, quod ſignificet non obedientiam, ut ſupra n: 7224. 7278. 7301. 7339, ubi ſimilia verba.

7414. Quemadmodum loquutus Jehovah, quod ſignificet ſecundum prædictionem, ut ſupra n: 7302. 7340.

7415. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet e novo inſtructionem, ut n: 7186. 7226. 7267. 7304. 7380.

7416. Dic ad Aharonem, quod ſignificet influxum Legis internæ in Legem externam, ut ſupra n: 7381.

7417. Extende baculum tuum, quod ſignificet ut oſtenderet potentiam Divinam, conſtat ex ſignificatione extendere, quod ſit exercere & oſtendere, ut prius; & ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia, de qua n: 4013. 4015. 4876. 4936. 6947. 7011. 7026; quæ potentia Divina fuit, quia Aharoni nihil potentiæ fuit, minus in baculo, ſed potentia per Aharonem & ejus baculum exercebatur; quod per baculum exerceretur, erat cauſa, quia quæ intra Eccleſiam ex mandato Divino fiebant, per repræſentativa fiebant; hoc ante adventum Domini; ita per extenſionem manus & baculi, quia brachium & manus correſpondent potentiæ, & inde quoque baculus. Cauſa, quod ante adventum Domini illa quæ intra Eccleſiam ex mandato Divino fiebant, per repræſentativa fierent, erat quia omnia & ſingula repræſentabant Dominum, ac Ipſius Regnum in cœlis, & Regnum in terris ſeu Eccleſiam; quod ita ſit, etiam conſtare poteſt ex Verbo, in quo omnia & ſingula in ſupremo ſenſu agunt de Domino, & in ſenſu interno de Ipſius Regno & Eccleſia.

7418. Et percute pulverem terræ, quod ſignificet quod emoveret illa quæ damnata ſunt in naturali, conſtat ex ſignificatione percutere, quod ſit emovere; ex ſignificatione pulveris, quod ſit damnatum, de qua ſequitur; & ex ſignificatione terræ, hic terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua ſupra n: 7409. Quod pulvis ſit damnatum, eſt quia loca, ubi mali ſpiritus ſunt, ad latera ſub plantis pedum, apparet ut terra, & quidem ut terra inexculta & arida, ſub qua terra ſunt quædam inferna; illa terra eſt quæ vocatur terra damnata, & pulvis ibi ſignificat damnatum; aliquoties videre datum eſt,

eſt, quod mali ſpiritus excuterent ibi pulverem pedibus ſuis, cum aliquem vellent damnationi dare; hoc viſum eſt ad dextrum paulo antrorſum, in confinio ad infernum magorum, ubi dejiciuntur in infernum ſuum ſpiritus, qui, dum vixerunt in mundo, in ſcientia fidei fuerunt, & uſque vitam mali egerunt: inde nunc eſt, quod per pluverem ſignificetur damnatum, & per excutere pulverem damnatio. Quia id ſignificabatur, mandatum eſt a Domino diſcipulis, ut excuterent pulverem pedum, ſi non exciperentur, de quo ita apud Matthæum "Quiſquis non axceperit vos, neque audiverit verba veſtra, egredientes e domo aut urbe illa, *excutite pulverem pedum veſtrorum:* amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomæ & Gomorrhæ in die judicii, quam urbi illi" x: 14, 15. Marc: VI: 11. Luc: IX: 5. Cap: X: 10. 11. 12; per diſcipulos ibi non intelliguntur diſcipuli, ſed omnia Eccleſiæ, ita omnia fidei & charitatis, n: 2089. 2129 f. 2130 f. 3354. 3858. 3913. 6397; per non excipere, & non audire, ſignificatur rejicere vera quæ fidei & bona quæ charitatis; per excutere pulverem pedum ſignificatur damnatio; quod tolerabilius erit Sodomæ & Gomorrhæ quam urbi illi, eſt quia per Sodomam & Gomorrham intelliguntur illi qui in malo vitæ ſunt, ſed qui de Domino ac de Verbo nihil noverunt, ita nec recipere potuerunt; inde conſtare poteſt, quod non domus aut urbs, quæ non receptura eſſet diſcipulos, intelligatur, ſed quod illi qui intra Eccleſiam ſunt, & non vivunt vitam fidei; quiſque videre poteſt, quod idcirco tota urbs non damnata eſſe poſſet, quia non receperunt diſcipulos, & illico agnoverunt novam doctrinam quam prædicabant. Per pulverem etiam ſignificatur damnatum quem olim impoſuerunt Capiti, cum in dolore & pænitentia eſſent; ut apud Jeremiam "Sedent in *terra*, tacent ſeniores filiæ Zionis, *aſcendere fecerunt pulverem ſuper caput ſuum*; cinxerunt ſe ſaccis, deſcendere fecerunt *in terram* caput ſuum virgines Hieroſolymæ" Thren: II: 10. Apud Ezechielem "Clamabunt amare, *& aſcendere facient pulverem ſuper capita ſua*; in cinere volutant ſe" XXVII: 30. Apud Micham "Flendo ne fleatis in domo Aphræ, *in pulvere te voluta*" I: 10. Apud Johannem "*Injecerunt pulverem in capita ſua*, & clamabant flentes & plangentes" Apoc: XVIII: 19; & quoque in Hiſtoricis Verbi paſſim; per pulverem ſuper capita, & per dejectionem corporis & capitis in terram, ac volutionem ibi in pulvere, repræſentabatur Humiliatio, quæ, cum genuina, talis eſt, ut agnoſcat & percipiat ſe damnatum; ſed a damnatione receptum a Domino, videatur n: 2327. 3694. 4347. 5420. 5957. Per pulverem, in quem contuſus eſt & commolitus vitulus aureus, quem fecerunt in deſerto, etiam damnatum ſignificatur, de quo ita apud Moſchen "Peccatum veſtrum, quod feciſtis, *Vitulum ſumſi*, & combuſſi illum igne; *& contudi illum molendo probe*, *uſque dum attenuatus eſt in Pulverem*, & *pulverem* illius projeci in rivum deſcendentem e monte" Deut: IX: 21. Per pulverem etiam ſignificatur damnatum in ſequentibus locis; in Geneſi "Dixit Jehovah Deus ad ſerpentem, ſuper ventre tuo ambulabis, & *pulverem edes* omnibus diebus vitæ tuæ" III: 14. Apud Micham "Paſce populum tuum juxta dies æternitatis, videbunt gentes, & erubeſcent ab omni potentia

ſua,

ſua, *lambent pulverem ſicut ſerpens*" VII: 14. 16. 17. Apud Eſaiam "*Serpenti pulvis panis*" LXV: 1. Apud Eundem "Deſcende & *ſede ſuper pulvere*, virgo filia Babelis" XLVII: 1. Apud Davidem "*Incurvata eſt ad pulverem anima noſtra*, adhæſit *terræ* venter noſter" Pſalm XLIV: 26. Apud Eundem "*Adhæret pulveri anima mea*, vivifica me" Pſalm: CXIX: 25. Pulvis in Verbo etiam ſignificat Sepulchrum, tum Humile, ut & Numeroſum.

7419. Et erit in pediculos, quod ſignificat quod inde exſurgent mala, conſtat a ſignificatione pediculorum, quod ſint mala; quæ autem mala ſunt, & ex qua origine, conſtare poteſt a correſpondentia malorum cum talibus, quod ſint imprimis mala quæ in ſenſuali, ſeu in prorſus externo homine; correſpondentia inde eſt, quia pediculi in extrema cute ſunt, & ibi intra ſordes & ſub ſcabie: ſenſuale illorum, qui in ſcientia fidei fuerunt, at in vita mali, eſt quoque tale; cum illis aufertur ſcientia illa, ut fit talibus in altera vita, tunc ſunt craſſæ & obeſæ mentis: apparuerunt aliquoties, ſunt tetri & averſatiles: infeſtationes per mala, ſignificantur per quod mordeant. Quod pediculi illa ſignificent, non ex aliis locis in Verbo confirmari poteſt, nam memorantur ſolum apud Davidem, ubi de Ægypto, Pſalm: CV: 31.

7420. In omni terra Ægypti, quod ſignificet per totam mentem naturalem, conſtat ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

7321. Et fecerunt ita, quod ſignificet effectum, conſtat abſque explicatione.

7422. Et extendit Aharon manum ſuam baculo ſuo, quod ſignificet potentiam veri interni per verum externum, conſtat ab illis ſupra n: 7382, ubi ſimilia verba.

7423. Et percuſſit pulverem terræ, quod ſignificet quod emoverentur damnata, conſtat ex illis ſupra n: 7418.

7424. Et fuit pediculus in homine & in beſtia, quod ſignificet quod mala interiora & exteriora cupiditatum inde, conſtat ex ſignificatione pediculorum, quod ſint mala, de qua n: 7419; ex ſignificatione hominis, quod ſit bonum, de qua n: 4287. 5302, ita in oppoſito ſenſu malum: & ex ſignificatione beſtiæ, quod ſit affectio boni, & in oppoſito ſenſu affectio mali, ſeu cupiditas, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776. 2179. 2180. 3218. 3519. 5198; ſed cum nominatur homo & beſtia, tunc per hominem ſignificatur bonum interius, & in oppoſito ſenſu malum interius, & per beſtiam bonum exterius, & in oppoſito ſenſu malum exterius. Cauſa quod per hominem ſignificetur bonum vel malum interius, eſt quia homo eſt homo ex interno ſuo homine, & ejus quali, non autem ab externo homine, nam externus homo non eſt homo abſque interno; utque externus homo etiam ſit homo, erit is prorſus ſubordinatus interno, adeo ut non ex ſe ſed ex interno agat; quod per beſtiam ſignificetur bonum exterius, & in oppoſito ſenſu malum exterius, eſt quia beſtiis non datur internum quale apud hominem; internum quod illis eſt, immerſum eſt externo, adeo, ut unum ſit cum illo, & ſimul ſpectet deorſum ſeu verſus terram, abſque ulla eleva-

tione verſus interiora Mala cupiditatum dicuntur, quia omnia mala ſunt cupiditatum, quia cupiditates ſunt amorum. Mala interiora diſtinguuntur a malis exterioribus per id, quod mala interiora ſint quæ cogitationis & voluntatis, & mala exteriora quæ ſunt actus; quod mala interiora ſint & non exteriora, patet ex eo, quod homo poſſit eſſe malus, & tamen in externa forma apparere ſicut vir probus, imo ſicut vir fidei & conſcientiæ; quidam etiam ſciunt mentiri angelos, cum tamen interius ſunt diaboli; tantum diſcrepare poteſt forma interior quæ eſt ſpiritus a forma exteriore quæ eſt corporis.

7425. Omnis pulvis terræ factus eſt pediculus in tota terra Ægypti, quod ſignificet quod illa ex damnatis, conſtat a ſignificatione pulveris terræ, quod ſit damnatum, de qua ſupra n: 7418; ex ſignificatione pediculorum, quod ſint mala, de qua n: 7419; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua etiam ſupra n: 7420.

7426. Et fecerunt ita magi incantationibus ſuis ad educendum pediculos, quod ſignificet conatum pervertendi ordinem Divinum, & effigiandi ſimile in his quoque, conſtat ex ſignificatione fecerunt, quod ſit conatus ſimile agendi, nam ſequitur quod non potuerunt; ex ſignificatione magorum & incantationum, quod ſint pervertere ordinem Divinum, & effigiare ſimile in externa forma, de qua n: 7296. 7297. 7337; & ex ſignificatione educere pediculos, quod ſit producere illa mala, quæ per pediculos ſignificantur, de qua n: 7419.

7427. Et non potuerunt, quod ſignificet incaſſum, conſtat abſque explicatione.

7428. Et fuit pediculus in homine & in beſtia, quod ſignificet mala interiora & exteriora, conſtat ex illis quæ ſupra n: 7424, dicta ſunt, ubi ſimilia verba.

7429. Et dixerunt magi ad Pharaonem, quod ſignificet perceptionem & communicationem cum illis qui in malis, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1829. 1919. 2080. 2619. 2862. 3509. 5743, quod etiam ſit communicatio, n: 3060. 4131. 6228. 7291. 7381; ex ſignificatione magorum, quod ſint illi qui pervertunt ordinem Divinum, & effigiant ſimile in externa forma, de qua mox ſupra n: 7426; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis & infeſtant, de qua n: 6651. 6679. 6683. 7107. 7110. 7126. 7142. 7317, hic qui in malis, quia nunc in ſtatu mali ſunt, poſtquam falſa ratiocinantia adempta ſunt, ut patet ab illis quæ præcedunt.

7430. Digitus Dei hoc, quod ſignificet quod potentia ex Divino eſſet, conſtat ex ſignificatione digiti Dei, quod ſit potentia a Divino; quod digitus ſit potentia, eſt quia digiti ſunt manuum, & per manus ſignificatur potentia, n: 878. 4931 ad 4937. 6344. 6413. 6948. Quod digitus ſit potentia, conſtat etiam ab his locis "Quando aſpicio cœlos, *opus digitorum tuorum*, lunam & ſtellas, quas præparaſti" Pſalm: VIII: 4. Apud Lucam. "Jeſus dixit, ſi *per digitum Dei* ejicio dæmonia, utique pervenit ad vos Regnum

num Dei" XI : 20. Quod Jeſus aſſumſerit ſurdum ægre loquentem a populo ſeorſum, & *injecerit digitum ſuum in aures illius*, & expuens tetigerit linguam illius" Marc: VII: 32. 33, etiam repræſentativum potentiæ Divinæ fuit. Quod digitus repræſentet potentiam, patet quoque a ritualibus Eccleſiæ apud Judæos, quod ſanguis mitteretur ſuper pollicem, & quod ſacerdos ſanguinem digito ſpargeret, de quibus ita apud Moſchen "Mactabis arietem, & *dabis de ſanguine ſuper pollicem manus Aharonis & filiorum ejus dextræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri*" Exod: XXIX: 10. "Accipiet ſacerdos de ſanguine reatus, & dabit ſacerdos ſuper auriculam auris mundandi a lepra dextræ, & *ſuper pollicem manus ejus dextræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri*. Dein intinget ſacerdos *digitum ſuum dextrum* de oleo, quod ſuper *vola illius ſiniſtra*, & ſparget de oleo *in digito* ſeptem vicibus coram Jehovah; de reſiduo olei, quod ſuper vola illius, dabit ſacerdos ſuper auriculam auris mundandi dextræ, & *ſuper pollicem manus ejus dextræ, et ſuper pollicem pedis ejus dextri*" Levit: XIV: 14. 16. 17. "Sumes de ſanguine juvenci, & dabis ſuper cornua altaris *digito tuo*" Exod: XXIX: 12. præter etiam Levit: IV: 6. Cap: IX: 9; quod omnia illa ſignificaverint arcana cœli, & ſancta, conſtat ex eo, quod Verbum ſit a Divino, & quod inſpiratum ſit quoad unumquemvis apicem, Luc: XVI: 17; ita quoque hæc; quod pollex & digitus ſit potentia boni per verum, patet ibi a ſenſu interno. Etiam potentia per digitum ſignificatur apud Davidem "Benedictus Jehovah docens *manus meas* pugnam, & *digitos meos* bellum" Pſalm: CXLIV: 1; & apud Eſaiam "Non reſpiciet ad altaria *opus manuum ſuarum*, & *quod fecerunt digiti illius*" XVII: 8; altaria pro cultu in genere, n: 4541; opus manuum, & quod fecerunt digiti, pro talibus quæ ex proprio, ita quæ ex ſua potentia.

7431. Et non audivit ad illos, quod ſignificet non obedientiam, ut ſupra n: 7224. 7278. 7301. 7339.

7432. Quemadmodum loquutus Jehovah, quod ſignificet ſecundum prædictionem, ut quoque ſupra n: 7302. 7340. 7414.

7433. Verſ: 16. 17. 18. 19. 20. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſurge mane in matutino, & conſiſtas coram Pharaone, ecce egreditur ad aquas, & dicas ad illum, ita dicit Jehovah, mitte populum meum, & ſerviant Mihi. Quia ſi haud tu dimittis populum meum, ecce Ego immitto in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, Volatile noxium; & implebuntur domus Ægyptiorum Volatili noxio, & etiam terra ſuper qua illa. Et diſtinguam in die illo terram Goſchen, ſuper qua populus meus ſtat, ut non eſſe ibi Volatile noxium, propterea ut ſcias quod Ego Jehovah in medio terræ. Et ponam redemptionem inter populum meum, & inter populum tuum; ad cras erit ſignum hoc. Et fecit Jehovah ita, & venit Volatile noxium grave domum Pharaonis, & domum ſevorum illius, & in omnem terram Ægypti; perdebatur terra a coram Volatili noxio.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat iterum inſtructionem: ſurge mane in matutino, ſignificat elevationem ad potentiæ ſignum adhuc majus: & conſiſtas coram Pharaone, ſignificat apparentiam Divini illis qui in malis: ecce egreditur

ditur ad aquas, ſignificat quod ex malis illis iterum cogitent falſa: & dicas ad illum, ita dicit Jehovah, ſignificat mandatum: mitte populum meum ut ſerviant Mihi, ſignificat ut relinquant qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Deum ſuum in libero: quia ſi haud tu dimittis populum meum, ſignificat ſi non relinquerent: ecce Ego immitto in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, volatile noxium, ſignificat quod illis falſum malevolum in omnibus & ſingulis: & implebuntur domus Ægyptiorum volatili noxio, & etiam terra ſuper qua illa, ſignificat quod falſa malevolentiæ occupabunt omnia mentis naturalis: & diſtinguam in die illo terram Goſchen, ſuper qua populus meus ſtat, ut non eſſe ibi volatile noxium, ſignificat quod non infeſtare poterunt per falſa malevolentiæ illos qui ab Eccleſia ſpirituali, tametſi prope illos erunt: propterea ut ſcias quod Ego Jehovah in medio terræ, ſignificat apperceptionem inde, quod Dominus ſolus Deus Eccleſiæ: & ponam redemptionem inter populum meum & inter populum tuum, ſignificat liberationem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali ab illis qui in infernis prope: & cras erit ſignum hoc, ſignificat manifeſtationem potentiæ Divinæ inde in perpetuum: & fecit Jehovah ita, ſignificat ut dictum ita factum: & venit volatile noxium grave domum Pharaonis, & domum ſervorum illius, & in omnem terram Ægypti, ſignificat quod falſa malevola ex undique apud illos erumperent: & perdebatur terra a coram volatili noxio, ſignificat quod corrumperetur mens naturalis quoad verum.

7434. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet iterum inſtructionem, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah ad Moſchen, quod ſit inſtructio, de qua n: 7186. 7226. 7267. 7304. 7380. 7415, hic iterum inſtructio, quia dictum, quid iterum ageretur.

7435. Surge mane in matutino, quod ſignificet elevationem ad potentiæ ſignum adhuc majus, conſtat ex ſignificatione ſurgere mane, quod ſit elevatio, quod ſurgere ſit elevatio, videatur n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 4103, & quoque quod mane ſit elevatio, n: 7306; proprie per ſurgere mane ſignificatur ſtatus illuſtrationis, n: 3458. 3723, ſed quia illuſtratio, quæ fit a Divino per influxum boni & veri, non datur apud malos, qui per Pharaonem & Ægyptios repræſentantur, ſed elevatio ad attentionem, idcirco per ſurgere mane in matutino, hic ſignificatur talis elevatio; quod ſit ad potentiæ ſignum adhuc majus, patet ab illis quæ ſequuntur, ubi de novo adhuc ſigno agitur.

7436. Et conſiſtas coram Pharaone, quod ſignificet apparentiam Divini illis qui in malis, conſtat ex ſignificatione conſiſtere coram aliquo, quod ſit præſentia, hic apparentia Divini, quia Moſcheh conſiſteret, qui eſt Verum a Divino, per quod Divinum apparet; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis, hic qui in malis, ut ſupra n: 7429.

7437. Ecce egreditur ad aquas, quod ſignificet quod ex malis illis iterum cogitent falſa, conſtat ex ſignificatione egredi, quod ſit cogitatio ex malis ad falſa, nam qui in malis ſunt, cum cogitant ex illis ad falſa, egredi dicuntur, malum enim quia eſt voluntatis, intimum eſt, extra illud eſt falſum, quia

falſum

falſum eſt intellectus proinde cogitationis; hoc ſignificatur per egredi in ſpirituali ſenſu, & quoque actio mala ex voluntate mala, ut apud Marcum Cap: VII: Verſ: 20. 21. 22. 23; & ex ſignificatione aquarum, quod ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, de qua n: 739. 790. 2702. 3058. 3424. 4676. 5668, & quod aquæ fluvii Ægypti, ad quas egreſſurus Pharao, ſint falſa, n: 7307. Quod cogitationem a malis ad falſa attinet, ſciendum quod qui in malis ſunt, non poſſint aliter quam ex illis cogitare ad falſa, nam mala ſunt voluntatis & inde amoris illorum, & falſa ſunt cogitationis & inde fidei illorum, quod enim vult homo hoc amat, & quod amat hoc confirmat & defendit, ac confirmari & defendi mala nequeunt niſi per falſa; inde in Verbo, ubi malum comparatur urbi, falſa comparantur mæniis circum urbem. Quod qui in malis ſunt, cogitent ad falſa, per quæ defendant mala, eſt quia mala ſunt ipſa jucunda vitæ illorum, uſque adeo ut ſint ipſa vita illorum, quapropter cum apprehendunt ex aliis, quod mala ſint, ne ut talia appareant, excogitant falſa, per quæ faciant ut mala non credantur mala; ſi autem mala non apparere audent per falſa, illa occultantur in interioribus, nec ſe manifeſtant niſi cum timor legis, aut quoque timor jacturæ famæ propter lucrum, aut propter ambitum honorum ceſſat, tunc erumpunt mala vel per artes, vel per hoſtilitates. Ex his conſtare poteſt, quod qui in malis ſunt non poſſint aliter quam a malis cogitare ad falſa: ita quoque ſe habet cum illis qui in ſtatu boni ſunt, quod non poſſint aliter quam ex bono cogitare ad vera; conjuncta enim ſunt bonum & verum, & quoque malum & falſum, uſque adeo, ut qui ſcit quod aliquis in bono ſit, ſcire poſſit, quod ille in vero ſui boni ſit; & quod qui in malo, in falſo ſui mali, & quod tantum in falſo, quantum dote ratiocinandi & pervertendi pollet, & tunc quantum in timore jacturæ famæ propter lucrum & honores, & is quantum in libero faciendi malum vult eſſe: tales, quod mirum, poſtquam aliquamdiu mala per falſa defenderant, dein ſibi perſuadent, quod mala ſint bona, & quod falſa vera.

7438. Et dicas ad illum, quod ſignificet mandatum, ut n: 7036. 7310.

7439. Mitte populum meum ut ſerviant Mihi, quod ſignificet ut relinquant qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Deum ſuum in libero, conſtat ex ſignificatione mittere ſeu dimittere, quod ſit relinquere; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus meus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; & ex ſignificatione ſervire Jehovæ, quod ſit colere; quod colerent in libero, patet ab illis quæ ſequuntur Verſ: 21. 22. 23, tum ex eo, quod omnis cultus, qui vere cultus, erit in libero. Quod filii Iſraelis appellentur populus Jehovæ, non fuit quia aliis gentibus meliores eſſent, ſed quia repræſentarent populum Jehovæ, hoc eſt, illos qui e Regno ſpirituali Domini: quod non meliores fuerint aliis gentibus, patet a vita illorum in deſerto, quod prorſus non crediderint in Jehovam, ſed quod corde ſuo in deos Ægyptiorum; ut conſtat ex vitulo aureo, quem ſibi fecerunt, & quem dixerunt deos ſuos, qui e terra Ægypti illos eduxerunt, Exod: XXXII: 8; patet etiam

a vita

a vita illorum poſtea in terra Canaane, de qua in Hiſtoricis Verbi; tum quoque quæ in Propheticis de illis dicta ſunt, & denique quæ a Domino: inde etiam eſt, quod pauci illorum in cœlo ſint, nam ſortem in altera vita acceperunt ſecundum vitam ſuam: nolite itaque credere, quod illi præ aliis ad cœlum electi fuerint; qui credunt quod illi ad cœlum electi fuerint præ aliis, illi non credunt, quod vita ſua unumquemvis maneat; nec credunt quod homo ad cœlum præparandus ſit per totam vitam ſuam in mundo, & quod hoc fiat ex Miſericordia Domini, & non quod admittantur in cœlum ex ſola Miſericordia, utcunque in mundo vixerunt; talem opinionem de cœlo & de Miſericordia Domini inducit doctrina de ſola fide, & de ſalvatione per illam abſque bonis operibus; nam hi vitam non curant; inde etiam credunt, quod mala abſtergi queant ſicut ſordes ab aqua; & ſic quod homo in vitam boni tranſmitti poſſit momento, conſequenter in cœlum admitti; non ſcientes quod ſi vita mali auferretur malis, prorſus nihil vitæ haberent; tum ſi illi, qui in vita mali ſunt, admitterentur in cœlum, ſentirent infernum in ſe, & id gravius quo interius in cœlum. Ex his nunc conſtare poteſt, quod Iſraelitæ & Judæi prorſus non electi fuerint, ſed ſolum accepti ad repræſentandum illa quæ cœli ſunt; & quod hoc in terra Canaane fieri debuerit, quia Eccleſia Domini ibi ab antiquiſſimis temporibus fuerat, & inde omnia ibi loca facta ſunt repræſentativa cœleſtium & Divinorum: ita quoque Verbum conſcribi potuit, in quo Nomina ſignificarent talia quæ Domini ac Ipſius Regni ſunt.

7440. Quia ſi haud tu dimittis populum meum, quod ſignificet ſi non relinquerent, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere; & ex ſignificatione populi Jehovæ, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali Domini, ut nunc ſupra n: 7439.

7441. Ecce Ego immitto in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, volatile noxium, quod ſignificet quod illis falſum malevolentiæ in omnibus & ſingulis, conſtat ex ſignificatione Pharaonis, ſervorum ejus, & populi ejus, quod ſint omnia & ſingula quæ mentis naturalis, de qua n: 7396, cum etiam adjicitur in domos, ſignificatur quod etiam in interiora illius mentis, ut ſupra n: 7407; & ex ſignificatione volatilis noxii, quod ſint falſa illius mali, quod per prodigium, quod præcedit, ſignificatum eſt, ita falſa malevolentiæ; quænam itaque & cujus generis falſa hic per volatile noxium ſignificantur, liquet a malis, a quibus ſunt; quod mala illa fuerint mala quæ in extremis mentis naturalis, ita quæ in ſenſuali, videatur ſupra n: 7419, falſa quæ inde ejuſdem generis ſunt, hæc falſa ſunt, quæ quoque ſignificantur per Muſcas Ægypti apud Eſaiam "Fiet in die illo, *ſibilabit Jehovah Muſcæ quæ in extremitate fluviorum Ægypti*, & api quæ in terra Aſchuris, quæ venient, & quieſcent omnes in fluviis deſolationum, & in fiſſuris petrarum" VII: 18. 19; muſca in extremitate fluviorum Ægypti, ſunt falſa quæ in extremis mentis naturalis, ita quæ in ſenſuali corpori proximo; hæc comparantur inſecto tali, quia illa quæ ibi non aliter ſe habent, quam ſicut inſecta volantia in aere, & obſcurantia interiora, & quoque damnum illis

inferentia;

inferentia; ſunt enim quæ ibi quoad plurimam partem imaginaria, & ſunt fallaciæ, ex quibus ratiocinia ſunt ſicut talia quæ fundantur in aere. Volatile noxium hujus generis memoratur ſolum apud Davidem, Pſalm: LXXVIII: 45: & Pſalm: CV: 31, ubi quoque de Ægypto. Sciendum quod Volatilia in Verbo omnia ſignificent intellectualia, ac inde vera, & in oppoſito ſenſu falſa, n: 40. 745. 776. 778. 866. 988. 3219. 5149; ſed volatilia infimæ ſortis, quæ ſunt inſecta, ſignificant vera, & in oppoſito ſenſu falſa, quæ ignobiliora & obſcuriora ſunt, prout ſunt illa quæ propria ſenſualis ſunt, nam illa niſi illuſtrentur ab interioribus, ſunt prorſus in obſcuro & tenebroſo, ſunt enim proxima corpori, & inde prope ad terreſtria, ubi cœleſtia terminantur, & immerguntur caligini.

7442. Et implebuntur domus Ægyptiorum volatili noxio, & etiam terra ſuper qua illa, quod ſignificet quod falſa malevolentiæ occupabunt omnia mentis naturalis, conſtat ex ſignificatione implere, quod ſit occupare: ex ſignificatione domus Ægyptiorum, quod ſint interiora mentis naturalis, de qua ſupra n: 7407; ex ſignificatione volatilis noxii, quod ſint falſa malevolentiæ, de qua mox ſupra n: 7441; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis in communi, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301. Quomodo cum hoc ſe habet, quod etiam interiora mentis naturalis occupabuntur a falſis mali quæ ſunt in extremis illius mentis, paucis dicendum; quæ influunt per Cœlum a Domino apud hominem, illa influunt in interiora ejus, & pergunt uſque ad ultima ſeu extrema, & ibi ſiſtuntur homini ſenſibilia, conſequenter influunt uſque in ſenſuale, & per hoc in illa quæ corporis ſunt: ſi ſenſuale oppletum eſt phantaſiis ex fallaciis ac apparentiis, & magis ſi ex falſis, tunc vera quæ influunt, vertuntur ibi in ſimilia, nam recipiuntur ibi ſecundum formam inductam, videatur n: 7343: quantum etiam vera in falſa vertuntur, tantum interiora, per quæ tranſitus ſit, clauduntur, & tandem non plus patet, quam ut transfluat modo quantum dare poteſt facultatem ratiocinandi, & confirmandi mala per falſa. Quia ita ſe habet apud hominem, neceſſum eſt, ut dum is regeneratur, ejus naturale uſque ad ſenſuale regeneretur; nam niſi id regeneratur, nulla eſt receptio veri ac boni, quoniam, ut ſupra dictum eſt, verum influens ibi pervertitur, & tunc interiora clauduntur; quapropter cum exteriora regenerata ſunt, totus homo regeneratus eſt; hoc ſignificatum eſt per Domini verba ad Petrum, cum lavit pedes ejus, apud Johannem "Dixit Simon Petrus, Domine, non laves pedes meos tantum, ſed etiam manus & caput: dixit illi Jeſus, qui lotus eſt, non opus habet, niſi ut quoad pedes lavetur, & mundus eſt totus" XIII: 9. 10, per pedes ſignificantur naturalia, n: 2162. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952; per lavare ſignificatur purificare, n: 3147. 5954 f; per manus ſignificantur interiora naturalis, & per caput ſpiritualia; inde patet, quid intelligitur per qui lotus eſt non opus habet, niſi ut quoad pedes lavetur, & mundus eſt totus, quod ſcilicet homo tunc regeneratus ſit, cum etiam quoad exteriora, quæ ſunt naturalis, regeneratus eſt; cum itaque homo etiam quoad naturale regeneratus eſt, tunc omnia ibi ſubordinata ſunt interioribus, ac interiora

riora cum influunt ibi influunt ut in ſua communia, per quæ ſe ſiſtunt homini ſenſibilia; cum ita eſt apud hominem, tunc ab illo ſentitur affectio veri quod fidei, & affectio boni quod charitatis. Aſt ipſum Senſuale, quod eſt ultimum naturalis, ægre poteſt regenerari, ex cauſa quia id ideis materialibus ex terreſtribus, corporeis, & mundanis prorſus oppletum eſt; idcirco homo, qui regeneratur, imprimis hodie, non regeneratur quoad ſenſuale, ſed quoad naturale quod proxime ſupra Senſuale eſt, ad quod a ſenſuali elevatur a Domino cum cogitat de veris & bonis fidei; facultas elevationis a ſenſuali, eſt qua donatur homo qui regeneratur a Domino: de ſenſuali quale ſit, & de elevatione cogitationis ſupra illud, videatur n: 5084. 5089. 5904. 5125. 5128. 5767. 6183. 6201. 6310. 6311. 6313. 6314. 6316. 6318. 6564. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. 6844. 6845. 6948. 6949.

7443. Et diſtinguam in die illo terram Goſchen, ſuper qua populus meus ſtat, ut non eſſe ibi volatile noxium, quod ſignificet quod non infeſtare poterunt per falſa malevolentiæ qui ab Eccleſia ſpirituali, tametſi prope illos ſunt, conſtat ex ſignificatione diſtinguere, quod ſit ſeparare ut non communicatio; ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; inde diſtinguere in die illo, eſt ſeparare in illo ſtatu; ex ſignificatione terræ Goſchen, quod ſit medium ſeu intimum in naturali, de qua n: 5910. 6028. 6031. 6068, & quia filii Iſraelis erant in Goſchen, quod etiam ſit Eccleſia, n: 6649; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus Jehovæ, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 7439; & ex ſignificatione volatilis noxii, quod ſit falſum malevolentiæ, de qua ſupra n: 7441; ita non eſſe ibi volatile noxium, eſt quod influere non poterunt, proinde non infeſtare per falſa illa. Quod per illa falſa non infeſtare poſſent, eſt quia falſa illa ſunt falſa ex malis in extremis mentis naturalis ſeu in ſenſuali, a quo ſenſuali, ita a falſis ibi, illi qui in bono & vero ſunt, poſſunt elevari, ſecundum illa quæ mox ſupra n: 7442, dicta ſunt; & cum elevantur, tunc quoque ab illis qui in falſis ibi ſunt, ſeparantur.

7444. Propterea ut ſcias quod Ego Jehovah in medio terræ, quod ſignificet apperceptionem quod Dominus ſolus Deus Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione ſcire, quod ſit apperceptio; & ex ſignificatione medii terræ, quod ſit ubi verum & bonum illis qui ab Eccleſia Domini ſunt, intimum eſt ubi verum ex bono, n: 3436. 6068. 6084. 6103, ita per medium terræ ſignificatur Eccleſia, ſimile ac per terram Goſchen, de qua mox ſupra n: 7443: per Ego Jehovah ſignificatur quod ſolus SUM, ita quod ſolus Deus: quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3003. 3035. 5663. 6303. 6905. 6945. 6956: inde patet, quod, ut ſcias quod Ego Jehovah in medio terræ, ſignificet apperceptionem quod Dominus ſolus Deus Eccleſiæ.

7445. Et ponam redemptionem inter populum meum & inter populum tuum, quod ſignificet liberationem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali ab illis qui in infernis prope, conſtat ex ſignificatione redemptionis, quod ſit eductio

ab

ab inferno, de qua 7205, & quod in ſpecie dicatur de illis, qui ex vaſtatione liberantur, n: 2959; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus meus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 7439; & ex repræſentatione Ægyptiorum, qui hic ſunt populus tuus, quod ſint illi qui in infernis prope & infeſtant, de qua n: 7090: inde patet, quod per ponam redemptionem inter populum meum & populum tuum, ſignificetur liberatio illorum qui ab Eccleſia ſpirituali ab illis qui in infernis.

7446. Et cras erit ſignum hoc, quod ſignificet manifeſtationem potentiæ Divinæ inde in perpetuum, conſtat ex ſignificatione cras, quod ſit in perpetuum, de qua n: 3998; & ex ſignificatione ſigni, quod ſit confirmatio veritatis, ac ita cognitio, de qua n: 6870, proinde manifeſtatio potentiæ Divinæ; nam per ſigna manifeſtata fuit olim veritas, ac ſimul manifeſtata potentia Divina.

7447. Et fecit Jehovah ita, quod ſignificet ut dictum ita factum, conſtat abſque explicatione.

7448. Et venit volatile noxium grave domum Pharaonis, & domum ſervorum illius, & in omnem terram Ægypti, quod ſignificet quod falſa malevola ex undique apud illos erumperent, conſtat ex ſignificatione volatilis noxii, quod ſint falſa malevolentiæ, de qua ſupra n: 7441; & ex ſignificatione domus Pharaonis, domus ſervorum ejus, & omnis terræ, quod ſint omnia & ſingula in naturali, de qua n: 7396. 7441. 7442, hic ex omnibus & ſingulis, ſeu ex undique, quia ſignificatur quod falſa illa erumperent. Quod volatile noxium veniret domum, ſignificatur proxime, quod falſa intrarent ubi mala, & quod cum malis ſe conjungerent; ſed quando falſa conjuncta ſunt cum malis, tunc mala erumpunt per falſa; inde eſt, quod per venit volatile noxium domum Pharaonis & domum ſervorum illius, & in omnem terram Ægypti, ſignificetur quod falſa malevola erumperent, & quidem ab undique.

7449. Et perdebatur terra a coram volatili noxio, quod ſignificetur quod corrumperetur mens naturalis quoad omne verum, conſtat ex ſignificatione perdi, quod ſit corrumpi; ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; & a ſignificatione volatilis noxii, quod ſit falſum malevolentiæ, de qua n: 7441; dicitur quod corruperetur quoad omne verum, quippe verum per falſum ex malo prorſus corrumpitur.

4750. Verſ: 21 ad 28. *Et vocavit Pharaoh Moſchen & Aharonem, & dixit, ite, ſacrificate Deo veſtro in terra. Et dixit Moſcheh, non conſultum facere ita, quia abominationem Ægyptiorum ſacrificaremus Jehovæ Deo noſtro, ecce ſacrificaremus abominationem Ægyptiorum ad oculos illorum, nonne lapidabunt nos. Viam trium dierum ibimus in deſertum, & ſacrificabimus Jehovæ Deo noſtro, quemadmodum dixit ad nos. Et dixit Pharao, ego dimittam vos, & ſacrificetis Jehovæ Deo veſtro in deſerto, tantum elongando non elongetis vos ad eundem; ſupplicate pro me. Et dixit Moſcheh, ecce egredior a cum te, & ſupplicabo ad Jehovam, ut removeat volatile noxium a Pharaone, a ſervis illius, & a populo*

 illius,

illius, cras, tantum ne addat Pharao illudere, quo minus dimittat populum ad ſacrificandum Jehovæ. Et egreſſus Moſcheh a cum Pharaone, & ſupplicavit ad Jehovam. Et fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis, & removit volatile noxium a Pharaone, a ſervis illius, & a populo illius, non relictum unum. Et aggravavit Pharao cor ſuum etiam vice hac, & non dimiſit populum. Et vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, ſignificat præſentiam Legis Divinæ: & dixit, ite, ſacrificate Deo veſtro in terra, ſignificat quod non obſtarent quin colant Deum ſuum, ſed in propinquitate apud illos: & dixit Moſcheh, ſignificat reſponſum: non conſultum facere ita, quia abominationem Ægyptiorum ſacrificaremus Jehovæ Deo noſtro, ſignificat quod influeret tetrum & ſpurcum infernale: ecce ſacrificaremus abominationem Ægyptiorum ad oculos illorum, ſignificat quod ſi in præſentia illorum cultus divinus talibus infeſtaretur: nonne lapidabunt nos, ſignificat quod ſic vera fidei, quæ cultus, exſtinguerent: Viam trium dierum ibimus in deſertum, ſignificat quod prorſus elongarent ſe ut in libero ſint: & ſacrificabimus Jehovæ Deo noſtro, ſignificat quod ſic cultus: quemadmodum dixit ad nos, ſignificat prout præceperat: & dixit Pharao, ego dimittam vos, & ſacrificetis Jehovæ Deo veſtro in deſerto, ſignificat quod relinquerent illos, & non infeſtarent, ut colant Deum ſuum in libero: tantum elongando non elongetis vos ad eundum, ſignificat tametſi in propinquitate ſint: ſupplicate pro me, ſignificat ut intercedant: & dixit Moſcheh, ecce ego egredior a te, ſignificat remotionem apparentiæ veri Divini apud illos: & ſupplicabo ad Jehovam, ſignificat interceſſionem: & removeat volatile noxium a Pharaone, a ſervis illius, a populo illius, ſignificat ut finis ſit illius ſtatus quoad falſa malevolentiæ: cras, ſignificat in perpetuum: tantum ne addat Pharao eludere, quo minus dimittat populum ad ſacrificandum Jehovæ, ſignificat modo ne per mendacium fallat, & non relinquat ut in libero colant Deum ſuum: & egreſſus Moſcheh a cum Pharaone, ſignificat remotionem apparentiæ veri Divini apud illos qui in falſis malevolentiæ: & ſupplicavit ad Jehovam, ſignificat interceſſionem: & fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis, ſignificat quod ita factum ſecundum verbum Domini: & removit volatile noxium a Pharaone, a ſervis illius, & a populo illius, ſignificat ſtatus hujus falſi finem: non relictum unum, ſignificat remotionem plenam: & aggravavit Pharao cor ſuum etiam vice hac, ſignificat obſtinationem iterum: & non dimiſit populum, ſignificat quod non relinquerent illos qui ab Eccleſia ſpirituali.

7451. Et vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, quod ſignificet præſentiam Legis Divinæ, conſtat ex ſignificatione vocare, quod ſit præſentia, de qua n: 6177. 7390; & ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Lex Divina, Moſcheh Lex interna, & Aharon Lex externa, de qua n: 7381. 7390.

7452. Et dixit, ite, ſacrificate Deo veſtro in terra, quod ſignificet quod non obſtarent, quin colant Deum ſuum, ſed in propinquitate apud illos, conſtat ex ſignificatione, dixit, ite, quod ſit quod non obſtarent; ex ſignificatione ſacrificare, quod ſit colere, de qua ſupra n: 7393; & ex ſignificatione

in

in terra, nempe in terra Ægypti, quod ſit in propinquitate; quod in terra ſit in propinquitate, patet a reſponſo Moſchis "quod non conſultum eſſet facere ita, quia abominationem Ægyptiorum ſacrificarent ad oculos illorum, ſed quod viam trium dierum irent in deſertum, & ſacrificarent Jehovæ Deo ſuo; tum a reſponſo Pharaonis, quod elongando non elongarent ſe ad eundem" Verſ: 21. 22. 23; ita per terram in ſenſu interno intelligitur ubi illi qui in falſis & infeſtant, de quorum propinquitate, videatur n: 7090.

7453. Et dixit Moſcheh, quod ſignificet reſponſum, ut prius n: 7103. 7394.

7454. Non conſultum facere ita, quia abominationem Ægyptiorum ſacrificaremus Jehovæ Deo noſtro, quod ſignificet quod influeret tetrum & ſpurcum infernale, conſtat ex ſignificatione non conſultum facere ita, quod ſit non poſſe ita fieri; ex ſignificatione abominationis, quod ſit tetrum & ſpurcum infernale; & ex ſignificatione ſacrificare Jehovæ Deo, quod ſit colere Deum ſuum, de qua ſupra n: 74‑2; inde per ſacrificare Jehovæ Deo abominationem Ægyptiorum, ſignificatur quod colerent Deum cultu, quem abominarentur illi qui in falſis ex infernale contra illum cultum, quod infeſtaret illum. Quomodo cum hoc ſe habet, etiam patet ab illis quæ ſe manifeſtant in altera vita; unuſquiſque ſpiritus, & magis unaquævis ſocietas, habet circum ſe ſphæram ſuæ fidei & ſuæ vitæ, quæ ſphæra eſt ſphæra ſpiritualis; ex illa dignoſcitur ſpiritus, & magis ſocietas, qualis ſit, nam percipitur ab illis qui in perceptione ſunt; quandoque ad multam ſatis diſtantiam; & hoc tametſi in occulto ſunt, nec communicant per cogitationem, aut per loquelam: ſphæra hæc ſpiritualis comparari poteſt ſphæræ materiali quæ circumdat corpus hominis in mundo; quæ ſphæra eſt ſphæra effluviorum ab illo exundantium, & ſentitur odoratu a beſtiis ſagacibus; de ſphæra ſpirituali, quæ circumdat ſpiritus, videatur n: 1048. 1053. 1316. 1504. 1519. 2401. 2489. 4464. 5179. 6206 fin. Ex his conſtare poteſt, quod ſi infernales ſpiritus prope adeſſent ubi illi qui in cultu Divino, quod per ſphæram ſuam infeſtarent illos, nam ſic illi qui in cultu Divino, perciperent tetrum & abominabile. Ex his ſciri poteſt, quomodo intelligendum, quod influeret tetrum & ſpurcum infernale, ſi colerent Deum in propinquitate. Ex illis, quæ de ſphæra ſpirituali, ſeu fidei & vitæ, quæ ab unoquovis ſpiritu, & magis quæ a ſpirituum ſocietate, exhalatur, etiam conſtare poteſt, quod prorſus nihil occultum ſit, ſed in propatulo, quicquid homo in mundo cogitaverat, loquutus eſt, & egerat, nam hæc ſunt quæ ſphæram illam conſtituunt: talis ſphæra etiam exundat ex ſpiritu hominis, quando is in corpore eſt in mundo; inde quoque cognoſcitur qualis eſt: ne itaque credatis, quod quæ cogitat homo in occulto, & quæ agit in occulto, ſint occulta, ſunt illa tam manifeſta in cœlo, ſicut illa quæ in luce medii diei apparent; ſecundum Domini verba apud Lucam "Nihil occultatum eſt, quod non revelabitur; aut abſconditum, quod non cognoſcetur: ideo quæcunque in tenebris dixeritis, in luce audientur; & quod in aurem loquuti fueritis in cubiculis,

 culis,

culis, prædicabitur ſuper tectis" XII: 2. 3.

7455. Ecce ſacrificaremus abominationem Ægyptiorum, ad oculos illorum, quod ſignificet quod ſi in præſentia illorum, cultus Divinus talibus infeſtaretur, conſtat ex illis quæ nunc ſupra n: 7454, explicata ſunt.

7456. Nonne lapidabunt nos, quod ſic vera fidei quæ cultus exſtinguerent, conſtat ex ſignificatione lapidare, quod ſit exſtinguere & delere falſa, at in oppoſito ſenſu, quando a malis, quod ſit exſtinguere & delere vera, quæ fidei: ſi tetra & ſpurca infernalia, de quibus ſupra n: 7454, influerent apud illos, qui in ſancto cultus ſunt, quod ſanctum cultus exſtingueretur; cauſa eſt, quia homo, cum in ſancto cultus eſt, detinetur a talibus, & qui in bono fidei & vitæ ſunt, elevantur a ſenſuali, ubi talia, at cum objecta talia influunt, tunc excitantur ſpurca quæ in ſenſuali, a quibus homo, cum in ſancto cultus eſt, ut dictum, detinetur, & qui in bono ſunt, elevantur, inde exſtinguitur ſanctum cultus; hoc etiam patere poteſt ab experientia, cum enim objectum ſpurcum apparet, & non removetur, cum homo eſt in cultu Divino, perit & exſtinguitur tam diu cultus; hæc ſunt quæ intelliguntur, per quod illi qui in falſis ex malis, ſi in propinquitate eſſent, vera fidei quæ cultus exſtinguerent. Quod ſignificationem Lapidare attinet, ſciendum quod fuerint binæ pænæ mortis apud Iſraelitas & Judæos, apud quos Eccleſiæ Repræſentativum inſtitutum fuerat, una pæna mortis erat Lapidatio, altera erat Suſpenſio ſuper ligno; Lapidatio erat, ſi quis deſtruere vellet vera cultus quæ mandata fuerunt, & Suſpenſio ſi quis deſtruere vellet bonum vitæ; quod illi lapidarentur qui deſtruere vellent vera quæ cultus, erat quia lapis ſignificabat verum, & in oppoſito ſenſu falſum, n: 643. 1298. 3720. 6426; & quod illi ſuſpenderentur ſuper ligno, qui deſtruere vellent bonum quod vitæ, erat quia lignum ſignificabat bonum, & in oppoſito ſenſu malum cupiditatum, n: 643. 2784. 2812. 3720. Quod Lapidationis pæna fuerit, ſi quis deſtrueret vera quæ cultus, patet ex his locis; apud Ezechielem "Tandem aſcendere facient ſuper te cætum, & *lapidabunt te lapide*, & diſſecabunt te gladiis ſuis" XVI: 40; ibi de Hieroſolyma perverſa, & de deſtructione veri fidei per falſa; inde dicitur quod lapidabunt lapide, & quoque quod diſſecabunt gladiis, gladius enim ſignificat verum pugnans, & deſtruens falſum, & in oppoſito ſenſu falſum pugnans ac deſtruens verum, n: 2799. 4499. 6353. 7102: ſimiliter alibi apud Eundem "Aſcendere fac contra illas cætum, *ut lapident illas lapide cætus*, & diſcindant illas gladiis ſuis" XXIII: 47, ibi de Hieroſolyma & Samaria, per quas ſignificatur Eccleſia, per Hieroſolymam Eccleſia cœleſtis ſpiritualis, per Samariam Eccleſia ſpiritualis, & in Capite illo deſcribitur quomodo in illis deſtructa ſunt bona & vera fidei. Apud Moſchen "Si quando cornu ferierit bos virum aut mulierem, ut moriatur, *lapidando lapidabitur bos*" Exod: XXI: 28, ferire cornu virum aut mulierem ſignificat falſum pugnans & deſtruens verum & bonum, cornu enim eſt falſum pugnans, & quoque potentia falſi, n: 2832; per virum & fæminam ſignificatur in Verbo verum & bonum; inde patet, quis ſenſus internus illius mandati eſt, & quæ cauſa quod bos lapidaretur. Apud Eundem "Blaſphemans

Nomen

Nomen Jehovæ occidendo occidetur, *lapidando lapidabunt illum omnis concio*" Levit: xxiv: 16, blaſphemare Nomen Jehovæ, ſignificat per falſa malevola violentiam inferre veris & bonis quæ cultus; quod Nomen Jehovæ ſit omne in uno complexu, per quod Jehovah colitur, videatur n: 2724. 3006, ita quod ſit omne fidei & charitatis, n: 6674; inde quoque filius mulieris Iſraelitidis, qui blaſphemabat Nomen Jehovæ, *educebatur extra caſtra & lapidabatur*" Levit: xxiv: 11. 14. 23. Etiam juſſum fuit, ut *qui ſervirent aliis diis, lapidarentur*" Deut: xvi: 3. 5; tum qui incitarent *ad ſerviendum aliis diis*" Deut: xiii: 7 ad 11, per ſervire aliis diis ſignificatur cultus prophanus, per quem verus cultus exſtinguitur. Quod puella maritata, ſi non inventæ virginitates apud illam, *lapidaretur*, quia ſtultitiam fecit in Iſraele, *ſcortando* in domo patris ſui" Deut: xxii: 20. 21, erat quia per ſcortationem ſignificabatur falſificatio veri, ita deſtructio ejus, n: 2466. 4865. Quod ſi cubuerit vir in urbe cum puella virgine deſponſata viro, *ambo lapidarentur*" Deut: xxii: 23. 24, erat ob eandem cauſam, nempe ob ſcortationem, nam ſcortatio ſpiritualis eſt falſificatio veri. Apud Lucam "Concludebant apud ſeipſos, ſi dicerent quod baptiſma Johannis e cœlo eſſet, diceret, quare non crediditis illi; ſi vero dicerent, ex hominibus, *omnis populus lapidaret illos*" xx: 5. 6, hic quoque lapidatio dicitur, quia contra verum. Quod Judæi vellent *lapidare* Jeſum, quia dixit, quod priuſquam Abraham fuit, Ipſe eſſet" Joh: viii: 58. 59, erat, quia gens illa credebat id falſum eſſe. Similiter quod *lapidare* vellent Jeſum, quia dixit quod Ipſe & Pater Ipſius unum eſſent" Joh: x: 30. 31. 32. 33; hoc enim credebant eſſe blaſphemiam, ut quoque ibi dicitur. Ex his nunc patet, quid Lapidatio, & cur mandata, & quoque quod pæna lapidationis ab antiquis temporibus quia in Ægypto, fuerit derivata a repræſentativis Eccleſiæ Antiquæ.

7457. Viam trium dierum ibimus in deſertum, quod ſignificet quod prorſus elongarent ſe, ut in libero ſint, conſtat ex ſignificatione ire viam trium dierum in deſertum, quod ſit ſe prorſus elongare: quod hoc ſignificetur, ſequitur ex illis quæ ſupra in ſenſu interno continentur, quod nempe non poſſent colere Deum in propinquitate & præſentia illorum qui ex inferno eſſent, de quo ſupra n: 7452. 7454. 7455. 7456; ita quod elongarent ſe ut in libero ſint.

7458. Et ſacrificabimus Jehovæ Deo noſtro, quod ſignificet quod ſic cultus, conſtat ex ſignificatione ſacrificare Jehovæ, quod ſit cultus, de qua ſupra n: 7393. 7452; & quod cultus ſit quando in libero, n: 7349.

7459. Quemadmodum dixit ad nos, quod ſignificet prout præceperat, conſtat abſque explicatione.

7460. Et dixit Pharao, ego dimittam vos, & ſacrificetis Jehovæ Deo veſtro in deſerto, quod ſignificet quod relinquerent & non infeſtarent, ut colant Deum ſuum in libero, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, ita non infeſtare; & ex ſignificatione ſacrificare Jehovæ Deo, quod ſit colere Deum ſuum, de qua ſupra n: 7458; quod in libero, ſequitur, nam

dicitur

dicitur quod ſacrificarent in deſerto, inde non ita in propinquitate, ut prius; quod in propinquitate ſit in non libero, videatur n: 7454. 7456.

7461. Tantum elongando non elongetis vos ad eundum, quod ſignificet tametſi in propinquitate ſint, conſtat ex ſignificatione non elongare, quod ſit non procul eſſe, ſeu non in longinquo a terra Ægypti.

7462. Supplicate pro me, quod ſit ut intercedant, conſtat ex ſignificatione ſupplicare pro ſe, cum a Pharaone ad Moſchen dicitur, quod ſit interceſſio, ut ſupra n: 7396.

7463 Et dixit Moſcheh, ecce ego egredior a cum te, quod ſignificet remotionem apparentiæ veri Divini apud illos, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752, ita quoque verum Divinum, n: 7014. 7382; & ex ſignificatione egredi, quod ſit remotio, ut ſupra n: 7404; nam per quod Pharao vocavit Moſchen & Aharonem, ſignificatur præſentia veri Divini, n: 7455; inde hic per egredi ab illo, ſignificatur remotio. Quod præſentiam & remotionem Veri Divini apud malos attinet, ſciendum, quod quandoque appareat illis Verum a Divino, & hoc per præſentiam Angeli prope illos; aſt Verum a Divino non influit apud illos per interiora, ſicut apud bonos, interiora enim apud illos clauſa ſunt; ſed modo afficit exteriora illorum; hoc cum ſit, in timore ſunt, & inde in humiliatione, nam præſentia Veri a Divino percellit illos, ac incutit timorem quaſi mortis; at cum Verum a Divino removetur, tunc in priſtinum ſuum ſtatum redeunt, & abſque timore ſunt: hæc intelliguntur per præſentiam apparentiæ Veri Divini, & per remotionem ejus: hoc quoque repræſentatum eſt per Pharaonem, quod ille, cum Moſcheh apud eum præſens eſſet, humiliaverit ſe, & promiſerit, quod dimitteret populum, ut ſacrificarent Jehovæ; ſed cum Moſcheh egreſſus eſt ab illo, quod aggravaverit Cor ſuum, Verſ: 28 ſeq: Moſcheh enim, ut ſupra oſtenſum, repræſentavit Legem Divinam, ſeu Verum Divinum. Quod Lex Divina idem ſit cum Vero Divino, eſt quia Lex Divina ſignificat Verbum, ac ita Verum Divinum. Quod Lex ſignificet Verbum, ac ita Verum Divinum, conſtat a ſequentibus locis; apud Johannem "Jeſus dixit, *nonne ſcriptum eſt in Lege Veſtra*, ego dixi, dii eſtis; ſi eos dixit deos, ad quos factum eſt Verbum, & non poteſt ſolvi ſcriptura" x: 34; ſcriptum in Lege pro in Verbo, nam ſcriptum eſt apud Davidem. Apud Eundem "Dixit turba, *nos audivimus ex Lege*, quod Chriſtus manet in æternum" xii: 34, hoc quoque ſcriptum eſt apud Davidem. Apud Eundem "Dixit Jeſus, *ut impleretur Verbum ſcriptum in Lege*, odio habuerunt Me ſine cauſa" xvi: 25, hoc etiam apud Davidem. Apud Lucam "*Scriptum eſt in Lege Domini*, quod omnis maſculus aperiens uterum, ſanctum Domino vocandus eſſet: & ut darent ſacrificium, *juxta quod ſcriptum eſt in Lege Domini*, par turturum, aut duos pullos columbarum" ii: 23. 24. 39, hoc apud Moſchen. Apud Eundem "Legiſperitus tentans Jeſum, dixit, quidnam faciam, ut vitæ æternæ hæriditatem accipiam: Jeſus dixit ad illum, *in Lege quid ſcriptum eſt*, quomodo legis" x: 25. 26. Apud Eundem "*Lex & Prophetæ* uſque ad Johannem; abhinc Regnum Dei evangelizatur: facilius eſt cœlum & terram tranſire, *quam Legis unum apicem ca-*

dere

dere" xvi: 16. 17; præter in locis, ubi Verbum vocatur *Lex & Prophetæ*, ut Matth: v: 18. Cap: vii: 12. Cap: xi: 13. Cap: xxii: 38. Apud Eſaiam "Colliga teſtimonium, *obſigna Legem* pro erudiendis meis" viii: 16, Lex pro Verbo. Apud Eundem "Filii mendaces, filii non voluerunt audire *Legem Jehovæ*" xxx: 9. Apud Eundem "Ponet in terra judicium, *in Lege Ipſius* inſulæ ſperabunt" xlii: 4, hic de Domino, Lex Ipſius pro Verbo. Apud Eundem "Jehovah magnificabit *Legem ſuam*" xlii: 21. Apud Jeremiam "Sic dixit Jehovah, ſi non obediveritis Mihi, *ad eundum in Lege mea*, quam dedi coram vobis, & audiatis *Verbum ſervorum meorum prophetarum*" xvi: 4. 5; ibi Lex pro Verbo; præter in pluribus aliis locis; inde patet, quod Lex ſit Verbum, & quia eſt Verbum eſt Verum Divinum; ut apud Jeremiam "Hoc fædus quod pangam cum domo Iſraelis poſt dies hos, dictum Jehovæ, *dabo Legem in medio illorum & ſuper cor illorum ſcribam illam*" xxxi: 33, ibi Lex Jehovæ pro Vero Divino. Quod Lex in lato ſenſu ſit totum Verbum, in minus lato Verbum Hiſtoricum, in adhuc minus lato Verbum quod per Moſchen ſcriptum eſt, & in ſtricto quod ſint præcepta decalogi, videatur n: 6752. Ex his nunc conſtare poteſt, cur dicitur quod Moſcheh repræſentet & Legem Divinam, & quoque Verum Divinum.

6464. Et ſupplicabo ad Jehovam, ſignificat interceſſionem, ut 7396. 7461.

6465. Et removeat volatile noxium a Pharaone, a ſervis illius, & a populo illius, quod ſignificet ut finis ſit illius ſtatus, quoad falſa malevolentiæ, conſtat ex ſignificatione volatilis noxii, quod ſint falſa malevolentiæ, de qua n: 7441; a repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis e malis ac infeſtant, de qua prius; & ex ſignificatione ſervorum ejus & populi ejus, quod ſint omnes & ſinguli, de qua n: 7396. 7441; removere falſa illa malevolentiæ ab omnibus & ſingulis qui infeſtant, eſt finem imponere huic ſtatui. Sciendum eſt, quod unumquodvis Miraculum in Ægypto factum ſignificet peculiarem ſtatum, in quem veniunt illi qui in falſis ſunt ac infeſtant in altera vita; ſunt decem ſtatus, in quos ſucceſſive veniunt, antequam prorſus exuuntur omni vero, ita antequam in infernum conjiciuntur; qui enim in ſcientia fidei ſunt, at in malo vitæ, illi poſt mortem non ſtatim feruntur in infernum, ſed ſucceſſive; convincuntur primum, quod in malo ſint, & poſtea aufertur illis ſcientia fidei, & tandem relinquuntur malo vitæ ſuæ; hoc fit per plures ſtatus ſucceſſivos; hi ſtatus ſunt qui deſcribuntur per miracula facta in Ægypto, proinde per mala quæ Ægyptiis evenerunt, antequam immerſi ſunt mari Suph: hæc arcana non ſciri poſſunt abſque revelatione; Angelis inter notiora ſunt.

7466 Quod cras ſignificet perpetuum, videatur n: 3998. 7399.

7467. Tantum ne addat Pharao illudere, quo minus dimittat populum ad ſacrificandum Jehovæ, quod ſignificet modo ne per mendacium fallat, & non relinquat ut in libero colant Deum ſuum, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis ex malis & infeſtant; ex ſignificatione illudere, quod ſit per mendacium fallere; ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere;

quere; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali; & ex ſignificatione ſacrificare Jehovæ, quod ſit colere Deum ſuum, de qua n: 7393. 7452. 7458; quod erit in libero, videatur n: 7454. 7456: ex his patet, quod per tantum ne addat Pharao illudere, quo minus dimittat populum ad ſacrificandum Jehovæ, ſignificetur modo ne per mendacium fallat, & non relinquat ut illi qui ab Eccleſia ſpirituali colant Deum ſuum in libero.

7468. Et egreſſus Moſcheh a coram Pharaone, quod ſignificet remotionem apparentiæ Veri Divini apud illos qui in falſis malevolentiæ, conſtat ex illis ſupra n: 7462.

7469. Et ſupplicavit ad Jehovam, ſignificat interceſſionem, ut ſupra n: 7396. 7461.

7470. Et fecit Jehovah ſecundum verbum Moſchis, quod ſignificet ita factum ſecundum verbum Domini, conſtat ex illis quæ ſupra n: 7406, explicata ſunt.

7471. Et removit volatile noxium a Pharaone, a ſervis illius, & a populo illius, quod ſignificet ſtatus illius falſi finem, conſtat ex illis ſupra n: 6464, ubi ſimilia.

7472. Non relictum unum, quod ſignificet remotionem plenam, conſtat abſque explicatione.

7473. Et aggravavit Pharao cor ſuum, quod ſignificet obſtinationem iterum, conſtat ex ſignificatione obfirmare, indurare, & aggravare cor, quod ſit obſtinatio, de qua n: 7272. 7300. 7305.

7474. Et non dimiſit populum, quod ſignificet quod non relinquerent illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, hic ſunt populus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. Quod Eccleſiam ſpiritualem, quæ hic per filios Iſraelis repræſentatur, attinet, ſciendum, quod illa ſit interna & externa; & quod illi ſint in Eccleſia interna, qui in bono charitatis ſunt, & quod illi in Eccleſia externa, qui in bono fidei; qui in bono charitatis, ſunt illi qui ex charitate erga proximum vident vera quæ fidei; at qui in bono fidei, ſunt qui ex fide ſpectant charitatem, ita qui bonum faciunt non ex affectione charitatis, ſed ex obedientia fidei, hoc eſt, quia ita mandatum eſt; hi ſunt qui proprie hic per filios Iſraelis repræſentantur, nam hi ſunt qui in altera vita infeſtantur ab illis qui in falſis ſunt; qui enim in affectione charitatis ſunt, non ita infeſtari poſſunt, nam ſpiritus qui in falſis & malis ſunt, non poſſunt accedere ad illos qui in bono illo ſunt, quia Dominus eſt in illo bono; ſi hi infeſtantur, fit ſolum quoad fallacias & apparentias, per quas crediderunt verum eſſe, quod non verum eſt, tum quoad talia quæ doctrina Eccleſiæ illorum pro veris docuit, quæ tamen non vera ſunt; illa in altera vita libenter rejiciunt falſa, ac recipiunt vera, ex cauſa quia bonum charitatis eſt recipiens veri, quia amat illud, & deſiderat illud. Quia Infeſtationes toties nominatæ ſunt, dicendum eſt quid ſunt, & quales; Infeſtationes fiunt per injectiones falſi contra vera,

&

& falſa illa per influxum e cœlo, hoc eſt, per cœlum a Domino, apud illos, qui infeſtantur, refelluntur; in tali ſtatu tenentur illi qui in vaſtatione ſunt quoad falſa, uſque dum imbuerunt vera quæ fidei, & per gradus vera interiora; & quantum imbuerunt hæc vera, tantum ab infeſtatione liberantur. Infeſtationes non ſunt tentationes, nam tentationes fiunt cum angore conſcientiæ, qui enim in tentationibus ſunt, tenentur in ſtatu damnationis, inde illis angor & dolor. Ex his patet, quales ſunt vaſtationes in altera vita, in quibus ſunt qui in bono fidei, hæ vaſtationes ſunt vaſtationes falſi; at vaſtationes apud illos qui non in bono fidei fuerunt, ſed in aliquo vero fidei ſcientifice, at in vita mali, ſunt vaſtationes veri; qui vaſtantur quoad falſa imbuunt ſucceſſive vera & bona fidei & charitatis; at qui vaſtantur quoad vera, exuunt ſucceſſive vera, ac induunt mala quæ fuerunt vitæ illorum: ex his conſtare poteſt, quid in Verbo intelligitur per vaſtationes & deſolationes.

Continuatio de Spiritibus & Incolis Planetæ Martis.

7475. *SPIRITUS Martis apparent ſibi ſicut homines, quales fuerant in mundo; quapropter etiam ſimiliter aliis apparent, nam quiſque in altera vita aliis apparet ſicut ipſe ſibi, quia communicatur perceptio. Hoc cum miratus ſum, dicebant quod aliter non apparere poſſint, quia cum vixerunt in mundo, ſciverunt quod eſſent ſpiritus corpore amicti, & quia tunc de corpore ſuo parum cogitaverunt, modo de vita ſpiritus ſui in corpore; inde, cum in alteram vitam veniunt, pæne neſciunt quod ſtatus vitæ mutatus ſit, & quoniam tunc quoque cogitant de vita ſui ſpiritus, ſimiliter ac in mundo, ideo ſibi ſimiles tunc apparent. Sunt quidem omnes ſpiritus in forma humana, ſed non in tam exſtanti, in quali ſunt ſpiritus Martis; nam apud hos manet idea, qualem habuerunt in mundo. Præterea etiam, qui, cum in mundo ſunt, ſciunt ac in fide ſunt, quod in altera vita erunt in forma humana, illi prout decreſcit corpus, ita accreſcit cogitatio illa, quapropter cum exuunt corpus, quod illis pro uſu ſerviverat in mundo, ex impreſſa idea manent ſibi ſimiles.*

7476. *Martis ſpiritus ſunt inter ſpiritus, qui ex telluribus mundi hujus Solis ſunt, omnium optimi, ſunt enim quoad plurem partem cœleſtes homines, non abſimiles illis qui ab Antiquiſſima Eccleſia in hac Tellure fuerunt, de quibus n:* 1114 *ad* 1125, *& alibi. Quando re-*

præſentantur quales ſunt, repræſentantur facie in cœlo, & corpore in mundo ſpirituum; & qui eorum Angeli ſunt, facie verſus Dominum, & corpore in cœlo.

7477. *Dominum noſtrum præ aliis Spiritibus agnoſcunt & adorant; dicunt quod Ipſe ſit Solus Deus, & quod Ipſe regat & cœlum & univerſum; quodque omne bonum ab Ipſo ſit: dicebant quod Dominus ſit qui illos ducit; & quod etiam apud illos in illorum Tellure ſæpius appareat. Quod Dominus regat & cœlum & univerſum, hoc etiam Chriſtiani in hac Tellure norunt ex Domini verbis apud Matthæum "Data eſt Mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra"* XXVIII: 18, *ſed id non credunt, ſicut illi qui ex tellure Martis.*

7478. *Quondam cum nominabatur Dominus, vidi quod ſpiritus illi humiliarent ſe tam intime & profunde, ut deſcribi nequeat: in humiliatione enim eorum erat illis cogitatio, quod illi ex ſe in inferno ſint, & quod ſic prorſus indigni, ut ſpectent ad Dominum, Qui Ipſum Sanctum eſt; in illa cogitatione ex fide ita profunde erant, ut eſſent quaſi extra ſe, inque illa permanſerunt ſuper genubus, uſque dum Dominus elevaret illos, & tunc quaſi extraheret ab inferno; cum ſic ex humiliatione emergunt, ſunt pleni bono & amore, & inde gaudio cordis. Cum ita ſe humiliant, non faciem convertunt ad Dominum, hoc enim tunc non audent, ſed avertunt. Spiritus qui circum me erant, dicebant quod talem humiliationem nuſquam viderint.*

7479. *Loquutus ſum cum aliquibus ex illa Tellure, de fide illorum ibi, dicebant quod ibi credant, quod apud illos nihil niſi quam ſpurcum & infernale ſit, & quod omne bonum ſit Domini: imo dicebant amplius, quod ex ſe ſint diaboli, & quod Dominus ab inferno illos extrahat, & continue detineat. Mirati ſunt, quod circum me eſſent tot mali ſpiritus, & quod illi ad me quoque loquerentur; ſed reſpondere datum eſt, quod hoc illis permittatur; ob cauſam, ut inde ſciam quales ſunt, & cur in inferno ſunt, & quod hoc ſit ſecundum vitam illorum; etiam dicere datum eſt, quod plures inter illos eſſent, quos cognoveram cum vixerunt in mundo, & quod tunc in magna digniate conſtituti fuerint, quibus tunc nihil niſi quam mundus cordi fuit: ſed quod nuſquam aliquis malus ſpiritus, etiam maxime infernalis, mihi damnum inferre poſſit, quia continue tutatus a Domino.*

7480. *Inſtructus ſum, quod Martis ſpiritus referant aliquid quod interius eſt in homine, & quidem medium inter intellectuale & voluntarium, ita cogitationem ex affectione, & qui optimi illorum ſunt, affectionem cogitationis; inde eſt, quod facies illorum unum agat cum cogita-*

cogitatione illorum, nec coram aliquo ſimulare poſſint, de qua re prius ubi de illis n: 7360. 7361.

7481. *Et quia illud in Maximo Homine referunt, provincia illa media, quæ eſt inter Cerebrum & Cerebellum, illis correſpondet; nam apud quos Cerebrum & Cerebellum conjuncta ſunt quoad operationes ſpirituales, apud illos facies unum agit cum cogitatione, ſic ut e facie ipſa affectio cogitationis eluceat, & ex affectione, aliquibus ſignis ex oculis quoque prodeuntibus, commune cogitationis. Quapropter cum prope apud me eſſent, ſenſibiliter appercepi retractionem anterioris partis capitis verſus occiput, ita Cerebri verſus Cerebellum.*

7482. *Quondam cum ſpiritus Martis apud me eſſent, & occuparent ſphæram mentis meæ, adveniebant ſpiritus e noſtra tellure, & ſe quoque in ſphæram illam infundere volebant; ſed tunc ſpiritus noſtræ telluris facti ſunt ſicut inſani; ex cauſa, quia prorſus non conveniunt; ſpiritus enim noſtræ telluris ſpectant ſemet & mundum, ita ſunt in idea verſa ad ſe; ſpiritus autem Martis ſpectant cœlum, ita Dominum & proximum, inde ſunt in idea verſa a ſe; ex eo eſt contrarietas; ſed tunc adveniebant ſpiritus Angelici Martis, ex quorum adventu communicatio adempta eſt; & ſic ſpiritus noſtræ telluris receſſerunt.*

7483. *Siſtebatur mihi incola telluris illius; erat facie ſimili faciei incolarum noſtræ telluris, ſed regio inferior faciei erat nigra, non ex barba, quam non habent, ſed ex nigredine loco illius; hoc quoque ex correſpondentia: nigredo illa ſe uſque ſub aures utrinque extendebat; ſuperior pars faciei erat flaveſcens, ſicut facies incolarum noſtræ telluris, qui non prorſus candidi ſunt.*

7484. *Dicebant, quod veſcantur fructibus arborum, ac imprimis fructu quodam rotundo, qui ex terra illorum egerminatur: præter etiam leguminibus.*

7485. *Veſtiuntur ibi veſtibus quas ex fibris corticeis quarundam arborum conficiunt; quæ illam conſiſtentiam habent, ut contexi queant; & quoque conglutinari per genus gummi, quod apud illos.*

7486. *Præter alia etiam dicebant, quod ignes fluidos ſciant ibi facere, ex quibus lucem temporibus veſperæ & noctis habent.*

7487. *Continuatio de incolis & ſpirtibus Martis ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

CAPUT NONUM.

Doctrina Charitatis.

7488. EX illis quæ de amoribus ſui & mundi dicta ſunt, patet, quod ab illis exiſtant omnia mala; & quia omnia mala, inde exiſtunt omnia falſa: & viciſſim, ex amore in Dominum & amore erga proximum exiſtunt omnia bona, & quia omnia bona, inde exiſtunt omnia vera.

7489. Quia ita eſt, patet, quod quantum homo in amoribus ſui & mundi eſt, tantum non ſit in amore erga proximum, minus in amore in Dominum; ſunt enim oppoſiti.

7490. Patet etiam, quod quantum homo in amoribus ſui & mundi eſt, tantum non ſciat quid Charitas, uſque tandem ut non ſciat quod ſit. Etiam quod homo tantum non ſciat quid fides, uſque tandem ut non ſciat quod ſit aliquid. Ut eſt, quod homo tantum non ſciat quid Conſcientia, uſque tandem ut non ſciat quod ſit. Imo, quod homo tantum non ſciat quid ſpirituale, ita nec quid vita cœli. Et demum, quod non credat dari cœlum, & dari infernum; proinde non credat dari vitam poſt mortem. Hæc faciunt amores ſui & mundi cum regnant.

7491. Bonum amoris cœleſtis, & verum fidei ejus, continue influunt a Domino, aſt ubi amores ſui & mundi regnant, ibi non recipiuntur; ſed apud quos hi amores regnant, hoc eſt, continue in cogitatione ſunt, pro fine ſunt, in voluntate ſunt, ac vitam faciunt, apud illos bonum & verum, quæ influunt a Domino, vel rejiciuntur, vel exſtinguuntur, vel pervertuntur.

7492. Apud quos rejiciuntur, apud illos bonum quod eſt amoris, & verum quod eſt fidei contemtui & quoque averſationi ſunt. Apud quos autem extinguuntur, apud illos bonum quod eſt amoris & verum quod eſt fidei negantur, ac mala & falſa, quæ contraria ſunt, affirmantur. Apud quos vero pervertuntur, apud illos bonum quod eſt

eſt amoris, & verum quod eſt fidei ſiniſtre explicantur, & ad favorem mali & inde falſi applicantur.

7493. Amores ſui & mundi apud hominem incipiunt regnare, quando is ſui judicii & ſui juris fit; tunc enim incipit homo ex ſe ſeu ex ſuo cogitare, & tunc incipit appropriare illa ſibi; & hoc quo plus ſe confirmat quoad vitam in malo. Quantum homo appropriat ſibi mala, tantum Dominus ſeparat bonum innocentiæ & charitatis, quod homo in infantia & pueritia accepit, & poſtea per vices accipit; ac illa recondit in interioribus ejus; nam bonum innocentiæ & bonum charitatis nullatenus una poſſunt eſſe cum malis amorum illorum; & Dominus non vult ut pereant.

7494. Qui itaque apud ſe bonum quod eſt amoris & verum quod eſt fidei vel pervertunt, vel exſtinguunt, vel rejiciunt, non vitam habent in ſe; vita enim, quæ a Divino, eſt velle bonum & credere verum; qui autem non volunt bonum ſed malum, nec credunt verum ſed falſum, illi contrarium vitæ habent; hoc contrarium vitæ eſt infernum, & vocatur mors, & illi vocantur mortui. Quod vita amoris & fidei dicatur vita, & quoque vita æterna, & qui illam in ſe habent, homines vivi; & quod contrarium vitæ dicatur mors, & quoque mors æterna, & illi homines mortui, conſtat a pluribus locis in Verbo, ut Apud Matth: Cap: IV: 16. Cap: VIII: 21. 22. Cap: XVIII: 8. 9. Cap: XIX: 16. 17. 29. Joh: III: 15. 16. 36. Cap: V: 24. 25. Cap: VI: 33. 35. 47. 48. 50. 51. 53. 57. 58. 63. Cap: VIII: 21. 24. 51. Cap: X: 10. Cap: XI: 25. 26. Cap: XIV: 6. 19. Cap: XVII: 2. 3. Cap: XX: 31: & alibi.

CAPUT IX.

1. ET dixit JEHOVAH ad Moſchen, veni ad Pharaonem, & loquaris ad illum; ita dixit JEHOVAH DEUS Hebræorum, dimitte populum meum, & ſerviant Mihi.

2. Quia ſi renuis tu dimittere, & adhuc tu detines illos;

3. Ecce manus JEHOVÆ erit in pecus tuum quod in agro, in equos, in aſinos, in camelos, in armentum, & in gregem, Peſtis gravis valde.

4. Et diſtinguat JEHOVAH inter pecus Iſraelis, & inter pecus Ægyp-

Ægyptiorum, & non morietur de omni filiis Iſraelis quicquam.

5. Et poſuit JEHOVAH tempus ſtatum, dicendo, cras faciet JEHOVAH verbum hoc in terra.

6. Et fecit JEHOVAH verbum hoc a craſtino; & moriebatur omne pecus Ægyptiorum; & de pecore filiorum Iſraelis non moriebatur unum.

7. Et miſit Pharao, & ecce non mortuum de pecore Iſraelis uſque ad unum. Et aggravatum cor Pharaonis, & non dimiſit populum.

8. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen & ad Aharonem, accipite vobis plenitudine pugnorum veſtrorum favillam fornacis; & ſpargat illam Moſcheh verſus cœlum ad oculos Pharaonis.

9. Et erit in pulverem ſuper omni terra Ægypti, & erit ſuper homine & ſuper beſtia ad Ulcus efflorefcens puſtulis in omni terra Ægypti.

10. Et acceperunt favillam fornacis, & conſtiterunt coram Pharaone, & ſparſit illam Moſcheh verſus cœlum, & factum ulcus puſtularum efflorefcens in homine & in beſtia.

11. Et non potuerunt magi ſtare coram Moſcheh propter ulcus, quia fuit ulcus in magis & in omnibus Ægyptiis.

12. Et obfirmavit JEHOVAH cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum loquutus JEHOVAH ad Moſchen.

13. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, ſurge mane in matutino, & conſiſte coram Pharaone, & dicas ad illum, ita dixit JEHOVAH DEUS Hebræorum, dimitte populum meum; & ſerviant Mihi.

14. Quia vice hac Ego mittens omnes plagas meas in cor tuum, & in ſervos tuos, & in populum tuum, propterea ut ſcias, quod nullus ſicut Ego in tota terra.

15. Quia nunc mitterem manum meam, & percuterem te, & populum tuum peſte, & exſcinderetis e terra.

16. Verumtamen propter hoc ſtare feci te, propter videre te virtutem meam & propterea ut narretur Nomen meum in tota terra.

17. Adhuc tu extollis te in populum meum, quo minus dimittas illos.

18. Ecce Ego facio pluere juxta tempus craſtinum Grandinem gravem valde, quæ non fuit ſicut illa in Ægypto a die fundata illa & uſque ad nunc.

19. Et nunc mitte, congrega pecus tuum, & omne quod tibi in agro; omnis homo & beſtia, quæ invenietur in agro, & non colligetur domum, & deſcendet ſuper illa grando, & morientur.

20.

20 Et timens verbum JEHOVÆ e ſervis Pharaonis, fugere fecit ſervos ſuos, & pecus ſuum ad domos.

21. Et qui non poſuit cor ſuum ad verbum JEHOVÆ, & reliquit ſervos ſuos & pecus ſuum in agro.

22. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, extende manum tuam verſus cœlum, & erit grando in omni terra Ægypti ſuper hominem, & ſuper beſtiam, & ſuper omnem herbam agri in terra Ægypti.

23. Et extendit Moſcheh baculum ſuum ad cœlum, & JEHOVAH dedit voces & grandinem, & ambulavit ignis ad terram, & pluere fecit JEHOVAH grandinem ſuper terram Ægypti.

24. Et fuit grando, & ignis ſimul ambulans in medio grandinis, gravis valde, quæ non fuerat ſicut illa in omni terra Ægypti, a quo fuit in gentem.

25. Et percuſſit grando in omni terra Ægypti omne quod in agro, ab homine & uſque ad beſtiam, & omnem herbam agri percuſſit grando, & omnem arborem agri confregit.

26. Tantum in terra Goſchen, ubi filii Iſraelis, non fuit grando.

27. Et miſit Pharao, & vocavit Moſchen & Aharonem, & dixit ad illos, peccavi vice hac, JEHOVAH juſtus, & ego & populus meus improbi.

28. Supplicate ad JEHOVAM, & ſatis ab eſſe voces DEI, & grando, & dimittam vos, & non addetis ſtare.

29. Et dixit ad illum Moſcheh, ſicut exire me urbe, expandam palmas meas ad JEHOVAM, voces ceſſabunt, & grando non erit amplius, propterea ut ſcias, quod JEHOVÆ terra.

30. Et tu & ſervi tui, ſcio, quod nondum timeatis a facie JEHOVÆ DEI.

31. Et linum & hordeum percuſſum eſt, quia hordeum ſpica matureſcens & linum culmus.

32. Et triticum & Zea non percuſſa ſunt, quia abdita illa.

33. Et egreſſus Moſcheh a cum Pharaone, urbe, & expandit palmas ſuas ad JEHOVAM, & ceſſaverunt voces & grando, & pluvia non effuſa eſt terram.

34. Et vidit Pharao, quod ceſſavit pluvia, & grando, & voces, & addidit peccare, & aggravavit cor ſuum ille & ſervi illius.

35. Et obfirmatum cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſraelis, quemadmodum loquutus JEHOVAH per manum Moſchis.

CON-

CONTENTA.

7495. Continuatur in hoc Capite de vaſtatione illorum, qui infeſtant illos qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt; in hoc Capite in ſenſu interno agitur de Sexto, Septimo, & Octavo ſtatu ſeu gradu vaſtationis illorum, qui deſcribuntur per *Peſtem*, per *Ulcus* efflorescens puſtulis, & per *pluviam Grandinis*; per quæ ſignificatur vaſtatio quoad illa quæ ſunt Eccleſiæ apud illos.

SENSUS INTERNUS.

7496. Verſ: 1 ad 7. *ET dixit Jehovah ad Moſchen, veni ad Pharaonem, & loquaris ad illum, ita dixit Jehovah Deus Hebræorum, dimitte populum meum, & ſerviant Mihi. Quia ſi renuis tu dimittere, & adhuc tu detines illos. Ecce manus Jehovæ erit in pecus tuum quod in agro, in equos, in aſinos, in camelos, in armentum, & in gregem, peſtis gravis valde. Et diſtinguet Jehovah inter pecus Iſraelis, & inter pecus Ægyptiorum, & non morietur de omni filiis Iſraelis quicquam. Et poſuit Jehovah tempus ſtatum, dicendo, cras faciet Jehovah verbum hoc in terra. Et fecit Jehovah verbum hoc a craſtino, & moriebatur omne pecus Ægyptiorum, & de pecore filiorum Iſraelis non moriebatur unum. Et miſit Pharao, & ecce non mortuum de pecore Iſraelis uſque ad unum: & aggravatum cor Pharaonis, & non dimiſit populum.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat e novo inſtructionem: veni ad Pharaonem, & loquaris ad illum, ſignificat apparentiam veri a Divino apud illos qui infeſtant: ita dixit Jehovah Deus Hebræorum, ſignificat mandatum a Domino Deo Eccleſiæ: dimitte populum meum, & ſerviant Mihi, ſignificat ut relinquant illos qui ab Eccceſia ſpirituali, ut colant Dominum: quia ſi renuis tu dimittere, & adhuc tu detines illos, ſignificat ſi adhuc obſtinarent ſe ad infeſtandum: ecce manus Jehovæ erit in pecus tuum quod in agro, ſignificat vaſtationem veri & boni fidei quæ illis ab Eccleſia, e qua fuerant: in equos, in aſinos, in camelos, ſignificat intellectualia & ſcientifica veri quod fidei: in armentum & in gregem, ſignificat voluntaria: peſtis gravis valde, ſignificat conſumtionem in cummuni: & diſtinguet Jehovah inter pecus Iſraelis & inter pecus Ægyptiorum, ſignificat differentiam inter vera & bona fidei illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, & vera & bona fidei quæ ab Eccleſia illis qui infeſtant: & non morietur de omni filiis Iſraelis quicquam, ſignificat quod non conſumentur: & poſuit Jehovah tempus ſtatum, ſignificat

ficat præfinitionem: dicendo, cras faciet Jehovah verbum hoc in terra, ſignificat quod hoc illis in perpetuum quoad illa quæ ſunt veri & boni fidei Eccleſiæ: Et fecit Jehovah verbum hoc a craſtino, ſignificat effectum ſecundum præfinitionem: & moriebatur omne pecus Ægyptiorum, ſignificat conſumtionem veri & boni fidei apud illos qui infeſtant: & de pecore filiorum Iſraelis non moriebatur unum, ſignificat quod nihil fidei conſumeretur apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali: & miſit Pharao, & ecce non mortuum de pecore Iſraelis uſque ad unum, ſignificat quod id notum factum ſit illis qui infeſtant: & aggravatum cor Pharaonis, ſignificat obſtinationem: & non dimiſit populum, ſignificat quod non relinquerent illos.

7497. Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat e novo inſtructionem, ut prius n: 6879. 6881. 6883. 6891. 7226. 7304. 7380.

7498. Veni ad Pharaonem, & loquaris ad illum, quod ſignificet apparentiam Veri a Divino apud illos qui infeſtant, conſtat a ſignificatione venire ſeu intrare ad aliquem, quod ſit præſentia ſeu apparentia, de qua ſequitur; ex ſignificatione loqui quod ſit communicatio; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, in altera vita, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228. 7317; & ex repræſentatione Moſchis, qui intraret ad Pharaonem, & loqueretur ad illum, quod ſit Verum a Divino, de qua n: 6771. 6827. 7014. 7382. Quod venire & intrare ſit præſentia ſeu apparentia, eſt quia in ſpirituali ſenſu ſignificant illa quæ mentis, ſunt proinde quæ cogitationis, & cum de cogitatione prædicatur venire ſeu intrare ad aliquem, eſt illum præſentem ſibi ſiſtere, nam qui de aliquo cogitat, is illum ſibi ponit præſentem: &, quod mirum, in altera vita, ille, de quo aliquis ex deſiderio loquendi cum illo, cogitat, etiam ſiſtitur præſens; inde patet, quod in his ſimiliter ſicut homo in mundo cogitat, in altera vita ſiſtatur ad vivum: inde nunc ſciri poteſt, quod per venire ſeu intrare ad aliquem, ſignificetur præſentia ſeu apparentia.

7499. Ita dixit Jehovah Deus Hebræorum, quod ſignificet mandatum a Domino, Qui Deus Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione dicere, quod ſit mandatum, de qua n: 7036. 7107. 7310; ex ſignificatione Hebræorum, quod ſint qui ab Eccleſia, ita Eccleſia, de qua n: 5136. 5236. 6675. 6684. 6738; quod Jehovah, ubi nominatur in Verbo, ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6280. 6303. 6281. 6905. 6945. 6956. Dominus in Verbo dicitur Jehovah quoad Divinum Bonum, eſt enim Divinum Bonum Ipſum Divinum, & Dominus vocatur Filius Dei quoad Divinum Verum; Divinum enim Verum procedit a Divino Bono, ut Filius a Patre, & quoque dicitur naſci; quomodo cum hoc ſe habet, ulterius dicendum; dominus quando in mundo fuit, Humanum ſuum fecit Divinum Verum, & tunc vocavit Divinum Bonum, quod Jehovah, Patrem ſuum, quoniam, ut dictum eſt, Divinum Verum procedit ac naſcitur a Divino Bono; ſed poſtquam Dominus ſe plene glorificavit, quod factum, cum ultimum tentationis ſuper cruce ſuſtinuit, tunc quoque humanum ſuum fecit Divinum Bonum, hoc eſt, Jehovam, & ab eo ipſum Divinum Verum proceſſit

ceſſit ex Divino Humano Ipſius; hoc Divinum Verum eſt quod vocatur Spiritus Sanctus, & eſt ſanctum, quod a Divino Humano procedit; inde patet, quid intelligitur per Domini verba apud Johannem "Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum glorificatus erat" vii: 39. Quod Divinum Bonum ſit quod Pater nominatur, & Divinum Verum quod Filius, videatur n: 3704.

7500. Dimitte populum meum, & ſerviant Mihi, quod ſignificet ut relinquant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Dominum, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, ut ſæpius prius; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus meus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 4286. 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; & ex ſignificatione ut ſerviant Mihi, quod ſit ut colant Dominum; quod ſervire ſit colere, patet, & quod Jehovah, cui ſervient, ſit Dominus, videatur mox ſupra n: 7499.

7501. Quia ſi renuis dimittere, & adhuc tu detines illos, quod ſignificet ſi adhuc obſtinarent ſe ad infeſtandum, conſtat ex ſignificatione renuere, quod ſit obſtinare; inde renuere dimittere, eſt obſtinare ſe ad non relinquendum; & ex ſignificatione detinere, quod ſit adhuc infeſtare; nam qui infeſtantur, a ſpiritibus malis qui infeſtant, detinentur. Cum hoc, quod a ſpiritibus malis detineantur illi qui infeſtantur, ita ſe habet; ſpiritus mali cum aggrediuntur aliquem, ſciunt inſinuare ſe in ejus jucunda quæ cupiditatum, & quoque in ejus amæna, quæ principiorum; ita in illa quæ ejus amoris ſunt; & quamdiu in tali inſinuatione ſunt, detinent illum, quem infeſtant, ſicut vinctum, non poteſt exſolvi, utcunque allaborat, niſi ex Divina ope Domini, nam amor & inſinuatio in jucundum amoris conjungit: tali arte utuntur mali ſpiritus & genii in altera vita: hoc quoque patet a ſimili in mundo, qui inſinuat ſe in alterius jucundum quod amoris ejus, is tenet illum vinctum, & quoque ducit.

7502. Ecce manus Jehovæ erit in pecus tuum quod in agro, quod ſignificet vaſtationem veri & boni fidei quæ illis ab Eccleſia, in qua fuerunt, conſtat ex ſignificatione eſſe manus Jehovæ in aliquem, quod ſit plaga ſeu punitio, per manum enim ſignificatur potentia, n: 4931 ad 4937. 6292. 6947. 7188. 7189, & per manum Jehovæ Omnipotentia, n: 878. 3387 & quia ab illis, qui in externis Eccleſiæ ſunt, ex apparentia creditur, quod omnis plaga ſeu punitio veniat a Jehovah, tribuunt enim Ipſius potentiæ omnia, idcirco per eſſe manum Jehovæ in aliquem, eſt punitio, hic vaſtatio, nam gradus vaſtationis illorum, qui infeſtabant, erant punitiones; ex ſignificatione pecoris, quod ſint vera & bona fidei, de qua n: 6016. 6045. 6049; & ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua n: 2971, 3310. quod ager ſit Eccleſia, eſt quia ſemina, quæ mittuntur in agrum, ſignificant vera quæ fidei, & quoque quia proventus qui ex agro, ſicut triticum, hordeum, zea, & plura, ſunt bona quæ charitatis, & vera quæ fidei, ita talia quæ ſunt Eccleſiæ. Quomodo ſe habet cum eo, quod infernales ſpiritus qui infeſtant probos in altera vita, vaſtentur quoad vera fidei quæ Eccleſiæ,

ſciendum

ſciendum quod illi qui infeſtant probos in altera vita, ſint qui, cum in mundo vixerunt, ab Eccleſia fuerunt; nam qui non ab Eccleſia fuerunt, non infeſtare poſſunt alios qui ab Eccleſia, ſunt enim falſa, quæ contra vera fidei Eccleſiæ, per quæ infeſtant; per talia non poſſunt illi, qui extra Eccleſiam fuerunt, aliquos infeſtare, quia non noverant illa; quod, qui fidem profeſſi, & vixerunt vitam mali, in altera vita vertant ſe ad falſa, & infeſtent probos, videatur n: 7097. 7127. 7317: ne itaque verum fidei, quod habuerunt ex doctrina Eccleſiæ ſuæ, cum vixerunt in mundo (ſecum enim ferunt omnia quæ noverant in vita corporis, in alteram vitam, nec quicquam deeſt,) det illis aliquid lucis e cœlo, & ne applicent illa, quæ lucis cœli ſunt, ad patrocinandum falſis & malis, quæ ſunt inferni, idcirco illis omne tale adimitur, & relinquuntur tandem malis vitæ ſuæ, & inde falſis; de hac vaſtatione nunc agitur. Quod illi qui ab Eccleſia fuerunt, & vixerunt vitam mali, ita per gradus devaſtentur, antequam dejiciuntur in infernum, eſt quia vera fidei noverant, & per illa communicationem habuerunt cum cœlo; ſocietates cœleſtes cum quibus communicationem habuerunt, & quoque in altera vita habent, ab illis ſeparari non poſſunt niſi per gradus; talis enim ordo eſt in cœlo a Domino, ut nihil fiat violenter, ſed omnia in libero ſicut ex ſe, ideo ſocietates illæ cœleſtes ab illis non dirimuntur; ſed ſucceſſive ſeparantur, ſic ut videantur ſua ſponte diſcedere: ex his nunc patet, quomodo ſe habet cum vaſtatione apud illos, qui noverunt vera fidei quæ Eccleſiæ, & tamen vitam mali egerunt. Quod ita ſe res habeat, nemo ſcire poteſt, niſi ex revelatione; nam cognitionem rerum, quæ exiſtunt in altera vita, homo nullam habet, niſi ex revelatione; & quia homo parum ſollicitus eſt explorare vera & bona quæ fidei ex Verbo, in nulla enim affectione veri eſt propter verum, minus propter vitam, idcirco talia nec illi revelantur; exſtant tamen in Verbo, & quod omnem ſeriem & proceſſum in ſenſu ejus interno: quia itaque homo Eccleſiæ in nulla affectione ſciendi Verum ex Verbo eſt, ſed ſolum in affectione confirmandi doctrinalia Eccleſiæ ſuæ, ſive vera ſint ſive falſa, ob cauſas in mundo, idcirco nihil quicquam ſcit de ſtatu poſt mortem, nihil de cœlo, & nihil de inferno; ne quidem ſcit quid facit cœlum, & quid facit infernum, apud hominem: imo in tali inſcitia ſunt, ut doceant & credant, unumquemque admitti poſſe in cœlum, quidam ex poteſtate quam ſibi arrogarunt, quidam quod ex Miſericordia Domini, utcunque vixerat; & vix aliqui ſciunt, quod homini detur cœlum cum vivit in mundo, per vitam charitatis & fidei, & quod illa vita permaneat. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur qualis homo Eccleſiæ eſt, qui ſolam fidem profitetur, & vitam fidei non curat; nam hi ſunt, qui per Ægyptios hic & in ſequentibus repræſentantur.

7503. In equos, in aſinos, in camelos, quod ſignificet intellectualia & ſcientifica veri quod fidei, conſtat ex ſignificatione equorum, quod ſint intellectualia, de qua n: 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6534; ex ſignificatione aſinorum, quod ſint quæ intellectuali inſerviunt, ita quoque ſcientifica, de qua n: 5492. 7024; & ex ſignificatione camelorum, quod ſint ſcientifica in

 communi,

communi, de qua n: 3048. 3071. 3143. 3145; hæc tria animalia ſignificant illa quæ ſunt partis intellectualis, reliqua quæ ad armentum & ad gregem pertinent, ſignificant illa quæ ſunt partis voluntariæ. Quod partem intellectualem attinet, eſt illa quæ recipit vera fidei, nam intellectus eſt viſus internus, qui illuſtratur a luce cœli, & quantum illuſtratur, tantum appercipit, videt, & agnoſcit vera fidei, cum legit Verbum; inde eſt, quod illi qui in perceptione veri fidei ſunt, dicantur intelligentes & ſapientes, & quoque illuſtrati: quod intellectuale ſit recipiens veri fidei, videatur n: 5114. 6125. 6222.

7504. In armentum & in gregem, quod ſignificet voluntaria, conſtat a ſignificatione armenti, quod ſit bonum exterioris naturalis, & ex ſignificatione gregis, quod ſit bonum interioris naturalis, de quibus n: 5913; & quia per illa ſignificatur bonum, ſignificatur voluntarium, nam omne bonum ſe refert ad voluntatem, & omne verum ad intellectum.

7505. Peſtis gravis valde, quod ſignificet conſumtionem in communi, conſtat ex ſignificatione peſtis, quod ſit vaſtatio veri, & quia dicitur peſtis gravis valde, ſignificatur conſumtio veri: quod peſtis vaſtationem veri ſignificet, patet ab his locis in Verbo; apud Ezechielem "Quando quatuor judicia mea mala, gladium, & famem, & feram malam, & *Peſtem*, miſero ſuper Hieroſolymam, *ad exſcindendum ex ea hominem & beſtiam*" xiv: 21, exſcindere hominem & beſtiam, pro vaſtare bonum interius & exterius. Apud Eundem "Gladius foris, & *Peſtis* atque fames intus; qui in agro, gladio morietur, qui vero in urbe, *illum fames & Peſtis comedent*". vii: 15, peſtis pro vaſtatione boni. Apud Eundem "Ideo quod Sanctuarium meum polluiſti omnibus abominationibus tuis, *tertia pars tui Peſte morientur*, & *conſumentur* in medio tui" v: 12, peſtis pro conſumtione boni. Apud Amos "*Miſi in vos Peſtem in via Ægypti*, occidi gladio juvenes veſtros, cum captivitate equorum veſtrorum" iv: 10, peſtis in via Ægypti, pro vaſtatione boni & veri per falſa, quæ ſunt via Ægypti; occidi gladio juvenes cum captivitate equorum, pro vaſtatione veri, juvenes ſunt vera, & equi intellectualia, ut ſupra n: 7503. Apud Davidem "Non timebis tibi a pavore noctis, a telo volat interdiu; *a Peſte quæ in caligine ſerpit*, a morte vaſtat in meridie" Pſalm: xci: 5. 6, peſtis quæ in caligine ſerpit, pro malo quod in occulto vaſtat; mors quæ vaſtat in meridie, pro malo quod in aperto: præter aliis in locis.

7506. Et diſtinguet Jehovah inter pecus Iſraelis, & inter pecus Ægyptiorum, quod ſignificet differentiam inter vera & bona fidei illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, & inter vera & bona fidei quæ illis qui infeſtant; conſtat a ſignificatione diſtinguere, quod ſit differentia; ex ſignificatione pecoris, quod ſint vera & bona fidei, ut ſupra n: 7502; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua etiam ſupra n: 7500; & a ſignificatione pecoris Ægyptiorum, quod ſint bona & vera Eccleſiæ quæ illis qui infeſtant; quod Ægyptii ſint, qui ab Eccleſia fuerunt, ac inde in ſcientia veri & boni fidei, ſed in vita mali, & qui in altera vita infeſtant, videatur n: 7097.

7097. 7127. 7317. 7502. Quod differentiam attinet inter vera & bona fidei illorum, qui ab Eccleſia, & ſalvantur, & inter vera & bona fidei illorum, qui ab Eccleſia, & damnantur, paucis dicendum; vera & bona fidei quæ illis qui ab Eccleſia & ſalvantur, ſunt ex bono charitatis, & quia affectio charitatis eſt ipſum ſpirituale, ſunt illa vera & bona ſpiritualia, & per cœlum a Domino influentia, interiora enim illorum quæ recipiunt, ſunt aperta ad cœlum; at vera & bona illorum qui ab Eccleſia, & damnantur, non ſunt ex bono charitatis, ita nec ſunt ſpiritualia; per cœlum quidem influunt, ſed recipiuntur in frigore & caligine, in frigore quia bonum charitatis non eſt, in caligine quia lux, qua recipiunt illa, eſt quaſi lux hyemis, quæ lux eſt ad lucem cœli ut caligo; interiora eorum nec aperta ſunt ad cœlum, ſed ad mundum, in hunc determinant influxum veri & boni e cœlo; inde quoque ideæ, quas hi habent de fidei bono & vero, ſunt mere naturales, imo materiales, quæ in mundo ſpirituali repræſentatæ ſunt deformes, & non aliquam ſimilitudinem hominis habent; at vera & bona fidei illorum qui ab Eccleſia ſunt, & ſalvantur, ſunt ſpirituales, & tametſi terminantur in materialibus quæ mundi ſunt, uſque tamen ab illis ſeparatæ ſunt, nam ab illis elevari poſſunt; horum ideæ in mundo ſpirituali repræſentatæ ſunt pulchræ, & ſimilitudinem hominis habent: talis differentia eſt, utcunque in externa forma apparent ſimilia, hoc eſt, in ſermone & prædicatione. Cauſa quod talis differentia ſit, eſt vita, bonum enim vitæ, quod eſt ex charitate, cum influit in intellectuale, quod receptaculum eſt veri, format ideas de bonis & veris fidei pulchras; at malum vitæ, quod contrarium eſt charitati, cum influit in intellectuale, facit ideas de bonis & veris fidei deformes, & tales ut non agnoſcantur in cœlo.

7507. Et non morietur de omni filiis Iſraelis quicquam, quod ſignificet quod non conſumentur, conſtat ex ſignificatione non mori quicquam, quod ſit non conſumi; & ex ſignificatione pecoris, de quo dicitur quod non morietur, quod ſit verum & bonum fidei, de qua ſupra n: 7502; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali; quod non mori queant bona & vera fidei quæ illis, qui ab Eccleſia, eſt quia per charitatem conjuncta ſunt cum Divino, & Divinum eſt ipſa vita, & eſt æternum, quod ipſi vitæ ac æterno conjunctum eſt, hoc non poteſt mori, ſeu non conſumi, manet in æternum, & continue perficitur: at quæ fidei ſunt apud illos qui ab Eccleſia, & damnantur, illa quia non conjuncta ſunt cum Divino, & inde non vitam in ſe habent, moriuntur; ſunt enim ſicut ſimulachra nullius vitæ; quæ quia non viva, in altera vita conſumuntur, hoc eſt, auferuntur.

7508. Et poſuit Jehovah tempus ſtatum, quod ſignificet præfinitionem, conſtat abſque explicatione.

7509. Dicendo, cras faciet Jehovah verbum hoc in terra, quod ſignificet quod hoc illis in perpetuum, quoad illa quæ ſunt veri & boni Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione cras ſeu craſtini, quod ſit in perpetuum, de qua n: 3998; quod ſit quoad illa quæ ſunt veri & boni Eccleſiæ, patet ab illis quæ præcedunt,

præcedunt, nam de illis agitur, quod nempe conſumentur apud illos, qui per Ægyptios intelliguntur; & quod permanebunt apud illos, qui per filios Iſraelis repræſentantur.

7510. Et fecit Jehovah verbum hoc a craſtino, quod ſignificet effectum ſecundum præfinitionem, conſtat ex ſignificatione facere verbum hoc, quod ſit effectus; & ex ſignificatione temporis ſtati, quod hic eſt tempus craſtinum, quod ſit præfinitio, ut ſupra n: 7508: præfinitio a Divino, cum ſe refert ad perpetuum, exprimitur per craſtinum.

7511. Et moriebatur omne pecus Ægyptiorum, quod ſignificet conſumtionem veri & boni fidei apud illos qui infeſtant, conſtat ex ſignificatione mori, nempe per peſtem, quod ſit conſumtio, ut ſupra n: 7505. 7507; & ex ſignificatione pecoris Ægyptiorum, quod ſint vera & bona Eccleſiæ apud illos qui infeſtant, ut quoque ſupra n: 7506.

7512. Et de pecore filiorum Iſraelis non moriebatur unum, quod ſignificet quod nihil fidei conſumeretur apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex illis quæ mox ſupra n: 7506. 7507, explicata ſunt.

7513. Et miſit Pharao, & ecce non mortuum de pecore Iſraelis uſque ad unum, quod ſignificet quod id notum factum ſit illis qui infeſtant, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de qua ſupra n: 7498; quod illis notum factum ſit, nempe quod nihil de bonis & veris fidei perierit apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ſignificetur per quod miſerit & invenerit quod non quicquam mortuum ſit de pecore Iſraelis, patet.

7514. Et aggravatum cor Pharaonis, ſignificat obſtinationem, ut prius n: 7272. 7300. 7305.

7515. Et non dimiſit populum, quod ſignificet quod non relinquerent illos; nempe qui ab Eccleſia ſpirituali quos infeſtabant, videatur n: 7474, ubi eadem verba.

7516. Verſ: 8 ad 12. *Et dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, accipite vobis plenitudine pugnorum veſtrorum favillam fornacis, & ſpargat illam Moſcheh verſus cælum ad oculos Pharaonis. Et erit in pulverem ſuper omni terra Ægypti, & erit ſuper homine & ſuper beſtia ad ulcus efloreſcens puſtulis in omni terra Ægypti. Et acceperunt favillam fornacis, & conſtiterunt coram Pharaone, & ſparſit illam Moſcheh verſus cælum, & factum ulcus puſtularum efloreſcens in homine & in beſtia. Et non potuerunt magi ſtare coram Moſcheh propter ulcus, quia fuit ulcus in magis & in omnibus Ægyptiis. Et obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, & non audivit ad illos, quemadmodum laquutus Jehovah ad Moſchen.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, & ad Aharonem, ſignificat e novo inſtructionem: accipite vobis plenitudine pugnorum veſtrorum, ſignificat potentiam, quantum recipi poſſet, datam: favillam fornacis, ſignificat excitandi falſa cupiditatum per præſentiam apud illos qui infeſtant: & ſpargat illam Moſcheh verſus cœlum, ſignificat falſa iſta illis in cœlo oſtenſa: ad oculos Pharaonis, ſignificat in præſentia: & erit in pulverem ſuper omni terra Ægypti, ſignificat damnationem falſorum illorum in mente

mente naturali: & eris ſuper homine & ſuper beſtia, ſignificat quæ ex malo interiori & exteriori: ad ulcus efflorescens puſtulis, ſignificat ſpurca cum blaſphemiis inde: in omni terra Ægypti, ſignificat in tota mente naturali: & acceperunt favillam fornacis, ſignificat falſa cupiditatum: & conſtiterunt coram Pharaone, ſignificat in præſentia illorum qui infeſtant: & ſparſit illam Moſcheh verſus cœlum, ſignificat iſta oſtenſa illis in cœlo: & factum ulcus puſtularum efflorescens in homine & in beſtia, ſignificat ſpurca cum blaſphemiis ex malo interiori & exteriori: & non potuerunt magi ſtare coram Moſche propter ulcus; ſignificat quod non præſentes poſſent eſſe qui abuſi ordine Divino effigiando ſimile in forma externa: quia fuit ulcus in magis, ſignificat quod ſimilia ſpurca ex illis prodirent: & in omnibus Ægyptiis, ſignificat ſicut in illis qui infeſtabant: & obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, ſignificat quod illi ſe obſtinarent: & non audivit ad illos, ſignificat quod non obedirent: quemadmodum loquutus Jehovah ad Moſchen, ſignificat ſecundum prædictionem.

7517. Et dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, quod ſignificet e novo inſtructionem, conſtat ex ſignificatione, dixit Jehovah, quod ſit inſtructio, ut ſupra n: 7497; quod inſtructio e novo, eſt quia nunc agitur de novo ſtatu, finito priori: inſtructio, quæ a Jehovah fit per verum quod procedit ab Ipſo; Verum quod procedit a Jehovah, repræſentatur per Moſchen & Aharonem, verum internum per Moſchen, & externum per Aharonem, n: 7382.

7518. Accipite vobis plenitudine pugnorum veſtrorum, quod ſignificet potentiam, quantum recipi poſſet, datam, conſtat a ſignificatione pugnorum ſeu volarum, quod ſint potentia; quod pugni ſeu volæ ſint potentia, eſt quia manus ſignificat illam, de quo infra; quantum recipi poteſt, ſignificatur per plenitudinem. Quod ſignificationem pugnorum ſeu volarum attinet, ſciendum quod Brachia in Maximo Homine correſpondeant potentiæ; inde non ſolum ipſa brachia ſignificant potentiam, ſed etiam humeri, tum quoque manus, uſque ad digitos; quod brachia ſint potentia, videatur n: 878. 4932. 4934. 4935. 7205; quod humeri, n: 1085. 4937; quod manus, n: 878. 3387. 5327. 5328. 5544. 6292. 6947. 7011. 7188 7189; quod etiam digiti, n: 7430, de correſpondentia illorum in genere, n: 4931 ad 4937. Cauſa, quod omnia, quæ brachii ſunt, correſpondeant potentiæ, eſt quia corpus potentiam ſuam exercet per illa. Ex his conſtare poteſt, quid per *ſedere a dextris* ſignificatur apud Matthæum "Jeſus dixit, ex nunc videbitis Filium hominis *ſedentem a dextris potentiæ*" XXVI: 64: & apud Lucam "Ex hoc nunc erit Filius hominis *ſedens a dextris virtutis Dei*" XXII: 69, quod nempe ſit Omnipotentia quæ Domino; quapropter dicitur a dextris potentiæ, & a dextris virtutis; ut quoque apud Davidem "Tibi *brachium cum virtute, fortis eſt manus* tua, exaltabirur *dextra tua*" Pſalm: LXXXIX: 14. Ex his patet, quid lucis in Verbo dat ſenſus internus; niſi enim inde ſciretur quod per dextram ſignificetur potentia, intelligeretur ſecundum verba, quod Dominus ſederet a dextris Jehovæ.

7519. Favillam fornacis, quod ſignificet excitandi falſa cupiditatum per præſentiam apud illos qui infeſtant, conſtat ex ſignificatione favillæ fornacis; quod ſint falſa cupiditatum, de qua ſequitur; quod ſit excitatio per præſentiam apud illos qui infeſtant, conſtat ex illis quæ in hoc Verſu ſequuntur, nam dicitur quod Moſcheh ſpargeret illam verſus cœlum, in oculis Pharaonis; per in oculis, ſignificatur præſentia, & per Pharaonem ſignificantur illi qui infeſtant, ut ſæpe oſtenſum. Quomodo cum his ſe habet, abſque revelatione non ſciri poteſt, ſunt enim talia quæ fiunt in altera vita, & non nota ſunt in mundo; Spiritus mali ſeu infernales, quamdiu remoti ſunt & ſeparati a cœlo, hoc eſt, a bono amoris & vero fidei, quæ ibi; tamdiu non ſciunt quod in malis & falſis ſint, tunc enim falſa credunt eſſe vera, & mala eſſe bona; aſt ut primum Cœlum propius ad illos accedit, hoc eſt, aliqua ſocietas Cœleſtis, appercipiunt falſa & mala, verum enim fidei quod tunc influit, dat illis appercipere falſa, & bonum amoris quod influit, dat illis appercipere mala; etiam quo propius accedit cœlum, ſeu quo præſentius influit bonum amoris & verum fidei ejus, quia non ſuſtinent illa, eo gravius a malis ſuis & a falſis corripiuntur: ex his nunc conſtare poteſt, cur mandatum eſt, quod Moſcheh acciperet favillam fornacis, & illam ſpargeret verſus cœlum, & quod hoc faceret in oculis Pharaonis, tum quod mandatum quod ille favillam ſpargeret verſus cœlum non autem Aharon; quod enim ſpargeretur favilla verſus cœlum, ſignificatur influxus cœli; per quod hoc fieret in oculis Pharaonis, ſignificatur quod in præſentia illorum qui infeſtant; quod Moſcheh hoc faceret, & non Aharon, eſt quia verum immediate a Divino procedens illum effectum apud malos ſiſtit, Moſcheh enim eſt Verum quod immediate a Divino procedit, & Aharon quod mediate, videatur n: 7010: ex his patet quid in ſenſu interno intelligitur per hæc quæ in hoc Verſu & in proxime ſequentibus continentur, quod nempe ſit, ut excitentur ſpurca & fæda cupiditatum cum blaſphemiis, quæ ſignificantur per ulcus efflorescens puſtulis; excitantur illa, quando Divinum Verum influit & cœlum propius accedit. Quiſque videre poteſt, quod talia nequaquam Moſchi a Jehovah mandata fuiſſent, niſi arcanum cœleſte ineſſet, ſcilicet quod Moſcheh favillam fornacis acciperet, & illum ſpargeret verſus cœlum, talia media producendi effectum nuſquam a Jehovah juberentur, niſi continerent cœleſte, cui correſpondent; inde videri poteſt, quale eſt Verbum, quod nempe arcanis pleniſſimum, ſed arcanis quæ non exſtant in ſenſu literæ. Quod favilla fornacis ſignificet falſa cupiditatum, eſt quia favilla eſt ex combuſtis, quod comburitur, ut quoque ipſe ignis, in Verbo in bono ſenſu ſignificat bonum affectionum cœleſtium, at in oppoſito ſenſu malum cupiditatum infernalium; quod ignis illa ſignificet, videatur n: 934. 1861. 2446. 4906. 5071. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324; & quod combuſtio ſit malum cupiditatum, n: 1297. 5215; inde eſt, quod favilla ſignificet falſa; nam falſa ſunt ex malis cupiditatum; quia mala cupiditatum ſignificantur per ignem, etiam ſignificantur per fornacem, eſt fornax continens quod ſæpius involvit ſimile cum contento: quod fornax illa ſignificet, conſtat ab his locis; apud Malachiam "Ecce dies veniens *ardens* *ſicut*

ſicut fornax, & erunt omnes ſuperbi, & omnis faciens malitiam, & *inflammabit illos* dies veniens, non relinquet iis radicem & ramum" III: 19, ardens ſicut fornax pro cupiditatibus mali; inflammare illos pro accendere cupiditatibus. In Libro Geneſeos "Abraham proſpexit contra facies Sodomæ & Amoræ, & contra omnes facies terræ planitiei, & vidit, & aſcendit fumus, ſicut *fumus fornacis*" XIX: 28, fumus fornacis pro falſis ex malis cupiditatum, Sodoma enim eſt malum cupiditatum ex amore ſui, & Amora eſt falſum inde, n: 2220. 2246. 2322. Apud Johannem "E puteo abyſſi aſcendit fumus, ſicut *fumus fornacis*" Apoc: IX: 2, fumus fornacis ſimiliter pro falſis ex malis cupiditatum; puteus abyſſi pro inferno. Apud Matthæum "Mittet Filius hominis Angelos ſuos, qui coligent e Regno Ipſius omnia offendicula, & eos qui faciunt iniquitatem, & *mittet eos in Caminum ignis*" XIII: 41. 42, caminus ignis pro malis cupiditatum; ignis enim cupiditatum eſt qui in Verbo intelligitur per ignem inferni, amores etiam non aliud ſunt quam ignes vitæ; continuum amoris eſt cupiditas. Apud Nahum "Aquas obſidii hauri tibi, confirma munimenta tua, intra in cænum, & calca lutum, *repara fornacem lateritiam*, ibi comedet te ignis, exſcindet te gladius" III: 14. 15, intrare in cænum, pro in falſum, calcare lutum pro malum, n: 6699, fornax lateritia pro falſis quæ fingunt, & injiciuntur a malis, n: 1296. 6699. 7113, ignis pro cupiditate mali, n: 1861. 2446. 5071. 5215. 6832. 7324, gladius pro falſitate, n: 4499. Apud Jeremiam "Sume in manum tuam lapides magnos, & abſconde illos in angilla *in fornace lateritia*, quæ ad oſtium domus Pharaonis in Thachpancheſo, in oculis virorum Judæorum, & dic ad illos, ecce Ego mittens & accipiam Nebuchadnezarem, regem Babelis, & ponam Thronum illius ſuper lapides hos, quos abſcondi, ita ut extendat tentorium ſuum ſuper illis, veniet & percutiet terram Ægypti" XLIII: 9. 10, quid hæc ſignificant nec ſciri poteſt abſque ſenſu interno; lapides magni ſunt falſa; fornax lateritia eſt cupiditas falſi ex malo, Nebuchadnezar rex Babelis, eſt vaſtator veri & boni; quod thronus ejus & tentorium ſuper his lapidibus eſſet, eſt quod regnare faciet falſa; terra Ægypti quam percutiet eſt mens naturalis.

7520. Et ſpargat illam Moſcheh verſus cœlum, quod ſignificet quod falſa iſta illis in cœlo oſtenſa, conſtat ex ſignificatione favillæ, quod ſint falſa, de qua ſequitur; & ex ſignificatione ſpargere verſus cœlum, quod ſit oſtendere iſta illis qui in cœlo, quod ſpargere ſit oſtendere, patet, nam inde apparitio: per cœlum in ſenſu interno intelligitur cœlum angelicum. Quid hæc ſignificant, patet ab illis quæ mox ſupra n: 2519, dicta ſunt, quod nempe per verum a Divino, quod repræſentatur per Moſchen, falſa cupiditatum illorum qui infeſtant, oſtenſa & manifeſtata ſint cœlo, unde præſentia ejus, & ex præſentia exiſtentia talium apud malos, quæ ſignificantur per ulcus effloreſcens puſtulis. Quod favilla ſit falſum, confirmari poteſt ex locis ubi cinis nominatur, nam cinis ex ſimili origine eſt, & inde ſimile cum favilla ſignificat; ut apud Eſaiam, Cap: XLIV: 15. 20. Cap: LVIII: 5. Jerem: XXVII: 30. Ezech: XXVII: 30. Cap: XXVIII: 18. Jon: III: 6. Pſalm: CII: 10. 11. Hiob II: 8. Cap: XXX: 19.

7521. Ad oculos Pharaonis, quod ſignificet in præſentia, conſtat abſque explicatione.

7522. Et erit in pulverem in omni terra Ægypti, quod ſignificet damnationem falſorum illorum in mente naturali, conſtat a ſignificatione pulveris, quod ſit damnatum, de qua ſupra n: 7418; ex ſignificatione favillæ fornacis, quæ facta eſt in pulverem, quod ſint falſa cupiditatum, de qua mox ſupra n: 2519. 2520; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301. Quod pulvis ſit damnatum, præter a locis e Verbo n: 7418 allegatis, etiam patet ex hoc apud Moſchen "Si non obediveris voci Jehovæ Dei tui, maledictus tu in urbe, maledictus tu in agro: dabit Jehovah pluviam terræ tuæ *pulverem tenuem* & *pulverem craſſum*, de cœlo deſcendet ſuper te, uſque dum perdaris" Deut. xxviii: 15. 16. 24.

7523. Et erit ſuper homine & ſuper beſtia, quod ſignificet quæ ex malo interiori & exteriori, conſtat ex ſignificatione hominis, quod ſit affectio boni, & in oppoſito ſenſu cupiditas mali, ſimiliter beſtia, ſed cum nominatur homo & beſtia, tunc per hominem ſignificatur affectio ſeu cupiditas interior, & per beſtiam exterior, de quibus videatur n: 7424: bonum interius, & quoque malum interius quæ per hominem ſignificantur, ſunt quæ intentionis ſeu finis ſunt, nam intentio ſeu finis intimum hominis eſt; bonum autem exterius & quoque malum exterius, quæ per beſtiam ſignificantur, ſunt quæ cogitationis, & inde, cum nihil obſtat, actionis: quod exterius ſignificetur per beſtiam, eſt quia homo quoad externum ſeu naturalem ſuum hominem non eſt niſi quam beſtia, ſimilibus enim cupiditatibus, & quoque voluptatibus, ut & appetitibus & ſenſibus, gaudet; & quod interius ſignificetur per hominem, eſt quia homo quoad internum ſeu ſpiritualem hominem eſt homo, ibi gaudet affectionibus boni & veri, talibus quæ ſunt apud angelos in cœlo, eſt quia per illum regit naturalem ſeu animalem ſuum hominem, qui beſtia eſt: quod beſtia ſit affectio boni, & in oppoſito ſenſu cupiditas mali, videatur n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776. 2179. 2180. 3218. 3519. 5198: Illa ſunt quæ ſignificantur per hominem & beſtiam, etiam in ſequentibus locis; apud Jeremiam "Ira mea & excandeſcentia mea, effuſa eſt ſuper locum hunc, *ſuper hominem & ſuper beſtiam*" vii: 20. Apud Eundem "Percutiam habitatores urbis hujus, *& hominem & beſtiam*, peſte magna morientur" xxi: 6. Apud Eundem "Ponet terram ejus in deſolationem, ut non habitans in ea, *ab homine uſque ab beſtiam* ſe dimoverunt, abiverunt" l: 3. Apud Ezechielem "Quando terra peccaverit Mihi, prævaricando prævaricationem, exſcindam ex ea *hominem & beſtiam*" xiv: 13. 19. 21. Apud Eundem "Extendam manum meam ſuper Edomum, & exſcindam ex ea *hominem & beſtiam*, & dabo illam vaſtitatem" xxv: 13. Apud Zephaniam "Conſumam *hominem & beſtiam*, conſumam avem cœlorum, & piſces maris, & offendicula cum impiis, & exſcindam *hominem* a ſuperficiebus terræ" i: 3. Homo & beſtia pro bono interiori & exteriori in ſequentibus locis; apud Jeremiam "Ego feci terram, *hominem*

nem & beſtiam per virtutem meam magnam" xxvII: 5. Apud Eundem "Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, quibus ſeminabo domum Iſraelis & domum Jehudæ, *ſemine hominis*, & *ſemine beſtiæ*" xxxI: 27. Apud Eundem "Deſolatio erit terra, ita ut non *homo & beſtia*" xxxII: 43. Apud Eundem "In urbibus Jehudæ, & in plateis Hieroſolymæ, devaſtatio, *non homo* & non habitator, *& non beſtia*" xxxIII: 10. LI: 62. Apud Davidem "Juſtitia tua ſicut montes Dei, juſtitia tua abyſſus magna, *hominem & beſtiam* ſervas, Jehovah" Pſalm: xxxvI: 6. Quia per hominem & beſtiam illa ſignificata ſunt; idcirco primogenita Ægyptiorum, tam *hominum* quam *beſtiarum* mortua ſunt" Exod: xII: 29; ac ideo ſanctificata ſunt primogenita tam de *homine* quam de *beſtia*". Num: xvIII: 15; ac ideo quoque ex ritu ſancto mandatum eſt a Rege Ninives, ut tam *homo* quam *beſtia* jejunarent, & quoque ſaccis operirentur" Jon: III: 7. 8.

7524. Ad ulcus efflorescens puſtulis, quod ſignificet ſpurca cum blaſphemiis inde, conſtat ex ſignificatione ulceris, quod ſint ſpurca quæ ex malis; & ex ſignificatione puſtularum, quod ſint blaſphemiæ quæ inde: ulcera apud hominem in ejus corpore correſpondent ſpurcis quæ ex malis, & puſtulæ blaſphemiis; & quoque forent in omni homine malo, niſi is, quamdiu in mundo eſt, in ſtatu recipiendi bonum & verum fidei eſſet, propter illum ſtatum inhibetur a Domino, ne talia ex malis erumpant. Quod ulcera ſignificent ſpurca cum blaſphemiis, patet etiam apud Johannem "Primus Angelus effudit phialam ſuam ſuper terram, & factum eſt *ulcus malum & noxium* in hominibus, qui habebant characterem beſtiæ. Quintus Angelus effudit phialam ſuper thronum beſtiæ, & *blaſphemarunt Deum cæli* præ moleſtiis & *præ ulceribus ſuis*" Apoc: xvI: 2. 11: & apud Moſchen "*Percutiet te Jehovah ulcere Ægypti*, & hæmorrhoidibus, & ſcabie, & prurigine, ut non poſſis ſanari; quo fies inſanus ab aſpectu oculorum, quo aſpicies. Percutiet te Jehovah *ulcere malo* ſuper genubus & ſuper femoribus, a quibus non poſſis ſanari: abducet Jehovah te & regem tuum, quem conſtitues ſuper te, ad gentem quam non noviſti" Deut: xxvIII: 27. 34. 35. 36; Ulcus Ægypti pro ſpurcis cum blaſphemiis; & quia blaſphemiæ quoque ſignificantur, dicitur, quod fiet inſanus ab aſpectu oculorum, qui enim blaſphemat Deum, is inſanit; genera ulcerum ſunt hæmorrhoides, ſcabies, prurigo, quæ ſignificat totidem genera falſorum ex malis; ſimiliter pæne per ulcera ſuper genubus & femoribus; & quia ſignificant falſa, immediate ſequitur, quod abducetur rex, quem conſtituent; per regem enim ſignificatur verum, & in oppoſito ſenſu falſum, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4581. 4966. 5044. 6148. Ulcera lepræ, ut tumor, abſceſſus, pupula, uſtio, porrigo, vitilago, quæ nominantur Levit: xIII: 1 ad f, ſunt quoque talia, nam lepra in ſenſu ſpirituali eſt prophanatio veri, n: 6903. Quod etiam *Vulnera* ſignificent talia, patet apud Eſaiam "A vola pedis uſque ad caput non in eo integritas, *vulnus* & livor & plaga recens, non expreſſa ſunt, & non obligata, & non emollita oleo" I: 6: & apud Davidem "Iniquitates meæ tranſiverunt caput meum *compu-*

truerunt, contabuerunt vulnera mea, propter ſtultitiam meam" Pſalm: xxxviii: 5. 6.

7525. In omni terra Ægypti, quod ſit mens naturalis, videatur mox ſupra n: 7522.

7526. Et acceperunt favillam fornacis, quod ſignificet falſa cupiditatum, conſtat ex ſignificatione favillæ fornacis, quod ſint falſa cupiditatum, de qua ſupra n: 7519.

7527. Et conſtiterunt coram Pharaone, quod ſignificet in præſentia illorum qui infeſtant, conſtat ex ſignificatione conſiſtere coram aliquo, quod ſit in præſentia; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228.

7528. Et ſparſit illam Moſcheh verſus cœlum, quod ſignificet falſa iſta oſtenſa illis in cœlo, conſtat ex illis ſupra n: 2520, ubi ſimilia verba.

7529. Et factum ulcus puſtularum efflorеſcens in homine & in beſtia, quod ſignificet ſpurca cum blaſphemiis ex malo interiori & exteriori, conſtat ex ſignificatione ulceris puſtularum, quod ſint falſa cum blaſphemiis, de qua ſupra n: 7524; & ex ſignificatione hominis & beſtiæ, quod ſit malum interius & exterius, de qua etiam ſupra n: 7523.

7530. Et non potuerunt magi ſtare coram Moſche propter ulcus, quod ſignificet quod præſentes non poſſent eſſe qui abuſi ordine Divino effigiando ſimile in forma externa, conſtat ex ſignificatione non poſſe ſtare coram aliquo, quod ſit non poſſe preſens eſſe; & ex ſignificatione magorum, quod ſint qui abutuntur ordine Divino effigiando ſimile in forma externa, de qua n: 7296. 7337; & ex ſignificatione ulceris, quod ſint ſpurca cum blaſphemiis, de qua ſupra n: 7524.

7531. Quia fuit ulcus in magis, quod ſignificet quod ſimilia ſpurca ex illis prodirent, conſtat ex illis nunc ſupra n: 7530.

7532. Et in omnibus Ægyptiis, quod ſignificet ſicut in illis qui infeſtabant, conſtat ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint illi qui infeſtant, de qua n: 7095. 7317.

7533. Et obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, quod ſignificet quod illi ſe obſtinarent, conſtat ex ſignificatione obfirmari, indurari, aggravari cor, quod ſit obſtinatio, de qua n: 7272. 7300. 7305. Quod dicatur quod Jehovah obfirmaverit cor illius, in ſenſu interno ſignificat quod non Jehovah ſed illi obfirmaverint cor ſuum, hoc eſt, ſe obſtinaverint; malum enim apud hominem eſt, quod obfirmat ſeu obſtinat illum contra Divina, & malum venit ex homine, & influit ab inferno, non autem e cœlo; per cœlum a Domino nihil niſi quam bonum influit; a bono, minus ab Ipſiſſimo Bono poteſt malum prodire; malum prodit ex ſuis originibus, nempe ex contrariis amori in Deum & amori erga proximum, tales origines dantur apud hominem, & nullatenus apud Deum; inde patet, quod, ubi dicitur in Verbo, quod Deus inducat malum, ſit dictum ſecundum apparentiam; ſed de his videantur n: 2447. 6992. 6997.

7534. Et non audivit ad illos, quod ſignificet quod non obedirent, conſtat

ſtat ex ſignificatione non audire ad aliquem, quod ſit non obedire, ut quoque n: 7224. 7278. 7301. 7339. 7413.

7535. Quemadmodum loquutus Jehovah, quod ſignificet ſecundum prædictionem, ut prius n: 7302. 7340. 7414. 7432.

7536. Verſ: 13 ad 18. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſurge mane in matutino, & conſiſte coram Pharaone, & dicas ad illum, ita dixit Jehovah Deus Hebræorum, dimitte populum meum, ut ſerviant Mihi. Quia vice hac Ego mittens omnes plagas meas in cor tuum, & in ſervos tuos, & in populum tuum, propterea ut ſcias quod nullus ſicut Ego in tota terra. Quia nunc mitterem manum meam, & percuterem te, & populum tuum, peſte, & exſcindereris e terra. Verum tamen propter hoc ſtare feci te, propter videre te virtutem meam, & propterea ut narretur Nomen meum in tota terra. Adhuc tu extollis te in populum meum, quo minus dimittas illos. Ecce Ego facio pluere juxta tempus craſtinum grandinem gravem valde, quæ non fuit ſicut illa in Ægypto a die fundata illa & uſque ad nunc.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat iterum inſtructionem quid agendum: ſurge mane in matutino, & conſiſte coram Pharaone, ſignificat elevationem attentionis illorum qui infeſtant, per præſentiam: & dicas ad illum, ita dixit Jehovah Deus Hebræorum, ſignificat mandatum a Domino, qui Deus Eccleſiæ: dimitte populum meum, & ſerviant Mihi, ſignificat ut relinquant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Dominum Deum ſuum: quia vice hac Ego mittens omnes plagas meas, ſignificat quod fieri poſſet, ut omnia mala ventura ſimul in illos irruerent: in cor tuum, ſignificat in intimum: in ſervos tuos, & in populum tuum, ſignificat in omnia & ſingula: propterea ut ſcias quod nullus ſicut Ego in tota terra, ſignificat eis notum inde, quod Dominus ſolus Deus: quia nunc mitterem manum meam, ſignificat quod omnis communicatio adimi poſſet: & percuterem te & populum tuum peſte, ſignificat ita devaſtationem totalem: & exſcindereris e terra, ſignificat quod ſic non communicatio amplius per illa quæ Eccleſiæ: verum tamen propter hoc ſtare feci te, ſignificat quod adhuc permaneret communicatio, & percurrerent ſtatus ex ordine: propter videre te virtutem meam, ſignificat ut appercipiant quanta eſt potentia Divina: & propterea ut narretur Nomen meum in tota terra, ſignificat ut ſic agnoſcatur Dominus pro ſolo Deo ubi Eccleſia: adhuc tu extollis te in populum meum, ſignificat quia nondum deſiſtit infeſtare illos qui in vero & bono: quo minus dimittas illos, ſignificat & non adhuc relinquit: ecce Ego facio pluere juxta tempus craſtinum grandinem gravem valde, ſignificat falſa deſtruentia omnia Eccleſiæ apud illos: quæ non ſicut illa in Ægypto a die fundata illa & uſque ad nunc, ſignificat quod talis deſtructio non apud alios in mente naturali.

7537. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet iterum inſtructionem quid agendum, videatur ſupra n: 7517.

7538. Surge mane in matutino, & conſiſte coram Pharaone, quod ſignificet elevationem attentionis illorum qui infeſtant per præſentiam, conſtat ex ſignificatione ſurgere mane in matutino, de qua n: 7435; ex ſignificatione conſiſtere coram aliquo, quod ſit præſentia, de qua n: 7527;

&

& ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228.

7539. Et dicas ad illum, ita dixit Jehovah Deus Hebræorum, quod ſignificet mandatum a Domino, qui Deus Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah ſeu Domino ad illos qui in malis ſunt & infeſtant, quod ſit mandatum, ut n: 7036. 7310; ex ſignificatione Hebræorum, quod ſint ab Eccleſia, ita Eccleſia, de qua n: 6675. 6684. 6738; quod Jehovah, ubi nominatur in Verbo, ſit Dominus qui intelligitur, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5011. 5663. 6280. 6281. 6303. 6905. 6945. 6956; ita Jehovah Deus Hebræorum eſt Dominus qui Deus Eccleſiæ.

7540. Dimitte populum meum, & ſerviant Mihi, quod ſignificet ut relinquant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Dominum Deum ſuum, videatur ſupra n: 7500, ubi ſimilia verba.

7541. Quia vice hac Ego mittens omnes plagas meas, quod ſignificet quod fieri poſſet ut omnia mala ventura in illos ſimul irruerent, conſtat ex ſignificatione plagarum, quod ſint mala, hic mala ventura, uſque dum in infernum prorſus conjicerentur, quare dicitur omnes plagæ; & ex ſignificatione mittere, quod ſit irruere, plagæ enim ſeu mala non a Jehovah ſeu Domino immittuntur, ſed ab ipſo malo irruunt; malum enim in altera vita pænam ſecum fert, & illam quaſi in ſe habet, n: 696. 697. 1857. 6559; inde eſt, quod per Ego mittens omnes plagas meas, ſignificetur quod omnia mala in illos irruerent. Secundum ordinem eſt, ut una plaga ſequatur alteram, & mali ſic ſucceſſive in infernum dejiciantur, quare dicitur hic, quod fieri poſſet ut ſimul irruerent. Homo Eccleſiæ, quia nullam cognitionem de ſtatu vitæ poſt mortem habet, credit quod homo poſt vitam in corpore, illico vel in cœlum elevetur, vel in infernum conjiciatur; cum tamen hoc fit ſucceſſive, tametſi hoc fit cum multa varietate, quoad tempora & quoad ſtatus; apud bonos, qui elevandi in cœlum, ſeparatur ſucceſſive malum, & illi implentur bonis ſecundum facultatem recipiendi acquiſitam in mundo; & apud malos, qui conjiciendi in infernum, ſeparatur ſucceſſive bonum, & illi implentur ſucceſſive malis, ſecundum facultatem recipiendi acquiſitam in mundo. Præterea homo in altera vita intrat novos ſtatus, & ſubit mutationes; illi qui in cœlum elevantur, & poſtea cum elevati ſunt, perficiuntur in æternum; qui autem in infernum conjiciuntur, & poſtea cum conjecti ſunt, ſuſtinent mala continue graviora, & hoc uſque dum non audent alicui malum inferre; ac poſtea in inferno manent in æternum; inde eximi nequeunt, quia alicui bonum velle non illis dari poteſt, ſolum non alicui malum facere ex timore pænæ, remanente ſemper cupidine.

7542. In cor tuum, quod ſignificet in intimum, conſtat ex ſignificatione cordis, quod ſit id quod voluntatis eſt, ita quod amoris, de qua n: 2930. 3313. 3888. 3889, conſequenter quod ipſius vitæ eſt, nam amor, quia eſt voluntatis, facit ipſam vitam; inde eſt quod per cor ſignificetur intimum: intimum apud bonos, eſt amor in Dominum & amor erga proximum, intimum

mum autem apud malos eſt amor ſui & amor mundi; hoc intimum eſt, quod hic intelligitur: quæ circum intimum ſunt, ac peripherias quaſi conſtituunt, ſunt mala cum falſis quæ favent; & hæc eo ordine diſpoſita ſunt, quo favent. In altera vita evolvuntur hæc ſecundum ordinem quo diſpoſita ſunt, primum prodeunt illa quæ ultimas peripherias tenent, poſtea quæ interiores, & tandem manifeſtatur intimum; inde eſt, quod homo in altera vita percurrat plures ſtatus, & quod mali per gradus ſucceſſive incurrant plagas, antequam conjiciuntur in infernum, ſecundum illa quæ mox ſupra dicta ſunt: Intimum, ad quod demum perveniunt, eſt ipſum infernum apud illos, nam eſt ipſum malum, quod fuerat amoris illorum, ita finis, propter quem omnia egerant, & quem in mundo intime recondiderant.

7543. In ſervos tuos, & in populum tuum, quod ſignificet in omnia & ſingula, conſtat ex ſignificatione ſervorum & populi, quod ſint omnes & ſinguli, ita omnia & ſingula, de qua n: 7396.

7544. Ut ſcias quod nullus ſicut Ego in tota terra, quod ſignificet eis notum inde, quod Dominus ſolus Deus, conſtat ex illis ſupra n: 7401.

7545. Quia nunc mitterem manum meam, quod ſignificet quod communicatio adimi poſſet, conſtat ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 4931 ad 4937. 6292. 6947. 7188. 7189. 7518; & quod manus Jehovæ ſit omnipotentia, n: 878. 3387. 7518, inde mittere manum, eſt oſtendere potentiam, & ex omnipotentia id facere; omnipotentia illa deſcribitur per quod mittere poſſet omnes plagas in cor ejus, in ſervos ejus, & in populum ejus, per quæ ſignificatur, quod omnia mala ſimul irruerent, & ſic quod communicatio adimeretur cum illis quæ cœli ſunt: hoc potentia eſt, quod hic per illa verba ſignificatur. Quomodo cum communicatione hac ſe habet, prius dictum eſt; quod nempe illi qui probos in altera vita infeſtant, ſint qui in mundo in Eccleſia fuerunt, ac legerunt Verbum, & ſciverunt doctrinalia fidei Eccleſiæ ſuæ, & quoque profeſſi illa, ſed vixerunt vitam mali; illi in altera vita quamdiu retinent illa quæ fidei ſunt, communicationem habent cum cœlo, & tamdiu non poſſunt dejici in infernum; quapropter illa ſunt, quæ per gradus illis auferuntur; quæ cum ablata ſunt, non amplius habent, quod elevatos illos teneat; ſed tunc ſicut pondera abſque ſuſtentaculis, vel ſicut aves abſciſſis alis deorſum ſeu in profundum decidunt: ex his patet, quid intelligitur, per quod communicatio illis adimi poſſet.

7546. Et percuterem & te populum tuum peſte, quod ſignificet ita devaſtationem totalem, conſtat ex ſignificatione peſtis, quod ſit vaſtatio boni & veri, de qua n: 7505, hic devaſtatio totalis, quia dicitur quod Pharao & populus ejus illa percuteretur; prius autem in Verſ: 3tio quod pecus; inde ibi per peſtem non ſignificatur devaſtatio totalis, ſed vaſtatio in communi quoad illa quæ ſunt veri & boni Eccleſiæ, & quæ extra ſunt.

7547. Et exſcindereris e terra, quod ſignificet quod ſic non communicatio amplius per illa quæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione exſcindi; cum dicitur de illis quæ ſunt Eccleſiæ, quod ſit ſeparari, & cum ſeparantur ſeu cum nulla

amplius

amplius communicatio per illa quæ Eccleſiæ ſunt cum cœlo, tunc homo ille cadit in infernum, quod eſt exſcindi, videatur ſupra n: 7545; & a ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua n: 662. 1067. 1262. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2571. 2928. 3355. 4535. 4447. 5577.

7548. Verum tamen propter hoc ſtare feci te, quod ſignificet quod adhuc permaneret communicatio, & percurrerent ſtatus ex ordine, conſtat ex ſignificatione ſtare facere, cum dicitur de plagis ſeu malis quod non ſimul irruerent, n: 7541, & de communicatione cum cœlo, quod illis non adimeretur, n: 7545, quod ſit quod adhuc permaneret communicatio, proinde quod percurrerent ſtatus ex ordine, hoc eſt, quod per gradus ſucceſſive devaſtarentur, n: 7541.

7549. Propter videre te virtutem meam, quod ſignificet ut appercipiant quanta eſt potentia Divina, conſtat abſque explicatione.

7550. Et propterea ut narretur Nomen meum in tota terra, quod ſignificet quod ſic agnoſcatur Dominus pro ſolo Deo ubi Eccleſia, conſtat ex ſignificatione Nominis, quod ſit omne in uno complexu, quo colitur Dominus, de qua n: 2724. 3006. 6674; & quia eſſentialiſſimum cultus eſt agnitio, quod Dominus ſit ſolus Deus, & quod Humanum Ipſius ſit Divinum, & quod ex Eo omne fidei & amoris procedat, idcirco per narrari Nomen Jehovæ, ſignificatur quod agnoſcendus Dominus pro ſolo Deo; quod Divinum Humanum Domini ſit Nomen Jehovæ videatur n: 2628. 6887; & ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua mox ſupra n: 7547. Quod Jehovah ſeu Dominus hic & in pluribus aliis locis velit ut appareat Ipſius Virtus & Potentia, utque narretur Ipſius Nomen; ac alibi, ut humiliter colatur & adoretur, videtur ſicut velit oſtentare gloriam ſuam, ac ſicut amet adorationem propter ſe; ſed hoc prorſus aliter ſe habet; non eſt propter ſe, ſed propter humanum genus, non ex gloria ſui, ſed ex amore, vult enim conjungi humano generi, ac ipſi vitam ac felicitatem æternam dare; & hoc fieri non poteſt, niſi homo in cultu humili ſit; & cultus humilis non datur, niſi homo agnoſcat & credat, quod ipſe ſit pulvis & cinis, hoc eſt, non niſi quam malum, ac quod Jehovah ſeu Dominus ſit Maximus & Sanctiſſimus, & quod accedere ad Ipſum non auſit ex ſe; cum homo in tali cultu humili eſt, tunc Dominus cum vita amoris ſui influere poteſt, ac dare cœlum & felicitatem æternam: hæc cauſa eſt, quod Jehovah ſeu Dominus in tantum extollat potentiam & gloriam ſuam in Verbo.

7551. Adhuc tu extollis te in populum meum, quod ſignificet quia nondum deſiſtit infeſtare illos qui in vero & bono, conſtat ex ſignificatione adhuc ſe extollere, quod ſit nondum deſiſtere infeſtare; nam qui infeſtant, credunt ſe dominari ſuper illos qui infeſtantur, cum vident illos in angore, & nondum liberatos, tum ſe admonitos; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus meus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ſeu quod idem, qui in vero & bono, de qua n: 4286. 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

7552. Quo minus dimittas illos, quod ſignificet & non adhuc relinquit, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, ut prius aliquoties.

7553. Et Ego facio pluere juxta tempus craſtinum grandinem gravem valde, quod ſignificet falſa deſtruentia omnia Eccleſiæ apud illos, conſtat ex ſignificatione pluviæ grandinis, quod ſint falſa ex malo deſtruentia vera & bona fidei, ita quæ ſunt Eccleſiæ: quod pluvia grandinis illa ſignificet, eſt quia ſicut lapides ſunt, ac deſtruunt tam homines quam beſtias, tum proventus agri, & quoque quia frigora ſunt: pluvia in genere ſignificat benedictionem, & in ſenſu oppoſito maledictionem, n: 2445; cum benedictionem, ſignificat influxum & receptionem veri quod fidei & boni quod charitatis, nam id eſt benedictio, cum autem maledictionem, ſignificat falſum quod contra verum fidei eſt, & malum quod contra bonum charitatis, nam hæc ſunt maledictio; pluvia autem grandinis in genere ſignificat maledictionem, quæ eſt falſi ex malo, & quidem falſi ex malo contra vera & bona Eccleſiæ; hæc ſignificat pluvia grandinis in ſequentibus locis; apud Ezechielem "Diſceptabo cum Gogo, peſte & ſanguine; & pluviam inundantem, & *lapides grandinis*, ignem & ſulphur pluere faciam ſuper illum, & ſuper alas ejus, & ſuper populos multos qui cum illo." XXXVIII: 22; Gogus pro cultu externo ſeparato ab interno, ita pro illis qui in externis ponunt omne cultus Divini, extincta charitate; lapides grandinis pro falſis ex malo. Apud Eundem "Sit manus mea contra Prophetas, videntes vanitatem, & divinantes mendacium; dic ad incruſtantes ineptum, quod cadet, fiet pluvia inundans, qua vos *Lapides Grandinis*, cadent, & ventus procellarum perrumpet" XIII: 9. 11, prophetæ videntes vanitatem & divinantes mendacium, pro illis qui docent mala & falſa; incruſtantes ineptum, pro quod falſa fingant, & ſicut veroſimilia faciant; qui vocantur Lapides grandinis a falſis; ſed grando hic & in ſupra allegato loco in Lingua originali alia voce exprimitur, quæ ſignificat grandinem magnam. Apud Eſaiam "Tunc audiri faciet Jehovah gloriam Vocis ſuæ, & quietem brachium Ipſius videbit, in indignatione iræ, & flamma ignis comedentis, diſperſione & inundatione, & *Lapide grandinis*" XXX: 30. 31, lapis grandinis pro vaſtatione veri per falſa. Apud Eundem "Ecce fortis & robuſtus Dominus, ſicut *inundatio grandinis*, procella cædis, ſicut inundatio aquarum validarum inundantium dejiciet in terram manu; *evertet Grando refugium mendacii*, & latibulum aquarum inundabunt" XXVIII: 2. 17, inundatio pro immerſione in falſa, & ſic pro vaſtatione veri, n: 705. 739. 790. 5725. 6813; inundatio grandinis pro deſtructione veri per falſa. Apud Davidem "*Percuſſit grandine vitem illorum, & ſycomora illorum grandine gravi: & concluſit grandini beſtiam illorum*, & pecora illorum prunis, miſit in illos excandeſcentiam iræ ſuæ" Pſalm: LXXVIII: 47. 48. 49. Apud Eundem "*Dedit pluvias illorum grandinem*, ignem flammeum in terra illorum, & percuſſit vitem illorum & ficum illorum, & confregit arborem termini illorum" Pſalm: CV: 32. 33; grando & pluvia pro vaſtatione veri & boni per falſa ex malo, vitis pro vero & bono Eccleſiæ internæ, ſycomora & ficus pro veris & bonis Eccleſiæ externæ. Apud Eundem "Qui dat

nivem ſicut lanam, pruinam ſicut pulverem ſpargit, *qui projicit grandinem ſuam ſicut bolos*, coram frigore illius quis conſiſtet" Pſalm: CXLVII: 16. 17, grando pro falſis ex malis. Apud Eundem "Poſuit tenebras latibulum ſuum, circuitus ſuos tentorium ſuum, tenebræ aquarum, nubes cœlorum, a ſplendore ante Ipſum, nubes tranſiverunt, *grandine* & *prunis ignis*, tonavit in cœlis Jehovah, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, *Grandinem* & *prunas ignis*, ita ut miſerit tela & diſperſerit illos" Pſalm: XVIII: 12. 13. 14. 15, grando pro falſis ex malis quæ vaſtant vera & bona. Apud Johannem "Primus Angelus clanxit, & *facta eſt grando* & *ignis mixtus ſanguine*, & cecidit ſuper terram, ita ut tertia pars arborum combuſta ſit, & omne gramen viride exuſtum" Apoc: VIII: 7, Grando pro falſis ex malo, ignis mixtus ſanguine pro malo cupiditatum cum falſificatis veris; arbores quæ combuſtæ pro cognitionibus veri a malo cupiditatum deperditis; gramen viride quod exuſtum, pro ſcientificis veri ſimiliter deperditis; quod ignis ſit malum cupiditatum, videatur n: 1297. 1861. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7324; quod ſanguis ſit falſificatum verum, n: 4735. 4978. 7317. 7326; arbores quod ſint cognitiones, n: 2722 f. 2972. Apud Joſchuam "Factum eſt, cum fugerent coram Iſraele illi in deſcenſu Bethchoronis, quando Jehovah projecit ſuper illos *lapides magnos e cælis*, uſque ad Aſekam, ut morerentur; *plures qui mortui ſunt lapidibus grandinis*, quam quos occiderunt filii Iſraelis gladio" X: 11, ibi de quinque regibus qui contra Gibeonem; per reges illos & per populum illorum repræſentati ſunt qui in falſis ex malis, inde lapidibus grandinis mortui ſunt, grandinis boli dicuntur lapides, quia lapides etiam ſignificant falſa. Ex his patet, quid per grandinem & pluviam grandinis ſignificatur, quod nempe falſa ex malis, & quia hæc, etiam ſignificatur vaſtatio veri & boni, nam per falſa ex malis fit illa vaſtatio.

7554. Quæ non ſicut illa in Ægypto, a die fundata illa, & uſque ad nunc, quod ſignificet quod talis deſtructio non apud alios in mente naturali, conſtat ex ſignificatione pluviæ grandinis, de qua hæc dicuntur, quod ſit deſtructio veri per falſa, de qua mox ſupra, n: 7553; ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; quod a die fundata illa & uſque ad nunc, ſit quod apud alios non talis, eſt quia dies ſignificat ſtatum, ac fundatio quale ejus, & Ægyptus mentem naturalem in genere. Quod talis deſtructio non apud alios ſit, qualis apud illos qui probos infeſtant in altera vita, eſt quia illi qui infeſtant, in mundo ab Eccleſia fuerunt, n: 7317. 7502; illi qui memoriam, quæ eſt mentis naturalis, impleverunt talibus, quæ ſunt fidei ex Verbo, & ex doctrina Eccleſiæ ſuæ, & tamen vixerunt contra illa, quare cum vaſtantur illi, tunc ea quæ ſunt fidei, eruuntur, & ſimul perplura illis adhærentia, inde lacunæ & ſcrobes profundæ & fædæ; mala cupiditatum non poſſunt quia etiam aliquo modo adjuncta ſint, & quoque falſa, illa & hæc quia non ſimul poſſunt eſſe, patet, ſi non ſeparari poſſunt, quod ad terminos ejiciantur, unde vacuitates intus quæ graviter olent, omnis enim graveolentia eſt ex malis mixtis cum bonis, & ex falſis mixtis cum veris, hæc non

fiunt

fiunt apud illos qui extra Eccleſiam ſunt, nam nihil de veris fidei ex Verbo ſciverunt. Hoc ſignificatur per quod talis deſtructio non apud alios in mente naturali ſit.

7555. Verſ: 19. 20. 21. *Et nunc mitte, congrega pecus tuum, & omne quod tibi in agro; omnis homo & beſtia, quæ invenietur in agro, & non colligetur domum, & deſcendet ſuper illa grando, & morientur. Et timens verbum Jehovæ e ſervis Pharaonis, fugere fecit ſervos ſuos, & pecus ſuum, ad domos. Et qui non poſuit cor ſuum ad verbum Jehovæ, & reliquit ſervos ſuos, & pecus ſuum, in agro.* Et nunc mitte, congrega pecus tuum, ſignificat quod verum boni colligendum: & omne quod tibi in agro, ſignificat quod Eccleſiæ: omnis homo & beſtia, ſignificat bonum interius & exterius: quæ invenitur in agro, ſignificat quod Eccleſiæ: & non colligetur domum, ſignificat quod non reſervatur: & deſcendet ſuper illa grando, & morientur, ſignificat quod a falſo prorſus deſtruetur: & timens verbum Jehovæ e ſervis Pharaonis, ſignificat illa in mente naturali quæ Domini erant: fugere fecit ſervos ſuos & pecus ſuum ad domos, ſignificat quod recondita & reſervata ſint in interioribus: & qui non poſuit cor ſuum ad verbum Jehovæ, ſignificat quæ non a Domino: & reliquit ſervos ſuos & pecus ſuum in agro, ſignificat quod non recondita & reſervata ſint.

7556. Et nunc mitte congrega pecus tuum, quod ſignificet quod verum boni colligendum, conſtat ex ſignificatione congregare, quod ſit colligere; & ex ſignificatione pecoris, quod ſit bonum veri, & quoque verum boni, de qua n: 6016. 6045; quid verum boni & bonum veri, videatur n: 2063. 3295. 3332. 3669. 3688. 3882. 4337. 4353. 4390. 5526. 5733. Agitur in hoc verſu, & in binis ſequentibus; de bono & vero, quæ reſervantur a Domino, etiam apud malos; bonum enim & verum, quæ non adjuncta ſunt malis & falſis, illa non vaſtantur, ſed a Domino reconduntur in interioribus, & poſtmodum ad uſum depromuntur; reſervatio boni & veri apud hominem a Domino ſignificatur per reliquias in Verbo, de quibus videatur n: 468. 530. 560. 561. 576. 661. 798. 1738. 1906. 2284. 5135. 5342. 5344. 5897. 5898. 5899. 6156.

7557. Et omne quod tibi in agro, quod ſignificet quod Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua n: 2971. 3317. 3766. 4440. 4443. 7702.

7558. Omnis homo & beſtia, quod ſignificet bonum interius & exterius, conſtat ex ſignificatione hominis & beſtiæ, quod ſit bonum interius & exterius, de qua ſupra n: 7424. 7523.

7559. Quæ invenitur in agro, quod ſignificet quod Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua mox ſupra n: 7557.

7560. Et non colligetur domum, quod ſignificet quod non reſervatur, conſtat ex ſignificatione non colligi domum, quod ſit non reſervari, domus enim eſt mens interior naturalis, ubi bonum cum vero, tum quoque eſt mens rationalis, ac ita ipſe homo, de qua n: 3538. 4973. 5023. 7353, inde colligi domum, eſt colligi intro, & ibi recondi. Quod bonum & verum recondantur

tur

tur intus, & ibi reſerventur a Domino, etiam apud malos, eſt ut uſque aliquid humani reſiduum ſit; homo enim abſque illis non eſt homo, quæ enim reconduntur & reſervantur, ſunt bonum & verum, per hæc communicatio eſt cum cœlo; & quantum communicationis homo habet cum cœlo, tantum eſt homo: eſt quidem communicatio malorum, etiam qui in inferno ſunt, cum cœlo, ſed non aliqua conjunctio per bonum & verum, nam illico ut bonum & verum defluunt e cœlo, & veniunt in infernum, vertuntur illa in malum & falſum, inde actutum diſrumpitur conjunctio; talis communicatio eſt; at per bonum & verum, quæ reconduntur & reſervantur in interioribus, eſt conjunctio ſed vera & bona ibi apud malos non plus efficiunt, quam ut poſſint ratiocinari, & ex ſenſuali cogitare & inde loqui, & ſic confirmare falſum, & defendere malum; plus non ex bonis & veris apud illos reconditis & reſervatis non emitti poteſt, nam ſi plus emitteretur, perirent vera & bona, & ſic nihil humani illis ſupereſſet.

7561. Et deſcendet ſuper illa grando, & morientur, quod ſignificet quod a falſo prorſus deſtruetur, nempe quod Eccleſiæ eſt, conſtat ex ſignificatione grandinis, quod ſit falſum ex malo, ac inde vaſtatio boni & veri per falſa, de qua n: 7553; & ex ſignificatione mori, quod ſit ceſſare eſſe, de qua n: 494. 6587. 6593, & quia de boni & veri vaſtatione dicitur, eſt deſtrui.

7562. Et timens verbum Jehovæ e ſervis Pharaonis, quod ſignificet illa in mente naturali, quæ Domini erant, conſtat ex ſignificatione timens verbum Jehovæ, quod ſint illa quæ Domini ſunt; per timentem enim in ſenſu interno non intelligitur perſona timens, ſed res; quod in cœlo idea perſonæ vertatur in ideam rei, videatur n: 5225. 5287. 5434, idcirco per timens verbum Jehovæ intelligitur bonum & verum, quæ a Domino; & ex ſignificatione ſervorum Pharaonis, quod ſint illa quæ mentis naturalis ſunt; quod Pharao ſit naturale in communi, videatur n: 5460. 5799, inde ſervi ejus ſunt quæ in naturali, ſeu quod idem, quæ in mente naturali ſunt; nam quæ in naturali ſunt, ex quibus cogitat & concludit homo, conſtituunt mentem ejus. Quæ in mente naturali, Domini ſunt, & non Domini ſunt, videatur infra n: 7564.

7563. Fugere fecit ſervos ſuos & pecus ſuum ad domos, quod ſignificet quod recondita & reſervata ſint in interioribus, conſtat ex ſignificatione ſervorum, quod ſint illa quæ in mente naturali, ut mox ſupra n: 7562; ex ſignificatione pecoris, quod ſit verum & bonum, de qua etiam ſupra n: 7556; & ex ſignificatione domuum, quod ſint quæ intus in homine, ubi bonum & verum a Domino reconduntur & reſervantur, de qua n: 7560; inde patet, quod per fugere fecit ſervos ſuos & pecus ſuum ad domos, ſignificetur quod vera & bona quæ in mente naturali, illa nempe quæ Domini ſunt, collecta ſint, ac recondita & reſervata in interioribus.

7564. Et qui non poſuit cor ad verbum Jehovæ, quod ſignificet quæ non a Domino, conſtat ex illis quæ ſupra n: 7562 explicata ſunt, ubi timens verbum Jehovæ ſignificat quæ Domini erant; inde viciſſim, qui non poſuit

cor ad verbum Jehovæ, ſignificat quæ non a Domino. Bona & vera ſunt vel Domini vel non Domini; quæ Domini, ſunt illa quæ homo facit propter proximum, propter patriam, propter Eccleſiam, propter Regnum Domini, ita propter ipſum verum & bonum, & imprimis propter Dominum; hæc bona & vera ſunt quæ Domini; at vera & bona, quæ non Domini, ſunt quæ homo facit propter ſe ut finem, & propter mundum ut finem, hæc quandoque apparent in externa forma ſicut illa, ſed in interna prorſus differunt; nam hæc ducunt ad ſe, illa vero a ſe; vera & bona quæ non Domini, ſunt quoque quoad plurem partem quæ homo facit in ſtatu infortunii, ægritudinis, doloris, & timoris, & non in ſtatu libero, nam hæc ſunt quoque propter ſe: omnia quidem vera & bona influunt a Domino, ſed quando bona & vera Domini flectuntur apud hominem ad ſe, tunc fiunt illa hominis, & ejus propria ad quem flectuntur, nam fiunt bona amoris ſui & mundi: talia bona ſunt omnium malorum inter ſe: ex his patet, quæ bona & vera intelliguntur per bona & vera Domini, & per bona & vera quæ non Domini.

7565. Et reliquit ſervos ſuos & pecus ſuum in agro, quod ſignificet quod non recondita & reſervata ſint, conſtat ex ſignificatione relinqui in agro, quod ſit perire a falſis e malis, quæ ſignificantur per grandinem, ex qua morerentur n: 7559. 7560. 7561; hæc ſunt quæ non recondita & reſervata ſunt, & ſunt illa vera & bona, quæ non Domini ſunt, de quibus mox ſupra n: 7564; per ſervos ſignificantur illi qui in mente naturali, n: 7562. 7563, & per pecus vera & bona, quæ quia non Domini ſunt, in interioribus non recondi poſſunt.

7566. Verſ: 22 ad 26. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, extendè manum tuam verſus cælum, & erit grando in omni terra Ægypti, ſuper hominem, & ſuper beſtiam, & ſuper omnem herbam agri in terra Ægypti. Et extendit Moſcheh baculum ſuum ad cælum, & Jehovah dedit voces, & grandinem, & ambulavit ignis ad terram, & pluere fecit Jehovah grandinem ſuper terram Ægypti. Et fuit grando, & ignis ſimul ambulans in medio grandinis, gravis valde, quæ non fuerat ſicut illa in omni terra Ægypti, a quo fuit in gentem. Et percuſſit grando in omni terra Ægypti omne quod in agro, ab homine & uſque ad beſtiam, & omnem herbam agri percuſſit grando, & omnem arborem agri confregit. Tantum in terra Goſchen, ubi filii Iſraelis, non fuit grando.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat mandatum: extende manum tuam verſus cœlum, ſignificat advertentiam & appropinquationem cœli: & erit grando in omni terra Ægypti, ſignificat falſum deſtruens in mente naturali: ſuper hominem & ſuper beſtiam, ſignificat bonum interius & exterius: & ſuper omnem herbam agri in terra Ægypti, ſignificat omne verum Eccleſiæ in mente naturali: & extendit Moſcheh baculum ſuum ad cœlum, ſignificat communicationem cum cœlo: & Jehovah dedit voces, ſignificat receſſionem & ſeparationem communicationis cum illis qui in bono & vero: & grandinem, ſignificat falſa deſtruentia illa: & ambulavit ignis ad terram, ſignificat mala cupiditatum: & pluere fecit grandinem ſuper terram Ægypti, ſignificat mentem

naturalem.

naturalem a falſis mali occupatam: & fuit grando, & ignis ſimul ambulans in medio grandinis, gravis valde, ſignificat falſi perſuaſiones una cum mali cupiditatibus: quæ non fuerat ſicut illa in omni terra Ægypti, ſignificat quod talis ſtatus mentis naturalis non aliis: a quo fuit in gentem, ſignificat a die quo facta ſit ut admittes bonum & inde verum poſſet: & percuſſit grando in omni terra Ægypti, ſignificat quod falſum illud deſtruxerit illa quæ in mente naturali: omne quod in agro, ſignificat quicquid Eccleſiæ eſſet: ab homine & uſque ad beſtiam, ſignificat bonum ejus interius & exterius: & omnem herbam agri percuſſit grando, ſignificat quod omne verum Eccleſiæ deſtruxerint falſa illa: & omnem arborem agri confregit, ſignificat quod etiam omnes cognitiones veri & boni Eccleſiæ: tantum in terra Goſchen, ubi filii Iſraelis, non fuit grando, ſignificat quod non ubi illi qui ab Eccleſia ſpirituali.

7567. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet mandatum, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit mandatum, de qua n: 7036. 7101. 7310.

7568. Extende manum tuam verſus cœlum, quod ſignificet advertentiam & appropinquationem cœli, conſtat ex ſignificatione extendere manum, quod ſit advertere, nam per extenſionem manus advertitur & oſtenditur; & ex ſignificatione cœli, quod ſit cœlum angelicum; & quia cum cœlum advertitur & ei oſtenditur, etiam illuc intendit viſum & cogitationem, inde etiam ſignificatur appropinquatio, nam omnis appropinquatio in mundo ſpirituali fit per determinationem cogitationis; hæc quomodo ſe habent, quidem prius n: 7519, dictum eſt; ſed quia talia ſunt, quæ in mundo ignota ſunt, paucis adhuc illuſtrare licet: quando aliqua mutatio ſtatus fiet apud malos qui vaſtandi, ſicut apud hos, de quibus in his Capitibus, tunc fit illa mutatio per præſentiorem influxum boni & veri e cœlo; quo enim propius ad illos accedit cœlum, eo magis interiora mala & falſa apud illos excitantur; nam bonum & verum e cœlo penetrant verſus interiora, & eo penitius, quo propinquius: inde eſt, quod infernales non auſint prope accedere ad aliquam ſocietatem cœleſtem, ſed quod recedant quantum poſſunt, videatur n: 4225. 4226. 4299. 4533. 4674. 5057. 5058. 7519. Ex his nunc patet, quid intelligitur per advertentiam & appropinquationem cœli, quæ ſignificantur per quod Moſcheh extenderet manum verſus cœlum; novus enim ſtatus nunc deſcribitur, nempe ſtatus falſorum ex malis deſtruentium omnia bona & vera Eccleſiæ apud illos qui infeſtant; qui ſtatus, quia exiſtit per præſentiorem influxum veri a Divino, & ſimul per acceſſionem cœli, ideo dicitur ad Moſchen, quod extenderet manum verſus cœlum.

7569. Et erit grando in omni terra Ægypti, quod ſignificet falſum deſtruens in mente naturali, conſtat ex ſignificatione grandinis, quod ſit falſum ex malis deſtruens, nempe omne bonum & verum Eccleſiæ, de qua n: 7553, & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

7570.

7570. Super hominem & ſuper beſtiam, quod ſit bonum interius & exterius, conſtat ex ſignificatione hominis & beſtiæ, quod ſit bonum interius & exterius, de qua n: 7424. 7523. 7571.

7571. Et ſuper omnem herbam agri in terra Ægypti, quod ſignificet omne verum Eccleſiæ in mente naturali, conſtat ex ſignificatione herbæ, quod ſit verum, de qua ſequitur; ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua ſupra n: 7557; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua etiam ſupra n: 7569. Quod herba ſignificet verum, eſt quia terra ſignificat Eccleſiam, tum quoque ager; omnis proventus inde ſignificat vel verum quod fidei, vel bonum quod charitatis, nam hæc ſunt Eccleſiæ: per herbam agri intelligitur omne in genere quod provenit ex agro, ut patet a Parabola Domini apud Matthæum "Simile factum eſt Regnum cœlorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, *cum germinavit Herba*, & fructum fecit, tunc apparuerunt Zizania" XIII: 24. 26, ibi herba pro proventu agri; quod per herbam ibi ſignificetur verum Eccleſiæ, & per Zizania falſum, patet; eſt quidem comparatio, ſed omnes comparationes in Verbo ſunt ex ſignificativis, n: 3579. Apud Davidem "Qui germinare facit gramen beſtiæ, & *Herbam in miniſterium hominis*, ad educendum panem e terra" Pſalm: CIV: 14, hic quoque herba pro proventu agri, & per illam in ſenſu interno ibi ſignificatur verum. Apud Eundem "*In paſcuis herbæ cubare faciet me*, ad aquas quietum deducet me, animam meam recreabit" Pſalm: XXIII: 2, paſcua herbæ pro nutritione ſpirituali, quæ eſt animæ, quare dicitur animam meam recreabit. Apud Eſaiam "Aquæ Nimrim deſolationes erunt, eo quod *exaruit gramen, conſumta eſt herba*, viride non eſt" XXXVII: 27. Apud Eundem "Vaſtabo montes & colles, & *omnem Herbam eorum areſaciam*, & ponam fluvios in inſulas; & ducam cæcos in via quam non noverunt" XLII: 15. Apud Jeremiam "Quouſque lugebit terra, & *Herba omnis agri exareſcet*; propter malitiam habitantium in ea conſumentur beſtiæ & avis" XII: 4. Apud Eundem "Cerva in agro peperit, ſed relinquendo, *quia non fuit Herba*: & onagri ſteterunt ſuper collibus, anhelarunt ventum ſicut ceti, *eo quod non Herba*" XIV: 5. 6. Apud Joelem "Ne timete beſtiæ agrorum meorum, *quia herboſa facta ſunt habitacula deſerti*, quia arbor feret fructum ſuum, ficus atque vitis dabit vim ſuam" II: 22. Apud Amos "Quando locuſta conſumavit *comedere herbam terræ*, dixi, Domine Jehovih, condona quæſo, qualis ſtabit Jacob, cum parvus ille" VII: 2. Apud Sachariam "Petite a Jehovah pluviam in tempore ſerotinam; Jehovah faciet nimbos, & pluviam imbris dabit illis, *viro Herbam in agro*" X: 1. Apud Johannem "Quintus Angelus clanxit, & dictum, ut *damno non afficerent gramen terræ*, neque ullum *viride*, neque ullam arborem" Apoc: IX: 4; quiſque videre poteſt, quod in his locis non gramen nec herba intelligantur, ſed pro illis talia quæ Eccleſiæ ſunt; quod per herbam terræ & herbam agri, intelligatur verum quod fidei, patet. Abſque ſenſu tali ſpirituali nuſquam aliquis ſciret, quid ſit apud Johannem, quod dicerent, cum quintus Angelus clanxit, quod non damno afficerent gramen terræ, nec ullum viride;

ride; nec aliquis ſciret, quid ſit quod apud Jeremiam, Cerva in agro peperit, & relinquendo quia non fuit herba; & onagri anhelarunt ventum ſicut ceti, eo quod non herba; ita nec quid alibi pluries. Inde patet, quam parum intelligitur Verbum, & quam terreſtris idea de perpluribus ibi haberetur, niſi ſciatur, quid ſignificant, ad minimum quod ſanctum ſit, quod ſingulis ineſt.

7572. Et extendit Moſcheh baculum ſuum ad cœlum, quod ſignificet communicationem cum cœlo, conſtat ex ſignificatione extendere baculum, quod ſit advertere, ita communicare, ſecundum illa quæ ſupra n: 7568, explicata ſunt: per cœlum ſignificatur Cœlum angelicum.

7573. Et Jehovah dedit voces, quod ſignificet receſſionem & ſeparationem communicationis cum illis qui in bono & vero, conſtat a ſignificatione vocum quæ tonitruum, quod ſint vera Divina quæ illuſtrant & perficiunt illos qui in cœlo, & quæ terrificant & devaſtant illos qui in inferno, & quia hoc devaſtant, ſignificant receſſionem & ſeparationem communicationis cum illis qui in bono & vero, nam ſic devaſtantur: quomodo hæc ſe habent, patet ab illis quæ prius n: 7502. 7541. 7542. 7545. 7554, dicta ſunt, quod nempe illi qui ab Eccleſia fuerunt, & inde cognitiones veri & boni ex Verbo hauſerunt, ſed vixerunt vitam mali, communicationem habeant cum cœlo per vera & bona, quæ ſecum e mundo, cum fuerunt in Eccleſia, tulerunt (quod homo ſecum ferat in alteram vitam, quicquid in mundo novit, imo quicquid vidit, audivit, cogitavit, loquutus eſt, voluit, & egit, videatur n: 2474. 2475. 2481 ad 2486. 7398;) hæc communicatio eſt, quæ aufertur cum devaſtantur; & cum communicatio ablata eſt, tunc quoque vera & bona cum illorum cognitionibus ſublata ſunt; nam quicquid ſciunt ſpiritus, imo angeli, influit per cœlum a Domino, ita per communicationes, videatur n: 6053 ad 6054. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6595. 6189 ad 6626; ex his patet, quid intelligitur per receſſionem & ſeparationem communicationis cum illis qui in vero & bono: ſe habet cum vero Divino in cœlo & in inferno, quod verum per voces ſignificatur, ſicut cum tonitribus in terra; tonitrua ſuper altis montibus non audiuntur niſi modo ſicut mitis & tacitus ſonus, at vero infra ad terram audiuntur ut clangor terribilis; ita verum Divinum in cœlo eſt mite & clemens, in inferno autem eſt terribile. Quod Voces, quæ tonitruum, ſignificent vera Divina, quæ illuſtrant & perficiunt illos qui in cœlo, & quæ terrificant & devaſtant illos qui in inferno, patet ab his locis; apud Eſaiam "Erit gaudium cordis, ſicut incedentis cum fiſtula ad veniendum in montem Jehovæ ad petram Iſraelis, *tunc audiri faciet Jehovah gloriam vocis ſuæ*, & quietem brachium Ipſius videre faciet: in indignatione iræ, & flamma ignis comedentis, diſperſione, & inundatione, & lapide grandinis, *nam a voce Jehovæ* conſternabitur Aſchur" xxx: 30. 31, hic Vox Jehovæ pro vero Divino, quod illuſtrat & perficit illos qui in bono, ac terrificat & devaſtat illos qui in malo. Apud Joelem "Coram Ipſo commota eſt terra, ſol & luna atrati ſunt, & ſtellæ contraxerunt ſplendorem ſuum; & *Jehovah edit vocem ſuam coram exercitu ſuo*, magna valde caſtra Ipſius, quia innumerus, qui facit ver-

bum

bum Ipſius; quoniam magnus dies Jehovæ, & terribilis valde" II: 10. 11, ſimiliter. Apud Eundem "Jehovah e Zione rugiet, & *ex Hieroſolyma dabit vocem ſuam*; & contremiſcent cœli & terra: ſed Jehovah refugium populo ſuo, & munitio filiis Iſraelis" IV: 16, vox Jehovæ pariter pro vero Divino; quod ex Hieroſolyma, eſt quia per illam ſignificatur Regnum ſpirituale Domini, in quo ſunt illi qui in bono ex vero, & in vero ex bono. Apud Davidem "*Tonavit in Cœlis Jehovah*, & *Altiſſimus dedit vocem ſuam*, grandinem & prunas ignis; ita ut miſerit tela ſua, & diſperſerit illos, & fulmina multa, & conturbaverit illos" Pſalm: XVIII: 14. 15, dare vocem, grandinem, & prunas ignis, pro devaſtatione veri & boni per falſa & mala cupiditatum. Apud Eundem "Stillarunt aquas nubes, *vocem dederunt ætheres*, etiam tela tua iverunt, *vox tonitru tui in orbem*, illuſtrarunt fulgura orbem" Pſalm: LXXVII: 17. 18. 19, vox pro vero Divino, quod illuſtrat illos qui ab Eccleſia. Apud Eundem "*Vox Jehovæ* ſuper aquis, Deus gloriæ *tonare facit*, Jehovah ſuper aquis magnis: *vox Jehovæ* in virtute: *vox Jehovæ* cum honore: *vox Jehovæ* frangens cedros, confregit Jehovah cedros Libani: *vox Jehovæ* incidens flammæ ignis: *Vox Jehovæ* trepidare facit deſertum: *vox Jehovæ* parturire facit cervas, & denudat ſylvas" Pſalm: XXIX: 3 ad 11, ibi vox Jehovæ pro Vero Divino ac illius potentia; ita quoque pro Verbo, nam hoc eſt Verum Divinum. Apud Johannem "Angelus fortis deſcendens, clamavit voce magna; & cum clamavit, *loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*; ſcripturus eram, ſed audivi vocem e cœlo dicentem mihi, obſigna *quæ loquuta ſeptem tonitrua*, & hæc ne ſcribas" Apoc: X: 3. 4; Voces pro Vero Divino, tonitrua pro vehentibus illud, & ferentibus e cœlo in terram. Quod per tonitrua & voces ſignificentur Divina, non tonitrua & ſonitus, nemo non videre poteſt, & quia Divina ſignificant, ac Jehovæ voces vocantur, patet quod ſint Divinum Verum: inde erat, cum Jehovah deſcendit ſuper monte Sinai, ac Divinum Verum promulgavit, quod eſſent *voces*, *fulmina*, & *tonitrua*, Exod: XIX: 16. Cap: XX: 15; & quod loquutus ſit e medio ignis, Deut: IV: 11. 12. Cap: V: 19. 20. 21. 22.

7574. Et grandinem, quod ſignificet falſa deſtruentia illa, conſtat ex ſignificatione grandinis, quod ſint falſa ex malis deſtruentia bona & vera Eccleſiæ, n: 7553. Per grandinem ſignificantur talia falſa, quæ deſtruunt vera & bona Eccleſiæ, ut quoque per peſtem ſupra in hoc Capite; ſunt enim falſorum genera & ſpecies perplures, ſicut malorum ex quibus ſunt: falſa, quæ per grandinem ſignificantur, ſunt illius generis, quod deſtruant illa quæ Eccleſiæ ſunt, & dari poſſunt ſolum apud illos, qui in Eccleſia nati ſunt, & vixerunt contra vera & bona fidei ibi. Quod falſa ſicut mala plurium generum & ſpecierum ſint, conſtat ex eo, quod Inferna ſint diſtincta ſecundum genera & ſpecies malorum & inde falſorum, & quod Inferna ſint innumera. Ex his conſtare poteſt, quomodo ſe habet cum eo, quod per miracula ſeu plagas in Ægypto ſignificentur falſa & mala, ſicut per ſanguinem, ranas, pediculos, volatilia noxia, peſtem, ulcus puſtularum,

 grandinem,

grandinem, locuſtam, quod nempe per unumquodvis, aliud genus falſi ac mali.

7575. Et ambulavit ignis ad terram, quod ſignificet mala cupiditatum, conſtat ex ſignificatione ignis, quod ſint mala cupiditatum, de qua n: 1297. 1861. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7324; & ex ſignificatione ambulare ad terram, quod ſit occupare mentem naturalem uſque ad ima ejus; quod terra Ægypti ſit mens naturalis, videatur n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301. Quia per grandinem ſignificantur falſa, & per ignem mala ex quibus illa, idcirco ubi grando, etiam ignis memoratur, apud Eſaiam Cap: XXX: 30, 31. Pſalm: XVIII: 12. 13. 14. 15. Pſalm: LXXVIII: 47. 48. 49. Apoc: VIII: 7; & quoque in verſu ſequente "Et fuit grando, *& ignis ſimul ambulans in medio grandinis*, gravis valde."

7576. Et pluere fecit grandinem ſuper terram Ægypti, quod ſignificet ſic mentem naturalem a falſis mali occupatam, conſtat ex ſignificatione pluere facere, quod ſit infundere, hic occupari; pluere prædicatur de vero & bono, & in oppoſito ſenſu de falſo & malo, nam pluvia eſt benedictio, & eſt maledictio, n: 2445; ex ſignificatione grandinis, quod ſit falſum mali, de qua n: 7553. 7574; & a ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis ut ſupra n: 7575.

7577. Et fuit grando, & ignis ſimul ambulans in medio grandinis, gravis valde, quod ſignificet falſi perſuaſiones una cum mali cupiditatibus, conſtat ex ſignificatione grandinis, quod ſit falſum ex malo, de qua ſupra n: 7574, hic falſi perſuaſio, quia dicitur grando gravis valde; ex ſignificatione ignis, quod ſit cupiditas mali, de qua mox ſupra n: 7575; & ex ſignificatione ambulare in medio, quod ſit una eſſe, & quidem mali cupiditas intime, quia ex illa falſum. Deſcribitur hic ſtatus illorum, qui ab Eccleſia, & infeſtant probos in altera vita, quando vaſtati ſunt quoad illa quæ Eccleſiæ ſunt, hoc eſt, quoad bona & vera quæ profeſſi, quod nempe tunc regnent apud illos perſuaſiones falſi una cum cupiditatibus mali; ſtatus enim interior illorum talis eſt: ſunt perſuaſiones falſi & cupiditates mali inſeparabiles, nam qui in malo eſt quoad vitam, is in falſo eſt quoad doctrinam; poteſt quidem ipſis, qui in malo vitæ ſunt, aliter videri, nam quando ore profitentur vera ex Verbo, aut ex doctrinali Eccleſiæ ſuæ, putant quod in fide illorum ſint, apparet etiam eis quaſi eſſent, ſed uſque non ſunt ſi vita mala eſt, vel enim ore profitentur quæ aliter cogitant vel cogitant quod ita ſit ex fide perſuaſiva, quæ fides eſt propter lucrum, aut propter honores, quare cum non amplius eſt ambitus honoris, aut aucupatio lucri, fides illa cadit, & tunc falſa arripiunt quæ cum malis cupiditatum concordant; falſa concordantia cum cupiditatibus mali ſunt interius apud illos qui male vivunt, utcunque credunt quod non ſint: quod ita ſit, ſe clare manifeſtat in altera vita, quando ibi externa ablata ſunt, & tales relicti ſunt interioribus ſuis, tunc erumpunt falſa, tam quæ cogitaverant in mundo, quam quæ non manifeſte cogitaverant; erumpunt enim illa ex malis, quæ vitæ illorum fuerant, nam falſa non aliud ſunt quam mala ratio-

ratiocinantia & ſibi patrocinantia ; ex his conſtare poteſt, qualis ſtatus illorum in altera vita eſt, quod nempe ſint illis perſuaſiones falſi una cum cupiditatibus mali.

7578. Quæ non fuerat ſicut illa in omni terra Ægypti, quod ſignificet quod talis ſtatus mentis naturalis non aliis, conſtat ex illis quæ ſupra n: 7554. explicata ſunt, ubi ſimilia.

7579. A quo fuit in gentem, quod ſignificet a die quo facta ſit ut admittere bonum & inde verum poſſet, nempe mens naturalis, conſtat ex ſignificatione gentis, quod ſit bonum, de qua n: 1159. 1259 1260. 1416. 1849. 4574. 6005 ; & quia de terra Ægypti hoc dicitur, per quam ſignificatur ſcientificum verum quod mentis naturalis, ideo quoque gens eſt verum quod ex bono ; & a ſignificatione a quo fuit, quod ſit a die quo facta eſt.

7580. Et percuſſit grando in omni terra Ægypti, quod ſignificet quod falſum illud deſtruxerit illa quæ in mente naturali, conſtat ex ſignificatione percutere, quod ſit deſtruere ; ex ſignificatione grandinis, quod ſit falſum ex malis n: 7553 ; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 7569.

7581. Omne quod in agro, quod ſignificet quicquid Eccleſiæ eſſet, conſtat ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua ſupra n: 7557.

7582. Ab homine & uſque ad beſtiam, quod ſignificet bonum ejus interius & exterius, conſtat ex ſignificatione hominis & beſtiæ, quod ſit bonum interius & exterius, de qua n: 7424. 7523.

7583. Et omnem herbam agri percuſſit grando, quod ſignificet quod omne verum Eccleſiæ deſtruxerint falſa illa, conſtat ex ſignificatione herbæ agri, quod ſit verum Eccleſiæ, de qua ſupra n: 7571 ; & ex ſignificatione percutere quod ſit deſtruere ; & ex ſignificatione grandinis, quod ſit falſum, de qua n: 7553.

7584. Et omnem arborem agri confregit, quod ſignificet quod etiam omnes cognitiones boni & veri Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione arboris, quod ſint perceptiones boni & veri, de qua n: 103. 2163. 2682 ; & quoque boni & veri cognitiones, n: 2722 fin: 2972.

7585. Tantum in terra Goſchen, ubi filii Iſraelis, non fuit grando, quod ſignificet quod non ubi illi qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione terræ Goſchen, quod ſit intimum in mente naturali, de qua n: 5910. 6028. 6031. 6068 ; & quod ſit Eccleſia, n: 6649 ; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

7586. Verſ: 27. 28. 29. 30. *Et miſit Pharao, & vocavit Moſchen & Aharonem, & dixit ad illos, peccavi vice hac, Jehovah juſtus, & ego & populus meus improbi. Supplicate ad Jehovam, & ſatis ab eſſe Voces Dei, & grando ; & dimittam vos, & non addetis ſtare. Et dixit ad illum Moſcheh, ſicut exire me urbe, expandam palmas meas ad Jehovam, voces ceſſabunt, & grando non erit amplius ; propterea ut ſcias, quod Jehovæ terra. Et tu, & ſervi tui, ſcio, quod non timeatis a facie Jehovæ Dei.* Et miſit Pharao, & vocavit Moſchen & Aharonem,

haronem, ſignificat præſentiam Legis Divinæ: & dixit ad illos, ſignificat humiliationem: peccavi vice hac, ſignificat ſeparationem a vero & bono: Jehovah juſtus, & ego & populus meus improbi, ſignificat quod Divinum Verum non ſufferre potuerit malitiam infeſtantium, & quod inde hoc: ſupplicate ad Jehovam, ſignificat ut intercedant: & ſatis ab eſſe voces & grando, ſignificat ſi ceſſant falſa illa: & dimittam vos, & non addetis ſtare, ſignificat quod relinquerent illos, & non detinerentur amplius: & dixit ad illum Moſcheh, ſignificat reſponſum: ſicut exire me urbe, ſignificat ſeparationem: expandam palmas meas ad Jehovam, ſignificat interceſſionem: voces ceſſabunt, & grando non erit amplius, ſignificat finem ſtatus illius: propterea ut ſcias quod Jehovæ terra, ſignificat quod inde notum, quod Dominus ſit ſolus Deus Eccleſiæ: & tu & ſervi tui, ſcio quod nondum timeatis a facie Jehovæ Dei, ſignificat quod qui infeſtant nondum in timore ſint pro Domino.

7587. Et miſit Pharao & vocavit Moſchen & Aharonem, ſignificat præſentiam Legis Divinæ, ut n: 7390. 7451, ubi ſimilia.

7588. Et dixit ad illos, quod ſignificet humiliationem, conſtat ex illis quæ immediate ſequuntur, nempe "Peccavi vice hac; Jehovah juſtus, & ego & populus meus improbi," quæ verba humiliationis ſunt, & continentur in dixit.

7589. Peccavi vice hac, quod ſignificet ſeparationem a vero & bono, conſtat a ſignificatione peccare, quod ſit ſejunctio & averſio a Divino, ita a vero & bono, de qua n: 5229. 5474. 5841, proinde etiam ſeparatio, nam qui ſe avertit a vero & bono, is ſe ſeparat ab illis.

7590. Jehovah juſtus, & ego & populus meus improbi, quod ſignificet quod Divinum Bonum non ſufferre potuerit malitiam infeſtantium, & quod inde hoc, conſtat ex eo quod Jehovah ſit Divinum Bonum, per Jehovam enim intelligitur Divinum Eſſe, quod eſt Divinum Bonum, & per Deum Divinum exiſtere, quod eſt Divinum Verum, de quo n: 6905: Jehovah juſtus dicitur, quia non ſufferre poteſt malitiam infeſtantium; per Pharaonem enim & populum ejus, ſignificantur illi qui infeſtant; & per quod improbi ſint, malitia.

7591. Supplicate ad Jehovam, quod ſignificet ut intercedant, conſtat ex ſignificatione ſupplicare, cum ſit pro alio, quod ſit interceſſio, ut n: 7396. 7462.

7592. Et ſatis ab eſſe voces & grando, quod ſignificet ſi ceſſant falſa illa, conſtat a ſignificatione ſatis ab eſſe, quod ſit ſi ceſſant, ex ſignificatione vocum quæ tonitruum, quod ſint vera Divina quæ terrificant & devaſtant malos, ac per influxum & præſentiam excitant falſa mali quæ per grandinem ſignificantur, de qua n: 7573; quod grando ſint falſa deſtruentia vera, videatur n: 7553. 7574.

7593. Et dimittam vos, & non addetis ſtare, quod ſignificet quod relinquerent illos, & non detinerentur amplius, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, qui hæc de ſe dicit, quod ſint qui infeſtant, de qua ſæpe; ex ſignificatione dimittere,

dimittere, quod ſit relinquere; & ex ſignificatione non addere ſtare, quod ſit non amplius detineri.

7594. Et dixit ad illum Moſcheh, quod ſignificet reſponſum, conſtat abſque explicatione.

7595. Sicut exire me urbe, quod ſignificet ſeparationem, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit ſeparatio, de qua n: 6100. 7404. 7462; & ex ſignificatione urbis, ubi Pharao, quod ſit falſum, in quo illi qui infeſtant; per urbem enim ſignificatur doctrinale, & quia doctrinale, etiam ſignificatur verum, ac in oppoſito ſenſu falſum, n: 402. 2268. 2450. 2712. 2943. 3216. 4492. 4493.

7596. Expandam palmas meas ad Jehovam, quod ſignificet interceſſionem, conſtat ex ſignificatione expandere palmas ad Jehovam, ſeu ſupplicare, quod ſit interceſſio, de ſupplicare videatur n: 7396. 7462. 7591; ſupplicare enim eſt oris ſeu loquelæ, expandere palmas eſt geſtus ſeu actionis, quæ ſupplicationi cordis correſpondet; ſunt geſtus ſeu actiones corporis, quæ unicuique affectioni mentis correſpondent, ſicut humiliationi procumbentia ſuper genubus, & altiori humiliationi proſtratio ad terram; ſupplicationi autem correſpondet expanſio manuum verſus cœlum, & ſic porro; geſtus illi ſeu actiones in Verbo ſignificant ipſas affectiones, quibus correſpondent, ex cauſa quia repræſentant illas: inde poteſt videri, quid repræſentationes.

7597. Voces ceſſabunt, & grando non erit amplius, quod ſignificet finem ſtatus illius, conſtat ex ſignificatione vocum quæ tonitruum, quod ſint vera Divina malos devaſtantia, de qua n: 7573; ex ſignificatione grandinis, quod ſint falſa deſtruentia vera, de qua n: 7553. 7574; & ex ſignificatione ceſſare, & non eſſe amplius, quod ſit finis illorum, ita finis illius ſtatus; nam quælibet plaga unum ſtatum devaſtationis illorum, qui infeſtant probos in altera vita, ſignificat.

7598. Ut ſcias quod Jehovæ terra, quod ſignificet quod inde notum, quod Dominus ſit ſolus Deus Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione ſcire, quod ſit notum eſſe; ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia, de qua n: 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118 f. 2928. 3355. 4447. 4535. 5577; & quod Jehovah ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. 6905. 6945. 6956; inde patet, quod per Jehovæ terra, ſignificetur quod Domino ſit Eccleſia, ita quod Dominus ſit ſolus Deus Eccleſiæ, ut n: 7401. 7444. 7544.

7599. Et tu & ſervi tui, ſcio quod nondum timeatis a facie Jehovæ Dei, quod ſignificet quod qui infeſtant nondum in timore ſint pro Domino, conſtat a repræſentatione Pharaonis & ſervorum illius, quod ſint qui infeſtant, de qua prius; & ex ſignificatione timere a facie Jehovæ, quod ſit quod non timor pro Domino; quod Dominus ſit Jehovah in Verbo, videatur ex locis mox ſupra n: 7598, citatis: a facie Jehovæ dicitur, quia per faciem Jehovæ ſignificatur miſericordia, & inde pax & omne bonum, n: 222. 223. 5585; & in oppoſito ſenſu non miſericordia, non pax & non bonum, n: 5585.

n: 5585. 5592. 5816. 5823: quod non miſericordia, non pax & non bonum, per faciem Jehovæ ſignificentur, eſt quia mali avertunt ſe a Jehovah ſeu Domino, nam avertunt ſe a bono quod charitatis, & a vero quod fidei, in quibus eſt Dominus; & tunc a tergo illis ſunt quæ Domini ſunt, & a facie quæ illorum; & quæ a tergo ſunt, illa non vident, nec curant; inde omne malum, conſequenter infelicitas & infernum homini.

7600. Verſ: 31 ad fin: *Et linum & hordeum percuſſum eſt, quia hordeum ſpica matureſcens, & linum culmus. Et triticum & zea non percuſſa ſunt, quia abdita illa. Et egreſſus Moſcheh a cum Pharaone, urbe, & expandit palmas ſuas ad Jehovam, & ceſſaverunt voces & grando, & pluvia non effuſa eſt terram. Et vidit Pharao, quod ceſſavit pluvia & grando, & voces, & addidit peccare; & aggravavit cor ſuum ille & ſervi illius. Et obfirmatum cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſraelis, quemadmodum loquutus Jehovah per manum Moſchis.* Et linum ſignificat verum naturalis exterioris: & hordeum, ſignificat bonum ejus: percuſſum eſt, ſignificat quod deſtructa: quia hordeum ſpica matureſcens, & linum culmus, ſignificat quod bonum & verum illud exſtarent & ſpectarent deorſum: & triticum & zea, ſignificat bonum interioris naturalis & verum ejus: non percuſſa ſunt, ſignificat quod non deſtructa ſint: quia abdita illa, ſignificat quia non exſtarent, & quia vergerent introrſum: & egreſſus Moſcheh a cum Pharaone urbe, ſignificat ſeparationem ab illis: & expandit palmas ſuas ad Jehovam, ſignificat interceſſionem: & ceſſaverunt voces & grando, ſignificat quod finis illius ſtatus: & pluvia non effuſa terram, ſignificat quod falſa illa non magis apparerent: & vidit Pharao, ſignificat apperceptionem: quod ceſſavit pluvia, & grando, & voces, ſignificat quod finis eſſet ſtatus illius: & addidit peccare, ſignificat receſſionem adhuc: & aggravavit cor ſuum ille & ſervi illius, ſignificat obſtinationem: & obfirmatum cor Pharaonis, ſignificat quod ex malo obſtinarent ſe: & non dimiſit filios Iſraelis, ſignificat quod non relinquerent: quemadmodum loquutus Jehovah, ſignificat ſecundum prædictionem: per manum Moſchis, ſignificat media lege a Divino.

7601. Et linum, quod ſignificet verum naturalis exterioris, conſtat ex ſignificatione lini, quod ſit verum, ſed verum naturalis exterioris, de qua ſequitur; quod naturale ſit exterius & interius, videatur n: 4570. 5118. 5497. 5649, conſequenter quod verum & bonum ibi ſit interius & exterius, n: 3293. 3294; verum & bonum naturalis exterioris ſignificantur per linum & hordeum; ac bonum & verum naturalis interioris per triticum & zeam. In hoc & in ſequenti Verſu agitur de veris & bonis, quæ deſtructa & vaſtata ſunt, & de bonis & veris quæ non deſtructa & vaſtata; ita de veris & bonis, quæ recondita & reſervata ſunt ad uſum, & quæ non recondita & non reſervata; nam apud malos, cum vaſtantur, hoc eſt, cum ſeparantur a veris & bonis, & relinquuntur ſuis malis & falſis, tunc vaſtantur quoad illa vera & bona quæ ſunt in exteriori naturali, & adjuncta ibi falſis & malis, quod illa vera & bona ſpectent deorſum, ac ideo non reſervari poſſint, videbitur infra

n: 7604.

n: 7604. 7607: at vera & bona interioris naturalis, non vaſtantur, ſed introrſum magis perducuntur, & ibi reſervantur ad uſum; ac tunc communicatio inter naturale interius & exterius in tantum clauditur, ut non inde aliquid boni & veri influere poſſit in naturale exterius, niſi modo tale commune, per quod ratiocinari poſſint, & argumenta connectere ad confirmanda falſa & mala. Bona & vera illa, quæ reſervantur, in Verbo ſignificantur per reliquias, de quibus videatur n: 468. 530. 560. 561. 576. 661. 598. 1538. 1906. 2284. 5135. 5342. 5344. 5897. 5898. 5899. 6156. 7564. De his nunc agitur in binis his Verſibus, & ſignificantur per quod linum & hordeum percuſſum ſit, quia hordeum ſpica matureſcens, & linum culmus: & quod triticum & zea non percuſſa ſint, quia abdita illa. Quod linum ſignificet Verum, eſt ex repræſentativis in cœlo; in cœlo, qui in Vero naturalis ſunt, apparent induti albo, quod album apparet ſicut ex lino; ipſum verum naturalis etiam ibi repræſentatur, ſicut contextura ex filis purioribus lini; fila illa inſtar filiorum ſericorum apparent, ſplendida, pulchre tranſlucentia, & mollia, ac indumentum ex illis ſimile, ſi verum, quod ita repræſentatur, eſt ex bono; viciſſim autem, fila illa, quæ inſtar lineorum, non apparent tranſlucentia, nec ſplendida, nec mollia, ſed ut dura & fragilia, & uſque alba, ſi verum, quod ita repræſentatur, non ſit ex bono. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificat quod Angeli hominibus viſi apparuerint in linteis; ut illi de quibus apud Johannem "Exiverunt ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas, e templo, *induti Linteo albo & ſplendido*, & circumcincti pectora cingulis aureis" Apoc: xv: 6: apud Danielem "Suſtuli oculos meos, & vidi, *& ecce vir unus indutus linteis*, cujus lumbi cincti auro Uphaſi" x: 5. Apud Ezechielem "Ecce ſex viri venientes a via portæ ſuperioris, & cuivis inſtrumentum diſperſionis ejus in manu ejus; *ſed vir unus in medio illorum indutus linteis*, & atramentarium ſcribæ in lumbis ejus" ix: 2, de quo Angelo ibi ulterius in eodem Capite Verſ: 3. 4, & Cap: x: 2 ad 7: & apud Eundem, de Angelo, qui menſus novum Templum, cui *filum lini*, & calamus menſuræ, in manu" Cap: xl, ſeq: Etiam Angeli viſi in ſepulchro Domini apparuerunt *induti albo ſplendido & fulgurante*, Matth: xxviii: 3. Marc xvi: 5. Luc: xxiv: 4. Joh: xx: 11. 12. Quia Linum ſignificabat verum exterioris naturalis, & exterius naturale eſt quod inveſtit interiora, idcirco illud verum eſt quod repræſentatum eſt per lintea, quibus induti fuerunt Angeli; & quoque per veſtes lini, quibus induebatur Aharon, cum in ſancto miniſtraret; de quibus apud Moſchen "Cum Aharon intrat in Sanctum, *tunicam Lini Sanctitatis induet*, & *baltheo lini* cinget ſe, & *cidarim lini* imponet ſibi, veſtes ſanctitatis hæ" Levit: 16: 4. Similiter apud Ezechielem "Sacerdotes Levitæ, filii Zadochi, quando intrabunt ad portas atrii interioris, *Veſtes lini induent*, nec aſcendet ſuper eos lana; quando miniſtrabunt in portis atrii interioris & introrſum, *cidares lini erunt ſuper capite illorum*, *femoralia lini* erunt ſuper lumbis illorum" xliv: 17. 18, ibi de novo Templo, & de nova Hieroſolyma, per quæ intelligitur Regnum Domini. Ideo quoque Sacerdotes portabant *Ephodos lini*" 1 Sam: xx: 11: 18:

&

& Samuel miniſtrabat coram Jehovah puer *cinctus Ephodo lini*" 1 Sam: II: 18: tum quoque David, cum transferebatur Arca in urbem ejus, *cinctus erat Ephodo lini*" II Sam: VI: 14. Ex his quoque conſtare poteſt, cur Dominus, cum lavaret pedes diſcipulorum, *ſuccinxerit ſe linteo*, & abſterſerit pedes *linteo* quo ſuccinctus erat" Joh: XIII: 4. 5, lavatio enim pedum ſignificabat purificationem a peccatis, quæ fit per vera fidei, nam per illa docetur homo, quomodo vivet. Per Linum etiam in ſequentibus locis ſignificatur Verum; apud Jeremiam "Dixit Jehovah ad Prophetam, eundo emito tibi *Cingulum lini*, & ponito illud ſuper lumbis tuis, ſed per aquam non duces illud: ſume *cingulum*, & ſurge, abi ad Euphratem, & abſconde illud in foramine petræ: a fine dierum multorum, cum recepit *cingulum*, ubi abſconderat illud, ecce corruptum erat *cingulum*, non proderat ad quicquam" XIII: 1 ad 7, per cingulum lini ſuper lumbis repræſentabatur verum ex bono, quale eſt in principio quando Eccleſia inſtauratur a Domino, & quale fit poſtea, quod circa finem eis ſit corruptum, nec proſit ad quicquam. Apud Eſaiam "Erubeſcent *facientes linum ſericorum*, & textores aulæorum" XIX: 9, ibi de Ægypto, facere linum ſericorum pro fingere vera. Apud Moſchen "non arabis bove & aſino ſimul; *non indues mixtam veſtem ex lana & lino ſimul*" Deut: XXII: 11. 12, per bovem ſignificatur bonum naturalis, per aſinum verum ejus; ſimiliter per lanam & linum; quod non ararent bove & aſino ſimul, nec induerent veſtem mixtam ex lana & lino ſimul, ſignificabat quod non eſſent in bino ſtatu ſimul, nempe in bono & inde ſpectarent verum, ac ſimul in vero & inde ſpectarent bonum; illa ſimile involvunt, quod involvunt quæ Dominus dixit apud Matthæum "Qui ſuper tecto domus, ne deſcendat ad tollendum quid e domo ſua; & qui in agro ne revertatur retro ad accipiendam veſtem ſuam" XXIV: 17. 18; de quibus videatur n: 3652 ad fin: qui enim ex bono ſpectant verum in interiori cœlo ſunt, qui autem ex vero ſpectant bonum, in exteriori cœlo ſunt; hi ex mundo ſpectant cœlum, illi ex cœlo ſpectant mundum, unde in ratione quadam oppoſita ſunt, & quare ſi ſimul eſſent, deſtrueret unum alterum.

7602. Et hordeum, quod ſignificet bonum ejus, conſtat ex ſignificatione hordei, quod ſit bonum naturalis exterioris; quod hordeum id ſit, eſt quia eſt proventus agri, & eſt frumentum quod inſervit eſui; frumentum enim in genere ſignificat bonum veri, n: 3580. 5295. 5410. 5959, in ſpecie hordeum, & triticum, hordeum bonum naturalis exterioris, & triticum bonum naturalis interioris: illud ſignificat hordeum apud Joelem "Exciſa eſt mincha & libamen de domo Jehovæ; luxerunt ſacerdotes miniſtri Jehovæ: devaſtatus eſt ager, luxit terra, *quia devaſtatum eſt frumentum* exaruit muſtum, languet oleum: pudefacti ſunt agricolæ, ejularunt vinitores, *ſuper tritico & ſuper hordeo*, eo quod perierit meſſis agri: I: 9. 10. 11, apud prophetam ibi agitur de vaſtatione boni & veri, ut conſtat ex ſequentibus ibi; quare per frumentum, muſtum, triticum, & hordeum, non illa ſignificantur, ſed ſpiritualia, ita per triticum bonum interius, & per hordeum bonum exterius; ſimiliter hordeum apud Ezechielem Cap; IV: 9: & in Deut: VIII: 8.

In

In Libro Judicum "Cum Guideon pervenit ad caſtra, vir recenſens ſocio ſuo ſomnium, & dicebat, ecce ſomniando ſomniavi, & *ecce toſtus panis hordeorum volvebat ſe ad caſtra Midianis*, & venit ad tentorium uſque, ac percuſſit illud ut concideret, & evertit illud ſurſum, atque ſic cecidit tentorium" VII: 13; per Midianem ſignificantur qui in vero ſimplicis boni ſunt, ac in oppoſito ſenſu, qui nonin vitæ bono, n: 3242. 4756. 4788. 6773, hoc bonum eſt bonum exterioris naturalis, & ſignificatur per panem hordeorum; at jucundum voluptatum, ſi pro fine, loco boni illius, eſt quod ſignificatur per toſtum panem hordeorum; eſt ſtatus, quem tunc repræſentabant Midianitæ, qui ibi deſcribitur.

7603. Percuſſum eſt, quod ſignificet quod deſtructa, patet abſque explicatione.

7604. Quia hordeum ſpica matureſcens, & linum culmus, quod ſignificet quod bonum & verum illud exſtarent, & ſpectarent deorſum, conſtat ex ſignificatione hordei & lini, quod ſint bonum & verum naturalis exterioris, de qua mox ſupra n: 7601. 7602; & ex ſignificatione ſpicæ matureſcentis, tum quoque culmi, quod ſit quod exſtarent, nam de tritico & zea dicitur, quod abdita ſint, Verſ: ſeq: hoc eſt, quod non exſtarent; quæ enim matura ſunt, in ſpica ſua & culmo exſtant; ut decidant; hoc in ſpirituali ſenſu, in quo agitur de bono fidei & charitatis, ſignificat quod ſpectarent deorſum. Quomodo cum hoc ſe habet, patet ex illis, quæ ſupra n: 7601, dicta ſunt. Quod bona & vera in exteriori naturali apud malos ſpectent deorſum, eſt quia ibi ſunt una cum malis & falſis, & illis adjuncta; omnia mala & falſa ſpectant deorſum, hoc eſt, extrorſum ad terram & ad mundum, inde quoque bona & vera illis adjuncta, nam mala & falſa trahunt illa ſecum, quod fit per ſiniſtras applicationes: hæc bona & vera ſunt, quæ apud malos vaſtantur; ſi enim illa non vaſtarentur, influerent bona & vera, quæ recondita & reſervata ſunt a Domino in interiori naturali, ac ſe conjungerent illis quæ in exteriori, ac ſic unum agerent, inde quoque illa flecterentur deorſum, & ſic perirent: homo diſtinguitur a brutis animalibus per id, quod ſpectare poſſit ſurſum, hoc eſt, ad Divinum; abſque illa facultate foret homo ſicut beſtia, nam beſtia non ſpectat niſi deorſum. Inde nunc patet, cur bona & vera apud malos quæ ſpectant deorſum, eis auferuntur, & cur illis ſublatis clauditur communicatio cum interioribus, ubi bona & vera a Domino recondita ſunt, & ad uſum reſervata.

7605. Et triticum & zea, quod ſignificet bonum interioris naturalis, & verum ejus, conſtat ex ſignificatione tritici, quod ſit bonum amoris & charitatis de qua n: 3941; & quia eſt frumentum hordeo nobilius, eſt bonum interioris naturalis; & ex ſignificatione zeæ vel ſpelthæ, quod ſit verum interioris naturalis correſpondens bono quod ſignificatur per triticum; quod zea ſit verum illud, conſtare poteſt ex eo, quod in Verbo, ubi dicitur de bono, etiam dicatur de vero, & hoc propter conjugium cœleſte, quod eſt boni & veri in ſingulis Verbi, ac in ſupremo ſenſu propter unionem Ipſius Divini & Divini Humani in Domino, Cui conjugium Boni & Veri in Cœlo correſpondet;

reſpondet; ita quod Ipſe Dominus quoad Ipſum Divinum & Divinum Humanum ſit intime in Verbo, videatur n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2618. 2712. 2803. 3132. 4138 fin: 5502. 6179. 6343. Inde patet quod per zeam ſignificetur verum correſpondens bono quod ſignificatur per triticum.

7606. Non percuſſa ſunt, quod ſignificet quod non deſtructa ſint, patet abſque explicatione.

7607. Quia abdita illa, quod ſignificet quia non exſtarent, & quia vergerent introrſum, conſtat ex ſignificatione abdita illa, quod ſit non exſtare; in ſenſu ſpirituali, quia eſſent in interiori naturali, & ibi vergerent introrſum; quod illa deſtrui non poſſent, eſt quia ſpectarent ad cœlum & ad Dominum, quod eſt ſpectare introrſum, & non ad tellurem & mundum, quod eſt ſpectare extrorſum. Quod ſit ſpectare introrſum, & ſpectare extrorſum, paucis dicendum eſt; homo ita creatus eſt, ut ſpectare poſſit ſupra ſe ad cœlum uſque ad Divinum, & quoque ut ſpectare poſſit infra ſe, ad mundum & tellurem; in hoc diſtinguitur homo a brutis animalibus; & tunc homo ſpectat ſupra ſe, ſeu ad cœlum uſque ad Divinum, cum pro fine habet proximum, patriam, Eccleſiam, Cœlum, imprimis Dominum; & tunc ſpectat infra ſe cum pro fine habet ſe & mundum; pro fine habere eſt amare, nam hoc pro fine habetur quod amatur, & quod amatur hoc univerſaliter regnat, hoc eſt, in ſingulis cogitationis & voluntatis: homo dum ſpectat per unam viam, non ſpectat per alteram, nempe dum ſpectat ad mundum & ad ſe, non ſpectat ad cœlum, & ad Dominum, & vice verſa; ſunt enim determinationes oppoſitæ. Ex eo quod homo ſpectare poſſit ſupra ſe, hoc eſt, cogitare de Divino, ac conjungi Divino per amorem, patet manifeſte quod ſit elevatio mentis a Divino, nam nuſquam aliquis ſupra ſe ſpectare poteſt, niſi per elevationem ab Illo qui ſupra eſt, inde quoque patet, quod omne bonum & verum apud hominem ſit Domini: patet quoque inde, quod homo cum ſpectat infra ſe, ſeparet ſe a Divino, & determinet interiora ſua ad ſe & ad mundum, ſimiliter ac determinata ſunt apud bruta animalia; & tunc quod in tantum exuat humanum. Ex his nunc conſtare poteſt, quid intelligitur per ſpectare introrſum ſeu ſupra ſe, & per ſpectare extrorſum ſeu infra ſe.

7608. Et Egreſſus Moſcheh a cum Pharaone urbe, quod ſignificet ſeparationem ab illis, conſtat ex illis quæ ſupra n: 7595, explicata ſunt, ubi ſimilia.

7609. Et expandit palmas ſuas ad Jehovam, quod ſignificet interceſſionem, ut ſupra n: 7596.

7610. Et ceſſaverunt voces & grando, ſignificat finem illius ſtatus, ut ſupra n: 7597.

7611. Et pluvia non effuſa terram, quod ſignificet quod falſa illa non magis apparerent, conſtat ex ſignificatione pluviæ, hic pluviæ grandinis, quod ſint falſa, de qua n: 7553. 7574; & ex ſignificatione non effuſa terram, quod ſit quod finita, ita quoque quod non apparerent, nempe falſa quæ per pluviam grandinis ſignificantur.

7612. Et vidit Pharao, quod ſignificet apperceptionem, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit apperceptio, de qua n: 2550. 3764. 4723. 5400.

7613. Quod ceſſavit pluvia, grando & voces, ſignificat finem illius ſtatus, ut ſupra n: 7597. 7510.

7614. Et addidit peccare, quod ſignificet receſſionem adhuc, conſtat ex ſignificatione addere, quod ſit adhuc & amplius; & a ſignificatione peccare, quod ſit ſejunctio, receſſio & ſeparatio a bono & vero, de qua n: 5229. 5494. 5841. 7589.

7615. Et aggravavit cor ſuum, ille & ſervi illius, quod ſignificet obſtinationem, conſtat a ſignificatione aggravare, indurare & obfirmare cor, quod ſit obſtinare ſe, de qua n: 7272. 7300. 7305.

7616. Et obfirmatum cor Pharaonis, quod ſignificet quod ex malo obſtinarent ſe, conſtat ex ſignificatione obfirmari cor, quod ſit obſtinare ſe, de qua mox ſupra n: 7675, ubi dicitur quod aggravaverit cor; differentia eſt, quod aggravare cor ſit ex falſo, at obfirmare cor ſit ex malo.

7617. Et non dimiſit filios Iſraelis, quod ſignificet ut non relinquerent, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, ut prius ſæpe; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, quos infeſtabant, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

7618. Quemadodum loquutus Jehovah, quod ſignificet ſecundum prædictionem, ut prius n: 7302. 7340. 7414. 7432. 7534.

7619. Per manum Moſchis, quod ſignificet media Lege a Divino, conſtat a ſignificatione per manum alicujus, quod ſit mediate, de qua ſequitur; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit lex a Divino, de qua n: 6771. 6827: Quod loqui per manum alicujus, ſit medio illo ſeu mediate, eſt quia per manum ſignificatur potentia, ita per manum alicujus potentia vicaria, quod idem eſt cum mediate, nam quod ſit mediate, ſit per potentiam alterius in ſe; inde eſt, quod in Verbo illa loquendi formula ſit, ut in Libris Regum, ubi aliquoties dicitur Verbum quod Jehovah loquutus per manum alicujus; ut quod *loquutus per manum* Achjiæ prophetæ, I Reg: XIV: 18: *per manum* Achiæ Schelonitæ, I Reg: XV: 29: *per manum* Jehu prophetæ, I Reg: XV: 7. 12: *per manum* Joſchuæ, ibid: Ver: 34: *per manum* Eliæ, I Reg: XVII: 16: *per manum* Jonæ prophetæ, II Reg: XIV: 25.

Continuatio de Spiritibus & Incolis Telluris Martis.

7620. *VIDEBAM flammeum quoddam pulcherrimum, erat varii coloris, purpureum, tum ex candido rubeſcens, colores illi etiam ex flamma pulchre rutilabant; quandam etiam Manum videbam, quæ hoc flammeum non tenuit, ſed cui adhæſit; primum inverſæ ejus parti, poſtea palmæ ſeu volæ, & inde lambebat manum circumcirca: hoc aliquanto tempore perſtitit: dein manus hæc cum flammeo removebatur ad diſtantiam, & ubi ſubſtitit erat lucidum; in lucido illo receſſit manus; & tunc flammeum mutabatur in Avem, quæ principio erat ſimilibus coloribus cum flammeo, & colores ſimiliter coruſcabant; ſed colores illi ſucceſſive mutati ſunt, & cum coloribus vitæ vigor in ave: volabat circumcirca, & primum circum caput meum, dein antrorſum in anguſtum quoddam quaſi cubiculum; & ſicut volabat antrorſum magis ita vita receſſit, & facta eſt demum lapidea; primum tunc colore margaritico, poſtea obſcuro, ſed tametſi abſque vita, uſque volabat.*

7621. *Cum avis illa volabat circum Caput, & adhuc in vitæ vigore erat, viſus eſt Spiritus, qui ex inferiori aſſurgebat, per regionem lumborum ad regionem pectoris, is inde volebat auferre avem illam; ſed quia tam pulchra erat, ſpiritus, qui circum me, inhibebant, ne illam auferret, viſum enim ſuum in illa omnes tenebant; ſed Spiritus ille, qui ex inferiori aſſurrexit, tunc fortiter perſuaſit quod apud illum eſſet Dominus, & ſic quod ex Domino id ageret; hoc tametſi plerique non credebant, quia ex inferiori aſſurgebat, uſque tamen ſpiritus, qui circum me, non amplius inhibebant, quin auferret avem; at quia tunc influebat cœlum, non potuit retinere illam, ſed mox remiſit e manu liberam.*

7622. *Cum hoc peractum eſt, Spiritus, qui circum me, qui avem illam, & ſucceſſivas ejus mutationes intenſe ſunt intuiti, de illa inter ſe loquebantur, & hoc per inſigne tempus; percipiebant quod tale Viſum non potuerit aliter quam Cœleſte quoddam ſignificare: ſciebant, quod flammeum ſignificet amorem cœleſtem & ejus affectiones; quod manus, cui flammeum adhærebat, vitam & ejus potentiam; Colorum mutationes vitæ varietates quoad ſapientiam & intelligentiam;*

ſimili-

ſimile etiam Avis; cum differentia quod flammeum ſignificet amorem cœleſtem & quæ illius amoris ſunt, & quod Avis ſignificet amorem ſpiritualem & quæ illius amoris ſunt; (amor cœleſtis eſt Amor in Dominum, & Amor ſpiritualis eſt amor mutuus & charitas erga proximum;) & quod mutationes colorum & ſimul vitæ in ave, uſque dum facta lapidea, ſignificet varietates ſucceſſivas vitæ ſpiritualis quoad intelligentiam. Sciebant etiam, quod Spiritus, qui ex inferiori per regionem lumborum ad regionem pectoris aſcendunt, in forti perſuaſivo ſint, quod in Domino ſint, ac inde credant quod omnia quæ faciunt, etiam mala ac ſceleſta, volente Domino faciant. Sed tamen non inde ſcire potuerunt, quinam per Viſum hoc intelligerentur; tandem inſtructi ſunt e cœlo, quod Incolæ Martis intellecti ſint; quod cœleſtis illorum amor, in quo adhuc plures ſunt, ſignificatus ſit per flammeum quod adhæſit manui; & quod ſapientia & intelligentia illorum per colorum ſucceſſivas variationes; & quod Avis in principio, cum in pulchritudinem colorum ſuorum, ac in vigore vitæ ſuæ, eſſet, ſignificaret amorem illorum ſpiritualem: quod autem avis illa facta ſit ſicut lapidea ac nullius vitæ, & tunc coloris obſcuri, quod id ſignificaret incolas, qui a bono amoris ſe removerunt, ac in malo ſunt, & tamen credunt quod ſint in Domino. Sed quia de Incolis illis, qui tales ſunt, & de ſtatu vitæ illorum, plura detecta, & quoque oſtenſa, ſunt, licet illa ad finem Capitis ſequentis referre.

EXODI

E X O D I

CAPUT DECIMUM

Doctrina Charitatis

7623. BINA ſunt quæ procedunt a Domino, ac inde in origine ſua ſunt Divina, unum eſt BONUM, alterum eſt VERUM; inde hæc bina ſunt quæ regnant in cœlo, imo quæ faciunt cœlum: bina illa in Eccleſia vocantur Charitas & Fides.

7624. Bonum & Verum, cum procedúnt a Domino, prorſus unita ſunt, ac ita unita ut non duo ſed unum ſint; inde quoque bina illa unum ſunt in cœlo; & quia unum ſunt in cœlo, eſt Cœlum imago Domini: Similiter foret Eccleſia, ſi charitas & fides ibi unum eſſent.

7625. Idea de bono quod Charitatis, & de vero quod fidei, formari poteſt ex ſole & ejus luce; Lux quæ procedit a ſole cum conjuncta eſt Calori, quod fit tempore Veris & Æſtatis, tunc omnia telluris germinant & vivunt; at cum in luce non eſt Calor, ut tempore hyemis, tunc omnia telluris torpent & emoriuntur. In Verbo etiam Dominus comparatur Soli; ac Verum conjunctum Bono, quod ab Ipſo procedit comparatur Luci: & quoque in Verbo Verum fidei vocatur Lux, & Bonum amoris vocatur Ignis: eſt etiam Amor ignis vitæ, & Fides lux vitæ.

7626. Ex his quoque idea formari poteſt de homine Eccleſiæ, qualis ille quando apud illum conjuncta eſt fides charitati, quod nempe ſit ſicut hortus & paradiſus; & qualis ille quando apud illum non conjuncta eſt fides Charitati, quod nempe ſit ſicut deſertum & terra nive obtecta.

7627. Quiſque homo ex ſolo lumine naturalis ſui hominis poteſt videre, quod Verum & Bonum concordent, & quoque quod conjungi poſſint; & quod verum & malum diſcordent, & quod non conjungi poſſint: ſimiliter fides & charitas. Idem teſtatur ipſa experientia; qui in malo eſt quoad vitam, ille aut in falſo eſt quoad fidem, aut in nulla fide, aut prorſus contra fidem. Et quod arcanum eſt, qui in malo eſt quoad vitam, is in falſo ſui mali eſt, tametſi credat quod ſit

in

in vero; quod credat quod ſit in vero, eſt quia in fide perſuaſiva eſt, de qua in ſequentibus.

CAPUT X.

1. ET dixit JEHOVAH ad Moſchen, veni ad Pharaonem, quia Ego aggravavi cor illius, & cor ſervorum illius, propterea ut ponam ſigna mea hæc in medio illius.

2. Et propterea ut narres in auribus filii tui, & filii filii tui, quæ operatus ſum in Ægypto, & ſigna mea quæ poſui in illis, & ſciatis quod Ego JEHOVAH.

3. Et venit Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & dixerunt ad illum, ita dicit JEHOVAH DEUS Hebræorum, quouſque renuis humiliari coram Me; dimitte populum meum, & ſerviant Mihi

4. Quia ſi renuis tu dimittere populum meum, ecce Ego adduco cras Locuſtam in terminum tuum.

5. Et obteget ſuperficiem terræ, & non poterit videre terram; & comedet reſiduum evaſionis relictæ vobis a grandine; & comedet omnem arborem germinantem vobis ex agro.

6. Et replebuntur domus tuæ, & domus omnium ſervorum tuorum, & domus omnium Ægyptiorum; quam non viderunt patres tui, & patres patrum tuorum, a die fuerunt ſuper humo, uſque ad diem hunc: & reſpexit & exivit a cum Pharaone.

7. Et dixerunt ſervi Pharaonis ad illum, quouſque erit hoc nobis ad laqueum, dimitte viros, & ſerviant JEHOVÆ DEO illorum; an nondum ſcis quod pereat Ægyptus.

8. Et reductus Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & dixit ad illos, ite, ſervite JEHOVÆ DEO veſtro; quis & quis eunt.

9. Et dixit Moſcheh; cum pueris noſtris, & cum ſenibus noſtris, ibimus, cum filiis noſtris & cum filiabus noſtris, cum grege noſtro, & cum armento noſtro, ibimus, quia feſtum Jehovæ nobis.

10. Et dixit ad illos, erit ſic JEHOVAH cum vobis, quando dimiſero vos & infantem veſtrum; videte quod malum apud facies veſtras.

11. Non ita, ite quæſo juvenes, & ſervite JEHOVÆ, quia hoc vos quæritis; & expulit illos ex faciebus Pharaonis.

12. Et

12. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, extende manum tuam ſuper terram Ægypti ob Locuſtam, & aſcendet ſuper terram Ægypti, & comedet omnem herbam terræ, omne quod reliquit grando.

13. Et extendit Moſcheh baculum ſuum ſuper terram Ægypti, & JEHOVAH adduxit ventum orientalem in terram toto die illo, & tota nocte; mane factum, & ventus orientalis attulit Locuſtam.

14. Et aſcendit Locuſta ſuper omnem terram Ægypti, & quievit in omni termino Ægypti, gravis valde; ante illam non fuit ita Locuſta ſicut illa, & poſt illam non erit ita.

15. Et obtexit ſuperficiem totius terræ, & obtenebrata terra, & comedit omnem herbam terræ, & omnem fructum arboris, quem reſiduum fecit grando; & non reſiduum fuit ullum viride in arbore & in herba agri in tota terra Ægypti.

16. Et feſtinavit Pharao ad vocandum Moſchen & Aharonem, & dixit, peccavi JEHOVÆ DEO veſtro, & vobis.

17. Et nunc remitte quæſo peccatum meum, tantum hac vice, & ſupplicate JEHOVÆ DEO veſtro, & removeat deſuper me tantum mortem hanc.

18. Et exivit a cum Pharaone, & ſupplicavit ad JEHOVAM.

19. Et convertit JEHOVAH ventum maris validum valde, & ſuſtulit locuſtam, & conjecit illam mare Suph, non relicta locuſta una in omni termino Ægypti.

20. Et obfirmavit JEHOVAH cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſraelis.

21. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, extende manum tuam ad cœlum, & erit caligo ſuper terra Ægypti, & palpabit caligine.

22. Et extendit Moſcheh manum ſuam ad cœlum, & fuit caligo denſa in tota terra Ægypti, tribus diebus.

23. Non viderunt vir fratrem ſuum, & non ſurrexerunt quis de ſub ſe tribus diebus; & omnibus filiis Iſraelis fuit lux in habitationibus illorum.

24. Et vocavit Pharaoh ad Moſchen, & dixit, ite, ſervite JEHOVÆ; tantum grex veſter & armentum veſtrum ſubſiſtet; etiam infans veſter ibit cum vobis.

25. Et dixit Moſcheh, etiam tu dabis in manum noſtram ſacrificia & holocauſta, & faciemus JEHOVÆ DEO noſtro.

26. Et etiam pecus noſtrum ibit cum nobis, non relinquetur ungula, quia de illo accipiemus ad ſerviendum JEHOVÆ DEO noſtro, & nos non ſcimus, quo ſerviemus JEHOVÆ, uſque dum venimus illuc.

27. Et

27. Et obfirmavit JEHOVAH cor Pharaonis, & non voluit dimittere illos.

28. Et dixit illi Pharao, abi ab apud me, cave tibi ne addas videre facies meas, quia in die videre te facies meas, morieris.

29. Et dixit Moſcheh, recte loquutus es, non addam amplius videre facies tuas.

CONTENTA.

7628. IN hoc Capite in ſenſu interno continuatur adhuc de Vaſtatione illorum qui infeſtant illos qui ab Eccleſia Spirituali ſunt; nunc agitur de Vaſtationis nono & decimo ſtatu ſeu gradu, qui deſcribuntur per Locuſtam & per Caliginem, per quas ſignificantur Falſum ex malo devaſtans omnia quæ ſunt Eccleſiæ apud illos.

SENSUS INTERNUS.

7629. Verſ: 1 ad 6. *ET dixit Jehovah ad Moſchen, veni ad Pharaonem, quia Ego aggravavi cor illius, & cor ſervorum illius propterea ut ponam ſigna mea hæc in medio illius. Et propterea ut narres in auribus filii tui, & filii filii tui, quæ operatus ſum in Ægypto, & ſigna mea quæ poſui in illis, & ſciatis quod Ego Jehovah. Et venit Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & dixerunt ad illum, ita dicit Jehovah Deus Hebræorum, quouſque renuis humiliari coram Me, dimitte populum meum, & ſerviant Mihi. Quia ſi renuis tu dimittere populum meum, ecce Ego adduco cras Locuſtam in terminum tuum. Et obteget ſuperficiem terræ, & non poterit videre terram, & comedet reſiduum evaſionis relictæ vobis a grandine, & comedet omnem arborem germinantem vobis ex agro. Et replebuntur domus tuæ, & domus omnium ſervorum tuorum, & domus omnium Ægyptiorum; quam non viderunt patres tui, & patres patrum tuorum, a die fuerunt ſuper humo, uſque ad diem hunc: & reſpexit & exivit a cum Pharaone.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat mandatum: veni ad Pharaonem, ſignificat præſentiam Veri a Divino apud infeſtantes: quia Ego aggravavi cor illius, & cor ſervorum illius, ſignificat quod obſtinaverint ſe communiter omnes: propterea ut ponam ſigna mea hæc in medio illius, ſignificat ut cognoſcant mali quod in malo ſint, & boni illuſtrentur de ſtatu illorum qui intra Eccleſiam male vivunt: & propterea ut narres in auribus filii tui, & filii filii tui, quæ operatus ſum in Ægypto, ſignificat ut ſciant qui in vero & bono quid evenit illis qui ab Eccleſia ſunt & infeſtant

probos: & ſigna mea quæ poſui in illis, ſignificat ut illuſtrentur de ſtatu illorum qui ab Eccleſia & male vivunt: & ſciatis quod Ego Jehovah, ſignificat ut ſic notum illis ſit, quod Dominus ſit ſolus Deus: & venit Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, ſignificat præſentiam Veri Divini: & dixerunt ad illum, ſignificat apperceptionem: ita dicit Jehovah Deus Hebræorum, ſignificat mandatum a Domino Qui Deus Eccleſiæ: quouſque renuis humiliari coram Me, ſignificat non obedientiam: dimitte populum meum ut ſerviant Mihi, ſignificat ut relinquant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Dominum: quia ſi renuis tu dimittere, ſignificat ſi non relinquerent: ecce Ego adduco Locuſtam in terminum tuum, ſignificat quod falſum occupabit extrema illorum: & obteget ſuperficiem terræ, ſignificat ultima mentis naturalis inde: & non poterit videre terram, ſignificat obſcurationem totius mentis naturalis inde: & comedet reſiduum evaſionis relictæ vobis a grandine, ſignificat conſumtionem omnium quæ aliquid a veris habent: & comedet omnem arborem germinantem vobis ex agro, ſignificat ſic conſumtionem omnium cognitionum, quæ illis ab Eccleſia: & replebuntur domus tuæ, & domus omnium ſervorum tuorum, & domus omnium Ægyptiorum, ſignificat quod regnabit falſum in omnibus & ſingulis in naturali ab interiori ejus ad extremum: quam non viderunt patres tui, & patres patrum tuorum, a die fuerunt ſuper humo uſque ad diem hunc, ſignificat quod tale falſum non fuerit ab antiquo tempore in Eccleſia, quale ibi: & reſpexit & exivit a cum Pharaone, ſignificat privationem apperceptionis & ſeparationem.

7630. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet mandatum, nempe quod perferendum ad Pharaonem, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah ad illos qui infeſtant, quod ſit mandatum, de qua n: 7036. 7107. 7310.

7631. Veni ad Pharaonem, quod ſignificet præſentiam Veri a Divino apud infeſtantes, conſtat ex ſignificatione venire ſeu intrare ad aliquem, quod ſit præſentia, ut n: 5934. 6063. 6089. 7498; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum a Divino, de qua n: 6771. 6827; & ex repræſentatione Pharaonis quod ſint qui in altera vita infeſtant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6651. 6679. 6683. 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228.

7632. Quia Ego aggravavi cor illius, & cor ſervorum illius, quod ſignificet quod obſtinaverint ſe communiter omnes, conſtat ex ſignificatione aggravare, indurare, & obfirmare cor, quod ſit obſtinare ſe, de qua n: 7272. 7300, 7305; ex repræſentatione Pharaonis, cujus cor aggravabatur, quod ſint qui infeſtant; & cum dicitur ille & ſervi illius, ſignificantur communiter omnes, nam ſervi cum illo domum conſtituunt. Quod dicatur quod Jehovah aggravaverit cor Pharaonis, in ſenſu interno ſignificat quod ille aggravaverit cor ſuum: antiquis temporibus propter ſimplices tribuebatur Jehovæ omne malum; & hoc fuit ob cauſam, quia ſimplices non potuerunt ſcire, & plerique nec comprehendere, quomodo, quæ eveniebant, aliunde poſſent venire, quam a Jehovah; tum quomodo intelligendum, quod Je-

hovah

hovah permittat, ut turba diabolica inferat malum, & non inhibeat, cum tamen Ipſi omnes poteſtas; quia ſimplices illa non potuerunt capere, & quoque vix intelligentes, idcirco dictum eſt, ut a pluribus creditum, quod a Jehovah etiam malum exiſteret; hoc commune eſt in Verbo, cujus ſenſus literæ eſt ſecundum fidem ſimplicium. Quod malum, quod Jehovæ tribuitur in Verbo, ſit ab homine, videatur n: 2447. 6073. 6692. 6997. 7533.

7633. Et ponam ſigna mea hæc in medio illius, quod ſignificet ut cognoſcant mali quod in malo ſint, & boni illuſtrentur de ſtatu illorum qui intra Eccleſiam male vivunt, conſtat ex ſignificatione ſignorum, quod ſint confirmationes veritatum, ac ita cognitiones, de qua n: 6870, & quoque illuſtrationes n: 7012, inde ponere ſigna in medio illius, eſt ut cognoſcant mali quod in malo ſint; quod etiam ſit ut boni illuſtrentur de ſtatu illorum qui intra Eccleſiam male vivunt, patet a mox ſeqentibus, ubi dicitur "Et propterea ut narres in auribus filii tui, & filii filii tui, quæ operatus ſum in Ægypto, & ſigna mea quæ poſui in illis," per quæ ſignificatur, ut ſciant qui in vero & bono, quid evenit illis ab Eccleſia, qui infeſtant probos. Quod illi qui in altera vita probos infeſtant, ſint qui ab Eccleſia fuerunt, & noverunt præcepta fidei, & tamen contra illa vixerunt, videatur n: 7317. 7502. 7545. 7554.

7634. Et propterea ut narres in auribus filii tui, & filii filii tui, quæ operatus ſum in Ægypto, quod ſignificet ut ſciant qui in vero & bono, quid evenit illis, qui ab Eccleſia ſunt, ac infeſtant probos, conſtat ex ſignificatione narrare in auribus, quod ſit ut ſciant & appercipiant; ex ſignificatione filii, & filii filii, quod ſint qui in vero & bono, quod filius ſit verum, videatur n: 489. 490. 491. 1147. 2623. 3373; & quod filii filiorum ſint derivativa, n: 6583; hic filii ſunt qui in vero & quoque in bono, quia per illos ſignificantur qui ab Eccleſia, quare dicitur filius filii tui ad Moſchen, per quam repræſentatur Lex Divina, quæ eſt Divinum verum procedens a Divino Bono Domini, ita eſt Divinum Verum cui unitum eſt Divinum Bonum, n: 7623. 7624, ex quibus Eccleſia; & ex ſignificatione quæ operatus ſum in Ægypto, quod ſit quid evenit illis qui in altera vita infeſtant probos; quod per ſigna ſignificetur quid evenit, & per Pharaonem & Ægyptios ſignificentur qui in altera vita infeſtant, patet ex illis quæ in præcedentibus dicta ſunt: quod qui infeſtant ſint qui fuerunt ab Eccleſia, videatur mox ſupra n: 7623 fin.

7635. Et ſigna mea quæ poſui in illis, quod ſignificet ut illuſtrentur de ſtatu illorum qui ab Eccleſia male vivunt, conſtat ab illis mox ſupra n: 7633, ubi ſimilia verba.

7636. Ut ſciatis quod Ego Jehovah, quod ſignificet ut ſic notum illis ſit quod Dominus ſit ſolus Deus, conſtat ex ſignificatione ut ſciatis, quod ſit ut notum illis ſit; Ego Jehovah quod ſit quod Dominus ſit ſolus Deus, eſt quia Jehovah ſignificat Eſt, ita a Quo omnium Eſſe & Exiſtere, quod non poteſt quam unicum & ſolum dari; quod Jehovah ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. 6905. 6945. 6956;

 &

& quod per illa verba intelligatur quod ſit ſolus Deus, n: 7401. 7444. 7544. 7598.

7637. Et venit Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, quod ſignificet præſentiam Veri Divini, conſtat ex ſignificatione venire ſeu intrare, quod ſit præſentia, ut ſupra n: 7631; & ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Verum Divinum, Moſcheh Internum; Aharon Externum, de qua n: 7089. 7382.

7638. Et dixerunt ad illum, quod ſignificet apperceptionem, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit appercipere, de qua n: 1791. 1875. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2619. 2862. 3395. 3509. 5743. 5877; quod *Dixerunt* hic ſit appercipere, eſt quia per Moſchen & Aharonem repræſentatur Verum Divinum, & per venire præſentia illius, & ex præſentia Veri Divini eſt apperceptio.

7639. Ita dixit Jehovah Deus Hebræorum, quod ſignificet mandatum a Domino, qui Deus Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah ad illos qui infeſtant, quod ſit mandatum, ut ſupra n: 7630; a ſignificatione Hebræorum, quod ſint qui ab Eccleſia, de qua n: 5136. 6675. 6684. 6738; quod Jehovah Deus ſit Dominus, videatur ſupra n: 7636.

7640. Quouſque renuis humiliari coram Me, quod ſignificat non obedientiam, conſtat ex ſignificatione renuere humiliari, quod ſit non obedire; cauſa quod id ſignificetur, eſt quia dicitur ad illos qui in malo ſunt, qui non poſſunt humiliari coram Divino; ſunt enim duo quæ inſunt humiliationi, agnitio ſui quod non ſit niſi malum, & quod reſpective ad Divinum ſit ut nihil, tum agnitio Divini quod non ſit niſi Bonum, & quod infinitum, hæc duo apud malos non dari poſſunt, quia in amore ſui ſunt; ſi ſe humiliant eſt vel ex timore, vel ut honorentur aut lucrentur, ita humiliant ſe ſolum quoad corpus, & nihil quoad animum, qui quandoque tunc irridet; talis eſt humiliatio timoris, tum propter lucrationem & honorationem; ſimile eſt coram Divino, tametſi hoc non ſciunt; nam internum apud illos qui in malo ex amore ſui ſunt, eſt ſe ſolum intueri & magnifacere, & avertere ſe ab omnibus qui non favent: quia non datur humiliatio apud malos, inde in ſenſu interno per humiliari ſignificatur obedientia, ita per renuis humiliari non obedientia.

7641. Dimitte populum meum & ſerviant Mihi, quod ſignificet ut relinquant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ut colant Dominum, conſtat ex illis prius n: 7500, ubi eadem verba.

7642. Quia ſi renuis dimittere, quod ſignificet ſi non relinquerent, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, ut ſæpius prius, ita renuere dimittere, eſt non velle relinquere.

7643. Ecce Ego adduco locuſtam in terminum tuum, quod ſignificet quod falſum occupabit extrema illorum, conſtat ex ſignificatione locuſtæ, quod ſit falſum in extremis, de qua ſequitur; ex ſignificatione termini, quod ſint extrema, & ex ſignificatione adducere, quia de falſo prædicatur, quod ſit occupare: dicitur quod Jehovah adducet, ſed intelligitur quod adducetur, nempe a malo; hoc ſimiliter ſe habet ac quod tribuatur Jehovæ, hoc eſt, Domino, quod aggravaverit cor Pharaonis, cum tamen ſit ab homine, ejus malo

in-

In illo, videatur ſupra n: 7632: quod non malum a Domino, ſed quod exiſtat ab homine, eſt quia homo id bonum, quod influit a Domino, vertit ad ſe, & loco quod Dominum, & quæ Domini ſunt, in omnibus & ſingulis intueretur, ſemet intueatur; inde concupiſcentia dominandi ſuper omnes, & poſſidendi omnia quæ aliorum, ac inde contemtus aliorum, & contra illos, qui ſibi non favent & ſtudent, odia, vindictæ, & crudelitates; inde quoque contemtus omnium quæ fidei & charitatis, quia hæc, cum a Domino influunt, vertuntur ad ſe, ita avertuntur a Domino: ex his videri poteſt, quod homo ipſum bonum, quod influit a Domino, vertat in malum: inde quoque eſt, quod mali in altera vita, ſe removeant, quantum poſſunt, a cœlo; nam cum appropinquat cœlum ad illos, hoc eſt, cum bonum & verum fortius influunt, tunc ruunt fortius in contrarium, hoc eſt, in malum & in falſum; ac in eo gradu, quo malum & falſum increſcunt, a ſe expellunt verum, & ſemetipſos devaſtant; & tunc quoque in eodem gradu in mala pænæ ruunt, nam mala & pænæ in altera vita conjuncta ſunt. Dominus continue ordinat cœlos, & jugiter novos cœli incolas adſciſcit, quibus dat habitationes & hæreditates, & cum hoc facit, cœlum appropinquat, hoc eſt, fortius influit; inde ſpiritus infernales in mala & falſa, & in illorum pænas, fortius irruunt, & quia in mala & falſa, inde ſemetipſos, ut dictum eſt, vaſtant; & hoc non ceſſat apud illos, quam cum ſe prorſus devaſtaverint, & ſe profunde in inferna conjecerint: ex his conſtare poteſt, quod a Domino non niſi quam bonum procedat, & quod malum ab ipſis qui in malo ſunt. Ex his nunc videri poteſt, quomodo intelligendum, quod dicitur de Jehovah, hoc eſt, de Domino, quod aggravaverit cor Pharaonis, & hic quod adducet locuſtam, per quam ſignificatur falſum ex malo in extremis. In Verbo, ubi de vaſtatione malorum agitur, aliquoties nominatur Locuſta & Bruchus, & per Locuſtam ibi in ſenſu interno intelligitur falſum, quod vaſtat extrema; eſt enim, ut prius oſtenſum eſt, Naturale apud hominem interius & exterius, falſum quod in extremis naturalis eſt, intelligitur per locuſtam, & malum ibi per bruchum: quia per locuſtam intelligitur falſum, quod in extremis naturalis eſt, intelligitur per locuſtam, ideo dicitur quod locuſta adducetur *in terminum*, & obteget *ſuperficiem* terræ; ac poſtea Verſ: 14 "Aſcendit locuſta ſuper terram Ægypti, & quievit *in omni termino* Ægypti, & obtexit *ſuperficiem* totius terræ; per terminum & per ſuperficiem ſignificantur extrema & ultima, in quibus interiora quieſcunt, hoc eſt, terminantur; hæc intelliguntur per locuſtam & bruchum apud Davidem "Miſit in illos colluviem, quæ *conſumſit* illos, & ranam quæ perdidit illos, *& dedit Brucho* proventum illorum, & laborem illorum *Locuſtæ*" Pſalm: LXXVIII: 45. 46: & alibi "Dixit ut veniret *Locuſta* & *Bruchus*, ut non numerus" Pſalm: CV: 34, hæc dicuntur de Ægypto, & nominatur bruchus, tametſi nulla ejus mentio fit apud Moſchen, ſed ſolum locuſtæ; cauſa quod etiam bruchus nominetur, eſt quia per bruchum ſignificatur malum, & per locuſtam falſum, utrumque in extremis naturalis; at cum modo locuſta nominatur, ſignificatur & falſum & malum ſimul, nam locuſta eſt falſum ex malo. Apud Nahum

"Ibi

"Ibi comedet te ignis, exſcindet te gladius; comedet te ſicut *bruchus*, multiplica te ſicut *bruchus*, multiplica te ſicut *locuſta*; multiplicaſti mercatores tuos præ ſtellis cœlorum; *bruchus* diffudit ſe, & avolavit; coronati tui ſicut *locuſta*, imperantes tui ſicut *locuſta locuſtarum*" III: 15. 16. 17; ibi agitur de urbe ſanguinum, per quam ſignificatur doctrina falſi; & quia falſum & malum imprimis multiplicata ſunt in extremis naturalis, nam ibi ſunt fallaciæ ſenſuum oriundæ ex objectis mundi & telluris, ac voluptates ex variis appetituum generibus, inde eſt quod etiam multiplicatio mali & falſi per bruchum & locuſtam deſcribatur, ut quoque in Libro Judicum Cap: VI: 5. Cap: VII: 12: & apud Jeremiam Cap: XLVI: 23: quod ſenſuale, quod ultimum naturalis eſt, ſit fallaciis & inde falſis pleniſſimum, videatur n: 5084. 5089. 5094. 6310. 6311. 6313. 6318. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. 6948. 6949. Apud Joelem "Reſiduum erucæ *comedit Locuſta*, & reſiduum *locuſtæ* comedit melolontha, & reſiduum melolonthæ comedit *bruchus*: expergiſcimini ebrii & flete, & ejulate omnes potantes vinum, propter muſtum quod exciſum eſt; nam gens aſcendet ſuper terram meam, robuſta & non numerus, & *rediget vitem meam in vaſtitatem, & ficum meam in ſpumam*" I: 4. 5. 6. 7, Apud Eundem "Plenæ ſunt areæ frumento puro, & exundant torcularia muſtum & oleum; & compenſabo vobis annos, quos *conſumſit locuſta*, melolontha, *bruchus* & eruca" II: 24. 25, ibi locuſta pro falſo in extremis vaſtante vera & bona. Apud Moſchen "Semen multum educes in agrum, ſed parum colliges, quia *conſumet illud Locuſta*: vineam plantabis, ſed vinum non bibes, nec congregabis, quia comedet illud vermis" Deut: XXVIII: 38. 39; ibi locuſta pro falſo ex malo. Apud Johannem "E fumo abyſſi apertæ exiverunt *Locuſtæ* in terram, quibus data poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpii terræ: dictum illis, ut damno non afficerent gramen terræ, neque ullam arborem, ſed homines ſolos, quicunque non haberent ſigillum Dei ſuper frontibus ſuis: datum eſt illis, ut non occiderent illos, ſed torquerent menſes quinque: *figuræ Locuſtarum* ſimiles equis paratis ad bellum; & ſuper capitibus illorum quaſi coronæ ſimiles auro; facies illarum quaſi facies hominum; habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes illarum quaſi dentes leonum erant; habebant thoraces quaſi ferreos; & vox alarum illarum ſicut vox curruum equorum multorum currentium ad bellum; caudas denique habebant ſimiles ſcorpiis, & ſtimuli erant in caudis illarum, ut damno afficerent homines menſes quinque: habent ſuper ſe regem, angelum abyſſi, cui nomen hebraice *Abaddon*; in Græca vero nomen habet Apollyon" Apoc: IX: 3 ad 11, quid per illa omnia ſignificatur, nemo videre poteſt niſi ex ſenſu interno; ex ſingulis ibi ſecundum ſenſum internum perſpectis, conſtat quod per locuſtas ibi ſignificentur ratiocinia ex fallaciis & inde falſis, etiam confirmatis per philoſophica; ita quoque per locuſtas ſignificantur falſa, quæ in extremis apud hominem, & quæ reliquis falſis magis terreſtria & corporea ſunt; per quæ homines facile poſſunt falli & ſeduci, nam homo illa quæ ſenſibus obvia ſunt capit, & ægre illa quæ adverſantur; ut ſciatur quod talia per locuſtas ſignificentur, licet illa, quæ ibi, ſingillatim exponere; *abyſſus*

ex quibus locuſtæ eſt infernum; *gramen terræ* quod damno non afficerent, eſt ſcientificum, *arbor* ſunt cognitiones boni & veri, *homines* ſunt affectiones boni; quod hos damno afficerent, & non gramen terræ & arborem, eſt ut intelligi poſſit verum & bonum, tametſi non ſecundum illa vivitur; qui *habent ſigillum ſuper frontibus* ſunt qui regenerati ſunt; quod *torquerent menſes quinque* illos qui non haberent ſigillum Dei ſuper frontibus, eſt quod vaſtarent; quod *locuſtæ ſimiles equis paratis ad bellum*, ſunt ratiocinia ex falſis, per quæ pugnatur contra Eccleſiæ vera; *ſuper capitibus coronæ ſimiles auro*, & *facies ſicut hominum*, eſt quod ratiocinia appareant veroſimilia & quaſi ex bono; *capilli ſicut mulierum*, & *dentes quaſi dentes leonum*, ſunt externa naturalis ſeu ſenſualia, ſeu ibi fallaciæ, quæ faciunt apparentiam boni; *thoraces ferrei* ſunt externa quæ faciunt apparentiam veri; *vox alarum ſicut curruum equorum multorum currentium ad bellum*, ſunt falſa doctrinalium, ex quibus & pro quibus pugnant; *caudæ ſimiles ſcorpiis*, & *ſtimuli in caudis illorum*, ſunt noxæ quæ talia inferunt; *rex abyſſi* eſt falſum infernale; *abaddon* eſt perditio; *Apollyon* eſt ratiocinatio ex falſis apparens ſicut ex vero, imprimis ſi ab illis, qui ſapientes creduntur, confirmatur per philoſophica perverſe applicata, nam cæca admiratio ſapientiæ in illis inducit fidem. Per Locuſtam in bono ſenſu ſignificatur verum ultimum & communiſſimum, tum amænum ejus; inde Johanni fuerunt *Locuſtæ* alimento, & mel agreſte" Matth: III: 4. Marc: I: 6; quod eſſent illa alimento, erat quia Johannes repræſentabat Verbum, & per ſuum victum, tum quoque per amictum, qui erat ex pilis cameli cum cingulo coriaceo, repræſentabat Verbum in ſenſu externo, amænum enim externum ſignificatur per locuſtam, & mel agreſte, n: 5620, & verum externum per veſtem ex pilis Cameli, & per cingulum coriaceum, n: 3301; inde eſt, quod per Johannem intelligatur Elias, qui venturus & annuntiaturus adventum Domini; quod Elias ſit Verbum, videatur Præfatio ad Cap: XVIII Geneſ: & n: 2762. 5247 fin: quod locuſtæ inter animalcula ſint, quæ comederentur, Levit: XI: 22.

7644. Et obteget ſuperficiem terræ, quod ſignificet ultima mentis naturalis, conſtat ex ſignificatione ſuperficiei, quod ſint externa, ita ultima, & ex ſignificatione terræ, hic terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301.

7645. Et non poterit videre terram, quod ſignificet obſcurationem totius mentis naturalis inde, conſtat ex ſignificatione non poſſe videre, quod ſit obſcuratio, hoc eſt, nulla perceptio veri; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, ut ſupra n: 7644. Quomodo hoc ſe habet, quod ex vaſtatione extremorum in naturali obſcuretur tota mens naturalis, paucis dicendum; interiora apud hominem terminantur in ultimis ſeu extremis ejus, & ibi, quæ ſucceſſiva ſunt apud illum, ſimul ſunt; quando in ultimis non eſt niſi quam falſum & malum, tunc vera & bona, quæ ab interioribus influunt in ultima, ibi influunt in mala & falſa, & inde ibi vertuntur in talia; ideo non apparet niſi quam falſum & malum in toto naturali; hoc intelligitur per obſcurationem totius mentis naturalis, quæ ſignificatur

per

per non poſſe videre terram. Inde quoque eſt, quod ſpiritus infernales, cum devaſtati ſunt, in extremis naturalis ſint, lumen illorum, quod lumen intellectuale vocatur, nec eſt abſimile lumini hujus mundi, quod in altera vita prorſus ſit caligo ad præſentiam lucis cœli. Quia extremum naturalis, quod ſenſuale vocatur, eſt fallaciis & inde falſis, ac voluptatibus & inde malis repletum, n: 6844. 6845, & quia inferna in illo lumine ſunt, idcirco, quando regeneratur homo, a Domino donatur facultate, ut a ſenſuali illo elevari poſſit verſus interiora, videatur n: 6183. 6313. 7442.

7646. Et comedet reſiduum evaſionis relictæ vobis a grandine, quod ſignificet conſumtionem omnium quæ aliquid ex vero habent, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit conſumi; & a ſignificatione reſidui evaſionis relictæ a grandine, quod ſit verum non conſumtum a priori falſo, quod per grandinem ſignificatur, quod grando ſit falſum, videatur n: 7553. 7574; falſa, quæ grando ſignificat, ſunt falſa in exteriori naturali, at falſa, quæ locuſta ſignificat, ſunt falſa in extremis ejus; hæc falſa ſunt, quæ conſumunt vera & bona communiſſima; nam exteriora ſunt quoque communiora, & externa ſunt communiſſima; quando communia deſtructa ſunt, particularia diſſipantur, nam communia ſunt quæ continent, & particularia quæ continentur.

7647. Et comedet omnem arborem germinantem vobis ex agro, quod ſignificet ſic conſumtionem omnium cognitionum quæ illis ab Eccleſia, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit conſumtio, ut nunc ſupra n: 7646; ex ſignificatione arboris, quod ſint perceptiones, tum cognitiones veri & boni, de qua n: 2722 fin: 2972; & ex ſignificatione agri, quod ſit Eccleſia, de qua n: 2971. 3317. 4766. 4440. 7502. 7571.

7648. Et replebuntur domus tuæ, & domus omnium ſervorum tuorum, & domus omnium Ægyptiorum, quod ſignificet quod regnabit falſum in omnibus & ſingulis in naturali ab interiori ejus ad extremum, conſtat ex ſignificatione repleri, quod ſit regnare, de qua ſequitur; & ex ſignificatione domus Pharaonis, domus omnium ſervorum ejus, & domus omnium Ægyptiorum, quod ſint omnia & ſingula in naturali, de qua n: 7353. 7355, hic ab interiori ejus ad extremum, ſecundum illa quæ ſupra n: 7645 explicata ſunt. Quod repleri ſit regnare, eſt quia cum mens hominis repleta eſt falſis ex malis, adeo ut jucundum ei ſit per falſa ſeducere, & mala facere, tunc dicitur quod id regnet apud illum, & ipſa affectio dicitur regnans; univerſaliter regnans dicitur id quod implet totam hominis mentem, hoc eſt, tam ejus cogitationem quam voluntatem; id quod homo præ reliquis amat, & pro fine ultimo habet, hoc tale regnans eſt; & hoc ineſt omnium ſingulariſſimis ejus voluntatis & cogitationis; quodnam ſit quod univerſaliter regnat, ſciri poteſt a jucundo quando ſuccedit, & a dolorifico quando non ſuccedit. Hoc quod univerſaliter regnat apud hominem, facit imaginem ejus ſpiritus, facies ejus eſt prorſus ſecundum illud; ſi regnans eſt malum & falſum, eſt forma ejus Spiritus diabolica; ſi autem regnans eſt bonum & verum, eſt forma angelica; nam ſpiritus in ſe ſpectatus eſt affectio in forma, & affectio

fectio dominans eſt ipſiſſima ejus forma, & reliquæ ejus affectiones inapplicant ſe ei.

7649. Quam non viderunt patres tui, & patres patrum tuorum, a die fuerunt ſuper humo uſque ad diem hunc, quod ſignificet quod tale falſum non fuerit ab antiquo tempore in Eccleſia, quale ibi, conſtat ex ſignificatione quam non viderunt, nempe locuſtam, quod ſit quod tale falſum non fuerit, quod locuſta ſit falſum in extremis, videatur ſupra n: 7643; ex ſignificatione patrum, & patrum patrum, quod ſit ab antiquo tempore; & a ſignificatione humi, quod ſit Eccleſia, de qua n: 566. 1068; a die quo fuerunt ſuper illa uſque ad diem hunc, ſignificat ſtatum in quo Eccleſia ab illo tempore ad hoc; quod dies ſit ſtatus, videatur n: 23. 487. 488. 493. 2788. 3462. 4850. quomodo hoc ſe habet, videatur n: 7686.

7650. Et reſpexit & exivit a cum Pharaone, quod ſignificet privationem apperceptionis & ſeparationem, conſtat ex repræſentatione Moſchis, de quo dicitur quod reſpexit & exivit, quod ſit verum a Divino, & a repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de quibus ſupra n: 7631; ex ſignificatione reſpicere, quod ſit privatio apperceptionis, privatur enim homo apperceptione, cum Verum a Divino reſpicit ſeu avertit ſe, hoc eſt, cum homo avertit ſe ab illo; & a ſignificatione exire, quod ſit ſeparatio, de qua n: 6100. 7404.

7651. Verſ: 7 ad 11. *Et dixerunt ſervi Pharaonis ad illum, quouſque erit hoc nobis ad laqueum, dimitte viros, & ſerviant Jehovæ Deo illorum; an nondum ſcis, quod pereat Ægyptus. Et reductus Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, & dixit ad illos, ite, ſervite Jehovæ Deo veſtro; quis & quis eunt. Et dixit Moſcheh, cum pueris noſtris, & cum ſenibus noſtris ibimus, cum filiis noſtris & cum filiabus noſtris, cum grege noſtro & cum armento noſtro, ibimus, quia feſtum Jehovæ nobis. Et dixit ad illos, erit ſic Jehovah cum vobis, quando dimiſero vos & infantem veſtrum; videte quod malum apud facies veſtras. Non ita, ite quæſo juvenes, & ſervite Jehovæ, quia hoc vos quæritis; & expulit illos ex faciebus Pharaonis.* Et dixerunt ſervi Pharaonis ad illum, ſignificat admonitionem ab illis qui in timore: quouſque erit hoc nobis ad laqueum, ſignificat quod ſic caperentur a malo ſuo: dimitte viros, & ſerviant Jehovæ Deo illorum, ſignificat quod conſultum ſit relinquere illos, ut colant Dominum Deum ſuum, an nondum ſcis, quod pereat Ægyptus, ſignificat quod ex factis ſciri poſſit, quod omnes, qui ſimplices illos laceſſunt, dejiciantur in infernum, unde nulla evaſio: & reductus Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, ſignificat præſentiam Veri Divini inde: & dixit ad illos, ſignificat inclinationem: ite, ſervite Jehovæ Deo veſtro, ſignificat quod relinquentur ut colant Dominum: quis & quis eunt, ſignificat num remanerent aliqui: & dixit Moſcheh, ſignificat reſponſum: cum pueris noſtris & cum ſenibus noſtris ibimus, ſignificat ſimplices & ſapientes: cum filiis noſtris & cum filiabus noſtris, ſignificat qui in affectione veri & in affectione boni: cum grege noſtro & cum armento noſtro ibimus, ſignificat qui in bono interiori & exteriori: quia feſtum Jehovæ nobis, ſignificat cultum Domini omnibus & ſingulis:

gulis: & dixit ad illos, ſignificat ſubſannationem: erit ſic Jehovah cum vobis, quando dimiſero vos & infantem veſtrum, ſignificat ſicut Dominus apud illos foret ſi relinquantur: videte quod malum apud facies veſtras, ſignificat in deſiderio non bonum: non ita, ſignificat negationem: ite quæſo juvenes, & ſervite Jehovæ, ſignificat quod relinquentur qui in veris conformatis, ut colant Dominum: quia hoc vos quæritis, ſignificat quod ſic habeant quod volunt: & expulit illos ex faciebus Pharaonis, ſignificat quod voluntas infeſtantium prorſus contrariaretur Vero Divino.

7652. Et dixerunt ſervi Pharaonis ad illum, quod ſignificet admonitionem ab illis qui in timore, conſtat ex ſignificatione dicere, cum ab illis qui vident ſui interitum ad illos in ſocietate qui ſe obſtinant, quod ſit admonitio; & ex ſignificatione ſervorum Pharaonis, quod ſint qui infeſtant ex inferiori ſorte, ac in timore; quod in timore ſint, patet ab illorum his dictis "Quouſque erit hoc nobis in laqueum, dimitte viros, ut ſerviant Jehovæ Deo illorum, an nondum ſcis quod pereat Ægyptus," quæ verba quod ex timore ſint, liquet; tum etiam ex eo, quod per ſervos Pharaonis intelligantur mali qui infeſtant, & mali non ad bonum ſuadent niſi ex timore, videatur n: 7280.

7653. Quouſque erit hoc nobis in laqueum, quod ſignificet quod ſic caperentur a malo ſuo, conſtat a ſignificatione hoc eſſe in laqueum, quod ſit capi a malo ſuo, & ſic induci in malum pænæ.

7654. Dimitte viros, & ſerviant Jehovæ Deo illorum, quod ſignificet quod conſultum ſit relinquere illos, ut colant Dominum Deum ſuum, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere; & a ſignificatione ſervire Jehovæ, quod ſit colere Dominum Deum ſuum, ut prius n: 7500. 7540. 7641.

7655. An nondum ſcis quod pereat Ægyptus, quod ſignificet quod ex factis ſciri poſſit quod omnes, qui ſimplices illos laceſſunt, dejiciantur in infernum, unde nulla evaſio, conſtat ex ſignificatione an nondum ſcis, quod ſit quod ex factis ſciri poſſit; ex ſignificatione perire, quod ſit dejici in infernum, unde nulla evaſio; hoc in ſenſu ſpirituali per perire ſignificatur, pariter ac per mori ſeu per mortem, quæ quod ſit damnatio & infernum, videatur n: 5407. 6119. 7494; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit infeſtatio, de qua n: 7278, ita quoque qui infeſtant; at quia illi loquuntur non dicitur qui infeſtant, ſed qui laceſſunt, nam mali malum ſuum excuſant & leve faciunt; nec dicitur quod laceſſant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ſed quod ſimplices illos, nam mali illos omnes qui ab Eccleſia ſunt, & vivunt ſecundum vera & bona ejus, ſeu vitam fidei & charitatis, vocant ſimplices.

7656. Et reductus Moſcheh & Aharon ad Pharaonem, quod ſignificet præſentiam Veri Divini inde, conſtat ex ſignificatione reduci, quod ſit ſiſti præſens; & ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Verum Divinum, Moſcheh internum, & Aharon externum, de qua n: 7089. 7382.

7657. Et dixit ad illos, quod ſignificet inclinationem, conſtat ex illis quæ ſequuntur, quod adigente timore dimittere illos vellet; ea voluntas ſeu inclinatio continetur in *dixit ad illos.*

7658. Ite, ſervite Jehovæ Deo veſtro, quod ſignificet quod relinquentur ut colant Dominum, conſtat ex ſignificatione ſervire Jehovæ, quod ſit colere Dominum, ut n: 7500. 7540. 7641. 7654; quod ite ſeu abite, cum dicitur a Pharaone ad Moſchen de filiis Iſraelis, ſit ut relinquantur, patet.

7659. Quis & quis eunt, quod ſignificet num remanerent aliqui, conſtat abſque explicatione.

7660. Et dixit Moſcheh, quod ſignificet reſponſum, patet.

7661. Cum pueris noſtris & cum ſenibus noſtris ibimus, quod ſignificet ſimplices & ſapientes, conſtat ex ſignificatione puerorum, cum adjunguntur ſenibus, quod ſint ſimplices, ſenes enim ſunt ſapientes, n: 3183. 6523. 6890.

7662. Cum filiis noſtris & cum filiabus noſtris, quod ſignificet qui in affectione veri & in affectione boni, conſtat ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera quæ Eccleſiæ, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373, ita affectiones, quia vera abſque affectione non ſunt aliquid; & ex ſignificatione filiarum, quod ſint bona, de qua n: 489. 490. 491, ita affectiones boni, n: 2362. 3963.

7663. Cum grege noſtro & cum armento noſtro ibimus, quod ſignificet qui in bono interiori & exteriori, conſtat ex ſignificatione gregis, quod ſit bonum interius, & armenti, quod ſit bonum exterius, de qua n: 5913. 6048. Per verba in hoc Verſu, quod irent cum pueris & ſenibus, cum filiis & filiabus, ac cum grege & armento, intelligitur in ſenſu interno omne quod eſt Eccleſiæ tam externæ quam internæ; quæ Eccleſiæ externæ ſunt, intelliguntur per pueros, filios, & armentum, & quæ internæ per ſenes, filias, & gregem; nam ſenes ſunt ſapientiæ, filiæ affectiones boni, & grex ipſum bonum, hæc ſunt Eccleſiæ internæ; at pueri ſunt ſimplicitates, filii affectiones veri, & armentum bonum externum, hæc ſunt Eccleſiæ externæ.

7664. Quia feſtum Jehovæ nobis, quod ſignificet cultum Domini omnibus & ſingulis, conſtat ex ſignificatione feſti, quod ſit cultus ex læto animo, de qua n: 7093; quod ſit cultus Domini, eſt quia Jehovah in Verbo eſt Dominus, n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6303. 6905. 6945. 6956; quod cultus ſit omnibus & ſingulis, patet a mox præcedentibus, ubi dicitur quod irent cum pueris & ſenibus, cum filiis & filiabus, ac cum grege & armento.

7665. Et dixit ad illos, quod ſignificet ſubſannationem, conſtat a verbis quæ Pharao dicit "Erit ſic Jehovah cum vobis, quando dimiſero vos & infantem veſtrum," quæ verba ſubſannationis ſunt.

7666. Videte quod malum apud facies veſtras, quod ſignificet in deſiderio non bonum, conſtat ex ſignificatione facierum, quod ſint interiora quoad affec-

tiones & inde cogitationes, de qua n: 358. 1999. 2434. 3527. 3573. 4066. 4796. 4797. 5102. 5165. 5168. 5695. 6604; & quia facies ſunt affectiones, etiam ſunt deſideria; inde eſt, quod malum apud facies veſtras, quod ſignificet in affectionibus ſeu in deſiderio non bonum.

7667. Non ita, quod ſignificet negationem, conſtat abſque explicatione.

7668. Ite quæſo juvenes & ſervite Jehovæ, quod ſignificet quod relinquentur qui in veris confirmatis, ut colant Dominum, conſtat ex ſignificatione ite, quod ſit quod relinquentur, ut ſupra n: 7658; ex ſignificatione juvenum, quod ſint vera confirmata, de qua ſequitur; & ex ſignificatione ſervire Jehovæ, quod ſit colere Dominum, ut ſupra n: 7654. 7664. Quod juvenes ſint qui in veris confirmatis, eſt quia per filios, pueros, juvenes, viros & ſenes, ſignificantur illa quæ intelligentiæ & ſapientiæ ſunt in ſuo ordine; talia loco illorum in cœlo intelliguntur; ſunt enim illi qui in cœlo in ideis ſpiritualibus, in quas intrare non poteſt quod meræ naturæ & mundi eſt, quin illico exuatur, & tranſeat in tale quod ſapientiæ cœli & cogitationi angelicæ conforme eſt; inde eſt, quod per filios, pueros, juvenes, viros, ſenes, in ſenſu ſpirituali non poſſint illi ſignificari, ſed quod correſpondentia ſpiritualia, quæ ſunt illa quæ ſunt intelligentiæ & ſapientiæ; quod ea ſignificentur, patet manifeſte ex ſenſu interno in Verbo ubi nominantur: per Juvenes in Verbo intelliguntur illi qui Intelligentes ſunt, ſeu ſecundum ideas abſtractas Angelicas, Intelligentia; & quia intelligentia; per illos intelligitur etiam Verum confirmatum, nam hoc intelligentiæ eſt: vox quoque, per quam juvenes hic in Lingua originali exprimitur, derivatur a robore & potentia, quæ Vero eſt ex bono, ita Vero confirmato: inde nomen hoc tribuitur Domino, apud Sachariam "Gladie ſurge contra Paſtorem meum, & contra *Virum* (Juvenem) proximum meum; percute Paſtorem, & diſpergantur Oves" XIII: 7; quod hæc de Domino dicta ſint, videatur Matth: XXVI: 31: & quoque apud Jeremiam "Quouſque circumvagaris filia averſa, creavit Jehovah novum in terra, fæmina circumdedit *Virum* (Juvenem)" XXXI: 22. Juvenes alia voce in Linga originali pro intelligentia, ita pro vero ejus, apud Amos "Miſi in vos peſtem in via Ægypti, *occidi gladio juvenes veſtros*, cum captivitate equorum" IV: 10, via Ægypti pro ſcientifico perverſo; juvenes qui occiſi, pro veris inde deſtructis; captivitas equorum pro ſeducto intellectuali. Apud Eundem "Vagabuntur a mari ad mare, & a ſeptentrione, uſque ad orientem, diſcurſitabunt ad quærendum verbum Jehovæ, nec invenient; in die illo deficient virgines pulchræ, & *juvenes*, ſiti" VIII: 12. 13, virgines pulchræ pro affectione veri, juvenes pro intelligentia, deficere ſiti pro privari vero; ideo dicitur, diſcurſitabunt ad quærendum verbum Jehovæ, nec invenient; quod ibi non virgines pulchræ, nec juvenes, nec deficientia ex ſiti intelligantur, patet. Apud Jeremiam "Aſcendit mors per feneſtras noſtras, venit in palatia noſtra, ad exſcindendum infantem e platea, *Juvenes e vicis*" IX: 20: apud Eundem "Quomodo non relicta eſt urbs gloriæ, urbs

gaudii

gaudii mei, *quare cadent juvenes ejus in plateis ejus*" XLIX: 26. Cap: L: 30: apud Eundem "Audite quæſo omnes populi, videte dolorem meum, virgines meæ, & *Juvenes mei* iverunt in captivitatem" Thren: I: 18; in his locis Juvenes pro veris quæ intelligentiæ.

7669. Quia hoc quæritis, quod ſignificet quod ſic habeant quod volunt, conſtat abſque explicatione.

7670. Et expulit illos ex faciebus Pharaonis, quod ſignificet quod voluntas infeſtantium prorſus contrariaretur Vero Divino, conſtat ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, qui expulſi, quod ſint verum Divinum, de qua ſupra n: 7637; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de qua etiam ſupra n: 7631; ex ſignificatione facierum, quod ſint interiora quoad affectiones, de qua n: 7666, ita voluntas, nam affectiones ſunt voluntatis, cogitationes autem intellectus; quod voluntas contrariaretur, ſignificatur per quod expulit e faciebus, nam id expellitur quod contra voluntatem eſt, ſeu quod contra affectiones quæ voluntatis.

7671. Verſ: 12. 13. 14. 15. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, extende manum tuam ſuper terram Ægypti ob locuſtam, & aſcendet ſuper terram Ægypti, & comedet omnem herbam terræ, omne quod reliquit grando. Et extendit Moſcheh baculum ſuum ſuper terram Ægypti; & Jehovah adduxit ventum orientalem in terram, toto die illo & tota nocte, mane factum, & ventus orientalis attulit locuſtam. Et aſcendit locuſta ſuper omnem terram Ægypti, & quievit in omni termino Ægypti, gravis valde; ante illam non fuit ita locuſta ſicut illa, & poſt illam non erit ita. Et obtexit ſuperficiem totius terræ, & obtenebrata terra; & comedit omnem herbam terræ, & omnem fructum arboris, quem reſiduum fecit grando; & non reſiduum fuit ullum viride in arbore & in herba agri in tota terra Ægypti.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem: extende manum tuam, ſignificat dominium potentiæ: ſuper terram Ægypti ob locuſtam, ſignificat ut falſum occupet infeſtantium omne naturale: & aſcendet ſuper terram Ægypti, ſignificat infuſionem in omnia ibi: & comedet omnem herbam terræ, ſignificat conſumtionem omnis veri: omne quod reliquit grando, ſignificat quod prius falſum non conſumſit: & extendit Moſcheh baculum ſuum ſuper terram Ægypti, ſignificat dominium potentiæ Veri Divini ſuper infeſtantium totum naturale: & Jehovah adduxit ventum orientalem, ſignificat deſtructionis medium: toto die illo & tota nocte illa, ſignificat in omne perceptionis tam obſcuræ quam non obſcuræ apud infeſtantes: mane factum, ſignificat ſtatum cœli in ordine: & ventus orientalis attulit locuſtam, ſignificat falſum denſum apud infeſtantes per medium deſtructionis: & aſcendit locuſta ſuper omnem terram Ægypti, ſignificat falſi effuſionem in omnia naturalis: & quievit in omni termino Ægypti, ſignificat ab extremis ibi: gravis valde, ſignificat quod pervaderet omnia & ſingula: ante illam non fuit ita locuſta, & poſt illam non ita erit, ſignificat quod tale falſum non fuerit a primo Eccleſiæ, & quod non tale erit: & obtexit ſuperficiem totius terræ, ſignificat quod occuparet ultima mentis naturalis: & obtenebrata terra, ſignificat quod induceretur falſum ubi verum:

&

& comedit omnem herbam terræ, ſignificat quod conſumeret omne ſcientificum veri: & omnem fructum arboris, ſignificat omne cognitivum boni: & non reſiduum fecit ullum viride, ſignificat quod obliteraretur omne ſenſitivum veri: in arbore & in herba agri, ſignificat ex cognitivo & ſcientifico Eccleſiæ: in tota terra Ægypti, ſignificat undequaque in naturali.

7672. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet inſtructionem, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah ad Moſchen, per quem repræſentatur Verum Divinum, quid faciendum, quod ſit inſtructio, de qua n: 6879. 6881. 6889. 6891. 7186. 7267. 7304. 7380.

7673. Extende manum tuam, quod ſignificet dominium potentiæ, conſtat ex ſignificatione extendere, quod prædicetur de dominio, de qua ſequitur; & ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544. 6292. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. Quod extendere manum ſit dominium potentiæ, eſt quia potentia manui ſeu brachio eſt cum extenditur; idcirco cum dicitur de Jehovah, quod extendat manum ſeu brachium, ſignificatur potentia illimitata ſeu infinita actu. Inde eſt, quod Jehovah toties dixerit ad Moſchen, cum miracula fierent, quod extenderet manum aut baculum, ſicut Cap: VII: Verſ: 19, *Extende manum tuam* ſuper aquas Ægypti, & erunt ſanguis. Cap: VIII: 1, 2, *Extende manum tuam* ſuper flumina, & fac aſcendere ranas. Cap: VIII: 11. 12, *Extende baculum tuum*, & percute pulverem terræ, & erit in pediculos. Cap: IX: 22. 23, *Extende manum tuam* verſus cœlum, & erit grando: " ita nequaquaquam dictum fuiſſet, niſi per extenſionem manus in ſupremo ſenſu ſignificaretur omnipotentia Jehovæ: Similiter per quod dictum Joſchuæ, quod extenderet lanceam, de qua ita apud illum " Dixit Jehovah ad Joſchuam, *extende lanceam quæ in manu tua*, verſus Ajam; cum ergo *extenderet Joſchua lanceam quæ in manu illius* verſus Ajam, inſidiæ ſurrexerunt ocius e loco ſuo, & cucurrerunt, *cum primum extenderet manum ſuam*, & venerunt ad urbem, & ceperunt illam: Joſchua *non retraxit manum ſuam quam extendit cum lancea*, uſque dum devotioni dati omnes habitatores Ajæ" VIII: 18. 19. 26; quia hoc fuit repræſentativum omnipotentiæ Divinæ, etiam vim habuit, prout omnia repræſentativa, cum mandata, illo tempore. Pluribus quoque in locis deſcribitur Omnipotentia per quod Jehovah extendat manum, tum per manum Ipſius extenſam, & per brachium Ipſius extenſum, *per quod Jehovah extendat manum*, apud Eſaiam " Accenſa eſt ira contra populum ſuum, & *extendit manum ſuam ſuper illum*, & percuſſit illum, & commoti ſunt montes" V: 25. Apud Ezechielem " *Extendam manum meam contra illum*, & perdam illum" XIV: 9. 13. Apud Eundem " *Extendam manum meam* contra te, & dabo te in prædam gentibus" XXV: 7. *Extendam manum meam* ſuper Edomum, & exſcindam ex illa hominem & beſtiam. *Extendam manum meam* ſuper Philiſthæos " & exſcindam" ibid: Verſ: 13. 16; pariter Ezech: XXXV: 3. Eſai: XXXI: 3. Zeph: I: 4. Cap: II: 13. Deſcribitur omnipotentia per *Manum extenſam* apud Eſaiam " *Manus Jehovæ extenſa* ſuper omnes gentes, quis reprimet illam" XIV: 27. 28.

28. Apud Jeremiam "Pugnabo vobiscum *per manum extenſam*, & per brachium forte, & in ira & in furore" xxxi: 5. Apud Eundem "Adhuc *manus Ipſius extenſa eſt*" ix: 11. 16. Cap: x: 4. Tum per *Brachium extenſum*, apud Jeremiam "Ego feci terram, hominem, & beſtiam, per virtutem meam magnam, & *per brachium meum extenſum*" xxvii: 5. Apud Eundem "Tu feciſti cœlum & terram per virtutem tuam magnam, & *brachium tuum extenſum*, non impoſſibile eſt præ Te ullum Verbum" xxxii: 17, quod hic per brachium extenſum ſignificetur Omnipotentia, patet; ſimiliter pluribus aliis in locis, ubi dicitur per manum fortem & brachium extenſum, ut Deut: iv: 34. Cap: v: 15. Cap: vii: 29. Cap: ix: 19. Cap: xi: 2. Cap: xxvi: 8. 1 Reg: viii: 42. ii Reg: xvii: 36. Jerem: xxxii: 21. Ezech: xx: 33. 34. Dicitur etiam de Jehovah, quod extendat cœlos, & tunc quoque per extendere ſignificatur omnipotentia, quod nempe limites cœli amplificet, & impleat illos qui ibi vita & ſapientia; ut apud Eſaiam "Jehovah, *qui extendit ſicut tenue cœlos*, & expandit illos ſicut tentorium ad habitandum" xl: 22. Apud Eundem "*Jehovah extendens cœlos*, expandens terram, dans animam populo ſuper illa, & ſpiritum ambulantibus in illa" xlii: 5. Apud Jeremiam "Qui facit terram virtute ſua, parat orbem ſapientia ſua, & intelligentia ſua *extendit cœlos*" li: 15. Apud Sachariam "*Jehovah extendens cœlos*, & fundans terram, & formans ſpiritum hominis in medio ejus" xii: 1, præter alibi, ut Eſai: xliv: 24. Cap: xlv: 12. Pſalm: civ: 2. Ex his nunc conſtare poteſt, cur Moſchi mandatum, ut extenderet manum & baculum, & quod tunc miracula facta ſint; quodque ſic per extendere manum ſignificetur dominium potentiæ, & in ſupremo ſenſu omnipotentia.

7674. Super terram Ægypti ob locuſtam, quod ſignificet ut falſum occupet infeſtantium omne naturale, conſtat a ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301; & quod Ægyptus ſit naturale, n: 6147. 6252; & ex ſignificatione locuſtæ, quod ſit falſum in extremis apud infeſtantes, de qua n: 7643.

7675. Et aſcendet ſuper terram Ægypti, quod ſignificet effuſionem in omnia ibi, conſtat ex ſignificatione aſcendere, quod ſit effundi; locuſta enim ſignificat falſum in extremis, & ab extremis verſus interiora, dicitur aſcendere, nam interiora ſunt idem ac ſuperiora; quod interiora occupentur falſo cum exteriora, videatur n: 7645; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua mox ſupra, n: 7674.

7676. Et comedet omnem herbam terræ, quod ſignificet conſumtionem totalem omnis veri, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit conſumere; & ex ſignificatione herbæ terræ, quod ſit verum Eccleſiæ, de qua n: 7571.

7677. Omne quod reliquit grando, quod ſignificet quod prius falſum non conſumſit, conſtat ex ſignificatione reliquit, quod ſit quod non conſumſit, & ex ſignificatione grandinis, quod ſit falſum ex malo in exteriori naturali, de qua n: 7553. 7574.

7678. Et extendit Moſcheh baculum ſuum ſuper terram Ægypti, quod ſignificet dominium potentiæ Veri Divini ſuper infeſtantium totum naturale, conſtat ex ſignificatione extendere baculum, quod ſit dominium potentiæ, de qua ſupra n: 7673; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum, de qua n: 6752. 7014. 7010. 7382; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit naturale quod infeſtantium, de qua ſupra n: 7674. Potentia Divina, quæ deſcribitur per manum Moſchis, eſt potentia Veri Divini; quod omnis potentia ſit Veri, videatur n: 3091. 5623. 6344. 6413. 6948; imo talis potentia eſt Divino Vero quod procedit ex Divino Bono, ut per illud creata ſint omnia quæ in Univerſo, Verbum ſignificat id Verum apud Johannem "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per Ipſum facta ſunt" I: 1, 3; inde eſt quod per Moſchen miracula facta ſint, nam Moſcheh repræſentat Divinum Verum. Creditur a pleriſque, quod Verbum ſeu Divinum Verum, ſit modo loquela a Jehovah ac mandatum quod ita fiat, ac non amplius aliquid, ſed eſt ipſum Eſſentiale ex quo & per quod omnia; id Eſſe quod procedit ab Ipſo, & inde Exiſtere omnium, eſt quod intelligitur per Divinum Verum: hoc illuſtrari poteſt ab angelis, ab illis procedit ſphæra charitatis & fidei, quæ ſenſibiliter percipitur, quæ etiam producit mirabiles effectus; ex his aliqua idea formari poteſt de Divino Vero quod procedit a Divino Bono Domini.

7679. Et Jehovah adduxit ventum orientalem, quod ſignificet deſtructionis medium, conſtat ex ſignificatione venti orientalis, quod ſit medium deſtructionis; quod ventus orientalis id ſignificet eſt quia ſiccus erat, & tempeſtuoſus, & quia inde exſiccabat producta terræ illius, & per vim ſuam confregit arbores, & in mari naves; inde per illum ut per medium deſcribitur potentiæ Divinæ effectus: præterea per Orientem ſignificatur bonum amoris & charitatis, quia in ſupremo ſenſu Dominus, n: 101. 1250. 3708; & bonum amoris ac charitatis in ſua origine, quia Divinum, eſt clementiſſimum, inde etiam in ſuo proceſſu in cœlum; at cum delabitur ad inferna, fit inclemens ac immite, quia ab illis ibi vertitur in tale; ideo boni illius Divini influxus & præſentia ibi non modo cruciat illos, ſed etiam devaſtat; ex his etiam eſt, quod per ventum ab Oriente, ſeu Orientalem, ſignificetur medium deſtructionis. Quod per Ventum illum ſignificetur medium deſtructionis, patet a locis ubi in Verbo memoratur, ut apud Jeremiam "Sicut *Ventus Orientalis diſpergam illos* coram hoſte" XVIII: 17. Apud Ezechielem "Vitis plantata non proſperabitur; *nonne cum attigerit illam ventus orientalis, exareſcendo exareſcet*" XVII: 10. Apud Eundem "Vitis illa evulſa eſt in ira, in terram projecta, *Ventus orientalis arefecit fructum ejus*" XIX: 12. Apud Hoſcheam "Ille inter fratres ferox, Veniet *Eurus*, *Ventus Jehovæ*, a deſerto aſcendens, & *exareſcet* ſcaturigo ejus, & *exſiccabitur* fons ejus" XIII: 15. Apud Davidem "*Per ventum Orientalem confringes naves Tharſchiſchi*" Pſalm: XLVIII: 8. Apud Ezechielem "In aquas multas deduxerunt te, contemnentes te, *ventus orientalis fregit te in corde marium*" XXVII: 26; ex his patet, quod ventus orientalis medium deſtructionis ſignificet, ex

cauſa

cauſa quia ſiccus erat, ac tempeſtuoſus; inde quoque ſignificat medium devaſtationis, ut apud Hoſcheam "Ephraim paſcens ventum, & *perſequitur aurum*, omni die mendacium & vaſtationem multiplicat" XII: 2, Ephraim pro intellectuali Eccleſiæ, n: 5354. 6222. 6238; paſcere ventum eſt multiplicare mendacium, & perſequi aurum eſt multiplicare vaſtationem: ſtatus vaſtationis ac tentationis etiam vocatur *dies auri* apud Eſaiam, Cap: XXVII: 7. 8.

7680. Toto die illo, & tota nocte illa, quod ſignificet omne perceptionis tam obſcuræ quam non obſcuræ apud infeſtantes, nempe quod deſtructum, conſtat ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus perceptionis non obſcuræ; & ex ſignificatione noctis, quod ſit ſtatus perceptionis obſcuræ; nam tempora diei, ut mane, meridies, veſpera, & nox, correſpondent illuſtrationibus, quæ ſunt intelligentiæ & ſapientiæ, n: 5672. 6110, ita perceptionibus; in genere dies & nox: perceptiones dicuntur, non illuſtrationes, quia malis qui infeſtant, non eſt illuſtratio, ſed uſque eſt perceptio; ſed tamdiu illis eſt perceptio, quamdiu apud illos aliquid cognitionis veri & boni ab Eccleſia, in qua vixerant, remanet, nam per verum & bonum communicant cum illis qui in cœlo; at cum deprivati ſunt cognitionibus illis, quod fit quando devaſtati ſunt, tunc non amplius illis eſt aliqua perceptio: poſſunt quidem infernales confirmare ſua mala & quoque ſua falſa; ſed hoc non eſt perceptio; perceptio eſt videre quod verum ſit verum, & bonum bonum, tum quod malum ſit malum & falſum falſum, ſed non perceptio eſt videre verum ut falſum, ac bonum ut malum, tum viciſſim, malum ut bonum, & falſum ut verum; illis, qui hoc faciunt, loco perceptionis eſt phantaſia, quæ facit apparentiam perceptionis, per quod tales ſciant confirmare falſa & mala per talia, quæ ſenſibus obvia ſunt, & concupiſcentiis favent.

7681. Mane factum, quod ſignificet ſtatum cœli in ordine, conſtat a ſignificatione mane, quod ſit regnum Domini, & in ſupremo ſenſu Ipſe Dominus, de qua n: 22. 2333. 2405. 2540. 2780; & quod ſit ſtatus illuſtrationis, n: 3458. 3723. 5740. 5962, hic autem per mane ſignificatur cœlum in ordine: quomodo hoc ſe habet, conſtare poteſt ab illis quæ n: 7643 dicta ſunt, quod nempe mali devaſtentur, ſicut Dominus ordinat cœlum; influxus enim boni & veri e cœlo facit devaſtationem apud malos, quare cum Dominus ordinat cœlos, tunc inferna, quæ in oppoſito ſunt, a ſe ordinantur, ac removentur a cœlo ſecundum gradus mali, & ſortiuntur loca ſecundum quale mali; inde conſtare poteſt, quod a Domino non procedat niſi bonum, & quod malum ſit ab illis qui contra bonum ſunt, & demum id non ſuſtinent. Ex his patet, quod per mane factum hic ſignificetur ſtatus cœli in ordine.

7682. Et ventus orientalis attulit locuſtam, quod ſignificet falſum denſum apud infeſtantes per medium deſtructionis, conſtat ex ſignificatione venti orientalis, quod ſit medium deſtructionis, de qua mox ſupra 7679; & ex ſignificatione locuſtæ, quod ſit falſum in extremis, de qua n: 7643, hic falſum denſum, quia totum naturale ab illo occupatum, n: 7645.

7683. Et aſcendit locuſta ſuper omnem terram Ægypti, quod ſignificet falſi effuſionem in omnia naturalis, conſtat ex illis ſupra n: 7674. 7675, ubi ſimilia.

7684. Et quievit in omni termino Ægypti, quod ſignificet ab extremis ibi, conſtat ex ſignificatione termini, quod ſit extremum, quare per quievit in omni termino ſignificatur quod falſum pervaderet ab extremis in omnia naturalis, & dein terminaretur in extremis, ſecundum illa quæ n: 7645, oſtenſa ſunt.

7685. Gravis valde, quod ſignificet quod pervaderet omnia & ſingula, conſtat ex illis quæ hic ſupra n: 7684, explicata ſunt.

7686. Ante illam non fuit locuſta ſicut illa, & poſt illam non ita erit, quod ſignificet quod tale falſum non fuerit a primo tempore Eccleſiæ, & quod non tale erit, conſtat ex ſignificatione locuſtæ, quod ſit falſum in extremis, de qua n: 7643: quod tale falſum non fuerit, nec erit, videatur etiam ſupra n: 7649. Quomodo hoc ſe habet, dicendum; in interno ſenſu agitur in ſpecie de illis, qui ante adventum Domini in terra inferiore fuerunt, & non potuerunt in cœlum elevari, priuſquam Dominus in mundum venit, & aſſumſit Humanum, ac illud Divinum fecit, videatur n: 6854. 6914; illi interea a malis, qui etiam fuerunt ab Eccleſia, ac vera fidei confeſſi, ſed vitam mali vixerunt, infeſtabantur: illi qui ante adventum Domini ab Eccleſia fuerunt, & mali quoad vitam, in tali falſo fuerunt, quale non fuerat ante, nec erit poſtea: cauſa erat, quia illi qui Nephilim, tum Enakim & Rephaim, dicti ſunt, & fuerunt ab extrema poſteritate Antiquiſſimæ Eccleſiæ, nondum incluſi fuerunt Inferno, ſed pervagati circum, ac infuderunt, ubicunque potuerunt, perſuaſiones diras & mortiferas; ita quoque malis in Eccleſia; inde illis tale falſum; de Nephilim illis, & diris illorum perſuaſionibus, videatur n: 310. 560. 562. 563. 570. 581. 586. 607 f. 660. 805. 808. 1034. 1120. 1265 ad 1272. 1673: hi a Domino, cum fuit in mundo, conjecti ſunt in infernum, quod eſt a ſiniſtro antrorſum ad aliquam diſtantiam: hoc niſi factum fuiſſet, pauciſſimi potuiſſent ſalvari, nam falſum quod illi infuderunt erat cum perſuaſivo diro, ac lethale, quale nuſquam fuerat, & quale nuſquam eſſe poteſt: hoc falſo imbuti fuerunt illi, qui ante adventum Domini infeſtarunt illos qui ab Eccleſia ſpirituali: hæc ſunt, quæ in ſenſu interno per illa verba intelliguntur: de illis in ſpecie agitur, in genere autem de omnibus qui ab Eccleſia, & infeſtant probos in altera vita, quorum perplures hodie ſunt.

7687. Et obtexit ſuperficiem terræ, quod ſignificet ultima mentis naturalis, conſtat ex ſignificatione ſuperficiei, quod ſit ultimum, nam eſt maxime externum ſeu extremum terræ; & ex ſignificatione terræ, hic terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua ſupra n: 7674.

7688. Et obtenebrata terra, quod ſignificet quod induceretur falſum ubi verum conſtat ex ſignificatione tenebrarum, quod ſint falſa, de qua n: 1839. 1860. 4418. 4531, ita obtenebrari, eſt in falſo eſſe; & quia agitur de devaſtatione illorum, qui fuerunt ab Eccleſia, & noverunt vera, ſed vixerunt vitam mali, per obtenebrata terra, ſignificatur falſum ubi verum: verum in

ſenſu

ſenſu interno ſignificatur per lucem, inde falſum per tenebras; ſunt enim verum & falſum oppoſita, ſicut lux & tenebræ; & actualiter eſt lux illis qui in vero, & ſunt tenebræ illis qui in falſo; lumen in quo ſunt qui in falſo in altera vita, fit caligo ad præſentiam lucis cœli, & major caligo apud illos qui ab Eccleſia fuerunt, quia illis falſum fuit contra verum fidei; ſecundum Domini verba apud Matthæum "*Si lumen quod in te eſt, tenebræ eſt, tenebræ quantæ*" VI: 23: & apud Eundem "Filii regni ejicientur *in tenebras exteriores*" VIII: 12, filii regni ſunt qui ab Eccleſia; tenebræ exteriores ſunt falſa graviora; exteriores dicuntur, quia falſa in extremis, ſunt graviora. Quod falſa vocentur tenebræ, conſtat a pluribus locis in Verbo, ut apud Johannem "Lux venit in mundum, *ſed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, erant enim opera illorum mala" III: 19. Apud Eundem "Ambulate quouſque lucem habetis, *ne tenebræ vos apprehendant*: Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, *in tenebris non maneat*" XII: 35. 46. Apud Eſaiam "Væ dicentibus de malo bonum, & de bono malum, *ponentibus tenebras in lucem*, & *lucem in tenebras*" V: 20. Apud Jeremiam "Date Jehovæ Deo veſtro gloriam, antequam *tenebras inducat*, & antequam offendant pedes *ad montes crepuſculi*, tunc exſpectabitis lucem; ſed ponet illam *in umbram mortis*, ponet in caliginem" XIII: 16. Apud Ezechielem "Obtegam *cum exſtinxero* te cœlos, & *atrabo* ſtellas eorum, ſolem *nube obtegam*, & luna *non lucere faciet lumen ſuum*; omnia luminaria lucis *atrabo* ſuper te, *& dabo tenebras* ſuper terra tua" XXXII: 7. 8. Apud Joelem "Venit dies Jehovæ, propinquus eſt, *dies tenebrarum & caliginis*, dies *nubis* & *obſcuritatis*" II: 2. Amos V: 18. 20. Apud Zephaniam "Dies exſcandeſcentiæ dies hic; dies vaſtitatis & devaſtationis, *dies tenebrarum* & *caliginis*" I: 15; in his locis tenebræ ſignificant falſa: etiam in Verbo tenebræ ſignificant ignorantiam veri, in quali ſunt Gentes, quæ Verbum non habent, & de Domino nihil ſciunt.

7689. Et comedet omnem herbam terræ, quod ſignificet quod conſumeret omne ſcientificum veri, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit conſumere; & ex ſignificatione herbæ terræ, quod ſit ſcientificum veri, nam per herbam agri ſignificatur verum Eccleſiæ, n: 7571, quia ager eſt Eccleſia; per herbam autem terræ ſignificatur ſcientificum veri, quia terra hic eſt mens naturalis, & verum mentis naturalis eſt ſcientificum; & præterea malis non eſt aliquod verum fide, ſed eſt modo ſcientia veri quod fidei: perſuadent ſibi quidam mali, qui in Eccleſia, quod ſint in vero fide, ſed non ſunt; in falſo ſunt, & contra verum fidei, quod in falſo ſint, hoc apud illos reconditum eſt, quamdiu in mundo ſunt, ſed falſum id reconditum prodit & ſe manifeſtat in altera vita, quando devaſtantur quoad vera fidei, quæ ſciverant.

7690. Et omnem fructum arboris, quod ſignificet omne cognitivum boni, conſtat ex ſignificatione fructus, quod ſint opera fidei ſeu charitatis, ita bona; unde fructificare prædicatur de bono, n: 43. 45. 913. 983. 2846. 2847; & ex ſignificatione arboris, quod ſint perceptiones, tum cognitiones, de qua n: 103. 2163. 2722. 2972. Quod fructus ſint opera charitatis, ita bona, eſt quia primum arboris eſt fructus in quo ſemen, & ultimum ejus eſt fructus in

 quo

quo ſemen, ac intermedia ejus ſunt rami ſeu folia; ſimiliter ac bonum amoris & verum fidei; bonum amoris eſt primum cum homo regeneratur ſeu plantatur, & eſt quoque ultimum, intermedia ſunt vera fidei, quæ ex bono amoris ut ex ſuo ſemine, & continue ſpectant bonum amoris ut ſuum ultimum, ſicut intermedia arboris ſuum fructum in quo ſemen. Quod fructus ſignificent bona, patet a pluribus locis in Verbo, ut apud Matth: Cap: III: 8. 9. Cap: VII: 16 ad 20. Cap: XII: 33. Cap: XXI: 43. Luc: III: 8. 9. Cap: VI: 43 ad 49. Cap: XIII: 6 ad 10. Johan: XV: 2 ad 8. 16. Eſai: XXXVII: 31. Jerem: XVII: 18. Cap: XXXII: 19. Apoc: XXII: 2.

7691. Et non reſiduum fecit ullum viride, quod ſignificet quod obliteraretur omne ſenſitivum veri, conſtat ex ſignificatione non reſiduum facere, quod ſit obliterare; & ex ſignificatione viridis, quod ſit ſcientificum & ſenſuale, hic ſenſitivum veri, quia per fructum arboris ſignificatur cognitivum boni, n: 7690, & quia dicitur omne viride in arbore & in herba agri: quod viride ſit ſenſitivum veri, eſt, quia per herbam, gramen, folium arboris, ſignificantur vera, inde, viride illorum eſt ſenſitivum veri. Per ſenſitivum ſignificatur ultimum perceptionis: ſenſitivum veri etiam per viride, ſignificatur apud Eſaiam "Aquæ Nimrim deſolationes erunt, eo quod exaruit gramen, conſumta eſt herba, *viride non eſt*" XV: 6: & apud Johannem "Quintus Angelus clanxit, & exiverunt locuſtæ; dictum illis eſt, ut damno non afficerent gramen terræ, *nec ullum viride*" Apoc: IX: 4.

7692. In arbore & in herba agri, quod ſignificet ex cognitivo & ſcientifico Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione arboris, quod ſit cognitivum veri, de qua mox ſupra n: 2690; & ex ſignificatione herbæ agri, quod ſit ſcientificum veri, de qua etiam ſupra n: 7689.

7693. In tota terra Ægypti, quod ſignificet undequaque in naturali, conſtat ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, ita naturale, de qua n: 7674. Quia per locuſtam, de qua hic actum eſt, ſignificatur falſum in extremis, hoc eſt, in ſenſuali hominis, dicendum hic eſt quid ſenſuale, ut inde ſciatur quid falſum in extremis; Senſualis homo, ſeu qui ex ſenſuali cogitat & agit, eſt qui non credit, niſi quod ſenſibus externis obvium eſt, & qui ducitur ſolum per appetitus corporeos, voluptates, & concupiſcentias, nec per rationes, rationes credit eſſe quæ talibus favent; quia homo ſenſualis talis eſt; ideo rejicit omne internum, uſque tandem ut id ne quidem nominari velit; inde negat corde quicquid cœli eſt; vitam poſt mortem plane non credit, quia vitam ſolum in corpore ponit; quare etiam ſe moriturum putat ſimiliter ac beſtia: cogitat ille quaſi in ſuperficie, hoc eſt, in ultimis ſeu extremis, & prorſus non ſcit quod cogitatio interior detur ſecundum perceptionem veri & boni: quod id non ſciat, & ne quidem quod internus homo detur, eſt quia interiora ejus ſpectant deorſum ad illa quæ mundi, corporis & telluris ſunt, cum quibus unum agunt, inde amota ſunt a ſpectare ſurſum ſeu ad cœlum, nam in verſu contrario ſunt. Spectare ſurſum, ſeu ad cœlum, non eſt cogitare de illis quæ cœli ſunt, ſed pro fine habere illa, hoc eſt, amare illa ſupra reliqua, quo enim ſe vertit amor, eo ſe vertunt interiora hominis; inde quoque cogitatio. Ex his conſtare poteſt, quale eſt ſenſuale

hominis;

hominis, ſeu naturale in extremis, nam homo ſenſualis dicitur qui ex ſenſuali cogitat.

7694. Verſ: 16 ad 20. *Et feſtinavit Pharao ad vocandum Moſchen & Aharonem, & dixit, peccavi Jehovæ Deo veſtro, & vobis. Et nunc remitte quæſo peccatum meum tantum hac vice, & ſupplicate Jehovæ Deo veſtro, & removeat de ſuper me tantum mortem hanc. Et exivit a cum Pharaone, & ſupplicavit ad Jehovam. Et convertit Jehovah ventum maris validum valde, & ſuſtulit locuſtam, & conjecit illam mare Suph, non relicta locuſta una in omni termino Ægypti. Et obſirmavit Jehovah cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſraelis.* Et feſtinavit Pharao ad vocandum Moſchen & Aharonem, ſignificat timorem tunc pro Vero a Divino: & dixit, peccavi Jehovæ Deo veſtro, & vobis, ſignificat confeſſionem quod non obediverint Divino ac Vero: & nunc remitte quæſo peccatum meum tantum hac vice, ſignificat ne reſpiciant ad inobedientiam: & ſupplicate Jehovæ Deo veſtro, ſignificat interceſſionem: & removeat deſuper me tantum mortem hanc, ſignificat ut falſum hoc non cruciet: & convertit Jehovah ventum maris validum valde, ſignificat ceſſationem influxus Divini per cœlum: & ſuſtulit locuſtam, ſignificat ſtatus illius finem: & conjecit illam in mare Suph, ſignificat in infernum: non relicta locuſta una in omni termino Ægypti, ſignificat quod falſa illa in extremis non magis apparerent: & obſirmavit Jehovah cor Pharaonis, ſignificat quod infeſtantes ſe obſtinarent: & non dimiſit filios Iſraelis, ſignificat ut non relinquerent illos ab Eccleſia ſpirituali.

7695. Et feſtinavit Pharao ad vocandum Moſchen & Aharonem, quod ſignificet timorem tunc pro Vero a Divino, conſtat ex ſignificatione feſtinare, quod ſit ex timore, omnis enim feſtinatio exiſtit ab affectione aliqua excitata, hic ex affectione timoris, ut patet a Pharaonis verbis "Peccavi Jehovæ Deo veſtro & vobis; ſupplicate ut removeat a me tantum mortem hanc;" ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtant, de qua ſæpius; & ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Verum a Divino, Moſcheh internum & Aharon externum, de qua n: 7089. 7382.

7696. Et dixit, peccavi Jehovæ Deo veſtro & vobis, quod ſignificet confeſſionem quod non obediverit Divino ac Vero, conſtat ex ſignificatione peccare, quod ſit facere contra ordinem Divinum, de qua n: 5076, ſeque ab eo, ita a bono & vero avertere & ſeparare, n: 5229. 5474. 5841. 7589, inde etiam eſt non obedire Divino ac Vero, nam qui non obedit, is ſe avertit; Divinum eſt quod intelligitur per Jehovam Deum veſtrum, ac Verum per Moſchen & Aharonem, n: 7695.

7697. Et nunc remitte quæſo peccatum meum tantum hac vice, quod ſignificet ne reſpiciant ad inobedientiam, conſtat ex ſignificatione remittere, quod ſit non reſpicere, nam remittere eſt non reſpicere ad aliquem ex malo ſed ex bono; & ex ſignificatione peccati, quod ſit inobedientia, ut mox ſupra n: 7696.

7698. Et ſupplicate Jehovæ Deo veſtro, quod ſignificet interceſſionem, conſtat ex ſignificatione ſupplicare Jehovæ, cum ſit pro alio, quod ſit interceſſio, ut 7396. 7461.

7699.

7699. Et removeat deſuper me tantum mortem hanc, quod ſignificet ut falſum hoc non cruciet, conſtat ex ſignificatione ut removeat mortem hanc, quod ſit ut non cruciet; per mortem enim ſignificatur damnatio ac infernum, n: 5407. 6119, ita quoque cruciatus. Quod infeſtantes deprecentur hoc falſum, cauſa eſt, quia amplius illis nulla facultas fuit ratiocinandi contra vera fidei, quoniam devaſtati fuerunt quoad illa, inde illis obſcurum infernale, quod cruciavit: quod infernalibus injucundum ſit ratiocinari ex meris falſis, jucundum autem ex veris falſificatis per fallacias & apparentias, videatur n: 7392.

7700. Et exivit a cum Pharaone, quod ſignificet ſeparationem, conſtat a ſignificatione exire, quod ſit ſeparatio, de qua n: 6100. 7404.

7701. Et ſupplicavit ad Jehovam, ſignificat interceſſionem, ut ſupra n: 7698.

7702. Et convertit Jehovah ventum maris validum, quod ſignificet ceſſationem influxus Divini per cœlum, conſtat ex ſignificatione venti maris ſeu venti occidentalis, quod ſit ceſſatio influxus Divini per cœlum; per ventum enim orientalem ſignificatum eſt medium deſtructionis, ex cauſa influxus Divini per cœlum, videatur n: 7643. 7679; inde per ventum maris ſeu occidentalem, qui eſt vento orientali oppoſitus, ſignificatur ceſſatio illius influxus.

7703. Et ſuſtulit locuſtam, quod ſignificet ſtatus illius finem, conſtat ex ſignificatione locuſtæ, quod ſit falſum in extremis, de qua n: 7643, ſtatum hujus falſi auferre, ita finis illius ſtatus, ſignificatur per tollere locuſtam, ſimiliter ac prius, ubi de grandine, n: 7597. 7610.

7704. Et conjecit illam in mare Suph, quod ſignificet in infernum, conſtat ex ſignificatione maris Suph, quod ſit infernum, de qua in ſequentibus ubi de tranſitu filiorum Iſraelis per mare illud, & de interitu Ægyptiorum ibi, ex Divina Domini Miſericordia, agendum eſt: per conjici in infernum, non intelligitur quod falſum ab infeſtantibus ablatum ſit, & conjectum aliunde; ſed quod apud infeſtantes remanſerit, & per illud conjuncti ſint infernis, ubi talia; nam mali in altera vita, per omnem ſtatum mali & falſi, quem ineunt, conjunguntur cum infernis, ubi illa quæ talis ſtatus; inde conjunctio fit ſucceſſive cum pluribus, antequam plene devaſtati ſunt; ſed de his ab experientia alibi.

7705. Non relicta locuſta una in omni termino Ægypti, quod ſignificet quod falſa illa in extremis non magis apparerent, conſtat ex ſignificatione locuſtæ, quod ſit falſum & quia eſt falſum, in extremis, n: 7643, dicitur in omni termino Ægypti, terminus enim eſt extremum, & Ægyptus naturale; quod locuſta non relicta, ſignificet quod non appareret, patet: ſimile de grandine videatur n: 7611.

7706. Et obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, quod ſignificet quod infeſtantes ſe obſtinarent, conſtat ex ſignificatione obfirmare cor, quod ſit ſe obſtinare, de qua n: 7272. 7300. 7305: quod dicatur quod Jehovah obfirmaverit cor Pharaonis, in ſenſu interno ſignificet quod ille cor ſuum obfirmave-

rit,

rit, videatur n: 7632; & quod malum, quod in Verbo tribuitur Jehovæ, ſit ab homine, n: 2447. 6073. 6692. 6997. 7533.

7707. Et non dimiſit filios Iſraelis, quod ſignificet ut non relinquerent illos ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ut n: 7474. 7515. 7617.

7708. Verſ: 21. 22. 23. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, extende manum tuam ad cælum, & erit caligo ſuper terra Ægypti, & palpabit caligine. Et extendit Moſcheh manum ſuam ad cælum, & fuit caligo denſa in tota terra Ægypti, tribus diebus. Non viderunt vir fratrem ſuum, & non ſurrexerunt quis de ſub ſe tribus diebus: & omnibus filiis Iſraelis fuit lux in habitationibus illorum.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem: extende manum tuam ad cœlum, ſignificat dominium potentiæ Veri Divini in cœlo: & erit caligo ſuper terra Ægypti, ſignificat omnimodam privationem veri & boni: & palpabit caligine, ſignificat denſitatem falſi ex malo: & extendit Moſcheh manum ſuam ad cœlum, ſignificat dominationem veri Divini in cœlo: & fuit caligo denſa in tota terra Ægypti, ſignificat omnimodam privationem veri & boni: tribus diebus, ſignificat ſtatum plenum: non viderunt vir fratrem ſuum, ſignificat quod non perciperent verum alicujus boni: & non ſurrexerunt de ſub ſe, ſignificat quod nulla elevatio mentis: tribus diebus, ſignificat ſtatum plenum: & omnibus filiis Iſraelis fuit lux in habitationibus illorum, ſignificat quod illis qui ab Eccleſia ſpirituali eſſet illuſtratio in mente illorum ubivis.

7709. Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem, ut prius n: 7672.

7710. Extende manum tuam ad cœlum, quod ſignificet dominium potentiæ veri Divini in cœlo, conſtat ex ſignificatione extendere manum, quod ſit dominium potentiæ, de qua ſupra n: 7673; ex repræſentatione Moſchis, qui extenderet manum, quod ſit verum Divinum, de qua n: 6723. 6752. 7010. 7014. 7382; & ex ſignificatione cœli, quod ſit cœlum Angelicum. Quomodo ſe habet, quod dominium potentiæ Veri Divini in cœlum, produceret apud infeſtantes novum ſtatum, qui ſignificatur per Caliginem, conſtat ex illis quæ n: 7643. 7679, oſtenſa ſunt: quod nempe Dominus cœlum continue ordinet, ac donet illos qui ibi, & novos advenas, bono cœleſti & ſpirituali; hæc ordinatio facit, quod mali per gradus devaſtentur; influit enim bonum illud præſentius ad malos qui in oppoſito, (nam influxus Divinus pergit uſque in oppoſita, & ſic continet inferna in nexu & in vinculis;) & quia mali vertunt omne bonum in malum, ita bonum, quod præſentius influit, in majus malum; & quantum hoc faciunt, tantum reſiſtunt vero & bono fortius, hoc eſt, infeſtant gravius: inde eſt, quod devaſtationis gradus ſint, uſque dum tandem dejiciuntur in infernum, qui eſt graduum vaſtationis ultimus. Ex his conſtare poteſt, quod a Domino nihil niſi quam bonum procedat, & quod non vaſtet malos, minus conjiciat illos in infernum, ſed quod ipſi hoc faciant

7711. Et erit caligo ſuper terra Ægypti, quod ſignificet omnimodam privationem veri & boni, conſtat ex ſignificatione caliginis, quod ſit omnimoda privatio veri & boni. In Verbo paſſim nominantur tenebræ, & quoque ſimul Caligo, ac ibi tenebræ prædicantur de falſo, ac caligo de malo ſimul: ſed vox per quam in hoc Verſu exprimitur caligo, ſignificat tenebras denſiſſimas, per quas in ſenſu interno ſignificantur talia falſa quæ ex malo ſcaturiunt; talia falſa exiſtunt apud illos, qui ab Eccleſia fuerunt, ac vitam mali contra præcepta fidei, quæ ſciverunt, vixerunt; malum, ex quo falſa illa ſcaturiunt, eſt contra Eccleſiam, contra Cœlum, & contra Dominum, ita e diametro contra bonum & verum: hic ſtatus nunc per Caliginem deſcribitur. Quod in Verbo & tenebræ & caligo ſimul nominentur; & quod tenebræ ibi ſint privatio veri, & caligo privatio tam veri quam boni, conſtare poteſt ab his locis; apud Eſaiam "Procul eſt judicium a nobis, & non aſſequitur nos juſtitia; exſpectamus lucem, *ſed ecce tenebræ*, & ſplendores *ſed in caliginibus ambulamus*; *palpamus* ſicut cæci parietem & ſicut non oculi *palpitamus*, offendimus in meridie, ſicut crepuſculo, inter vivos ſicut mortui" LIX: 9. 10; procul eſt judicium a nobis, & non aſſequitur nos juſtitia, pro quod non ſit verum nec bonum, quod judicium prædicetur de vero, & juſtitia de bono, videatur n: 2235. 3997; exſpectare lucem pro verum, & exſpectare ſplendores pro bonum veri, nam ſplendor locis eſt a bono; quod tenebræ ibi opponantur luci ac judicio, ita vero, & caligo ſplendori & juſtitiæ, ita bono, patet; quare tenebræ ſunt privatio veri, & caligo privatio tam veri quam boni. Apud Amos "*Nonne tenebræ dies Jehovæ*, & non lux, & *caligo*, non ſplendor illi" v: 20, ſimiliter. Apud Joelem "Venit dies Jehovæ, *dies tenebrarum* & *caliginis*, dies nubis & obſcuritatis" II: 2. Apud Zephaniam "Dies Jehovæ, dies vaſtitatis & devaſtationis, *dies tenebrarum & caliginis*" I: 15, tenebræ pro privatione veri, & caligo pro privatione & veri & boni; ſi caligo non aliud ſignificaret quam tenebræ, foret repetitio inanis, quod procul abeſt a Verbo ſancto; commune eſt quod binæ expreſſiones unius rei ſint in Verbo, quarum una ſe refert ad verum ſeu falſum, altera ad bonum ſeu malum: pariter apud Eſaiam "Ad terram ſpectabit, & ecce Anguſtia *& tenebræ*, obſcuratus anguſtia, *& caligine* impulſus" VIII: 22. Tenebræ quoque ſignificant ignorantiam veri, qualis eſt apud gentes, & caligo ignorantiam boni, apud Eſaiam "Audient in die illo ſurdi verba libri, *& e caligine* & *e tenebris* oculi cœcorum videbunt" XXIX: 18. Apud Eundem "Si animam afflictam ſaturaveris, exorietur *in tenebris* lux tua, & caligo tua ſicut meridies" LVIII: 10; quod tenebræ ſint falſa, videatur n: 7688.

7712. Et palpabit caligine, quod ſignificet denſitatem falſi ex malo, conſtat ex ſignificatione palpare caligine, quod ſit quod falſa ex malo tam denſa ſint, ut non aliquid veri & boni noſci poſſit; ſed ſi inquiritur, eſt ſicut qui in caligine palpat, ac offendit & impellit ubivis; quare apud Eſaiam Caligo vocatur *caligo impulſus*" VIII: 22, & deſcribitur apud Eundem "*In caliginibus ambulamus*, *palpamus* ſicut cœci parietem, & ſicut non oculi *palpitamus*,

mus, *offendimus* in meridie ſicut crepuſculo, inter vivos ſicut mortui" LIX: 9. 10.

7713. Et extendit Moſcheh manum ſuam ad cœlum, quod ſignificet dominationem Veri Divini in cœlo, ubi eadem verba.

7714. Et fuit caligo denſa in tota terra Ægyti, quod ſignificet omnimodam privationem veri & boni, conſtat ex illis ſupra n: 7711.

7715. Tribus diebus, quod ſignificet ſtatum plenum, conſtat ex ſignificatione trium dierum, quod ſint ſtatus plenus, de qua n: 2788. 4495; per ſtatum plenum intelligitur integer ſtatus a principio ad finem; omnis enim ſtatus ſuum principium habet, ſua incrementa, & ſuum maximum; hæc periodus eſt quæ intelligitur per ſtatum plenum; & ſignificatur per tres dies.

7716. Non viderunt vir fratrem ſuum, quod ſignificet quod non perciperent verum alicujus boni, conſtat a ſignificatione videre, quod ſit intelligere & percipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; ex ſignificatione viri, quod ſit Verum, de qua n: 3134; & ex ſignificatione fratris, quod ſit bonum, de qua n: 2360. 3303. 3803. 3815. 4121. 5409. 5686. 5692. 6756; & quod vir cum fratre ſit veri bonum, n: 3459: ex his patet, quod per non viderunt vir fratrem ſuum, ſignificetur quod non perciperent verum alicujus boni.

7717. Et non ſurrexerunt de-ſub ſe, quod ſignificet quod nulla elevatio mentis, conſtat ex ſignificatione ſurgere, quod ſit elevatio verſus interiora, ita mentis, de qua n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 3458. 3723. 4103. 4881. 6010; quare non ſurrexerunt, eſt quod nulla elevatio.

7718. Tribus diebus, ſignificat ſtatum plenum, ut mox ſupra n: 7715.

7719. Et omnibus filiis Iſraelis fuit lux in habitationibus illorum, quod ſignificet quod illis qui ab Eccleſia ſpirituali eſſet illuſtratio in mente illorum ubivis, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; ex ſignificatione lucis quod ſit illuſtratio; lux enim quæ a Domino, illuminat intellectum, nam in luce illa eſt intelligentia & ſapientia, videatur n: 1521. 1524. 1619 ad 1632. 2776. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3339. 3636. 3643. 3993. 4302. 4408. 4413. 4415. 5400. 6608; & ex ſignificatione habitationum, quod ſint illa quæ mentis ſunt; per domum enim ſignificatur mens hominis, n: 3538. 4973. 5023. 7353; & per cubicula, interiora ejus, n: 7353; habitationes autem omnia quæ mentis; etiam habitare in ſenſu interno ſignificat vivere, n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051, inde habitationes ſunt ubi illa quæ vitæ ſunt, hoc eſt, ubi illa quæ intelligentiæ & ſapientiæ, quæ quod ſint mentis, notum eſt: etiam in altera vita in habitationibus ſeu manſionibus angelorum eſt lux ſecundum intelligentiam & ſapientiam mentis illorum; & quantum illis eſt lux, tantum illis qui in oppoſito ſunt, qui ſunt qui infeſtarunt, eſt caligo.

7720. Verſ: 24 ad finem. *Et vocavit Pharao ad Moſchen, & dixit, ite,*

 ſervite

ſervite Jehovæ, tantum grex veſter & armentum veſtrum ſubſiſtet; etiam infans veſter ibit cum vobis. Et dixit Moſcheh, etiam tu dabis in manum noſtram ſacrificia & holocauſta, & faciemus Jehovæ Deo noſtro. Et etiam pecus noſtrum ibit cum nobis, non relinquetur ungula, quia de illo accipiemus ad ſerviendum Jehovæ Deo noſtro; & nos non ſcimus, quo ſerviemus Jehovæ, uſque dum venimus illuc. Et obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, & non voluit dimittere illos. Et dixit illi Pharao, abi ab apud me, cave tibi ne addas videre facies meas, quia in die videre te facies meas, morieris. Et dixit Moſcheh, recte loquutus es, non addam amplius videre facies tuas. Et vocavit Pharao ad Moſchen, ſignificat præſentiam Legis Divinæ: & dixit, ite, ſervite Jehovæ, ſignificat quod relinquendi, ut colant Dominum Deum ſuum: tantum grex veſter & armentum veſtrum ſubſiſtet, ſignificat ſed non ex bono: etiam infans ibit cum vobis, ſignificat quod ex vero: & dixit Moſcheh, ſignificat reſponſum: etiam tu dabis in manum noſtram ſacrificia & holocauſta, ſignificat quod relinquent omnia per quæ cultus fiet: & faciemus Jehovæ Deo noſtro, ſignificat qui acceptus Domino: & etiam pecus noſtrum ibit cum nobis, ſignificat quod ex bono veri: non relinquetur ungula, ſignificat quod non aliquid veri ex bono deerit: quia de illo accipiemus ad ſerviendum Jehovæ Deo noſtro, ſignificat quod ex illo coletur Dominus: & nos non ſcimus quo ſerviemus Jehovæ Deo noſtro, ſignificat quod ignotum quo peragetur cultus: uſque dum venimus illuc, ſignificat priuſquam remoti ſint ab illis qui in meris falſis ex malo: & obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, ſignificat quod ſe obſtinarent contra Divinum: & non voluit dimittere illos, ſignificat quod non eis animus relinquendi illos: & dixit illi Pharao, ſignificat excandeſcentiam iræ tunc contra Verum Divinum: abi ab apud me, ſignificat quod de illo nihil ſcire vellet: cave tibi ne addas videre facies meas, ſignificat quod non intraret in eorum animum: quia in die videre te facies meas, morieris, ſignificat quod ſi intraret in animum exſtirparetur: & dixit Moſcheh, ſignificat reſponſum: recte loquutus es, ſignificat quod ex vero ita ſit: non addam amplius videre facies tuas, ſignificat quod Verum Divinum non amplius intrabit in animum.

7721. Et vocavit Pharao ad Moſchen, quod ſignificet præſentiam Legis Divinæ, conſtat ex ſignificatione vocare ad ſe, quod ſit præſentia, de qua n: 6177. 7390. 7451; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, de qua n: 6723. 6752. 7014. 7382: per præſentiam Legis Divinæ apud infeſtantes intelligitur, quod perciperent unde venirent plagæ, hic unde denſiſſimum falſum ex malo, quod per caliginem ſignificatur: cum devaſtantur mali in altera vita, datur illis ſæpe percipere unde mala pæne illis, ob cauſam ut ſciant quod Divinum non in cauſa ſit, ſed quod ipſi; etiam illis qui in inferno ſæpius obveniunt talia, ſed tunc quando in ſtatu quieto ſunt; hoc fit ob plures cauſas, imprimis ut reminiſcantur malorum, quæ in mundo egerant.

7722. Et dixit, ite, ſervite Jehovæ, ſignificat quod relinquendi, ut colant Dominum Deum ſuum, ut ſupra n: 7658.

7723. Tantum grex veſter & armentum veſtrum ſubſiſtet, quod ſignifi-

cet

cet ſed non ex bono, nempe colant Dominum, conſtat ex ſignificatione gregis, quod ſit bonum interius, & ex ſignificatione armenti, quod ſit bonum exterius, de quibus n: 5913. 6048.

7724. Etiam infans ibit cum vobis, quod ſignificet quod ex vero, conſtat ex ſignificatione infantis hic, quod ſit verum, nam per infantem intelliguntur pueri, adoleſcentes, juvenes, verbo filii, per quos quod ſignificentur illa quæ ſunt intelligentiæ, ita vera, videatur n: 7668; & ex ſignificatione ire cum vobis, quod ſit quod relinquendi ut colant Dominum Deum ſuum. Dicendum, quid ſit colere Dominum ex bono, & quid colere ex vero abſque bono, quæ hic ſignificantur per gregem & armentum quod ſubſiſtet, & per infantem quod ibit: ipſiſſimus cultus ſit ex bono per verum, nam Dominus in bono eſt præſens; cultus autem ex vero abſque bono, non eſt cultus, ſed modo ritus & actus externus, abſque interno; eſt enim verum abſque bono duntaxat ſcientificum; id ſcientificum ut fiat fidei, conjungetur bono, & tunc tranſit in internum hominem, & fit fides; quod fides abſque charitate non ſit fides, ſæpius oſtenſum eſt: inde patet, quid ſit cultus ex bono, & quid cultus ex vero abſque bono. Per bonum, ex quo cultus, intelligitur bonum vitæ, quod ſpirituale factum eſt per conjunctionem cum vero, nam bonum ſpirituale quale ſuum habet ex vero, ac verum eſſentiam ſuam habet ex bono, ſic ut bonum ſit anima veri; inde iterum patet, quale eſt verum abſque bono, quod ſit ſicut corpus abſque anima, ita ſicut cadaver.

7725. Et dixit Moſcheh, quod ſignificet reſponſum, patet.

7726. Etiam tu dabis in manum noſtram ſacrificia & holocauſta, quod ſignificet quod relinquent omnia per quæ cultus fiet, conſtat ex ſignificatione dare in manum, quod ſit relinquere; per manum enim ſignificatur potentia, inde per dare in manum, ſignificatur tradere illorum potentiæ, ita relinquere; & ex ſignificatione ſacrificiorum & holocauſtorum, quod ſint cultus in genere, ita omne cultus, de qua n: 923. 6905; cauſa quod ſacrificia & holocauſta ſignificent omne cultus, eſt quia cultus Divinus principaliter fiebat per ſacrificia, ut conſtare poteſt ex Libris Moſchis. Quid de ſacrificiis prius oſtenſa ſunt, videatur n: 922. 923. 1128. 1343. 1823. 2180. 2165. 2187. 2776. 2784. 2805. 2807. 2812. 2818. 2830. 3519. 6905.

7727. Et faciemus Jehovæ Deo noſtro, quod ſignificet qui acceptus Domino, nempe cultus, conſtat ex illis quæ præcedunt, quod nempe per ſacrificia & holocauſta ſignificetur cultus, n: 7726, & per gregem & armentum, ex quibus ſacrificia, bonum ex quo cultus, n: 7723. 7724; ita per facere ſacrificia & holocauſta Jehovæ, ſignificatur cultus ex bono, qui acceptus: quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6280. 6303. 6281. 6905. 6945. 6956.

7728. Et etiam pecus noſtrum ibit cum nobis, quod ſignificet quod ex bono veri, nempe cultus, conſtat ex ſignificatione pecoris, quod ſit bonum veri, de qua n: 6016. 6045; quod ire cum nobis, ſit ut inde ſit cultus, nempe per ſacrificia & holocauſta, patet.

7729. Non relinquetur ungula, quod ſignificet quod non aliquid veri ex

bono deerit, conſtat ex ſignificatione ungulæ, quod ſit verum ex bono, de qua ſequitur, & ex ſignificatione non relinqui, quod ſit non deeſſe, nempe ad cultum Domini: in ſenſu interno proximo per non relinquetur ungula, ſignificatur quod nihil prorſus deerit, quia ungula eſt commune omnibus beſtiis; at in ſenſu interiori per ungulam ſignificatur verum in ultimo gradu, ita verum ſenſuale, quod infimum, ac in oppoſito ſenſu falſum; cauſa quod per ungulam id ſignificetur, eſt quia per pedem ſignificatur naturale, & per plantam pedis ultimum naturalis, n: 2162. 3147. 3765. 3986. 4280. 4938. ad 4952. 5327. 5328; ſimile ſignificatur per ungulam, nam illa eſt planta pedis beſtiarum: & quia ultimum naturalis ſignificatur per ungulam ſicut per plantam, etiam ſignificatur verum quod ultimum eſt naturalis, nam naturale cum dicitur, intelligitur verum & bonum, aut in oppoſito ſenſu falſum & malum, inde eſt, & abſque illis eſt nullius prædicationis. Quod per Ungulam, imprimis equorum, ſignificetur verum in ultimo gradu, ita verum ſenſuale, & in oppoſito ſenſu falſum ejuſdem gradus, conſtare poteſt ab his locis; apud Eſaiam "Cujus tela acula, & omnes arcus tenſi, *ungulæ equorum ejus* ſicut rupes reputantur, rotæ ejus ſicut procella" v: 28, ibi de populo vaſtante, per tela ſignificantur doctrinalia falſi, ex quibus pugnatur, & per arcus doctrina illa, n: 2686. 2709; per equos intellectualia, hic perverſa, n: 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6534; inde patet quid ungula equorum, quod nempe ſit falſum in ultimo gradu. Apud Jeremiam "*Præ voce plauſus ungularum fortium,* ob tumultum currui ejus ſtrepitum rotarum ejus" XLVII: 3, ibi de populo vaſtante Philiſthæos; plauſus ungularum fortium, nempe equorum, pro pugna aperta falſi contra verum; currus pro doctrina falſi, quod currus ſit doctrina tam veri quam falſi, videatur n: 5321. 5945. Apud Ezechielem "Præ abundantia equorum ejus obteget pulvis eorum, præ voce equitis & rotæ & currus commovebuntur muri tui, *per ungulas equorum ſuorum* conculcabit omnes plateas tuas" XXVI: 10. 11, ibi de Nebuchadnezare vaſtante Tyrum; equi pro intellectualibus perverſis, ut ſupra, eques pro illis quæ ſunt talis intellectualis, n: 6534; rotæ quæ currus pro falſis doctrinæ, currus eſt Doctrina, ut ſupra, plateæ pro veris, n: 2336; inde patet, quod ungulæ equorum ſint falſa; niſi talia ſignificentur, quid forent illa "Præ abundantia equorum ejus obteget te pulvis eorum; præ voce equitis & rotæ & currus commovebuntur muri tui, per ungulas equorum tuorum conculcabit omnes plateas tuas," annon abſque ſenſu interiore forent aliud quam voces ſonantes, cum tamen unaquævis vox in Verbo pondus habet, quia a Divino. Apud Eundem "Devaſtabunt ſuperbiam Ægypti, ut perdatur multitudo ejus; & perdam omnem beſtiam ejus ſuper aquis multis, ut non turbet illas pes hominis amplius, *nec ungula beſtiæ turbet illas*; tunc in profundum mittam aquas illorum, & flumina illorum ſicut oleum fluere faciam" XXXII: 12. 13. 14, hæc nec intelligerentur, niſi ſciatur quid Ægyptus, quid pes hominis, quid ungula beſtiæ, quid aquæ ſuper quibus perdetur beſtia, quas turbabit pes hominis & ungula beſtiæ, & quæ in profundum mittentur; aquæ & flumina Ægypti ſunt vera ſcientifica, ungula beſtiæ eſt falſum in ul-

timo

timo naturalis, quod turbat ſcientificum verum. Apud Micham "Surge, & tritura, filia Zionis, quia cornu tuum faciam ferrum, *& Ungulas tuas faciam æs*, ut comminuas populos multos" IV: 13, hæc quid ſunt nec quiſquam ſcire poteſt abſque ſenſu interno, ita niſi ſciatur quid triturare, quid filia Zionis, quid cornu quod fiet ſicut ferrum, quid ungula quæ fiet ſicut æs, quibus comminuentur populi multi; filia Zionis eſt Eccleſia Cœleſtis, n: 2362; cornu eſt potentia veri ex bono, n: 2832, ferrum eſt verum naturale quod valebit ad deſtruendum falſa, n: 425. 426, ungula eſt verum ex bono in ultimo gradu, æs eſt bonum naturale quod valebit contra mala, n: 425. 1551: Apud Sachariam "Ego excitabo paſtorem in terra, exſcindendas non viſitabit, ætate teneram non quæret, & fractam non ſanabit; carnem autem pinguis comedet, *& ungulas earum diffindet*" XI: 16, ibi de paſtore ſtulto, carnem pinguis comedere pro bonum in malum vertere, ungulas diffindere pro verum in falſum. Quantum Antiqui intelligentia prævaluerunt hodiernis, conſtare poteſt ex eo, quod illi noverint, quibus rebus in cœlo plura in mundo correſponderent, & inde quid ſignificarent; & hoc non ſolum noverunt illi qui ab Eccleſia fuerunt, ſed etiam qui extra Eccleſiam, ſicut qui in Græcia, quorum Antiquiſſimi deſcripſerunt res per ſignificativa, quæ hodie, quia prorſus ignota, vocantur fabuloſa; quod antiqui Sophi in ſcientia talium fuerint, patet ex eo, quod originem intelligentiæ & ſapientiæ deſcripſerint per Equum alatum, quem Pegaſum vocarunt, quod ille *ungula ſua* eruperit fontem, apud quem novem virgines, & hoc ſuper colle; ſciverunt enim quod per equum ſignificaretur intellectuale, per alas ejus ſpirituale, per ungulas verum ultimi gradus, ubi origo intelligentiæ, per virigines ſcientiæ, per collem unanimitas, & in ſenſu ſpirituali charitas: ſic in reliquis. Sed talia hodie inter deperdita ſunt.

7730. Quia de illo accipiemus ad ſerviendum Jehovæ, quod ſignificet quod ex illo coletur Dominus, conſtat ex ſignificatione ſervire, quod ſit colere; quod Jehovah ſit Dominus, videatur ſupra n: 7727.

7731. Et nos non ſcimus quo ſerviemus Jehovæ Deo noſtro, quod ſignificet quod ignotum quo peragetur cultus, conſtat ex ſignificatione ſervire Jehovæ, quod ſit cultus Domini, ut ſupra n: 7730.

7732. Uſque dum venimus illuc, quod ſignificet priuſquam remoti ſint qui in meris falſis ex malo, conſtat ex eo, quod venire illuc ſeu in deſertum, ſit removeri ab Ægyptiis, ita ab illis qui in meris falſis ex malo, qui nunc per Ægyptios ſignificantur; quod ire in deſertum ad ſacrificandum, ſit eſſe in ſtatu remoto a falſis, videatur n: 6904.

7733. Et obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, ſignificat quod obſtinarent ſe contra Divinum, ut ſupra n: 7706.

7734. Et non voluit dimittere illos, quod ſignificet quod non eis animus relinquendi illos, conſtat ex ſignificatione non velle, quod ſit quod non eis animus; & ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere; ut quoque ſupra n: 7707, ubi ſimilia.

7735. Et dixit illi Pharao, quod ſignificet excandeſcentiam iræ tunc contra

verum,

verum, conſtat ex ſignificatione dicere, quod, quia involvit illa quæ ſequuntur, ſit excandeſcentia iræ; nam ſequuntur "dixit Pharao, ad Moſchen, abi ab-apud me, cave tibi ne addas videre facies meas, quia in die videre te facies meas, morieris," quæ verba ſunt iræ contra Verum Divinum, quod per Moſchen repræſentatur.

7736. Abi ab-apud me, quod ſignificet quod de illo nihil ſcire vellent, nempe de vero Divino, conſtat ex ſignificatione abi ab-apud me, quod, cum dicitur a malis de Vero Divino, quod ſit quod nihil de illo ſcire vellent, rejiciunt enim illud.

7737. Cave tibi ne addas videre facies meas, quod ſignificet quod non intraret in eorum animum, conſtat ex ſignificatione non addere videre facies, quod ſit non amplius intrare in animum, per faciem enim ſignificantur interiora, n: 1999. 2434. 3527. 3631. 4066. 4796. 4797. 4798. 5102. 5165. 5168. 5695, imprimis quoad affectiones; ita per faciem ſignificatur animus.

7738. Quia in die videre te facies meas, morieris, quod ſignificet ſi intraret in animum, quod exſtirparetur, conſtat ex ſignificatione videre facies, quod ſit intrare in animum, ut nunc ſupra n: 7737; & ex ſignificatione mori, quod ſit exſtirpari. Quod Pharao nunc dicat, quod Moſcheh abiret ab-apud illum, & quod ſi videret facies ejus moreretur, eſt quia nunc deſcribitur ſtatus infeſtantium in mero falſo ex malo, quod falſum ſignificatur per caliginem: infernales, quo magis in falſis ſunt ex malo, eo magis verum averſantur, & tandem adeo, ut ne quidem velint aliquid veri audire; eſt enim verum contra falſum, & falſum eſt illis amænum, quia malum, ex quo falſum, eſt jucundum vitæ illorum; quapropter Verum, quia eſt contra amænum & jucundum vitæ, ex animo prorſus rejiciunt; & ſi audiunt illud, cruciantur n: 7519; inde eſt, quod, quia in ſtatu falſi ex malo ſunt, qui ſignificatur per caliginem, Verum Divinum, quod per Moſchen repræſentatur, a ſe amoveant; idcirco nunc dixit Pharao ad Moſchen, quod abiret ab-apud ſe, & non videret facies ſuas, & ſi videret quod moreretur; idcirco etiam Moſcheh reſpondit, recte loquutus es, non addam amplius videre facies tuas.

7739. Et dixit Moſcheh, quod ſignificet reſponſum, patet.

7740. Recte loquutus es, quod ſignificet quod ex vero ita ſit, conſtat ex ſignificatione recte loqui, quod ſit ita eſſe; quod ex vero, ſignificatur etiam per recte, n: 5434. 5437. Per quod ex vero ita ſit, intelligitur quod in illo ſtatu nunc ſint, ut non aliter velint, quam nihil ſcire de Vero Divino; & ſi intraret in animum, illud ejicerent, ſecundum illa quæ mox ſupra n: 7738, oſtenſa ſunt.

7741. Non addam videre facies tuas, quod ſignificet quod non amplius intrabit in animum, conſtat ex ſignificatione non videre facies, quod ſit non intrare in animum, ſecundum illa ſupra n: 7737. 7738.

Continuatio de Incolis & Spiritibus Telluris Martis

7742. *AD finem Capitis præcedentis relatum eſt de pulchra Ave, quæ viſa, & tandem verſa in lapideam; & dictum quod per illam repræſentatus ſit ſtatus Incolarum Martis quoad amorem illorum cœleſtem & ſpiritualem; de quo ſtatu & ejus mutatione, hæc, quæ ſequuntur, ſcire datum eſt.*

7743. *Quod Incolæ Martis in cœleſti amore ſint, prius memoratum eſt, illi ſunt repræſentati per flammeum colorum variegationibus pulchre coruſcum, & quoque per avem ſimilium colorificationum; quod plures hodie incipiant recedere a cœleſti illo amore, & ſolum amare cognitiones, ac in illis ſolis ponere cœleſtem vitam, repræſentatum eſt per avem illam mutatam in lapideam; per avem enim ſignificatur vita ſpiritualis; per quod verſa in lapideam, ſignificatur vita cognitionum abſque amore, quæ non vita ſpiritualis amplius eſt, ſed vita frigida ſicut lapidea, in quam non aliquid e cœlo influit: & quod uſque credant, quod in Domino ſint, ſicut illi ibi qui in cœleſtis amoris vita ſunt, ſignificatum & oſtenſum eſt per Spiritum, qui aſſurgebat, & auferre volebat avem.*

7743. *Per avem lapideam etiam repræſentati ſunt incolæ illius telluris, qui vitam cogitationum & affectionum ſuarum peregrino modo tranſmutant in pæne nullam vitam; de qua re ſequentia vidi & audivi.*

7744. *Erat quidam ſupra caput meum, qui mecum loquutus eſt; ex ſono appercipiebatur quaſi in ſtatu ſomni eſſet; in hoc ſtatu loquens interrogabat plura, & hæc tali prudentia, ut vigil non prudentius: percipere dabatur, quod ſubjectum eſſet, per quod Angeli loquerentur; & is in ſtatu illo apperciperet id & produceret: non enim loquebatur, niſi quod verum erat; ſi aliunde quid influeret, quidem admittebat, ſed non producebat. Interrogavi illum de ſtatu ſuo, dicebat, quod ſtatus ille ei eſſet ſtatus pacificus, & quod eſſet abſque omni ſollicitudine de futuris; & quod ſimul uſus præſtaret, per quos ei communicatio cum cœlo. Dictum mihi eſt, quod tales in Maximo Homine*

referant

referant Sinum Longitudinalem, qui in Cerebro inter bina ejus hæmiſphæria jacet, & ibi in ſtatu quieto, utcunque tumultuatur Cerebrum utrinque.

7745. *Cum in colloquutione cum hoc ſpiritu eram, inferebant ſe quidam Spiritus verſus anteriorem partem Capitis, ubi ille, quem premebant, quare ille ad unum latus ſeceſſit, & illis locum dedit. Spiritus advenæ inter ſe loquebantur; ſed nec ſpiritus circum me intelligebant, nec ego, quid loquebantur: inſtruebar ab Angelis, quod eſſent ſpiritus ex tellure Martis, qui collebant ita inter ſe loqui, ut præſentes ſpiritus non aliquid intelligerent, nec perciperent, quid loquebantur: mirabar quod talis loquela dari poſſet, quoniam una loquela eſt omnibus ſpiritibus, & quoniam omnis loquela fluit ex cogitatione, & hæc conſiſtit ex ideis, quæ pro vocibus ſunt in ſpirituali mundo, & quod ideæ quæ voces, una cum ipſa cogitatione antequam ſit loquens, percipiantur manifeſte in altera vita; dicebatur mihi, quod ſpiritus illi forment certo modo ideas aliis non intelligibiles per labia & faciem; & quod eo momento cum per illa inter ſe loquuntur, ſubtrahant arte cogitationes ſuas ab aliis, cavendo imprimis ne aliquid affectionis ſe manifeſtet; ex cauſa, ſi aliquid affectionis percipitur, quod tunc cogitatio pateret, cogitatio enim fluit ex affectione: inſtruebar porro, quod incolæ telluris Martis, qui vitam cœleſtem in ſolis cognitionibus, & non in vita amoris, ponunt, talem loquelam effinxerint, non tamen omnes; & quod illi, cum fiunt ſpiritus, hoc retineant. Hi ſunt, qui in ſpecie per avem lapideam ſignificati ſunt; nam per formationes vultus, & volutiones labiorum, cum remotione affectionum, & ſubtractione cogitationum ab aliis, ſiſtere loquelam, eſt loquelam exanimare, & illam facere inſtar ſimulachri, & per gradus ſe quoque ſimiles.*

7746. *Sed tametſi putant, quod non intelligatur ab aliis, quid inter ſe loquuntur, uſque tamen ſpiritus angelici omnia & ſingula, quæ loquuntur, percipiunt; cauſa eſt, quia ab illis ſubtrahi cogitatio aliqua non poteſt; hoc quoque oſtendebatur illis per vivam experientiam; cogitabam de eo, quod ſpiritus noſtræ telluris non afficiantur pudore, cum infeſtant alios; etiam hoc influebat apud me a ſpiritibus Angelicis: ſpiritus Martis tunc agnoſcebant, quod id eſſet de quo inter ſe loquebantur; ac mirati ſunt: præterea a ſpiritu angelico detegebantur plura, quæ & loquebantur & quæ cogitabant, utcunque ſatagebant cogitationes illi ſubducere.*

7747. *Poſtea influebant ſpiritus Martis a ſuperiori in faciem meam;*

am; influxus ſentiebatur inſtar tenuis pluviæ ſtriatæ, quod ſignum erat quod non in affectione veri ac boni eſſent, id enim per ſtriatum repræſentatur: loquebantur tunc mecum manifeſte, dicendo, quod incolæ telluris illorum ſimiliter inter ſe loquantur. Dicebatur tunc illis, quod hoc malum ſit, quia ſic obſtruunt interna, & ab illis recedunt ad externa, quæ quoque privant ſua vita; & imprimis quia non ſincerum eſt ita loqui; nam qui ſinceri ſunt, nihil volunt loqui, ne quidem cogitare, niſi tale quod ſciant alii, imo ſi forent omnes, etiam totum cœlum; at qui non volunt ut alii ſciant quid loquuntur, illi judicant de aliis, male ſentiunt de illis, & bene de ſe, & tandem ex habitu trahuntur uſque illuc, ut male ſentiant & loquantur etiam de Eccleſia, de cœlo, imo de Ipſo Domino.

7848. *Dictum, quod illi qui amant ſolas cognitiones, non autem vitam ſecundum illas, referant interiorem membranam cranii; at illi qui aſſueſcunt loqui abſque affectione, & cogitationem attrahere ad ſe, & ſubtrahere aliis, quod referant membranam illam, ſed oſſeam factam; quia ab aliqua vita ſpirituali fit illis nulla vita.*

7749. *Qui amant ſolas cognitiones, & non vitam ſecundum illas, illi ut plurimum ex illis gloriantur, & ſapientes præ reliquis ſibi videntur; ita amant ſe, & contemnunt alios, imprimis illos qui in bono ſunt, hos ſpectant ut ſimplices & indoctos: ſed ſors invertitur in altera vita, ſapientes illi ſibi viſi ibi fiunt ſtulti, & ſimplices illi ſapientes.*

7750. *Quia per Avem lapideam repræſentati ſunt, qui in ſolis cognitionibus ſunt, & non in vita amoris, & quia inde pæne nulla illis vita ſpiritualis, ideo hic appendicis loco licet oſtendere, quod illis ſolum vita ſpiritulis ſit, qui in amore cœleſti ſunt, & inde in cognitionibus; & quod amor in ſe contineat omne cognitivum, quod amoris illius eſt. Sint pro exemplo animalia terræ, & quoque animalia cœli ſeu aves, illis eſt ſcientia omnium quæ amoris illorum ſunt: amores illorum ſunt, ſe nutrire, tute habitare, propagare ſobolem, pullos alere; quare eſt illis omnis ſcientia requiſita, hæc enim amoribus illis ineſt, & in illos influit, ut in ipſa ſua receptacula; quæ ſcientia quibuſdam talis eſt, ut homo non poſſit aliter quam obſtupeſcere: ſcientia illa dicitur connata, & vocatur inſtinctus, ſed eſt amoris in quo ſunt. Si homo in ſuo amore eſſet, qui eſt amor in Deum & erga proximum, hic amor eſt hominis proprius per quem diſtinguitur a beſtiis, tunc homo non ſolum foret in omni ſcientia requiſita, ſed etiam*

in omni intelligentia & ſapientia, nec opus haberet illa addiſcere; nam in amores illos influerent e cœlo, hoc eſt, per cœlum a Divino: ſed quia homo non in amoribus illis eſt, ſed in contrariis, nempe in amore ſui & amore mundi, idcirco non poteſt aliter quam naſci in omnem ignorantiam & inſcitiam; at per media Divina perducitur ad aliquid intelligentiæ & ſapientiæ, ſed uſque non actualiter in aliquid, niſi amores ſui & mundi removeat, & ſic aperiat viam pro amore in Dominum, & erga proximum. Quod amor in Dominum & amor erga proximum in ſe habeant omnem intelligentiam & ſapientiam, conſtare poteſt ex illis, qui in mundo in amoribus illis fuerunt, illi cum in altera vita in cœlum veniunt, ibi ſciunt & ſapiunt talia, quæ nuſquam prius noverant; imo cogitant & loquuntur ibi ut reliqui angeli, quæ talia ſunt, quæ nuſquam auris audivit, nec mens ſcivit, quæ ineffabilia ſunt: cauſa eſt, quia amores illi facultatem recipiendi talia in ſe habent.

7751. *Ad finem ſequentis Capitis dicendum eſt de Spiritibus & Incolis Planetæ Jovis.*

EXODI

CAPUT UNDECIMUM.

Doctrina Charitatis.

7752. BONUM & Verum ſunt, ad quæ omnia in univerſo ſe referunt, quæ ſe non referunt ad illa, non ſunt in ordine Divino; & quæ ſe non referunt ad utrumque ſimul, non aliquid producunt; bonum eſt quod producit, & verum eſt per quod.

7753. Hæc illuſtrationi ſint, quomodo ſe habet cum bono & vero ſpirituali, quæ charitas & fides vocantur; quod nempe omnia quæ Eccleſiæ ſunt, ad illa ſe referant, & quæ non ad illa ſe referunt, non aliquid Eccleſiæ in ſe habeant; tum quæ in ſe non continent utrumque, non aliquem fructum, hoc eſt, bonum charitatis aut fidei producant.

7754. Ut enim aliquid producatur, erunt binæ vires, una quæ vocatur activa, altera quæ paſſiva; una abſque altera non parit aliquid: tales vires aut vitæ ſunt charitas & fides in homine Eccleſiæ.

7755. Primum Eccleſiæ eſt Bonum, alterum eſt Verum; ſeu primum Eccleſiæ eſt charitas, & alterum eſt fides; nam verum doctrinæ fidei eſt propter bonum vitæ; quod eſt finis propter quem, id eſt primum.

7756. Cum conjunctione boni quod charitatis, & veri quod fidei, apud hominem, ita ſe habet: Bonum quod charitatis intrat per animam apud hominem, Verum autem quod fidei intrat per auditum; illud a Domino influit immediate, hoc autem per Verbum mediate; inde via, per quam bonum charitatis intrat, vocatur via interna; & via, per quam verum fidei intrat, vocatur via externa; quod per viam internam intrat, hoc non percipitur, quia non cadit manifeſte in ſenſum; quod autem per viam externam intrat, hoc percipitur quia cadit manifeſte in ſenſum: inde eſt, quod fidei tribuatur omne Eccleſiæ. Aliter apud illos qui regenerati ſunt; apud hos bonum quod charitatis manifeſte percipitur.

7757. Conjunctio boni charitatis cum vero fidei fit interioribus

hominis;

hominis; ipſum bonum, quod influit a Domino, adoptat ibi Verum, ac ſibi appropriat illud, & ſic facit ut apud hominem bonum ſit bonum, ac ut verum ſit verum, ſeu quod charitas ſit charitas & fides ſit fides; abſque illa conjunctione charitas non eſt charitas, ſed modo bonitas naturalis; nec fides eſt fides, ſed modo ſcientia talium quæ fidei ſunt, & quandoque perſuaſio quod ita ſit, propter fænerationem lucri aut honoris.

7758. Verum cum conjunctum eſt bono, non amplius dicitur verum, ſed bonum; ita fides cum conjuncta eſt charitati, non amplius dicitur fides ſed charitas; cauſa eſt, quia homo tunc vult & facit verum, & quod vult & facit, hoc dicitur bonum.

7759. Cum conjunctione boni charitatis cum vero fidei ita porro ſe habet; bonum illud ſuum quale nanciſcitur a vero, & verum eſſentiam ſuam a bono; inde ſequitur, quod quale boni ſit ſecundum vera cum quibus conjungitur: quare bonum genuinum ſit; ſi vera, cum quibus conjungitur, genuina ſunt: vera fidei genuina intra Eccleſiam dari poſſunt, non ita extra illam, nam intra Eccleſiam eſt Verbum.

7760. Præterea bonum charitatis etiam quale ſuum accipit a copia verorum fidei; tum quoque a nexu unius veri cum altero: ita formatur bonum ſpirituale apud hominem.

7761. Probe diſtinguendum eſt inter bonum ſpirituale, & bonum naturale; bonum ſpirituale ſuum quale habet a veris fidei, eorum copia, & nexu, ut dictum eſt; bonum autem naturale connaſcitur, & quoque exiſtit per accidentia, ut per infortunia, morbos, & ſimilia: bonum naturale nullum ſalvat, bonum autem ſpirituale omnes ſalvat; cauſa eſt, quia bonum, quod formatur per vera fidei, eſt planum, in quod influere poteſt cœlum, hoc eſt, Dominus per cœlum, ac ducere hominem, & detinere illum a malo, ac poſtea elevare in cœlum; bonum autem naturale, non ita; quare illi, qui in bono naturali ſunt, tam facile auferri poſſunt a falſo quam a vero, modo falſum appareat in forma veri; & tam facile duci poſſunt a malo quam a bono, modo malum ſiſtatur ut bonum, ſunt ſicut plumæ in vento.

7762. Confidentia ſeu fiducia, quæ dicitur fidei, & vocatur fides, non eſt confidentia ſeu fiducia ſpiritualis, ſed naturalis; confidentia ſeu fiducia ſpiritualis eſſentiam & vitam ſuam habet ex bono amoris, non autem ex vero fidei ſeparato; confidentia fidei ſeparatæ eſt mortua: quapropter vera confidentia non dabilis eſt apud illos, qui vitam malam egerunt: ipſa etiam confidentia, quod ſalvatio ſit per meritum Domini, utcunque vita fuerat, nec eſt ex vero.

CAPUT XI.

1. ET dixit JEHOVAH ad Moſchen, adhuc plagam unam adducam ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum; poſt ita dimittet vos abhinc; ſicut dimittere illum omne, expellendo expellet vos abhinc.

2. Dic age in auribus populi, & petant vir ex ſocio ſuo, & mulier ex ſocia ſua, vaſa argenti & vaſa auri.

3. Et dedit JEHOVAH gratiam populi in auribus Ægyptiorum; etiam vir Moſcheh magnus valde in terra Ægypti, in oculis ſervorum Pharaonis, & in oculis populi.

4. Et dixit Moſcheh, ita dixit JEHOVAH, circa medium noctis Ego exibo in Medium Ægypti.

5. Et morietur omnis primogenitus in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, uſque ad primogenitum ancillæ, quæ poſt molas; & omne primogenitum beſtiæ.

6. Et erit clamor magnus, in tota terra Ægypti, qui ſicut ille non fuerat, & ſicut ille non addetur.

7. Et omnibus filiis Iſraelis non movebit canis linguam, ad a Viro & uſque ad beſtiam: propterea ut ſciatis, quod diſcernat JEHOVAH inter Ægyptios & inter Iſraelem.

8. Et deſcendent omnes ſervi tui illi ad me, & incurvabunt ſe mihi, dicendo, exi tu & omnis populus, qui in pedibus tuis, & poſt ita exibo; & exivit a cum Pharaone in excandeſcentia iræ.

9. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, non audiet ad vos Pharao, propterea ut multiplicari prodigia mea in terra Ægypti.

10. Et Moſcheh & Aharon fecerunt omnia prodigia illa coram Pharaone: & obfirmavit JEHOVAH cor Pharaonis; & non dimiſit filios Iſraelis e terra ſua.

CONTENTA.

7763. AGitur in hoc Capite in ſenſu interno de damnatione fidei ſeparatæ a charitate, quæ ſignificatur per Primogenita Ægypti quæ in media nocte morti data ſunt: tum de ſcientificis veri & boni transferendis ad illos qui ab Eccleſia ſpirituali; quæ ſignifican-
tur

tur per vaſa argenti & auri, quæ filii Iſraelis mutuo peterent ab Ægyptiis.

SENSUS INTERNUS.

7764. Verſ: 1. 2. 3. *ET dixit Jehovah ad Moſchen, adhuc plagam unam adducam ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum; poſt ita dimittet vos abhinc; ſicut dimittere illum omne, expellendo expellet vos abhinc. Dic age in auribus populi, & petant vir ex ſocio ſuo, & mulier ex ſocia ſua, vaſa argenti & vaſa auri. Et dedit Jehovah gratiam populi in oculis Ægyptiorum; etiam vir Moſcheh magnus valde in terra Ægypti, in oculis ſervorum Pharaonis, & in oculis populi.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem: adhuc plagam unam adducam ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum, ſignificat finem vaſtationis, qui damnatio: poſt ita dimittet vos abhinc, ſignificat quod tunc relinquentur: ſicut dimittere illum omne, expellendo expellet vos abhinc, ſignificat quod relinquent plane, ac averſabuntur & fugient præſentiam illorum: dic age in auribus populi, ſignificat informationem & obedientiam: & petant vir ex ſocio ſuo & mulier ex ſocia ſua, vaſa argenti & vaſa auri, ſignificat quod ſcientifica veri & boni adempta malis, qui fuerunt ab Eccleſia, addicanda erunt bonis qui inde: & dedit Jehovah gratiam populi in oculis Ægyptiorum, ſignificat timorem illorum qui in malis pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali propter plagas: etiam vir Moſcheh magnus valde in terra Ægypti, ſignificat reſpectum pro Vero Divino nunc: in oculis ſervorum & in oculis populi, ſignificat apud illos qui ibi in ſubordinatione erant.

7765. Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem, ut n: 7186. 7267. 7304. 7380.

7766. Adhuc plagam unam adducam ſuper Pharaonem & ſuper Ægyptum, quod ſignificet finem vaſtationis qui damnatio, conſtat ex ſignificatione adhuc plagæ unius, quod ſit ultimum vaſtationis. Quod per plagas ſuper Ægyptum adductas, ſignificati ſint ſtatus ſucceſſivi vaſtationis, a præcidentium explicatione patet; quod ultimum ſit damnatio, nempe fidei ſeparatæ a charitate, patebit a ſequentibus, nam per primogenita morti data in Ægypto, ſignificatur damnatio illius fidei, per mortem ipſa damnatio, & per primogenita fides: fides dicitur damnata, quando illa quæ fidei ſunt applicantur ad patrocinandum falſis & malis, quando illis patrocinantur, tranſeunt ad partes illorum, & fiunt confirmantia, hoc fit apud illos qui & doctrina & vita ſeparant fidem a charitate; ſed apud hos non eſt fides, eſt modo ſcientia talium quæ fidei, quæ ab illis vocatur fides; hoc intelligitur per fidem damnatam: inſuper ipſa ſubjecta, in quibus talia quæ fidei ſunt, adjuncta falſis & malis fuerunt, poſt vaſtationes in damnatione ſunt; damnatio

ſentitur

ſentitur per putorem & fætorem, qui ex illis exhalat, pluſquam ab illis, apud quos non talia quæ fidei ſunt, fuerunt: ſe habet hoc in particulari ſicut in communi; in communi, ſi malus ſpiritus accedit ad ſocietatem cœleſtem, ubi charitas, ſentitur manifeſte ab illo fætor; ſimiliter in particulari, ubi talia fuerant quæ cœli, hoc eſt, quæ fidei, & in eodem ſubjecto etiam talia quæ inferni. Ex his nunc patet, quod per adhuc plagam unam, quæ adducetur ſuper Pharaonem & ſuper Ægyptum, ſignificetur ultimum vaſtationis, quod eſt damnatio; per Pharaonem enim repræſentantur illi qui infeſtarunt, hic qui damnantur; & per Ægyptum ſignificatur mens naturalis, n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301. 6147. 6252.

7767. Poſt ita dimittet vos abhinc, quod ſignificet quod tunc relinquentur, conſtat a ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere, ut ſæpe prius.

7768. Sicut dimittere illum omne, expellendo expellet vos abhinc, quod ſignificet quod relinquent plane, ac averſabuntur & fugient præſentiam illorum, conſtat ex ſignificatione dimittere omne, quod ſit relinquere plane; & ex ſignificatione expellendo expellere vos, quod ſit averſari & fugere illos qui ab Eccleſia ſpirituali, quos infeſtarunt; qui enim averſatur præſentiam alicujus, etiam fugit illam, & quoque a ſe expellit illum. Quod nunc averſentur & fugiant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, eſt quia bonum & verum, quæ influunt, nunc cruciant illos; ſe habent illa ſicut ulcera dolorifica, quæ ne quidem tactum tepentis aquæ, aut aſpiratum aeris ſufferunt; aut ſicut oculus læſus non radios etiam lenes ſolis; ita apud infeſtantes, mens eorum naturalis tale ſaucium nunc eſt; nam poſtquam vaſtati ſunt, hoc eſt, poſtquam rejecta ſunt illa quæ fuerunt fidei, tunc dolent ad minimum aſpiratum boni & veri, inde averſatio.

7769. Dic age in auribus populi, quod ſignificet informationem, & obedientiam, conſtat ex ſignificatione dicere, quod hic ſit informatio, nam dicit hic Jehovah quid filii Iſraelis facturi, quando ab Ægypto diſcedent: obedientia ſignificatur per dicere in auribus, aures enim correſpondent obedientiæ, & inde ſignificant illam, n: 2542. 3869. 4551. 4652 ad 4660.

7770. Et petant vir ex ſocio ſuo, & mulier ex ſocia ſua vaſa argenti & vaſa auri, quod ſignificet quod ſcientifica veri & boni adempta malis, qui fuerunt ab Eccleſia, addicanda erunt bonis qui inde, conſtat ex ſignificatione vaſorum argenti & vaſorum auri, quod ſint ſcientifica veri & boni; quod argentum ſit verum, & aurum bonum, videatur n: 1551. 1552. 2954. 5658. 6112, & quod vaſa ſint ſcientifica, n: 3068. 3079: ſcientifica vocantur vaſa veri & boni, quia continent illa; creditur quod ſcientifica veri & boni, ſint ipſa vera & bona quæ ſunt fidei; ſed non ſunt illa, ſunt affectiones veri & boni, quæ faciunt fidem; illæ influunt in ſcientifica, ut in ſua vaſa Quod petere illa ab Ægyptiis, ſit auferre illa, & ſibi addicare, patet; inde in Capite præced: III, dicitur; quod deprædarentur Ægyptios, Verſ: 22; & in Capite ſeq: XII, quod eripuerint: quod dicatur, quod vir peteret a ſocio, & mulier a ſocia, eſt quia vir ſe refert ad verum, & mulier ad bonum, ut quoque illa ſignificant. Quomodo hæc ſe habent, videatur explicatio ad Cap: III: Verſ: 22. Exod: n: 6914. 6917; ex qua conſtare poteſt, quod ipſa ſcientifica

ſcientifica veri & boni, quæ fuerunt illis ab Eccleſia, qui ſciverunt arcana fidei, & tamen vixerunt vitam mali, trasferantur ad illos qui ab Eccleſia ſpirituali; quomodo tranſlatio illa fit, videatur n: 6914: hæc ſignificantur per Domini verba apud Matthæum " Dixit dominus ad illum qui abivit & abſcondidit talentum in terra, *tollite ab eo talentum*, & *date habenti decem talenta: habenti* namque omni *dabitur ut abundet*; *ab eo autem qui non habet*, *etiam quod habet*, *auferretur*; *ſervum autem inutilem ejicite in tenebras exteriores*" xxv: 25. 28. 29. 30. & Luc: xix: 24. 25. 26. Similiter apud Eundem " *Quicunque habet*, *dabitur illi*, *ut abundanter habeat*, *quicunque vero non habet*, *etiam quod habet*, *auferretur ab eo*" xiii: 12. & Marc: iv: 24. 25: cauſa eſt, quia cognitiones boni & veri apud malos applicantur ad uſus malos; & cognitiones boni & veri apud bonos applicantur ad uſus bonos; cognitiones ſunt eædem, ſed applicatio ad uſus facit quale earum apud unumquemvis: ſe habent hæ ſicut divitiæ mundanæ, hæ apud unum diſponuntur ad uſus bonos, apud alterum ad uſus malos; inde divitiæ apud unumquemvis tales ſunt, quales uſus ad quos diſponuntur: ex eo quoque patet, quod eædem cognitiones, ſicut eædem divitiæ, quæ fuerant apud malos, poſſint eſſe apud bonos, & inſervire pro uſibus bonis: ex his nunc conſtare poteſt, quid repræſentat, quod mandatum ut filii Iſraelis mutuo peterent ab Ægyptiis vaſa argenti & vaſa auri, & ſic eriperent & deprædarentur illos; talis ereptio ſeu deprædatio, nuſquam a Jehovah mandata fuiſſet, niſi talia in ſpirituali mundo repræſentaviſſet: his ſimilia ſunt, quæ apud Eſaiam " Tandem erit mercatura Tyri, & *merces meretricia* ejus, *ſanctum Jehovæ*; non reponetur, neque detinebitur, ſed *habitantibus coram Jehovah erit mercatura ejus ad comedendum*, ad *exſatiandum ſe*, & *tegenti ſe antiquo*" xxiii: 18, ibi de Tyro, per quam ſignificantur cognitiones boni & veri, n: 1201; mercatura & merces meretriciæ ſunt cognitiones applicatæ uſibus malis; quod illæ darentur bonis, qui applicabunt illas ad uſus bonos, ſignificatur per quod habitantibus coram Jehovah erit mercatura ejus ad comedendum, ad exſatiandum tegenti ſe antiquo. Etiam apud Micham " Surge & tritura filia Zionis, quia cornu tuum faciam ferrum, & ungulas tuas faciam æs, ut comminuas populos multos; & *Devovi quæſtum eorum Jehovæ*, & *opes eorum Domino totius terræ*" iv: 13, comminuere populos multos, pro illos devaſtare; quæſtus qui devotus Jehovæ & Domino totius terræ ſunt cognitiones veri & boni. Quod *David ſanctificaverit Jehovæ argentum* & *aurum*, *quod ſumſerat de gentibus* quas ſubegit, de Syris, de Moabo, de filiis Ammonis, de Philiſthæis, de Amaleck, & de præda Hadad Ezeris" 11 Sam: viii: 11. 12, Et quod Salamo *ſanctificata patris* ſui *poſuerit inter theſauros domus Jehovæ*" 1 Reg: vii: 51, ſimile involvit.

7771. Et dedit Jehovah gratiam populi in oculis Ægyptiorum, quod ſignificet timorem illorum qui in malis pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali, propter plagas, conſtat ex illis quæ prius n: 6914, explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

7772. Etiam vir Moſcheh Magnus valde in terra Ægypti, quod ſignificet

reſpectum pro Vero Divino nunc, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum, de qua ſæpius; ex ſignificatione magnus valde, quod ſit reſpectus, hic reſpectus ex timore, quoniam mali qui in inferno pro Divino non alium reſpectum habent quam timoris; quod magnus valde ſit reſpectus, patet, nam dicitur, in oculis ſervorum, & in oculis populi; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit mens naturalis, de qua n: 5276. 5278. 5280. 5288. 5301. 6147. 6252: inde patet, quod per vir Moſcheh magnus valde in terra Ægypti, ſignificetur reſpectus pro Vero Divino in mente, nempe infeſtantium.

7773. In oculis ſervorum, & in oculis populi, quod ſignificet apud illos qui ibi in ſubordinatione erant, conſtat ex ſignificatione ſervorum & populi, quod ſint qui ſubordinati; per Pharaonem enim repræſentantur primarii qui infeſtarunt, ſub quibus ſubordinati reliqui. Quod ſignificentur ſubordinati, eſt quia in apud malos æque ac apud bonos, ſeu in inferno ut in cœlo, eſt forma regiminis, ſunt nempe dominationes, & ſunt ſubordinationes, abſque illis ſocietas nec cohæreret: ſed ſubordinationes in cœlo plane aliter ſe habent quam ſubordinationes in inferno: in Cœlo ſunt omnes ſicut pares, amat enim unus alterum ut frater fratrem; uſque tamen unus præfert alterum ſibi ſicut præſtat intelligentia & ſapientia; ipſe amor boni & veri facit ut quiſque ſe quaſi ex ſe ſubordinet illis qui in ſapientia boni & in intelligentia veri præ ſe ſunt: ſubordinationes autem in inferno ſunt imperii, & inde ſævitiæ; qui imperat, ſævit in illos qui non omni ſuo nutui favent; habet enim quiſque alterum pro hoſte, exterius autem pro amico, colligationis cauſa contra violentiam aliorum; colligatio illa eſt qualis latronum; ſubordinati continue ſpirant ad dominium, & quoque erumpunt ſæpe; tunc ſtatus ibi lamentabilis, nam tunc ſævitiæ & crudelitates; hoc fit per vices. Ex his conſtare poteſt, quomodo ſe habet cum ſubordinationibus in altera vita.

7774. Verſ: 4. 5. 6. 7. 8. *Et dixit Moſcheh, ita dixit Jehovah, circa medium noctis Ego exibo in medium Ægypti. Et morietur omnis primogenitus in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, uſque ad primogenitum ancillæ, quæ poſt molas; & omne primogenitum beſtiæ. Et erit clamor magnus in tota terra Ægypti, qui ſicut ille non fuerat, & ſicut ille non addetur. Et omnibus filiis Iſraelis non movebit canis linguam ſuam, ad a viro & uſque ad beſtiam, propterea ut ſciatis quod diſcernat Jehovah inter Ægyptios & inter Iſraelem. Et deſcendent omnes ſervi tui, illi ad me, & incurvabunt ſe mihi, dicendo, exi tu & omnis populus, qui in pedibus tuis, & poſt ita exibo: & exivit a cum Pharaone in excandeſcentia iræ.* Et dixit Moſcheh, ita dixit Jehovah, ſignificat inſtructionem: circa medium noctis, ſignificat cum devaſtatio totalis: Ego exibo in medium Ægypti, ſignificat præſentiam Divini ubivis tunc: & morietur omnis primogenitus in terra Ægypti, ſignificat damnationem fidei ſeparatæ a charitate tunc: a primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, ſignificat vera falſificata fidei quæ primo loco: uſque ad primogenitum ancillæ quæ poſt molas, ſignificat vera falſificata fidei quæ poſtremo loco: &

omne primogenitum beſtiæ, ſignificat fidei bona adulterata: & erit clamor magnus in tota terra Ægypti, ſignificat lamentationem interiorem: qui ſicut ille non fuerat, & ſicut ille non addetur, ſignificat quod talis ſtatus eſſet, ut ei non ſimilis dare poſſet: & omnibus filiis Iſraelis non movebit canis linguam ſuam, ſignificat quod apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali non minimum damnationis & lamentationis eſſet: ad a viro & uſque ad beſtiam, ſignificat non quoad verum nec quoad bonum: propterea ut ſciatis quod diſcernat Jehovah inter Ægyptios & inter Iſraelem, ſignificat ut notum ſit quale diſcrimen ſit inter illos qui in malo & qui in bono: & deſcendent omnes ſervi tui illi ad me, ſignificat illos qui ſubordinati: & incurvabunt ſe mihi, ſignificat reſpectum ex timore pro Vero Divino: dicendo exi tu & omnis populus qui in pedibus tuis, ſignificat ſupplicationem ut diſcedant ab illis qui in Vero a Divino ſunt, a ſummo ad imum: & poſt ita exibo, ſignificat quod Verum Divinum diſcedet: & exivit a cum Pharaone in excandeſcentia iræ, ſignificat præſentiæ Veri Divini divulſionem a damnandis.

7775. Et dixit Moſcheh ita dixit Jehovah, inſtructionem, ut ſupra n: 7764.

7776. Circa medium noctis, quod ſignificet cum devaſtatio totalis, conſtat ex ſignificatione medii noctis, quod ſit cum denſiſſima caligo, hoc eſt, cum merum falſum; nox enim ſignificat ſtatum falſi, n: 2353. 6000, medium ejus eſt ſummum; ita medium noctis eſt devaſtatio totalis.

7777. Ego exibo in medium Ægypti, quod ſignificet præſentiam Divini ubivis tunc, conſtat ex ſignificatione exire per medium, cum dicitur de Jehovah, quod ſit præſentia Divini; ubivis ſignificatur per medium, cum prædicatur de terra; nam exire per medium Ægypti, eſt in omnem.

7778. Et morietur omnis primogenitus in terra Ægypti, quod ſignificet damnationem fidei ſeparatæ a charitate, conſtat ex ſignificatione mori, quod ſit damnatio, de qua n: 5407. 6119; & ex ſignificatione primogeniti, quod ſit fides Eccleſiæ per quam charitas, de qua n: 352. 2435. 6344. 7035; primogenitus autem in terra Ægypti, eſt fides abſque charitate, de qua videatur ſupra n: 7766. Quod fidem abſque charitate attinet, ulterius dicendum fides quæ abſque charitate, non eſt fides, ſed modo ſcientia talium quæ fidei, vera enim fidei ſpectant charitatem ut ſuum finem ultimum, ac poſtea procedunt a charitate ut a ſuo fine primo; inde patet, quod illa quæ fidei ſunt, non dentur apud illos qui non in charitate; quod tamen detur ſcientia verorum fidei apud illos, notum eſt; hæc ſcientia eſt, quæ ab illis vocatur fides; & cum ſcientifica veri & boni fidei ab illis applicantur ad confirmanda falſa & mala, tunc non amplius ſunt apud illos vera & bona fidei, nam accedunt ad falſa & mala, quibus inſerviunt, nam ſpectantur in illis tunc ipſa illa falſa & mala quæ confirmant: illa quæ genuinæ fidei ſunt, ſpectant furſum ad cœlum & ad Dominum, at illa quæ fidei ſeparatæ a charitate ſunt, ſpectant deorſum, & cum confirmant mala & falſa, ad infernum; inde quoque patet, quod fides ſeparata a charitate non ſit fides; ex

his

his conſtare poteſt, quid intelligitur per damnationem fidei ſeparatæ a charitate, quod nempe falſificati veri & adulterati boni, quæ fidei, nam verum cum falſificatum eſt, non amplius eſt verum ſed falſum, & bonum cum adulteratum non amplius eſt bonum ſed malum; & ipſa fides non amplius eſt fides veri & boni, ſed falſi & mali, utcunque in externa forma apparet & ſonat: & quod arcanum eſt, talis unicuique eſt fides, qualis eſt vita; ſi itaque vita damnata eſt, etiam eſt fides, eſt enim fides falſi cum vita eſt mali: quod ita ſit non apparet in mundo, ſed manifeſtatur in altera vita, cum ibi mali deprivantur ſcientia veri & boni, tunc prodeunt e malis falſa, quæ apud illos recondita jacuerunt. Apud quoſdam malos eſt perſuaſio quod verum fidei ſit verum, hoc perſuaſivum etiam putatur eſſe fides, ſed non eſt fides; impreſſum enim eſt ex fine quod inſerviat pro medio captandi lucrum, honores, & famam; vera illa quamdiu pro mediis inſerviunt, amantur propter finem, qui eſt malus, at cum non amplius inſerviunt, relinquuntur, imo ſpectantur ut falſa; hæc perſuaſio eſt quæ vocatur fides perſuaſiva; & eſt quæ intelligitur per Domini verba apud Matthæum "Multi dicent Mihi in die illa, Domine, Domine, nonne per Nomen Tuum prophetavimus; & per Nomen Tuum dæmonia ejecimus, & in Nomine Tuo multas virtutes fecimus: ſed tunc confitebor illis, non novi vos, diſcedite a Me operantes iniquitatem" VII: 22, 23: eadem fides etiam intelligtur per lampades abſque oleo apud quinque virgines ſtultas; quæ etiam dixerunt Domine, Domine, aperi nobis; ſed reſpondens dixit, amen dico vobis, non novi vos" Matth: XXV: 11: 12, per lampades ſignificantur vera fidei, & per oleum bonum charitatis; ita per lampades abſque oleo, vera fidei abſque bono charitatis.

7779. A primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, quod ſignificet vera falſificata fidei quæ primo loco, conſtat ex ſignificatione primogeniti, quod ſit fides, de qua n: 352. 2435. 6344. 7035; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſit ſcientificum in communi pervertens vera Eccleſiæ, de qua n: 6015. 6651. 6344. 6679. 6683. 6692; ita primogenitus Pharaonis eſt fides talium, proinde fides falſificatorum verorum fidei; & ex ſignificatione throni, quod ſit regnum veri, ac in oppoſito ſenſu regnum falſi, de qua n: 5313: quod intelligantur per primogenitum Pharaonis ſeſſurum ſuper throno illius vera falſificata fidei quæ primo loco, patet ex eo quod dicatur uſque ad primogenitum ancillæ quæ poſt molas, per quæ ſignificantur vera falſificata fidei quæ poſtremo loco; & præterea filius regis eſt primarium, quia rex eſt caput. Vera falſificata primo loco ſunt illa quæ pro eſſentialibus agnoſcuntur, ſicut hæc, quod fides ſalvet utcunque vixerat homo, & quod ſalvet hominem in ultima vitæ ejus hora, & quod tunc purus ſit a peccatis, ita quod hæc abſtergantur momento, ſicut ſordes manuum ab aquis; quæ ponunt, quod fides detur abſque charitate, & quod, quoad ſalvationem hominis, vita nihil faciat, tum quod homo diabolus poſſit momento Angelus Dei fieri; talia & ſimilia ſunt vera falſificata primo loco; quæ inde derivantur proxime, ſunt ſecundo; quæ remote, ſunt ultimo; dantur enim cujuſvis veritatis derivationes

amplæ & longa ſerie, quarum quædam intrant directe, quædam oblique, quæ modo tangunt, ultima ſunt. Quod talia & ſimilia ſint vera falſificata fidei, manifeſte patet; quis enim non ſcit, ſi juſte cogitat, quod vita fidei faciat ut homo ſpiritualis ſit, non autem fides niſi quantum ejus implantatum eſt vitæ; vita hominis eſt ejus amor, & quod amat hoc vult & hoc intendit, & quod vult & intendit, hoc facit; hoc eſt hominis eſſe, non autem quod ſcit & quod cogitat & non vult; id eſſe hominis nequaquam poteſt mutari in aliud eſſe per cogitare de mediatione & ſalvatione; ſed per novam regenerationem, quæ fit per multum vitæ ejus; nam e novo concipietur, naſcetur, adoleſcet; hoc non fit per cogitare & loqui, ſed per velle & agere. Hæc dicta ſunt, quia per primogenitum Pharaonis, & primogenitos Ægyptiorum, ſignificatur fides ſeparata a charitate; quæ quod non fides ſit, ſed ſcientia talium quæ ſunt fidei, in præcedentibus oſtenſum eſt. Quod Ægyptiorum primogeniti illam fidem repræſentaverint, eſt cauſa, quia Ægyptii præ reliquis, qui Eccleſiam repræſentativam poſt diluvii tempus conſtituerunt, in ſcientia ritualium Eccleſiæ erant, n: 4749. 4964. 4966. 6004; eo tempore omnes ritus erant repræſentativi ſpiritualium quæ in cœlo; hæc noverunt Ægyptii præ reliquis; ſed ſucceſſu temporis cæperunt amare ſolas cognitiones, ac tunc, ſimiliter ac hodie, in ſcientia talium quæ Eccleſiæ ſunt, ponere omne Eccleſiæ, & non amplius in charitatis vita; ita invertebant totum ordinem Eccleſiæ, quo inverſo, vera, quæ fidei vocantur, non potuerunt non falſificari; nam vera quæ contra ordinem Divinum applicantur, quod fit cum ad mala, & apud Ægyptios ad magica, non amplius ſunt vera apud illos, ſed a malis, ad quæ applicantur, trahunt quod ſint falſa: ſit illuſtrationi cultus vituli apud Ægyptios; ſciverunt quid vitulus repræſentabat, quod nempe bonum charitatis; quamdiu hoc ſciverunt, & hoc cogitaverunt, cum vitulos viderent, aut cum pararent vitulos in conviviis charitatis, qualia antiquis fuerunt, & poſtea cum vituli adhiberentur in ſacrificiis, tunc ſane cogitabant, & ſimul cum Angelis in cœlo, nam illis vitulus eſt bonum charitatis; cum autem inciperent vitulos ex auro facere, & illos in templis ſuis ponere, ac colere, tunc inſane cogitabant, & ſimul cum infernalibus; ita invertebant repræſentativum verum in repræſentativum falſum.

7780. Uſque ad primogenitum ancillæ quæ poſt molas, quod ſignificet vera falſificata fidei quæ poſtremo loco, conſtat ex ſignificatione primogeniti, quod ſit fides, de qua mox ſupra n: 7779; & quia eſt fides, eſt verum in complexu, nam verum eſt fidei quia credendum; ex ſignificatione ancillæ, quod ſit affectio exterior veri, ſeu affectio ſcientiarum, de qua n: 1895. 2567. 3835. 3849; ancilla autem poſt molas eſt affectio ſcientiarum maxime externa, nam per poſt molas ſignificatur quod poſtremo loco eſt: poſt molas dicitur, quia mola prædicatur de illis quæ ſunt fidei; frumentum enim per molas comminuitur in farinam, & ſic præparatur ad panem, & per farinam ſignificatur verum ex quo bonum, & per panem ipſum illud bonum quod inde: ita ſedere ad molas, eſt addiſcere & imbuere talia quæ inſervitura

ſunt

ſunt fidei & per fidem charitati; inde eſt, quod Antiqui, cum deſcriberent prima doctrinæ fidei rudimenta, deſcripſerint id per ſedere ad molas, & quæ adhuc rudiora eſſent, per ſedere poſt molas: quia talia ſignificabantur, idcirco Dominus, ubi de ultimo tempore Eccleſiæ docet, dicit "*Duæ molentes in mola, una aſſumetur, & altera derelinquetur*" Matth: XXIV: 4; quæ nequaquam dicta fuiſſent, niſi mola ſignificaret illa quæ fidei eſſent: quid mola & molere in ſenſu interno, videatur n: 4335. Quod vera fidei attinet, quæ primo loco, & quæ poſtremo, ſciendum, quod illa vera fidei, quæ immediate procedunt ex bono charitis, ſint quæ primo loco, nam ſunt bona in forma; vera autem quæ ultimo loco ſunt nuda vera; cum enim vera ſucceſſive derivantur, recedunt in quovis gradu a bono, & tandem nuda vera fiunt: talia vera ſunt quæ ſignificantur per ancillas poſt molas.

7781. Et omne primogenitum beſtiæ, quod ſignificet fidei bona adulterata, conſtat ex ſignificatione primogeniti, quod ſit fides; & ex ſignificatione beſtiæ, quod ſint affectiones boni, & in oppoſito ſenſu affectiones mali, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776. 2179. 2180. 3519. 5198. 4724: quod beſtiæ talia ſignificent, eſt ex repræſentativis in altera vita, n: 3218; ideo quoque talia per illas ſignificabantur in ſacrificiis n: 2180. 2805. 2807. 2830. 3519: quia beſtiæ illa ſignificabant, ideo per progenitum beſtiæ ſignificatur veri bonum, hic adulteratum, quia apud Ægyptios, qui omnia vera & bona perverterunt per applicationes ad malos uſus.

7782. Et erit clamor magnus in tota terra Ægypti, quod ſignificet lamentationem interiorem, conſtat ex ſignificatione clamoris, qui propter primogenitos mortuos, in ſenſu interno propter damnationem, quod ſit lamentatio; quod clamor magnus ſit lamentatio interior, eſt quia lamentatio quo major eſt, eo eſt interior.

7783. Qui ſicut ille non fuerat, & ſicut ille non addetur, quod ſignificet quod talis ſtatus eſſet ut ei non ſimilis dari poſſet, conſtare poteſt ex illis quæ n: 7649. 7680, explicata ſunt.

7784. Et omnibus filiis Iſraelis non movebit canis linguam, quod ſignificet quod apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali non minimum damnationis & lamentationis erit, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; & ex ſignificatione non movere canis linguam, quod ſit non minimum damnationis eſt lamentationis eſſe, nam opponitur clamori magno qui erit in terra Ægypti, qui eſt lamentatio interior, n: 7782, & hoc propter damnationem, quæ ſignificatur per mortem primogenitorum. Quod non minimum damnationis ſit illis qui ab Eccleſia ſpirituali, hoc eſt, qui in bono Eccleſiæ illius, non intelligendum quod abſque omni malo ſint, ſed quod detineantur a malo in bono a Domino; proprium illorum non eſt niſi quam malum & damnatum, ſed proprium Domini quod accipiunt eſt bonum ita abſque omni damnatione, ita intelligitur quod nihil damnationis illis qui in Domino ſunt. Quod dicatur, non movebit canis linguam, eſt

propter

propter ſignificationem canis; Canis ſignificat omnium infimos ſeu viles in Eccleſia, etiam qui extra Eccleſiam ſunt, tum qui multum blaterant de talibus quæ Eccleſiæ, ac parum intelligunt; & in oppoſito ſenſu, qui prorſus extra Eccleſiæ fidem ſunt, atque ea, quæ fidei, contumeliis efficiunt: quod Canes ſignificent illos qui extra Eccleſiam, conſtat apud Matthæum "Jeſus dixit ad mulierem Græcam Syrophæniſſam, non bonum eſt ſumere panem filiorum, & *projicere canibus*; illa vero dixit, certe Domine, verum *catelli etiam edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum:* tunc reſpondens Jeſus dixit illi, mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt mulier" xv: 26. 27. 28: & Marc: vii: 27. 28, ibi per filios intelliguntur qui intra Eccleſiam, & per canes qui extra: ſimiliter per *Canes* qui lingebant ulcera Lazari" Luc: xvi: 21, per divitem enim ibi in ſenſu interno intelligitur qui intra Eccleſiam, & inde divitiis ſpiritualibus, quæ ſunt cognitiones veri & boni, abundat. Canes pro illis qui intra Eccleſiam infimo loco ſunt, qui de talibus quæ Eccleſiæ multum blaterant, & parum intelligunt; ac in oppoſito ſenſu, qui ea quæ fidei contumeliis afficiunt; apud Eſaiam "Speculatores ejus cæci omnes, non ſciunt, *omnes ſunt canes muti, non poſſunt latrare*, ſpectantes, cubantes, amantes dormire" lvi: 10. Apud Davidem "*Tumultuantur ſicut canis*, circum eunt in urbe quia *eructant ore ſuo, gladii in labiis illorum*" Pſalm: lix: 7. 15. Apud Eundem "Ut imprimat pes tuus in ſanguinem, *linguam canum tuorum*" Pſalm: lxviii: 14. Apud Matthæum "*Ne detis quod ſanctum eſt Canibus*; ne projicite margaritas veſtras ante porcos; ne forte conculcent ea pedibus ſuis, & *verſi lacerent vos*" vii: 6. Inde omnium viliſſimum, quod projiciendum, per Canem mortuum ſignificatur, i Sam: xxvi: 15. ii Sam: ix: 8. Cap: xvi: 9.

7785. Ad a viro & uſque ad beſtiam, quod ſignificet non quoad verum, nec quoad bonum, conſtat ex ſignificatione viri, quod ſit verum, de qua n: 3134; & ex ſignificatione beſtiæ, quod ſit affectio boni, ita bonum, de qua mox ſupra n: 7781.

7786. Propterea ut ſciatis, quod diſcernat Jehovah inter Ægyptios & inter Iſraelem, quod ſignificet ut notum ſit quale diſcrimen ſit inter illos qui in malo, & qui in bono, conſtat ex ſignificatione ſcire, quod ſit notum eſſe; ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in malo; per Ægyptios prius ſignificati ſunt qui in falſo, nunc autem poſtquam vaſtati ſunt quoad Eccleſiæ vera quæ ſciverunt, per illos ſignificantur qui in malo; per mortem enim primogenitorum ſignificatur damnatio, quæ eſt ſtatus mali; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 7784, ita qui in bono; nam qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt per fidem ducuntur ad charitatem, ita per verum ad bonum.

7787. Et deſcendent omnes ſervi tui ad me, quod ſignificet illos qui ſubordinati, conſtat ex ſignificatione ſervorum Pharaonis, quod ſint qui ſubordinati, de qua ſupra n: 7772.

7788. Et incurvabunt ſe mihi, quod ſignificet reſpectum ex timore pro

Vero

Vero Divino, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit verum Divinum, de qua ſæpius; & ex ſignificatione incurvare ſe, quod ſit humiliatio, hic autem quia dicitur de illis qui in malo, eſt reſpectus ex timore: dicitur reſpectus ex timore, quia mali non aliquem reſpectum pro Vero Divino, ne quidem pro Ipſo Divino, habent, quam qui illis eſt ex timore; illi enim, qui in inferno ſunt, ſe modo amant, & qui ſe modo amant non pro alio aliquem reſpectum habent, nam omnem reſpectum pro aliis, etiam pro Ipſo Divino, vertunt ad ſe, ubi amor ibi reſpectus, ubi non amor ibi non reſpectus, niſi qui ex timore: inde eſt, quod mali in altera vita ſubeant pænas, uſque tandem ut non hiſcant inſurgere contra bonos, & illos infeſtare; nam non per aliud medium, quam per timorem pænarum abſterrentur a faciendo malo.

7789. Dicendo, exi tu & omnis populus, qui in pedibus tuis, quod ſignificet ſupplicationem quod diſcedant ab illis qui in Vero a Divino ſunt, a ſummo ad imum, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit diſcedere; ex repræſentatione Moſchis, qui hic eſt tu, quod ſit verum Divinum; ex ſignificatione populi, quod ſint qui in Vero a Divino; per filios enim Iſraelis, qui hic ſunt populus, repræſentantur qui ab Eccleſia ſpirituali, ita qui in vero boni & in bono veri hic qui in vero a Divino, quia dicitur populus qui in pedibus tuis, per Moſchen enim repræſentatur Verum Divinum; & ex ſignificatione in pedibus tuis, quod ſint qui infra ſunt, ita qui ſubordinati; pedes enim ſignificant inferiora, quia naturalia, mundus enim naturalis eſt infra mundum ſpiritualem, quod pedes ſignificent naturalia, videatur n: 2162. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952, inde eſt, quod dicatur populus, qui in pedibus tuis: ſignificatur etiam a ſummo ad imum, per Moſchen ſummum, quia Verum Divinum, per populum in pedibus ejus, omnes & ſinguli qui in Vero a Divino.

7790. Et poſt ita exibo, quod ſignificet quod Verum Divinum diſcedet, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit diſcedere; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum. Hæc ſignificant, quod ab illis qui infeſtarunt probos, cum damnantur, omne Verum Divinum diſcedat, nam tunc in ſtatu mali ſui ſunt, & malum rejicit & exſtinguit omne Verum Divinum: prius, antequam damnati ſunt, vera fidei quidem ſciverunt, ſed uſque vera in ſe non habuerunt; vera enim tunc in ore illorum fuerunt, non autem in corde; quapropter cum quoad illa vaſtati ſunt, remanet malum, & tunc quoque prodit falſum mali, quod reconditum in illis jacuerat: nam tametſi profeſſi ſunt vera, in illis tamen non fuerunt, ſed in falſis: ipſa etiam profeſſio veri, nec a ſuo principio, nempe ex bono, deſcendit, ſed ex malo, nam fuit illis propter lucrum, honores & famam, ita propter ſe & mundum. Vera quæ ex tali principio deſcendunt, hærent in ſuperficie, & inde, cum vaſtantur, ſicut ſquamæ decidunt, & cum decidunt, relinquunt loca graveolentia & putentia ex falſis quæ ex malis ibi exhalant: talis ſors eſt illorum, qui ſciverunt vera fidei, & tamen vixerunt contra illa; ſecundum Domini verba apud Lucam. "Ille ſervus, qui ſcit voluntatem Domini, ſed neque parat ſe, neque facit voluntatem ejus, percutietur

multis

multis: qui vero non novit, licet faciat digna plagis, percutietur paucis" XII: 47. 48.

7791. Et exivit a cum Pharaone in excandeſcentia iræ, quod ſignificet præſentiæ Veri Divini divulſionem a damnandis, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit diſcedere, hic divelli, quia dicitur in excandeſcentia iræ; ultimo etiam, quando damnatio, eſt divulſio, nam cum Verum Divinum incipiunt averſari, tum timere, & tandem horrere ad præſentiam ejus, tunc divellunt ſe ab illo; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum, de qua ſæpius; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtarunt illos qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua etiam ſæpius, hic autem qui damnandi, damnatio enim ſignificatur per quod primogeniti morti dandi eſſent, n: 7778; & ex ſignificatione excandeſcentiæ iræ, quod ſit repugnantia & averſio, de qua n: 3614. 5034. 5798, & cum tribuitur Divino, ut hic Divino Vero, quod per Moſchen repræſentatur, non intelligitur quod Divinum avertat ſe, ſed quod illi qui in malo, n: 5798: excandeſcentia prædicatur de falſo, & ira de malo, n: 3614.

7792. Verſ: 9. 10. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, non audiet ad vos Pharao, propterea ut multiplicari prodigia mea in terra Ægypti. Et Moſcheh & Aharon fecerunt omnia prodigia illa coram Pharaone. Et obſirmavit Jehovah cor Pharaonis, & non dimiſit filios Iſraelis e terra ſua.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat informationem: non audiet ad vos Pharao, ſignificat non obedientiam: propterea ut multiplicari prodigia mea in terra Ægypti, ſignificat ut confirmentur quod in nulla fide fuerint, ſed in malo: & Moſcheh & Aharon fecerunt omnia prodigia illa coram Pharaone, ſignificat quod vaſtationes illæ & inde confirmationes quod in malo, factæ ſint per Verum procedens a Divino: & obſirmavit Jehovah cor Pharaonis, ſignificat quod ſe obſtinarent: & non dimiſit filios Iſraelis e terra ſua, ſignificat quod non relinquerent illos qui ab Eccleſia ſpirituali.

7793. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet informationem, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah prædicitur quid fiet, quod ſit informatio.

7794. Non audiet ad vos Pharao, quod ſignificet non obedientiam, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit obedientia, de qua n: 2542. 3869. 4652 ad 4660. 5017. 7216; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtarunt probos in altera vita, nunc iidem qui damnandi.

7795. Propterea ut multiplicari prodigia mea in terra Ægypti, quod ſignificet ut confirmetur quod in nulla fide fuerint, ſed in malo, conſtat ex ſignificatione prodigiorum & ſignorum, quæ facta ſunt in Ægypto, quod ſint vaſtationes & inde confirmationes quod in malo ſint, de qua n: 7633; prodigia enim illa ſignificabant totidem gradus vaſtationis illorum, qui intra Eccleſiam in ſcientia talium quæ fidei fuerunt, & tamen vixerunt male, & quia illi ſunt qui probos in altera vita infeſtant, eſt ſtatus illorum nunc qui hic ſignificatur n: 7465: per multiplicari illa prodigia, ſignificantur gradus ſucceſſivi illorum ſtatuum: cauſa quod totidem gradus ſint, eſt ut confirmentur

confirmentur mali quod in malo ſint, & quoque ut boni illuſtrentur de ſtatu illorum qui intra Eccleſiam male vixerunt, n: 7633; niſi forent illæ cauſæ, potuiſſent mali abſque tot ſtatuum mutationibus ſucceſſivis illico damnari & demitti in infernum. Quod mali, antequam damnantur & mittuntur in infernum, ſubeant tot ſtatus, prorſus ignotum eſt in mundo; creditur quod homo ſtatim vel damnetur, vel ſalvetur, & quod hoc fiat abſque omni proceſſu; ſed res aliter ſe habet; juſtitia ibi regnat, non damnatur aliquis, priuſquam ipſe ſcit, ac interius evictus eſt, quod in malo ſit, & quod prorſus in cœlo eſſe nequeat; aperiuntur quoque illi mala ſua; ſecundum Domini verba apud Lucam "Nihil occultatum eſt, quod non revelabitur, aut abſconditum quod non cognoſcetur: ideo quæcunque in tenebris dixeritis, in luce audientur; & quod in aurem loquuti fueritis in cubiculis, prædicabitur ſuper tectis," xii: 2. 3. 9. Matth: x: 26. Marc: iv: 22; & quod magis, etiam admonentur ut a malo deſiſtat, ſed cum hoc nequit propter dominium mali, tunc adimitur illi potentia malum faciendi per falſificationes veri & ſimulationes boni, quod fit ſucceſſive ab uno gradu in alterum, & tandem ſequitur damnatio, ac demiſſio in infernum; hoc fit cum venit in malum ſuæ vitæ. Malum vitæ, eſt malum voluntatis & cogitationis inde; ita qualis homo eſt interius, & qualis foret exterius, ſi non obſtarent leges, nec timores jacturæ lucri, honoris, famæ, & quoque vitæ; illa eſt vita, quæ unumquemvis ſequitur poſt mortem; non autem vita externa, niſi quæ procedit ex interna; homo enim in externis ſimulat contrarium; quare cum homo poſt mortem quoad externa vaſtatur, tunc patet qualis fuit & voluntate & cogitatione; ad hunc ſtatum unuſquiſque malus per vaſtationis gradus redigitur; omnis enim vaſtatio in altera vita progreditur ab externis ad interna: ex his conſtare poteſt, qualis juſtitia eſt in altera vita, & qualis proceſſus antequam damnatur malus. Inde patet, quod per multiplicari prodigia mea in terra Ægypti, ſignificetur ut confirmentur quod in nulla fide fuerint, ſed in malo: quod illis qui in malo nulla fides ſit, videatur ſupra n: 7778.

7796. Et Moſcheh & Aharon fecerunt omnia prodigia illa coram Pharaone, quod ſignificet quod vaſtationes illæ, & inde confirmationes quod in malo ſint, factæ ſint per Verum a Divino, conſtat ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Verum Divinum, Moſcheh Verum quod immediate procedit a Divino, & Aharon quod mediate, de qua n: 7010. 7089. 7382; & ex ſignificatione prodigiorum quæ facta in Ægypto ſeu coram Pharaone, quod ſint totidem vaſtationes illorum qui ab Eccleſia & male vixerunt, quod prodigia Ægypti ſint illa, conſtare poteſt a ſignificatione cujuſvis prodigii; quod etiam ſint confirmationes quod non in fide ſed in malo ſint, videatur mox ſupra n: 7795. Dicitur quod Moſcheh & Aharon fecerint prodigia illa, cum tamen non ab illis, ſed a Divino facta ſunt; ſed ita dictum eſt, quia per Moſchen & Aharonem repræſentatur Verum Divinum, & prodigia a Divino per Verum ab Ipſo procedens facta ſunt; omnia enim quæ fiunt ab Ipſo Divino, fiunt per Verum ab Ipſo procedens; Ipſum Divinum eſt Eſſe omnium, at Verum procedens ab Ipſo, eſt inde Exiſtere omnium;

Ipſum Bonum, quod eſt Eſſe Divinum, omnia producit per Verum ſuum. Dicitur quod Vaſtationes factæ ſint per Verum a Divino, ſed intelligendum, quod Divinum Verum non ſit cauſa, Divinum enim neminem vaſtat; ſed malus ipſe ſemet vaſtat, per id quod obſtinet ſe contra Verum Divinum, id exſtinguendo, vel rejiciendo, vel pervertendo, & quod vertat bonum Divinum, quod continue influit, in malum, hoc tunc eſt quod vaſtat, inde patet unde cauſa, quod non ſit influxus boni & veri a Divino cauſa, nam abſque influxu illorum nulla eſt vita, ſed eſt converſio illorum in malum & falſum, quod fit ab illo qui in malo eſt.

7797. Et obfirmavit Jehovah cor Pharaonis, quod ſignificet quod ſe obſtinarent, conſtat ex ſignificatione obfirmare cor, quod ſit ſe obſtinare, de qua n: 7272. 7300. 7305; quod Jehovah non obfirmet cor, aut malum faciat, tametſi Ipſi in Verbi ſenſu literæ id tribuitur, videatur n: 7533. 7643. 7632.

7798. Et non dimiſit filios Iſraelis e terra ſua, quod ſignificet quod non relinquerent illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

De Spiritibus & Incolis Planetæ Jovis.

7799. *CUM Spiritibus & Angelis Planetæ Jovis diutius ſociare commercium datum eſt, quam cum ſpiritibus reliquorum planetarum; quapropter de ſtatu illorum, & incolarum illius Planetæ, plura memoranda ſunt.*

7800. *Planeta Jovis non quidem apparet illis qui in altera vita, ſed ſpiritus qui inde ſunt, hi apparent antrorſum ad ſiniſtrum ad aliqualem diſtantiam, & hoc conſtanter; ibi quoque eſt Planeta in idea Spirituum & Angelorum: ſunt Spiritus cujuſvis Planetæ ſeparati a ſe mutuo, & ſunt juxta ſuum orbem: cauſa quod ſeparati ſint, eſt quia alia indole ſunt, & in alia provincia in Maximo Homine; & qui diverſa indole ſunt, apparent remoti ab aliis ſecundum diverſitatem; omnis ſeparatio & diſtinctio ſpirituum & Angelorum quoad loca & diſtantias in altera vita, apparet ſecundum diverſitates indolum & geniorum; nam locus correſpondet ſtatui, n:* 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5606. 7381.

7801. *Sunt plura genera ſpirituum e planeta Jovis, ſed ſunt tria cum quibus converſatus ſum & ſæpe loquutus; Unum genus, quod etiam eſt infimum, apparet obſcurum, pæne nigrum; ſpernuntur ab aliis, & vocantur caſtigatores, quia caſtigant ſuæ telluris incolas qui male vivunt; continue cupiunt ad cœlum venire. Alterum genus lucet facie ſicut ex lumine reflexo candelæ; apparent ſedere ſicut idola, nam patiuntur ſe adorari ab aliis, imprimis a ſervis quos habuerunt in mundo; ibi enim perſuaſerunt illis, quod eſſent mediatores ad Dominum; dicuntur ab illis ſancti, & quoque domini. Tertium genus, quod optimum, prævalet reliquis intelligentia & ſapientia; apparent in amictu cæruleo ſeu coloris cœleſtis cum intertextis miculis auri. Ipſi autem Angeli, qui ex tellure illa ſunt, ſimul cum Angelis reliquarum tellurum ſunt; nam omnes vere Angeli unum commune cœlum conſtituunt.*

7802. *Commune eſt in illa Tellure, quod Spiritus loquantur cum incolis, & inſtruant eos, & quoque caſtigent ſi male egerant; de qua re quia plura mihi ab Angelis eorum relata ſunt, velim ordine illa memorare. Quod ſpiritus ibi cum hominibus loquantur, eſt cauſa quia multum cogitant de cœlo, & de vita poſt mortem; & quod de vita in mundo reſpective parum ſolliciti ſint; ſciunt enim quod victuri cum obeunt, & in ſtatu felici ſecundum ſtatum Interni ſui hominis formatum in mundo. Loqui cum ſpiritibus & Angelis etiam commune fuit in hac Tellure antiquis temporibus, ex ſimili cauſa, quod nempe cogitaverint de cœlo & parum de mundo; ſed communicatio illa viva cum cœlo tempore clauſa eſt, ſicut homo ab Interno factus eſt Externus, hoc eſt, ſicut cogitare cœpit de mundo, & parum de cœlo; & magis cum non amplius crederet dari cœlum nec infernum, nec in ſe eſſe hominem ſpiritum qui vivat poſt mortem: hodie enim creditur, quod corpus vivat ex ſe, non ex ſuo ſpiritu; quare niſi homo nunc fidem habere poſſet, quod cum corpore reſurrecturus, nullam de reſurrectione fidem haberet.*

7803. *Quod loquelam Spirituum cum incolis telluris Jovis attinet, ſunt ſpiritus qui caſtigant, ſunt qui inſtruunt, & ſunt qui regunt illos: Spiritus qui caſtigant, applicant ſe lateri ſiniſtro, & ſe inclinant verſus tergum; & cum ibi, depromunt ex memoria hominis omnia ejus facta & cogitata; hoc enim Spiritibus facile eſt, nam cum ad hominem alluunt, in omnem ejus memoriam illico veniunt, n: 6192. 6193. 6198. 6199. 6214; ſi inveniunt quod male egerit*

 aut

aut male cogitaverit, redarguunt illum, & quoque caſtigant dolore artuum pedum ſive manuum, aut dolore circa epigaſtricam regionem; hoc quoque poſſunt ſpiritus dextre, quando permittitur: tales cum ad hominem veniunt, incutiunt horrorem cum timore; inde ſcit adventum eorum: incutere timorem poſſunt mali ſpiritus cum aliquem adeunt, imprimis illi, qui, dum vixerunt in mundo, fuerunt latrones. Ut ſcirem quomodo illi ſpiritus faciunt, cum ad hominem ſuæ telluris veniunt, permiſſum fuit, ut talis ſpiritus etiam me adiret; quando prope erat, horror cum timore me occupavit manifeſte, at non interius ſed exterius territus horrui, quia novi quod talis ſpiritus eſſet; viſus etiam eſt, & apparuit ſicut nubes obſcura cum ſtellulis mobilibus in nube; ſtellæ mobiles ſignificant falſitates, at ſtellæ fixæ veritates: is ſe applicuit ſiniſtro meo lateri verſus tergum; & quoque incepit me redarguere ex factis & cogitatis, quæ deprompſit ex memoria mea, & ſiniſtre interpretabatur; ſed impeditus eſt ab Angelis, qui etiam aderant: Cum appercepit, quod apud alium, quam ſuæ telluris hominem, eſſet, cepit mecum loqui, & dicere, quod omnia & ſingula, quæ homo egit & cogitavit, cum venit ad illum, ſciat; tum quod ſevere redarguat illum, & quoque caſtiget variis doloribus.

7804. *Spiritus autem qui inſtruunt, applicant quoque ſe lateri illorum ſiniſtro, ſed magis antrorſum; redarguunt etiam, ſed leniter, & mox docent quomodo victurus: apparent illi etiam obſcuri, at non ut priores ſicut nubes, ſed ſicut ſaccis induti: hi vocantur inſtructores, priores autem caſtigatores.*

7805. *Cum ſpiritus illi adſunt, etiam ſpiritus Angelici, qui quoque ex Tellure illorum, adſunt, & aſſident capiti, & id ſpeciali modo quaſi implent; percipitur etiam præſentia illorum ibi ſicut lenis aſpiratio, nam timent ne homo ex illorum allapſu & influxu vel minimum doloris aut anxietatis percipiat: illi regunt ſpiritus caſtigatores & inſtructores, illos ne homini pejus faciant, quam permittitur a Domino, hos ut verum dicant. Cum ſpiritibus illis Angelicis etiam loqui datum eſt.*

7806. *Sunt bina ſigna, quæ apparent ſpiritibus illis, cum apud hominem ſunt; vident Virum albentis faciei antiquum, hoc ſignum eſt ne aliud dicant quam verum: vident etiam faciem in feneſtra, hoc ſignum eſt, ut inde diſcedant: viſus mihi eſt & antiquus ille, & quoque facies in feneſtra; qua viſa ſpiritus illico a me diſceſſit.*

7807.

7807. *Cum ſpiritus caſtigator apud me erat, tunc ſpiritus angelici tenebant faciem meam continue hilarem & ridentem; ac regionem circum labra prominentem, ac os meum apertum; hoc faciunt Angeli per influxum perfacile; dicebant quod talem vultum inducant incolis telluris ſuæ, cum adſunt.*

7808. *Si homo poſt caſtigationem & inſtructionem iterum malum facit, aut malum cogitat facere; & ſemet tunc non ex præceptis veri inhibet, tunc, ſi redit ſpiritus caſtigator, ſeverius punitur: ſed Angelici ſpiritus moderantur punitionem ſecundum intentionem in factis, & ſecundum voluntatem in cogitatis.*

7809. *Spiritus ibi loquuntur cum homine, non autem viciſſim homo cum ſpiritibus, ſolum hæc verba quando inſtruitur, quod non amplius ita faciet. Nec licet ei dicere alicui ex ſuis quod ſpiritus cum illo loquutus ſit, ſi hoc facit, ſevere punitur. Putabant ſpiritus illi Joviales, cum apud me erant, principio, quod eſſent apud hominem ſuæ telluris; ſed cum loquerer viciſſim cum illis, & quoque cum cogitarem quod talia vellem publico dare, & tunc non liceret illis caſtigare, nec inſtruere, animadvertebant quod apud alium eſſent.*

7810. *Alio tempore etiam venit ad me Spiritus caſtigator, & applicuit ſe lateri meo ſiniſtro infra medium corporis, ut prius, & quoque tunc voluit punire; ſed arcebatur ab Angelis eorum, qui etiam tunc aderant. Oſtendebat mihi tunc punitionum genera, quæ illis permiſſa ſunt inferre hominibus ſuæ telluris, ſi male agunt & male agere intendunt; erat, præter dolorem artuum, etiam coarctatio dolorifica circa medium ventrem, quæ ſentitur ſicut compreſſio a cingulo acuto; tum etiam erat reſpirationis ſublatio per vices uſque ad anguſtias; tum quoque inhibitio ne aliquid præter panem ederent; demum denuntiatio mortis ſi ſimilia facere non intermitterent, & tunc privatio gaudii ex conjuge, liberis & ſociis, dolor inde tunc quoque inſinuatur.*

7811. *Ex his conſtare poteſt, quod Angeli eorum, qui capiti adſident, ſpeciem judicationis habeant ſuper hominem, nam Angeli permittunt, moderantur, inhibent, ac influunt: ſed illis dicere datum eſt, ne credant quod illi judicent, verum quod Solus Dominus ſit Judex, & quod ab Ipſo influant penes illos omnia quæ illi ſpiritibus caſtigatoribus & inſtructoribus jubent & præcipiunt; & quod illa appareant ſicut ab illis.*

7812. *Præter ſpiritus, de quibus nunc memoratum eſt, dantur etiam*

etiam ſpiritus qui contraria ſuadent; ſuntque illi, qui, dum vixerunt in mundo, e ſocietate aliorum exterminati ſunt, quia mali; quando alluunt, apparet ſicut ignis volans, qui prope faciem delabitur; ſe locant infra ad poſteriora hominis, & inde verſus ſuperiora loquuntur: loquuntur contraria illis quæ ſpiritus inſtructor ab angelis dixit, quod nempe non vivendum ſecundum inſtructionem, ſed ex arbitrio & in licentia, & ſimilia; ut plurimum veniunt ſtatim poſtquam abiverunt priores ſpiritus; aſt homines ibi ſciunt, quinam & quales ſpiritus illi ſunt, & ideo nihil curant illos; ſed uſque ita diſcunt quid malum, & ſic quid bonum; nam per malum diſcitur quid bonum, quippe quale boni ex ſuo contrario noſcitur; omnis perceptio rei eſt ſecundum reflexionem relativam ad diſcrimina ex contrariis vario modo & vario gradu.

7813. *Continuatio de Spiritibus & Incolis Planetæ Jovis, ad finem Capitis ſequentis.*

E X O D I

CAPUT DUODECIMUM.

Doctrina Charitatis.

7814. HOMO ita creatus eſt, ut ſpectare poſſit ſurſum ſeu ſupra ſe, & quoque ſpectare deorſum ſeu infra ſe. Spectare ſupra ſe eſt ad proximum, ad patriam, ad Eccleſiam, ad cœlum, imprimis ad Dominum; ſpectare autem infra ſe, eſt ad tellurem, ad mundum, & imprimis ad ſe.

7815. Quod ſpectare ad proximum, ad patriam, & ad Eccleſiam, ſit ſpectare ſupra ſe, eſt quia id eſt ſpectare ad Dominum, nam Dominus eſt in charitate, & charitatis eſt ſpectare ad proximum, patriam & Eccleſiam, hoc eſt, velle illis bene: at illi ſpectant infra ſe, qui avertunt ſe ab illis, & ſibi modo bene volunt.

7816. Spectare ſupra ſe eſt elevari a Domino, nam nemo ſpectare poteſt ſupra ſe, niſi elevetur ab Illo qui ſupra eſt: at ſpectare infra ſe, eſt ab homine, quia tunc non patitur ſe elevari.

7817. Qui in bono charitatis & fidei ſunt, ſpectant ſupra ſe, quia elevantur a Domino; at qui non in bono charitatis & fidei ſunt, ſpectant infra ſe, quia non elevantur a Domino: tunc ſpectat homo infra ſe, quando influxum veri & boni a Domino vertit ad ſe: qui vertit bonum & verum influens a Domino ad ſe, is ſe & mundum videt ante ſe, ac Dominum cum bono & vero Ipſius non videt, quia ei a tergo ſunt, inde in tale obſcurum ei veniunt, ut illa non curet, & tandem ut illa neget.

7818. Per ſpectare ſupra ſe & infra ſe, intelligitur pro fine habere, ſeu ſupra omnia amare; ita per ſpectare ſupra ſe intelligitur pro fine habere ſeu ſupra omnia amare illa quæ Domini & Cœli ſunt; & per ſpectare infra ſe intelligitur pro fine habere & ſupra omnia amare illa quæ ſui & mundi ſunt: interiora hominis etiam actualiter ſe vertunt, quo ſe vertit amor.

7819. Homo qui in bono charitatis & fidei eſt, amat etiam ſe & mundum, ſed non aliter quam ſicut amantur media ad finem; amor

ſui

ſui apud illum ſpectat amorem Domini, nam amat ſe ut medium ad finem ut ſervire poſſit Domino; & amor mundi apud illum ſpectat amorem proximi, nam amat mundum ut medium propter finem, ut ſervire poſſit proximo: cum itaque medium amatur propter finem, non eſt medium quod amatur ſed eſt finis.

7820. Inde videri poteſt, quod qui in gloria mundi ſunt, hoc eſt, in eminentia & opulentia præ aliis, æque poſſint ſpectare ſupra ſe ad Dominum, quam illi qui non in eminentia & opulentia ſunt: nam tunc ſpectant ſupra ſe, cum eminentiam & opulentiam pro mediis habent, & non pro fine.

7821. Spectare ſupra ſe eſt proprium homini, at ſpectare infra ſe eſt proprium beſtiis: inde ſequitur, quod quantum homo ſpectat infra ſe ſeu deorſum, tantum ſit beſtia, & quoque tantum imago inferni, & quod quantum ſpectat ſupra ſe ſeu ſurſum, tantum ſit homo, & quoque tantum imago Domini.

CAPUT XII.

1. ET dixit JEHOVAH ad Moſchen & ad Aharonem in terra Ægypti, dicendo.

2. Menſis hic vobis caput menſium, primus hic vobis menſibus anni.

3. Loquimini ad omnem cætum Iſraelis, dicendo, in decimo menſis hujus & accipient ſibi quiſque pecudem ad domum patrum, pecudem ad domum.

4. Et ſi minor eſt domus præ eſſe a pecude, & accipiunt ille & vicinus illius propinquus ad domum ejus in numero animarum, quiſque ad os comedere ejus, numerabitis ſuper pecudem.

5. Pecus integra, maſcula, filius anni erit vobis, ex agnis & ex capris accipietis.

6. Et erit vobis ad cuſtodiam uſque ad quartum decimum diem menſis hujus; & mactabunt illam omnis congregatio cætus Iſraelis inter veſperas.

7. Et accipient de ſanguine, & dabunt ſuper binos poſtes, & ſuper ſuperliminare,

ſuperliminare, ſuper domibus, in quibus comedent illam.

8. Et comedent carnem in nocte illa aſſam igne, & azyma ſuper amaroribus comedent illam.

9. Ne comedatis de illa crudum, & coquendo coctum in aquis; verumtamen aſſum igne, caput ejus ſuper cruribus ejus, & ſuper medio ejus.

10. Et non relinquetis de illo uſque ad mane; & reſiduum de illo uſque ad mane, igne comburetis.

11. Et ſic comedetis illam, lumbi veſtri cincti, calcei veſtri in pedibus veſtris, & baculus veſter in manu veſtra, & comedetis illam in feſtinatione, Pæſach hoc JEHOVÆ.

12. Et tranſibo per terram Ægypti in nocte illa, & percutiam omne primogenitum in terra Ægypti ab homine & uſque ad beſtiam; & in omnes deos Ægypti faciam judicia, Ego JEHOVAH.

13. Et erit ſanguis vobis ad ſignum ſuper domibus, ubi vos, & videro ſanguinem, & præteribo præter vos, & non erit in vobis plaga perditori, in percutere Me terram Ægypti.

14. Et erit dies ille vobis ad memoriale, & feriabimini illum feſtum JEHOVÆ, generationibus veſtris, ſtatuto æterno feriabimini illum.

15. Septem diebus azyma comedetis; etiam in die primo ceſſare facietis fermentum e domibus veſtris, quia omnis comedens fermentatum & exſcindetur anima illa ex Iſraele, a die primo uſque ad diem ſeptimum.

16. Et in die primo convocatio ſancta, & in die ſeptimo convocatio ſancta, erit vobis; nullum opus fiet in illis, tantum quod comedatur omni animæ, hoc ſolum fiet vobis.

17. Et obſervabitis azyma, quia in eodem die hoc eduxi exercitus veſtros e terra Ægypti, & cuſtodietis diem hunc generationibus veſtris ſtatuto æterno.

18. In primo, in quartodecimo die menſis in veſpera comedetis azyma, uſque ad diem primum & vigeſimum menſis in veſpera.

19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris, quia omnis comedens fermentatum, & exſcindetur anima illa e cætu Iſraelis, in peregrino & in indigena terræ.

20. Nullum fermentatum comedetis, in omnibus habitationibus veſtris comedetis azyma.

21. Et vocavit Moſcheh omnes ſeniores Iſraelis, & dixit ad illos, protrahite & accipite vobis pecudem gregis juxta familias veſtras, & mactate Pæſach.

22. Et accipietis faſciculum hyſſopi, & intingatis in ſanguine, qui in pelvi, & attingere faciatis ad ſuperliminare, & ad binos poſtes, de ſanguine qui in pelvi; & vos non exibitis quiſquam ex oſtio domus ſuæ uſque ad mane.

23. Et tranſibit Jehovah ad infligendum plagam Ægypto, & viderit ſanguinem ſuper ſuperliminari, & ſuper binis poſtibus, & præteribit Jehovah præter oſtium, & non dabit perditori venire ad domus veſtras ad infligendum plagam.

24. Et cuſtodietis verbum hoc ad ſtatutum tibi & filiis tuis uſque æternum.

25. Et erit quod veneritis ad terram, quam dabit Jehovah vobis, quemadmodum loquutus eſt, & cuſtodietis ſervitium hoc.

26. Et erit quod dixerint ad vos filii veſtri, quodnam ſervitium hoc vobis.

27. Et dicetis, ſacrificium Pæſach hoc Jehovæ, quod præteriverit præter domos filiorum Iſraelis in Ægypto, in infligere Illum plagam Ægypto, & domos noſtras liberaverit: & inflexit ſe populus, & incurvavit ſe.

28. Et iverunt & fecerunt filii Iſraelis quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi & Aharoni, ita fecerunt.

29. Et factum in media nocte, & Jehovah percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, uſque ad primogenitum captivi qui in domo foveæ, & omne primogenitum beſtiæ.

30. Et ſurrexit Pharao nocte illa, & omnes ſervi illius, & omnes Ægyptii, & fuit clamor magnus in Ægypto, quia nulla domus ubi non mortuus.

31. Et vocavit Moſchen & Aharonem noctu, & dixit, ſurgite, exite e medio populi mei, etiam vos, etiam filii Iſraelis, & ite, ſervite Jehovæ, ſecundum loqui vos.

32. Etiam greges veſtros, etiam armenta veſtra accipite, quemadmodum loquuti eſtis, & ite, & benedicatis etiam mihi.

33. Et invaluit Ægyptus ſuper populum, feſtinando dimittere illos e terra, quia dixerunt, omnes nos morimur.

34. Et portavit populus maſſam ſuam antequam fermentaretur, mactræ illorum ligatæ in veſtibus illorum ſuper humero illorum.

35. Et filii Iſraelis fecerunt ſecundum verbum Moſchis, & petierunt ab Ægyptiis vaſa argenti & vaſa auri, & veſtes.

36. Et Jehovah dedit gratiam populi in oculis Ægyptiorum; & commo-

commodaverunt illis, & eripuerunt Ægyptiis.

37. Et profecti filii Iſraelis de Raamſes ad Succoth, quaſi ſexcenta millia peditum virorum, præter infantem.

38. Et etiam turba mixta multa aſcendit cum illis, & grex & armentum acquiſitio gravis valde.

39. Ex coxerunt maſſam, quam eduxerunt ex Ægypto, placentas azymas, quia non fermentata, quia expulſi ex Ægypto, & non potuerunt commorari; & etiam viaticum non fecerunt ſibi.

40. Et habitatio filiorum Iſraelis, qua habitaverunt in Ægypto, triginta anni & quadringenti anni.

41. Et fuit a fine triginta annorum & quadringentorum annorum, & fuit in eodem die hoc exiverunt omnes exercitus JEHOVÆ e terra Ægypti.

42. Nox cuſtodiarum hæc JEHOVÆ, ad educendum illos e terra Ægypti; hæc nox iſta JEHOVÆ cuſtodiarum omnibus filiis Iſraelis ad generationes illorum.

43. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen & Aharonem, hoc ſtatutum Pæſach, omnis filius alienigenæ non comedet illud.

44. Et omnis ſervus viri, emtio argenti, & circumcideris illum, tunc comedet illud.

45. Inquilinus & mercenarius non comedet illud.

46. In domo una comedetur, non educes e domo de carne foras: & os non frangetis in illo.

47. Omnis cætus Iſraelis facient illud.

48. Et cum peregrinatur tecum peregrinus, & faciat Pæſach JEHOVÆ, circumcidetur illi omnis maſculus, & tunc accedet ad faciendum illud, & erit ſicut indigena terræ: & omnis præputiatus non comedet illud.

49. Lex una erit indigenæ & peregrino peregrinanti in medio veſtrum.

50. Et fecerunt omnes filii Iſraelis quemadmodum præcepit JEHOVAH Moſchi & Aharoni, ita fecerunt.

51. Et fuit in eodem die hoc, eduxit JEHOVAH filios Iſraelis e terra Ægypti quoad exercitus illorum.

CONTENTA.

7822. Agitur in hoc Capite in ſenſu interno de liberatione illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, & de damnatione illorum qui

 in

in fide ſeparata a charitate: damnatio horum & liberatio illorum repræſentatur per Paſcha; & ſtatus quoad charitatem & fidem illorum qui liberati ſunt, per obſervanda diebus Paſchatis.

7823. In ſupremo ſenſu per Paſcha repræſentatur damnatio infidelium, & liberatio fidelium a Domino, cum glorificatus eſt: ſtatus illorum, qualis fuit tunc, & qualis erit poſtea, tam in univerſali quam in omni particulari, per ſtatuta Paſchatis in ſupremo illo ſenſu deſcribitur.

SENSUS INTERNUS.

7824. Verſ: 1. 2. *ET dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem in terra Ægypti, dicendo; Menſis hic vobis caput menſium, primus hic vobis menſibus anni.* Et dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, ſignificat informationem per Verum Divinum: in terra Ægypti, ſignificat cum adhuc illi qui ab Eccleſia ſpirituali in propinquitate ad infeſtantes eſſent: dicendo, menſis hic vobis caput menſium, ſignificat ſtatum hunc quod principalis omnium ſtatuum: primus hic vobis menſibus anni, ſignificat principium a quo ſtatus omnes ſequentes in æternum.

7825. Et dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem, quod ſignificet informationem per Verum Divinum, conſtat a ſignificatione dicere, cum a Jehovah de inſtituendis in Eccleſia, quod ſit informatio, dicere enim involvit ſequentia; & ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſit Verum Divinum, Moſcheh Verum immediate procedens a Divino, Aharon quod mediate, de qua n: 7009. 7010. 7089. 7382.

7826. In terra Ægypti, quod ſignificet cum adhuc illi qui ab Eccleſia ſpirituali in propinquitate ad infeſtantes eſſent, conſtat ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ubi infeſtantes; per Pharaonem enim & per Ægyptios repræſentantur & ſignificantur illi qui ab Eccleſia in fide ſeparata a charitate fuerunt, & in altera vita infeſtant probos, n: 6692. 7097. 7107. 7110. 7126. 7142. 7317, perque terram Ægypti, ipſæ infeſtationes, n: 7278; per filios autem Iſraelis repræſentantur qui ab Eccleſia ſpirituali, & infeſtati, n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; quod hi in propinquitate ad infeſtantes in altera vita eſſent, videatur n: 7240; propinquitas illa ſignificatur per quod filii Iſraelis in medio terræ Ægypti eſſent, nempe in terra Goſchen; & infeſtationes per onera illis impoſita: inde nunc patet, quod per dixit Jehovah ad Moſchen & ad Aharonem in terra Ægypti, ſignificetur informatio per Verum Divinum cum adhuc illi qui ab Eccleſia ſpirituali in propinquitate ad infeſtantes eſſent.

7827.

7827. Dicendo, menſis hic vobis caput menſium, quod ſignificet ſtatum hunc quod principalis omnium ſtatuum, conſtat ex ſignificatione menſis, quod ſit finis ſtatus prioris & principium ſequentis, ita ſtatus novus, de qua n: 3814; & ex ſignificatione capitis, cum prædicatur de menſibus anni, & in ſenſu interno de ſtatibus vitæ, quod ſit principalis: inde conſtat, quod per Menſis hic vobis caput menſium, ſignificetur ſtatus hic quod principalis omnium ſtatuum: cauſa quod ille ſtatus principalis omnium ſit, continetur in illis quæ ſequuntur.

7828. Primus hic vobis menſibus anni, quod ſignificet principium a quo ſtatus omnes ſequentes in æternum, conſtat ex ſignificatione primus eſſe, cum de menſibus anni, ac in ſenſu interno de ſtatibus vitæ dicitur, quod ſit principium; ex ſignificatione menſium, quod ſint ſtatus, do qua mox ſupra n: 7827; & ex ſignificatione anni, quod ſit periodus vitæ a principio ad finem, de qna n: 2906, hic quia de illis dicitur qui ab Eccleſia ſpirituali in altera vita, quorum periodus vitæ principium habet, ſed non finem, per annum ſignificatur periodus vitæ a principio in æternum, quod annus etiam id ſit, videatur n: 2906 fin: Quod hic menſis factus ſit caput menſium, & primus omnium, eſt quia per illum ſignificatur principium liberationis illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, & qui eouſque in ſtatu captivitatis fuerunt, quia detenti in terra inferiore, & ibi infeſtati a malis, qui per Pharaonem & Ægyptios repræſentantur: quod ſtatus illorum primus cum liberati, principalis omnium eſſet, & quod principium a quo omnes ſequentes in æternum, eſt quia illi qui ibi fuerunt liberati ſunt per adventum Domini in mundum, & quod abſque Domini adventu in mundum nullatenus potuerint ſalvari; & quod tunc liberati ſint cum Dominus reſurrexit; inde patet, quod ille ſtatus, nempe cum liberati, fuerit illis principalis omnium ſtatuum: ſimiliter etiam poſtea omnibus illis qui ab Eccleſia ſpirituali, qui nequaquam ſalvari potuiſſent niſi Dominus in mundum venerit, ac Humanum ſuum glorificaverit, hoc eſt, Divinum fecerit: quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali ante adventum Domini in terra inferiore fuerint detenti, & quod a Domino liberati & ſalvati, videatur n: 6854. 6914; & in genere, quod qui ab Eccleſia ſpirituali ſalvati ſint per adventum Domini, n: 2661. 2716. 6372. 7035. 7091 f: quare in ſenſu ſupremo per illa verba ſignificatur, quod glorificatio & reſurrectio Domini quoad Humanum ſuum, ſit unde omnis ſalvatio.

7829. Verſ: 3. 4. 5. 6. *Loquimini ad omnem cætum Iſraelis, dicendo, in decimo menſis hujus, & accipient ſibi quiſque pecudem ad domum patrum, pecudem ad domum. Et ſi minor eſt domus præ eſſe a pecude, & accipiat ille & vicinus illius propinquus ad domum ejus in numero animarum, quiſque ad os comedere ejus, numerabitis ſuper pecudem. Pecus integra, maſcula, filius anni, erit vobis; ex agnis & ex capris accipietis. Et erit vobis ad cuſtodiam uſque ad quartum decimum diem menſis hujus; & mactabunt illam omnis cætus Iſraelis inter veſperas.* Loquimini ad omnem cætum Iſraelis, dicendo, ſignificat influxum cum informatione omnium qui ab Eccleſia ſpirituali: in decimo menſis hujus, ſignificat ſtatum initiationis interiorum: & accipient ſibi quiſque

quiſque pecudem, ſignificat quoad innocentiam: ad domum patrum, pecudem ad domum, ſignificat ſecundum bonum ſpeciale cujuſvis: & ſi minor eſt domus præ eſſe a pecude, ſignificat ſi bonum particulare non ſatis ſit pro innocentia: & accipiet ille & vicinus illius propinquus ad domum ejus, ſignificat conjunctionem cum bono veri proximo: in numero animarum, ad os comedere illius, numerabitis ſuper pecudem, ſignificat ſic impletionem boni pro innocentia ex totidem veris boni ſecundum appropriationem ejus: Pecus integra, ſignificat innocentiam immaculatam: maſculam, ſignificat quæ fidei charitatis: filius anni erit vobis, ſignificat ſtatum plenum: ex agnis & ex capris accipietis, ſignificat bonum innocentiæ interius & exterius: & erit vobis ad cuſtodiam, ſignificat tempus & ſtatum initiationis: uſque ad quartum decimum menſis, ſignificat ad ſtatum ſanctum: & mactabunt illam omnis congregatio cætus Iſraelis, ſignificat præparationem ad fruitionem ab omnibus in communi qui ab Eccleſia ſpirituali: inter veſperas, ſignificat ſtatum ultimum & primum.

7830. Loquimini ad omnem cætum Iſraelis, dicendo, quod ſignificet influxum cum informatione omnium qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit influxus, de qua n: 2951. 5481. 5743; quod etiam ſit informatio, nempe de obſervandis cum liberantur, patet a ſequentibus; & ex ſignificatione cætus Iſraelis, quod ſint omnia vera & bona in complexu; nam per cætum Iſraelis intelliguntur omnes tribus, quæ quod ſint omnia veri & boni, ſeu omnia fidei & charitatis, videatur n: 3858. 3926. 4060. 6335; & quia illa, per cætum Iſraelis ſignificantur qui ab Eccleſia ſpirituali n: 6337, nam vera & bona faciunt Eccleſiam; quod per filios Iſraelis repræſentetur Eccleſia ſpiritualis, videatur n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

7831. In decimo menſis hujus, quod ſignificet ſtatum initiationis interiorum, conſtat ex ſignificatione decimi, nempe diei, quod ſit ſtatus interiorum, per diem enim ſignificatur ſtatus, n: 23. 487. 488. 493. 576. 893. 1738. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672, & per decem ſignificantur reliquiæ, n: 576. 1906. 2284, hoc eſt, vera & bona in interioribus hominis a Domino recondita, n: 1050. 1906. 2284. 5135. 5897. 7560. 7564; & quia reliquiæ ſunt in interioribus, & homo per illas præparatur & initiatur ad recipiendum bonum & verum a Domino, ideo per decimum diem hic ſignificatur ſtatus initiationis interiorum: quod homo per reliquias regeneretur, proinde initietur ad recipiendum influxum boni & veri a Domino, videatur n: 5342. 5898. 6156, & quod per illas homo communicet cum cœlo, n: 7560, nam bona & vera illa ſunt a Domino, & non ab homine, n: 7564; per menſem intelligitur ſtatus integer a principio ad finem ejus, n: 3814, ita ſtatus totus liberationis, qui per Pæſach in complexu ſignificatur: ex his patet, quod per in decimo menſis hujus ſignificetur ſtatus initiationis interiorum: hic ſtatus, nempe initiationis interiorum, erat a die decimo menſis illius uſque ad diem decimum quartum ejus, intra quos dies pecus paſchalis in cuſtodia eſſet; per pecudem paſchalem ſignificatur bonum innocentiæ, quod intimum eſt, ita

quod

quod intimum hoc cum interioribus, in quibus eſt, interea ſecluderetur ac detineretur a talibus quæ inquinant: hic ſtatus eſt ſtatus initiationis interiorum, hoc eſt, præparationis ad recipiendum boni & veri influxum a Domino. Hoc ſanctum eſt, quod continetur in his verbis, nam abſque ſancto intus recondito, non mandatum fuiſſet, quod in decimo menſis acciperetur pecus paſchalis, & cuſtodiretur uſque ad diem decimum quartum, nec poſtea quod mactaretur inter veſperas, quodque comederetur aſſa igne non cocta aquis, quod non de illa aliquid ad mane relinquerent, quod reſiduum igne comburerent, non frangerent os ejus, & plura, quæ quod involvant ſancta, quæ nemo adhuc novit, quiſque ſcire poteſt qui expendit; & quod ſancta illa ſint ſpiritualia, quæ Eccleſiæ, & cœli, quæque ſe ad Divinum referunt, a Quo deſcenderunt ſingula Verbi.

7832. Et accipient ſibi quiſque pecudem, quod ſignificet quoad innocentiam, conſtat ex ſignificatione agni ſeu capræ, quæ hic ſunt pecus, quod ſit innocentia, agnus innocentia interioris hominis, & capra innocentia exterioris, n: 3519.

7833. Ad domum patrum, pecudem ad domum, quod ſignificet ſecundum bonum ſpeciale cujuſvis, conſtat ex ſignificatione domus patrum, quod ſit bonum unius familiæ diſtinctum a bono alterius; per domum enim patris ſignificatur homo quoad bonum internum, n: 3128. Cum hoc ita ſe habet; per omnes Tribus Iſraelis ſignificantur omnia vera & bona fidei & charitatis in uno complexu; & per unamquamvis Tribum unum genus boni aut veri, videatur n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337. 6640; ita per unamquamvis familiam intra Tribum ſuam ſignificabatur bonum ſpeciale, proinde bonum unius in ſpecie diſtinctum a bono alterius; at per domum patrum intra familiam ſignificabatur bonum particulare unius ſpeciei: quod illa ſignificata ſint per tribus, familias & domos, in quas diſtincti erant filii Iſraelis, erat cauſa ut repræſentarent cœlum, nam ibi bona ſunt diſtincta in genere, in ſpecie, & in particulari; & ſecundum illa conjuncti ſunt Angeli: ſciendum, quod unius bonum nuſquam detur prorſus ſimile bono alterius, ſed quod varia ſint, & tam varia, ut diſtincta ſint in genera univerſalia ſuperiora, & hæc in inferiora, uſque ad ſingularia & ſingulariſſima; quod bona amoris & fidei tam varia ſint, videatur n: 684. 690. 3241. 3267. 3744. 3745. 3746. 3986. 4005. 4149. 5598. 7236. Inde nunc patet, cur mandatum, quod acciperent ſibi quiſque pecudem ad domum patrum, pecudem ad domum.

7834. Et ſi minor eſt domus præ eſſe a pecude, quod ſignificet ſi bonum particulare non ſatis ſit pro innocentia, conſtat ex ſignificatione domus, quod ſit bonum particulare, de qua mox ſupra n: 7833; ex ſignificatione minor eſſe, quod ſit non ſatis eſſe; & ex ſignificatione pecudis, quod ſit innocentia, de qua etiam mox ſupra n: 7832.

7835. Et accipiet ille & vicinus illius propinquus ad domum ejus, quod ſignificet conjunctionem cum bono veri proximo, conſtat ex ſignificatione accipere, nempe cum vicino propinquo unam pecudem ſimul, quod ſit conjunctio;

junctio; & ex ſignificatione vicini propinqui ad domum ejus, quod ſit bonum veri proximum; quod vicinus propinquus ſit proximus patet; & quod domus ſit bonum, videatur ſupra n: 7833: bonum veri dicitur, quia agitur de illis qui ab Eccleſia ſpirituali, apud quos eſt bonum Veri, nam bonum veri eſt verum voluntate & actu; cum enim Verum fidei recipitur cum affectione quæ charitatis, tunc implantatur illud in interioribus mentis, & cum reproducitur verum, etiam affectio, cui verum adjunctum fuit, reproducitur, & ſub facie boni apparet; inde nunc eſt, quod bonum illius Eccleſiæ ſit bonum Veri, quod etiam vocatur bonum ſpirituale.

7836. In numero animarum ad os comedere illius, numerabitis ſuper pecudem, quod ſignificet ſic impletionem boni pro innocentia ex totidem veris boni ſecundum appropriationem ejus, conſtat ex ſignificatione numeri animarum, quod ſint totidem vera boni; numerus enim in Verbo prædicatur de vero, & anima de bono ſpirituali; ex ſignificatione ad os comedere illius, quod ſit ſecundum appropriationem ejus, quod comedere ſit appropriatio, videatur n: 3168. 3513. 3596. 3832; & ex ſignificatione pecudis, quod ſit innocentia, de qua ſupra n: 7832; impletio boni pro innocentia ſignificatur per quod ex domo vicini propinqui acciperetur eo numero, ut ſatis eſſet pro pecude; quod domus ſit bonum, videatur ſupra n: 7833. Verum boni dicitur, & per id intelligitur Verum quod ex bono; qui enim ab Eccleſia ſpirituali ſunt, cum regenerantur, introducuntur ad bonum Charitatis per verum fidei; cum autem introducti ſunt ad bonum quod charitatis, vera, quæ inde poſtea naſcuntur, dicuntur vera boni. Sed quomodo hæc, quæ in hoc Verſu continentur, ſe habent, nequaquam ſciri poteſt, niſi ſciatur quomodo ſe habet cum ſocietatibus in Cœlo; illas enim conſociationes filiorum Iſraelis ſecundum Tribus, Familias, & Domos, repræſentabant; cum ſocietatibus in cœlo ita ſe habet; univerſum Cœlum eſt una ſocietas, quæ ſicut unus homo regitur a Domino; ſocietates generales ibi ſunt totidem, quot membra, viſcera, & organa in homine; ſocietates autem ſpeciales ſunt totidem quot viſcerula intra quodlibet contentum Viſceris, Membri, & Organi; & ſocietates particulares ſunt quot in his ſunt partes minores majorem conſtituentes; quod ita ſit, patet ex Correſpondentiis hominis, & ejus membrorum, organorum, & viſcerum cum Maximo Homine, hoc eſt, Cœlo, de quibus ab experientia ad finem plurium Capitum actum eſt: ex his conſtare poteſt quomodo ſe habet cum ſocietatum diſtinctionibus in Cœlo. At cum unaquavis ſocietate in particulari ita ſe habet; conſiſtit illa ex pluribus angelis, qui concordant quoad bona; bona ſunt varia, nam unicuique peculiare bonum eſt; ſed varia illa bona concordantia in formam talem a Domino diſponuntur, ut ſimul unum bonum ſiſtant: tales ſocietates repræſentabant domus patrum apud filios Iſraelis: hæc cauſa eſt, quod filii Iſraelis non ſolum in tribus diſtincti fuerint, ſed etiam in familias, & domos; cumque nominantur, quod nomina patrum illorum ordine uſque ad tribum memorentur, ſicut de patre Samuelis, quod fuerit de monte Ephraim, cujus nomen Elkanah, filius Jerochami, filii Elihu, filii Tachu, filii Zoph, 1 Sam: 1: 1; tum de patre Schaulis, quod fuerit

ex

ex Benjamine, nomen ejus Kiſch, filius Abiel, filii Zeror, filii Bechorath, filii Aphiach, filii viri Jeminitæ" 1 Sam: IX: 1; ita de perpluribus aliis; memoratio talis erat, ut in Cœlo ſciretur quale boni, quod ex primo ſucceſſive derivatum, per illum repræſentabatur. Porro in Cœlo ita ſe habet, ſi ſocietas non completa ſit, ſicut debet, quod tunc aſſumantur aliunde ex aliqua ſocietate vicina, totidem, ut impleant formam illius boni, ſecundum neceſſitatem in unoquovis ſtatu & ejus mutationibus; nam variatur forma boni ſicut mutatur ſtatus. Sed adhuc ſciendum, quod in tertio ſeu intimo cœlo, quod eſt proxime ſupra cœlum ubi ſpirituales, hi enim medium ſeu ſecundum Cœlum conſtituunt, regnet Innocentia, nam Dominus, Qui eſt Ipſa Innocentia, immediate in id cœlum influit; at in Cœlum Secundum, ubi Spirituales, influit Dominus cum Innocentia mediate, nempe per Cœlum Tertium; hic influxus eſt, per quem diſponuntur ſeu ordinantur ſocietates in Secundo Cœlo quoad bona ſua; quapropter ſecundum influxum innocentiæ mutantur ſtatus boni; & conſequenter variantur conjunctiones ſocietatum ibi. Ex his conſtare poteſt, quomodo intelligenda, quæ in hoc Verſu in ſenſu interno ſunt, nempe quod ſi bonum particulare alicujus non ſatis ſit pro innocentia, conjunctio fiet cum bono veri proximo, ut impleatur bonum pro innocentia ex totidem veris boni ſecundum appropriationem ejus.

7837. Pecus integra, quod ſignificet innocentiam immaculatam, conſtat ex ſignificatione pecudis, quod ſit innocentia, de qua ſupra n: 7832; & ex ſignificatione integræ, quod ſit abſque nævis, ita immaculata: quod abſque nævis & immaculata eſſet, eſt quia unuſquiſque nævus aliquod falſum aut malum in ſpirituali mundo ſignificat.

7838. Maſculam, quod ſignificet quæ fidei charitatis, conſtat ex ſignificatione maſculi, quod ſit Verum fidei, de qua n: 2046. 4005, ita fides charitatis, nam verum fidei non eſt Verum fidei, niſi ſit cum bono charitatis, imprimis ex illo. Quod pecus paſchalis maſcula eſſet, cauſa erat, quia pecus illa ſignificabat innocentiam illorum qui ab Eccleſia ſpirituali; & illi, qui ab Eccleſia ſpirituali, non in alio bono ſunt, quam quod in ſe eſt verum fidei, hoc enim dicitur bonum cum ex affectione charitatis in actum mittitur, n: 7835; inde eſt, quod pecus maſcula eſſet. Alioquin in ſacrificiis etiam adhibebantur pecudes fæmellæ, cum cultus ex bono repræſentaretur.

7839. Filius anni erit vobis, quod ſignificet ſtatum plenum, conſtat ex ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704; & ex ſignificatione anni, quod ſit integra periodus a principio ad finem, de qua n: 2906, ita quod ſit ſtatus plenus. Quid ſtatus plenus ſit, dicendum; ſtatus plenus dicitur, cum bonum tale eſt, ut non aliquid deſit pro recipiendo influxu innocentiæ; vera fidei conjuncta bono charitatis faciunt, ut bonum tale ſit; bonum enim ſpirituale a veris fidei ſuum quale accipit; hoc intelligitur hic per ſtatum plenum, qui ſignificatur per filium anni. Status autem non plenus eſt, cum nondum vera qualificaverunt bonum, ut hoc recipere poſſit correſpondentem innocentiæ ſtatum; tunc primum fit ſtatus ille plenus, cum ex bono ſpectantur vera; & tunc non-

Eee dum

dum plenus eſt, cum ex veris ſpectatur bonum; in hoc ſtatu ſunt qui regenerantur, in illo autem ſunt qui regenerati; illi ſunt in vero per quod bonum, hi autem in vero quod ex bono; ſeu illi ſunt in obedientia veri, hi autem in affectione faciendi verum; quare illi ſunt homines Eccleſiæ externæ, hi autem internæ. Quia per filium anni ſignificabatur ſtatus plenus, ideo toties mandatum eſt, ut agnus aut hœdus *filius anni* ſacrificaretur, ut Exod: XXIX: 38. Levit: IX: 3. Cap: XII: 6. Cap: XIV: 10. Cap: XXIII: 12. 18. 19. Num: VI: 12. Cap: VII: 15. ſeq: 87. 88. Cap: XV: 27. Cap: XXVIII: 9. 11; & ubi agitur de Novo Templo apud Ezechielem "*Princeps agnum filium anni ſui integrum faciet holocauſtum* in diem, Jehovæ, ſingulo mane faciet illum" XLVI: 13, ubi per Novum Templum intelligitur Regnum ſpirituale Domini; per principem illi qui in genuinis veris & inde in bono; per holocauſtum ex agno cultus Domini ex bono innocentiæ; & per filium anni ſtatus plenus.

7840. Ex agnis & ex capris accipietis, quod ſignificet bonum innocentiæ exterius & interius, conſtat ex ſignificatione Agni, quod ſit bonum innocentiæ, de qua n: 3994; & ex ſignificatione capræ aut hœdi, quod ſit veri bonum, in quo innocentia, de qua n: 3995. 4005. 4006. 4871; quod agnus ſit bonum innocentiæ interius, & hœdus ſeu capra bonum innocentiæ exterius, videatur n: 3519. Quid per bonum innocentiæ interius & exterius intelligitur, paucis dicetur; in omni bono erit innocentia, ut ſit bonum; abſque innocentia eſt bonum ſicut abſque ſua anima; cauſa eſt quia Dominus per innocentiam influit, & per illam vivificat bonum apud illos qui regenerantur: bonum, quod innocentia vivificat, eſt internum & externum; bonum internum eſt apud illos qui vocantur homines Eccleſiæ internæ, at bonum externum eſt apud illos qui ſunt homines Eccleſiæ externæ; homines Eccleſiæ internæ ſunt, qui qualificarunt bonum ſuum per vera interiora, qualia ſunt ſenſus interni Verbi; at homines Eccleſiæ externæ ſunt, qui qualificarunt bonum ſuum per vera exteriora, qualia ſunt ſenſus literalis Verbi; homines Eccleſiæ internæ ſunt qui ex affectione charitatis faciunt proximo bonum, at homines Eccleſiæ externæ qui ex obedientia: omnis homo, cum regeneratur, primum fit homo Eccleſiæ externæ, poſtmodum autem homo Eccleſiæ internæ; qui ab Eccleſia interna ſunt, in intelligentia & ſapientia ſunt præ illis qui ab Eccleſia externa, & ideo quoque interius in cœlo: ex his nunc patet quid bonum innocentiæ interius & exterius.

7841. Et erit vobis ad cuſtodiam, quod ſignificet tempus & ſtatum initiationis, conſtat ex ſignificatione decimi diei, a quo pecus eſſet in cuſtodia ad diem quartum decimum, quod ſit ſtatus initiationis interiorum, de qua n: 7831.

7842. Uſque ad quartumdecimum menſis, quod ſignificet ad ſtatum ſanctum, conſtat ex ſignificatione diei quartidecimi, quod ſit ſtatus ſanctus; quod dies ſit ſtatus, videatur ſupra n: 7831; quatuordecim autem ſignificant idem cum ſeptem, quod ſeptem ſint ſanctum, videatur n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268, nam numeri multiplicati ſimile ſignificant cum

ſimplicibus,

ſimplicibus, n: 5291. 5335. 5708; inde eſt, quod Pæſach inciperet decimo quarto die menſis, duraret ſeptem diebus, & deſineret die vigeſimo primo, qui dies etiam ſignificat ſanctum, quia exſurgit ex multiplicatione trium cum ſeptem: inde erat, quod in die primo Paſchatis eſſet *convocatio ſancta*, & in die vigeſimo primo *convocatio ſancta*, Verſ: 16.

7843. Et mactabunt illam omnis congregatio cætus Iſraelis, quod ſignificet præparationem ad fruitionem ab omnibus in communi qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione mactare, cum dicitur de agno ſeu capra ad faciendum Pæſach, quod ſit præparatio ad fruitionem, nempe boni innocentiæ, quod per agnum & capram ſignificatur; & ex ſignificatione omnis congregationis cætus Iſraelis, quod ſit ab omnibus in communi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 7830; per congregationem cætus ſignificantur vera boni, quæ illis qui ab Eccleſia illa; congregatio enim prædicatur de vero, n: 6355, & cætus de bono.

7844. Inter veſperas, quod ſignificet ſtatum ultimum & primum, conſtat ex ſignificatione veſperæ, quod ſit ſtatus falſi, & quoque ſtatus ignorantiæ veri, nam umbra veſperæ eſt falſum, & quoque eſt ignorantia veri; omnia enim tempora diei, ſicut omnia tempora anni in ſpirituali ſenſu ſignificant vices ſtatuum quoad verum & bonum, n: 5672. 5962. 6110; finis illorum & principium illorum eſt veſpera, quare cum dicitur inter Veſperas, involvuntur etiam omnes ſtatus; hic itaque per inter veſperas ſignificatur ſtatus liberationis illorum qui in vero ex bono, & ſtatus damnationis illorum qui in falſo ex malo, qui ſtatus ſignificantur per exitum filiorum Iſraelis ex Ægypto, cum primogeniti ibi neci dati ſunt; quod id dicatur veſpera, conſtat ex his apud Moſchen "Sacrificabunt Pæſach *in Veſpera cum occiderit ſol tempore ſtato exitus tui ex Ægypto*" Deut: XVI: 4. 6. Ex his patet, quod finis ſtatus infeſtationum, & principium ſtatus liberationis illorum qui per filios Iſraelis repræſentantur, per inter veſperas intelligatur, his a principio illo tendit ſtatus ad mane, quod eſt elevatio in cœlum: & quoque finis ſtatus infeſtationum & principium ſtatus damnationis illorum qui per Ægyptios repræſentantur, per inter veſperas, intelligitur, ſed horum ſtatus tendit ad noctem, quæ eſt dejectio in infernum; horum dejectio in infernum repræſentatur per immerſionem in mare Suph; illorum autem elevatio in cœlum repræſentatur per introductionem in terram Canaanem. In Verbo, paſſim nominatur Veſpera, & per illam ſignificatur ultimum tempus Eccleſiæ, & quoque primum ejus, ultimum apud illos apud quos deſinit Eccleſia, & primum apud illos apud quos inchoat; inde primario per Veſperam ſignificatur adventus Domini, nam tunc finis fuit Eccleſiæ prioris, & principium novæ; cujus ſtatus primus etiam veſpera vocatur, quia homo Eccleſiæ incipit ab obſcura luce, & progreditur ad claram, quæ ei eſt mane. Quod adventus Domini in mundum per Veſperam & Mane, ſignificetur, conſtat apud Danielem "Audivi unum ſanctum loquentem, quouſque viſio hæc, juge, & prævaricatio, ſancti & exercitus conculcatio: & dixit ad me, *uſque ad Veſperam, mane*, bis mille trecenta, tunc enim juſtificabitur ſanctum" VIII: 13. 14; quod ibi per ve-

ſperam intelligatur ultimum tempus, cum Eccleſia prorſus vaſtata fuit, & Dominus in mundum venit, & per mane lux & ortus novæ Eccleſiæ ab Ipſo, patet. Similiter apud Sachariam "Erit dies unus, qui notus erit Jehovæ, non dies nec nox, *quia circa tempus veſperæ erit lux*" XIV: 3. Apud Ezechielem "Tandem ſit tractus reliquus domus Jehudæ, ſuper iis paſcent; in domibus Aſkelonis *in veſpera quietem habebunt*, *quando viſitabit illos* Jehovah Deus illorum, & reducet captivitatem illorum" II: 7. Veſpera pro primo ſtatu exorientis Eccleſiæ: quia Veſpera ſignificabat ultimum ſtatum Eccleſiæ Veteris, & primum novæ, idcirco mandatum fuit, ut Aharon & filii ejus aſcendere facerent lucernam a *Veſpera uſque ad mane* coram Jehovah" Exod: XXVII: 20. 21. Quod Veſpera ſit ſtatus Eccleſiæ ultimus, cum denſum falſum quia nulla fides, & denſum malum quia nulla charitas, patet apud Jeremiam "Væ vobis, quia abit dies, *quia inclinatæ ſunt umbræ Veſperæ*" VI: 4. Apud Ezechielem "Loquutus ſum ad populum mane, & *mortua uxor mea Veſperi*" XXIV: 18, uxor pro Eccleſia. Apud Davidem "Sub auroram florebit, & tranſibit, *ſub veſperam reſecabis*, *exareſcet*" Pſalm: XC: 6.

7845. Verſ: 7. 8. 9. 10. 11. *Et accipient de ſanguine, & dabunt ſuper binos poſtes, & ſuper ſuperliminare, ſuper domibus in quibus comedent illam. Et comedent carnem in nocte illa aſſam igne, & azyma ſuper amaroribus comedent illam. Ne comedatis de illa crudum, & coquendo coctum in aquis, verumtamen aſſum igne caput ejus ſuper cruribus ejus & ſuper medio ejus. Et non relinquetis de illo uſque ad mane, & reſiduum de illo uſque ad mane, igne comburetis. Et ſic comedatis illam, lumbi veſtri cincti, calcei veſtri in pedibus veſtris, & baculus veſter in manu veſtra; & comedetis illam in feſtinatione; Paeſach hoc Jehovæ.* Et accipient de ſanguine, ſignificat ſanctum Verum quod boni innocentiæ: & dabunt ſuper binos poſtes, & ſuper ſuperliminare, ſignificat vera & bona naturalis: ſuper domibus, ſignificat illa quæ voluntatis boni ſunt: in quibus comedent illam, ſignificat fruitionem: & comedent carnem, ſignificat fruitionem boni: in nocte illa, ſignificat cum damnatio malorum: aſſam igne, ſignficat bonum quod amoris: & azyma, ſignificat purificatum ab omni falſo: ſuper amaroribus, ſignificat per tentationum injucunda: comedent illam, ſignificat fruitionem: ne comedatis de illa crudum, ſignificat quod non abſque amore: & coquendo coctum in aquis ſignificat quod non exibit a vero: verumtamen aſſum igne, ſignificat quod ex amore: caput ejus ſuper cruribus ejus, & ſuper medio ejus, ſignificat ab intimo ad externum: & non relinquetis de illo uſque ad mane, ſignificat ſtatus hujus durationem ante ſtatum illuſtrationis in cœlo; & reſiduum de illo uſque ad mane, igne comburetis, ſignificat ſtatum mediorum ad finem per tentationes: & ſic comedetis illam, ſignificat fruitionem in ſtatu ſeparationis a malis qui infeſtarunt, & conſervationem tunc: lumbi veſtri cincti, ſignificat quoad interiora: calcei veſtri in pedibus veſtris, ſignificat quoad exteriora: & baculus veſter in manu veſtra, ſignificat quoad media: & comedetis illud in feſtinatione, ſignificat ſeparationis affectionem: Pæſach hoc Jehovæ, ſignificat præſentiam Domini, & liberationem ab Ipſo.

7846.

7846. Et accipient de ſanguine, quod ſignificet ſanctum Verum quod boni innocentiæ, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit Sanctum Verum procedens a Domino, de qua n: 4735. 4978. 7317. 7326; & quia eſt ſanguis Agni, per quem ſignificatur bonum innocentiæ, n: 3994, eſt ſanctum verum quod boni innocentiæ.

7847. Et dabunt ſuper binos poſtes & ſuper ſuperliminare, quod ſignificet vera & bona naturalis, conſtat ex ſignificatione poſtium januæ, quod ſint vera naturalis; & ex ſignificatione ſuperliminaris, quod ſint bona ejus: quod poſtes & ſuperliminare illa ſint, eſt quia per domum ſignificatur ipſe homo, ſeu mens ejus, & per illa quæ januæ ſunt, ſignificantur quæ inſerviunt pro introducendo; quæ quod ſint vera & bona naturalis, patet; nam naturalis homo prius inſtruitur, quam rationalis, & quæ homo tunc diſcit, ſunt naturalia, quibus inſinuantur ſucceſſive ſpiritualia, quæ ſunt interiora: inde patet, quomodo naturale quoad vera & bona inſervit pro introducendo. Præterea ſuperliminare & poſtes ſimile ſignificant ac frontale & manus apud hominem; ideæ Angelicæ tales ſunt, ut naturalia referant ad talia quæ hominis ſunt; cauſa eſt, quia mundus ſpiritualis ſeu Cœlum eſt in forma hominis, ac ideo ad illam ſe referunt omnia illius mundi, hoc eſt, omnia ſpiritualia, quæ ſunt vera & bona, ut ad finem plurium Capitum, ubi de Correſpondentiis, oſtenſum eſt: & quia naturalia in ideis angelicis fiunt ſpiritualia, ita quoque domus, quæ illis eſt mens hominis, & cubicula & conclavia interiora mentis, ac feneſtræ, januæ, poſtes, & ſuperliminaria, ſunt exteriora mentis quæ introducunt quia Angelicæ ideæ tales ſunt, etiam vivæ ſunt; & ſic quæ in mundo naturali objecta mortua ſunt, dum in mundum ſpiritualem tranſeunt, fiunt objecta viva; nam omne ſpirituale eſt vivum, quia procedit a Domino. Quod poſtes & ſuperliminare ſimile ſignificent ac apud hominem frontale & manus, apparet ab his apud Moſchen "Amabis Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; alliges ea in ſignum *ſuper manum tuam*, & ſint *in frontalia* inter oculos tuos; & ſcribas *ea ſuper poſtes domus tuæ*, & in *portis tuis*" Deut: 5. 8. 9. Cap: XI: 13. 18. 20; quia ſimile involvunt, dictum eſt utrumque. Quod ſuperliminare & poſtes in ſpirituali ſenſu ſint bona & vera naturalis, per quæ introductio ad ſpiritualia, conſtat a deſcriptione Novi Templi apud Ezechielem, per quod ſignificatur Eccleſia ſpiritualis; ibi pluries memorantur poſtes & ſuperliminaria, quæ etiam menſurata ſunt; quod nequaquam factum eſſet, niſi illa etiam aliquid Eccleſiæ ac Cœli, hoc eſt, aliquid ſpirituale ſignificarent, prout ſequentia apud illum Prophetam "Sacerdos accipiet de ſanguine peccati, *& dabit ſuper poſtem domus*, & ſuper quatuor Angulos prominentiæ altaris, *& ſuper poſtem portæ atrii interioris*, in primo die menſis" XLV: 19. Apud Eundem "Intrabit princeps via porticus foris, & ſtabit apud *poſtem portæ*, & ſacerdotes facient holocauſtum illius, tunc adorabit *ſuper limine portæ*" XLVI: 2; quod per templum ibi non templum intelligatur, ſed Eccleſia Domini, quiſque ſcire poteſt; nam talia, quæ ibi in pluribus Capitibus deſcripta ſunt, nuſquam evenerunt, nec evenient: quod in ſupremo ſenſu per Templum intelligatur

telligatur Dominus quoad Divinum Humanum, Ipſe docet apud Johan: Cap: II: 19. 21. 22, inde in ſenſu repræſentativo per templum intelligitur Eccleſia Ipſius: quod Angelus menſus ſit *ſuperliminaria* novi illius templi, videatur Ezech: Cap: XL: 9. 10. 14. 16. 24. Cap: XLI: 21. 25, quæ menſuratio nullius rei foret, niſi ſuperliminaria ſignificarent aliquid Eccleſiæ, & quoque numeri. Quia poſtes & ſuperliminare ſignificabant vera & bona in naturali, quæ introductioni inſerviunt, idcirco in Templo illo Novo, ea facta ſunt quadrata proſpectu, Ezech: XLI: 21, ac ideo in Templo Salomonis *poſtes* facti ſunt ex lignis olei" 1 Reg: VI: 31. 33, lignum olei ſignificabat bonum Veri, ſeu bonum quod eſt Eccleſiæ ſpiritualis.

7848. Super domibus, quod ſignificet illa quæ voluntatis boni ſunt, conſtat ex ſignificatione domus, quod ſit homo, de qua n: 3128, quodque ſit mens hominis, n: 3538. 4973. 5023. 7353, conſequenter id quod eſt voluntatis, hic quod voluntatis boni: cauſa quod per domum etiam ſignificetur voluntas, eſt quia per eam ſignificatur homo, & homo eſt homo imprimis ex velle ſuo: præterea ſive dicas hominem, ſive mentem ejus, idem eſt; homo enim non eſt homo ex forma corporis ſui, ſed ex mente ſua, & homo eſt talis homo qualis eſt ejus mens, hoc eſt, qualis ejus intellectus & voluntas, præcipue qualis voluntas.

7849. In quibus comedent eam, quod ſignificet fruitionem, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit appropriatio, de qua n: 3168. 3513, fin: 4745, hic autem fruitio, quia agitur de ſtatu initiationis. Hoc ita ſe habet; qui ante adventum Domini in terra inferiore in cuſtodia detenti fuerunt, n: 6854. 6914. 7091 f. 7828, cum liberarentur, præparandi erant ad recipiendum influxum boni & veri a Domino, nam tranſirent per medium infernum; & ne in illo tranſitu ex infernalibus circum circa influerent mala & falſa, idcirco præparandi erant, ut tunc in pleno ſtatu veri & boni eſſent; ſed de illo tranſitu in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur: præparatio illa ſeu initiatio ad ſtatum receptionis boni & veri, deſcribitur per illa, quæ facerent inter diem decimum menſis & quartum decimum, & quæ obſervarent circa eſum agni paſchalis.

7850. Et comedent carnem, quod ſignificet fruitionem boni, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit fruitio, de qua nunc ſupra, n: 7849; & ex ſignificatione carnis, quod ſit proprium hominis vivificatum a Divino Humano Domini, ita omne bonum cœleſte & ſpirituale apud hominem, de qua n: 3813. 6968: quod Caro id ſignificet, apud Antiquos notiſſimum fuit; hodie tamen tam ignotum eſt, ut nullus non miretur, quod dicatur tale per carnem ſignificari; ſi dicatur, quod id ſpirituale correſpondens ſit, hoc non intelligitur; ſi dicitur quod ſit ſignificativum, hoc quidem intelligitur, ſed in alio ſenſu quam in quo eſt ſignificativum correſpondens, nempe ſicut prorſus ſeparatum, cum tamen ſpirituale aut ſignificativum correſpondens eſt conjunctum cum illo cui correſpondet, ſicut hominis viſus cum ejus oculo, auditus cum ejus aure, cogitatio, quæ ſpiritualis, cum forma interiorum hominis, & per illam cum organulis loquelæ, aut ſicut voluntas, quæ etiam ſpiritualis,

ſpiritualis, cum fibris muſcularibus, per quas actio; ita ſe habet omne ſpirituale correſpondens, ſeu ſignificativum reſpective ad ſuum naturale, cum quo correſpondentia: quis non videre poteſt, quod non caro per carnem, nec ſanguis per ſanguinem intelligitur a Domino apud Johannem "Amen, amen, dico vobis, niſi *comederitis carnem filii hominis*, & *biberitis Ipſius ſanguinem*, non habebitis vitam in vobis: qui *manducat meam Carnem*, & *bibit meum ſanguinem*, habet vitam æternam, & Ego reſuſcitabo illum extremo die; nam *Caro mea* eſt vere cibus, & *ſanguis meus* eſt vere potus" VI: 53. 54. 55. 56; quod per Carnem intellectum ſit Divinum Bonum Divini Amoris Domini, quod ex Divino Humano Ipſius, & per ſanguinem Divinum Verum procedens a Divino Bono Ipſius, tum reciprocum hominis, hodie pauci ſciunt, & qui ſcire poſſunt, non volunt; quod non ſcire velint, eſt cauſa quia in nulla affectione veri propter verum ſunt, ſed proprer cauſas in mundo; tum quia naturales homines naturaliter omnia capere volunt. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quid ſignificatur per comedere carnem in Cæna paſchali, conſequenter quid in ſancta cæna, quæ tunc inſtituta fuit: de Pane & Vino, quæ idem ſignificant cum Carne & Sanguine, in Sancta Cæna, videatur n: 2165. 2177. 2187. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915. Quod Caro non ſit caro in ſenſu ſpirituali Verbi, præter ab aliis locis, manifeſte patet ab hoc apud Johannem "Venite, & congregamini ad cænam magni Dei, ut *manducetis carnes* chiliarchorum, & *carnes* fortium, & *carnes* equorum, & ſedentium ſuper illis, & *carnes* omnium liberorum & ſervorum, & parvorum & magnorum" Apoc: XIX: 17. 18, per carnes ibi ſignificantur varii generis bona.

7851. In nocte illa, quod ſignificet cum damnatio malorum, conſtat ex ſignificatione Noctis, quod ſit ſtatus devaſtationis veri & boni, de qua n: 221. 709. 2353. 7776, ita damnatio, nam cum non amplius verum & bonum ſed falſum & malum, eſt damnatio, hic damnatio illorum, qui infeſtarunt illos qui ab Eccleſia ſpirituali.

7852. Aſſam igne, quod ſignificet bonum quod amoris, conſtat ex ſignificatione aſſi igne, quod ſit bonum amoris, ignis enim ſignificat amorem, n: 934. 4906. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324, & aſſatum id quod eſt imbutum amore, proinde bonum: in Verbo diſtinguitur aſſatum a cocto, & per aſſatum ſignificatur bonum quia per ignem, & per coctum intelligitur verum quia per aquam; hic ſimiliter, nam dicitur "Ne comedatis de illa crudum, & *coquendo coctum in aquis*, verumtamen *aſſum igne*" Verſ: 9; cauſa eſt, quia per Agnum paſchalem ſignificatur bonum innocentiæ, quod bonum eſt bonum amoris in Dominum. Ex his patet, quid per *aſſatum piſcem* apud Lucam Cap: XXIV: 42. 43, in ſenſu ſpirituali intelligitur: tum quid per piſcem ſuperimpoſitum foco, cum viſus eſt Dominus diſcipulis, de quo ita apud Johannem "Poſtquam deſcenderunt diſcipuli in terram, vident *focum poſitum*, & *piſciculum ſuperjacentem*, & panem: venit Jeſus, & accipit panem, & dat illis, & *piſciculum* ſimiliter" XXI: 9. 13, per piſcem ſignificatur verum naturalis, n: 991, per focum autem bonum, ita per piſciculum

piſciculum ſuperjacentum verum boni ſpiritualis in naturali: qui non ſenſum internum Verbi dari credit, is non poteſt aliter credere, quam quod nihil arcani involvat, quod, cum apparuit Dominus diſcipulis, eſſet piſcis ſuper foco, & quod ille a Domino daretur illis ad edendum. Quia per aſſum igne ſignificatur bonum quod amoris cœleſtis & ſpiritualis, ideo in oppoſito, ſenſu per aſſum igne ſignificatur malum quod eſt amoris ſui & mundi, apud Eſaiam "Partem ejus *combuſſit igne*, ſuper partem ejus carnem comedit, *aſſavit aſſatum*, ut ſaturaretur, etiam *calefactus eſt*; & dixit, frater *calefactus ſum, vidi ignem:* partem ejus *combuſſi igne*, etiamque coxi *ſuper prunis* ejus panem, *aſſavi carnem* & comedens" XLIV: 16. 19, ibi de adoratoribus ſculptilis; per ſculptile ſignificatur falſum mali, quod ita deſcribitur; aſſare aſſatum, & aſſare carnem, eſt operari malum ex amore ſpurco; quod ignis in oppoſito ſenſu ſit malum amoris ſui & mundi, ſeu cupiditatum quæ illorum amorum ſunt, videatur n: 1297. 1861. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7324. 5775.

7853. Et azyma, quod ſignificet purificatum ab omni falſo, conſtat ex ſignificatione azymi ſeu infermentati, quod ſit purificatum a falſo, de qua n: 2342; cauſa quod azyma id ſignificent, eſt quia fermentum ſignificat falſum, de quo in ſequentibus.

7854. Super amaroribus, quod ſignificet per tentationum injucunda, conſtat ex ſignificatione amarorum ſeu amaritudinum, quod ſint injucunda, hic quæ tentationum; bonum enim innocentiæ, quod per agnum paſchalem repræſentatur, non alicui appropriari poteſt, niſi per tentationes; per azymum panem tale bonum ſignificatur, quod quia appropriatur per tentationes, ſtatutum eſt ut comederent illum ſuper amaroribus; & præterea panis ille erat illis panis afflictionis, ſicut manna, Deut. VIII: 15. 16. Cap: XVI: 3, quia erat abſque fermento, hoc eſt, abſque aliquo falſo ex malo, nam homo purum verum & purum bonum non ſuſtinet. Quod injucunda ſignificentur per amara, patet apud Eſaiam "Væ dicentibus de malo bonum, & de bono malum, *ponentibus amarum in dulce, & dulce in amarum*" V: 10: & apud Eundem "Cum cantu non bibent vinum, *amara erit ſicera bibentibus illam*" XXIV: 9. Quod injucunda tentationum ſignificentur per amara, patet ex his; in Exodo "Tandem venerunt *ad Marah*, ſed non potuerunt aquas *præ amaritudine*, quia *amaræ illæ:* murmuravit itaque populus contra Moſchen, qui cum clamaret ad Jehovam, monſtravit illi Jehovah lignum, quod projecit in aquas, & *dulces factæ ſunt aquæ:* ibi poſuit illi ſtatutum & judicium, *quod ibi tentaverit illum*" XVI: 23. 24. 25: & quoque apud Johannem "Cecidit de Cœlo ſtella magna ardens ſicut lampas, nomen ſtellæ dicitur *abſinthium*, multique homines mortui ſunt ex aquis, quia *amaræ factæ ſunt*" Apoc: VIII: 10. 11; aquæ amaræ hic pro injucundis tentationum; homines mortui ex aquis, pro illis qui in tentationibus ſuccubuerunt

7855. Comedent illam, quod ſignificet fruitionem, conſtat ex illis ſupra n: 7849.

7856. Ne comedatis de illa crudum, quod ſignificet quod non abſque amore, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit fruitio, ut ſupra n:

7849.

7849; & ex ſignificatione crudi, quod ſit abſque bono amoris; quod crudum id ſignificet, liquet ex ſignificatione aſſi igne, quod ſit bonum amoris, de qua ſupra n: 7852, inde crudum eſt quod aſſum igne, ita quod abſque amore.

7857. Et coquendo coctum aquis, quod ſignificet quod non exibit ex vero quod fidei, conſtat ex ſignificatione aquarum, quod ſint vera quæ fidei, de qua n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668; inde coctum aquis eſt quod inde exit, hoc eſt, bonum quod ex vero fidei; hoc bonum diſtinguitur a bono quod ex amore, quod ſignificatur per aſſum igne, n: 7852. Omne bonum ſpirituale vel procedit ex fide, hoc eſt, per fidem, vel procedit ex amore; cum homo regeneratur, bonum apud illum tunc procedit ex vero fidei, nam facit tunc ſecundum verum non ex affectione veri, ſed ex obedientia quia ita mandatum eſt; poſtea vero cum regeneratus eſt, facit bonum ex affectione, ita ex amore: hi bini ſtatus apud hominem in Verbo prorſus diſtinguuntur, ex cauſa quia homo in utroque ſtatu non ſimul poteſt eſſe; qui in primo ſtatu eſt, non poteſt intrare in alterum antequam regeneratus eſt; & qui in altero ſtatu, non in priorem ſe conferet; ſi quis ſe confert, amittit tunc affectionem bonum faciendi ex amore, & relabitur in ſtatum fidei, qui illi inſerviverat ad introducendum ad bonum, & quoque extra illum: hoc in ſenſu interno intelligitur per Domini verba de ultimo judicio apud Matthæum "Tunc qui ſuper domo, ne deſcendat ad tollendum quid e domo ſua; & qui in agro, ne revertatur retro ad tollendum veſtimenta ſua" XXIV: 17. 18; & quoque per uxorem Lothi, quod reſpexerit poſt ſe" Luc: XVII: 31. 32; inde intelligi poteſt quid ſit frui bono quod exit ex amore non autem quod ex vero fidei, quæ ſignificantur per quod comederent carnem aſſam igne, non autem coctam in aquis. Quia per Sacrificia & Holocauſta ſignificabatur cultus Domini ex fide & amore, per ſacrificia ex fide, & per holocauſta ex amore; & quia glorificatio Domini, & lætificatio propter fruitionem bonorum a Domino ſignificabatur per commeſſationes ex ſanctificatis, idcirco conceſſum fuit tunc carnem coquere; glorificatio enim Domini, & lætificatis propter fruitionem bonorum, procedunt ex affectione veri quod fidei, ſicut etiam omnis confeſſio; quod caro ſacrificii coqueretur, videatur Exod: XXIX: 31. 32. 1 Sam: II: 13. 15. 1 Reg: XIX: 21. Tale ſignificatur per coctionem apud Sachariam "In die illo erit *omnis olla* in Hieroſolyma in Jehudah ſanctitas Jehovæ Zebaoth, & venient *omnes ſacrificantes*, & *ſument de illis, & coquent in illis*" XIV: 21.

7858. Verumtamen aſſum igne, quod ſignificet quod ex amore, conſtat ex ſignificatione aſſi igne, quod ſit bonum quod ex amore, de qua ſupra n: 7852.

7859. Caput ejus ſuper cruribus ejus & ſuper medio ejus, quod ſignificet ab intimo ad externum, conſtat ex ſignificatione capitis, cum dicitur ſuper cruribus & medio, quod ſit intimum, eſt enim caput ſupremum, & ſupremum in ſpirituali ſenſu eſt intimum, n: 2148. 3084. 4599. 5146; quod per caput ſignificentur interiora, & per corpus exteriora, videatur n: 6436; & ex ſignificatione crurum, quod ſint exteriora, nam crura reſpective ad caput ſunt

 inferiora;

inferiora; & ſicut ſuperiora ſignificant interiora, ita inferiora ſignificant exteriora; & ex ſignificatione medii, quod ſint quæ adhuc magis inferiora ſunt, ſicut quæ ventris ac inteſtinorum. Quod mandatum ſit ut aſſarent caput ſuper cruribus & ſuper medio, repræſentabat quod interiora & exteriora conjuncta erunt, hoc eſt, unum agent; interiora ſunt quæ interni hominis, exteriora quæ externi, ſeu interiora ſunt quæ ſpiritualis hominis, exteriora vero quæ naturalis; hæc conjuncta erunt, hoc eſt, unum agent, ut homo ſit regnum Domini; ſeparata ſunt, quando naturalis ſeu externus homo facit aliter quam ſpiritualis ſeu internus vult. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatum eſt per quod agnus paſchalis aſſaretur igne, caput ſuper cruribus & medio: per medium intelligitur naturale adhuc exterius, ſeu ſenſuale. Quod Divinum arcanum in mandatis illis ſit, quiſque videre poteſt; agnus enim paſchalis ſanctiſſimum in Eccleſia illa fuit; arcanum illud ſanctum non patet niſi per intellectum ſpiritualem rerum & verborum, qui hic talis eſt.

7860. Et non relinquetis de illo uſque ad mane, quod ſignificet ſtatus hujus durationem ante ſtatum illuſtrationis in cœlo, conſtat ex ſignificatione mane, quod ſit cœlum & ſtatus illuſtrationis ibi, de qua n: 2405. 3458. 3723. 5740. 5962; quod nihil relinquere de illo uſque ad id tempus, ſit ſtatus illius duratio, patet, nam tunc ceſſabit prior ſtatus. Agitur, ut prius oſtenſum, in ſenſu interno, de liberatione illorum qui ab Eccleſia ſpirituali ab infeſtationbus, ſtatus liberationis illorum repræſentatur per Pæſach, at ſtatus elevationis illorum in cœlum per introductionem in terram Canaanem; hic ſtatus eſt qui intelligitur per mane; ſunt bini illi ſtatus prorſus diverſi, ſicut ſunt ſtatus mediorum ad finem, ac ſtatus finis; cum ſtatus finis adeſt, tunc peracta erunt quæ in ſtatu mediorum: ex his patet, cur mandatum quod nihil relinquerent de illo ad mane.

7861. Et reſiduum de illo uſque ad mane igne comburetis, quod ſignificet ſtatum medium ad finem per tentationes, conſtat ex ſignificatione reſidui ad mane, quod ſit ſtatus medius ad ultimum, qui eſt elevationis in cœlum; per mane enim ſignificatur elevatio in cœlum, & illuſtratio ibi, videatur mox ſupra n: 7860, ideo per tempus ante mane ſignificatur ſtatus medius; in hoc ſtatu frui licuit reſiduo, ſeu comedere illud, non autem poſtea; & ex ſignificatione igne comburere, quod ſit ſubire tentationes; quod tentationes per igne comburere ſignificentur, eſt quia purificationes fiunt per ignem; tum quia cum homo in tentationes, in cupiditates ſuas immiſſus eſt, quæ ſunt ignes.

7862. Et ſic comedetis illam, quod ſignificet fruitionem in ſtatu ſeparationis a malis qui infeſtarunt, & conſervationem tunc, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit fruitio, de qua ſupra n: 7849; quia agitur de exitu ex Ægypto, & per illum ſignificatur ſeparatio ab illis qui infeſtarunt, idcirco eſt ille ſtatus qui intelligitur per quod ſic comederent illam; quod etiam ſit conſervatio, patet.

7863. Lumbi veſtri cincti, quod ſignificet quoad interiora, conſtat ex ſignificatione lumborum, quod ſint illa quæ amoris conjugialis, n: 3021.

4277.

4277. 4280. 5050 ad 5062, ita illa quæ ſunt amoris boni & veri, nam amor conjugialis deſcendit ab hoc, n: 686. 2618. 2727 ad 2759. 4434. 5054; inde, & quia lumbi ſunt ſupra pedes, qui ſunt exteriora, de quibus nunc infra, per illos ſignificantur interiora: per quod lumbi cincti eſſent, ſignificatur aptitudo ad recipiendum influxum boni & veri a Domino, tum ad faciendum ſecundum influxum; omnis cinctura & inveſtitura ſignificat ſtatum paratum ad recipiendum agendumque, tunc enim omnia & ſingula in ordine ſuo tenentur; aliter cum non cincta ſunt.

7864. Calcei veſtri in pedibus veſtris, quod ſignificet quoad exteriora, conſtat ex ſignificatione calceorum, quod ſint externa ſeu ultima naturalis, quæ in communi integunt interiora naturalis; & ex ſignificatione pedum, quod ſint naturale, de qua n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952.

7865. Et baculus veſter in manu veſtra, quod ſignificet quoad media, conſtat ex ſignificatione baculi in manu, cum agitur de profectione ſeu peregrinatione, & memorantur lumbi, tum calcei in pedibus, qui ſunt interiora & exteriora, quod ſint media.

7866. Et comedetis illud in feſtinatione, quod ſignificet ſeparationis affectionem, conſtat ex ſignificatione feſtinationis, quod ſit affectio, quia affectionis, de qua n: 7695; hic affectio ſeparationis, quia ab infeſtantibus, qui per Ægyptios ſignificantur.

7867. Pæſach hoc Jehovæ, quod ſignificet præſentiam Domini, & liberationem ab Ipſo, conſtat ex illis quæ hactenus dicta ſunt, imprimis quæ de Liberatione illorum qui ab Eccleſia ſpirituali per adventum Domini, n: 6854. 6914. 7035. 7091 f. 7828; quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6281. 6303. 6905.

7868. Verſ: 12. 13. 14. 15. 16. *Et tranſibo per terram Ægypti in nocte illa, & percutiam omne primogenitum in terra Ægypti ab homine & uſque ad beſtiam; & in omnes deos Ægypti faciam judicia; Ego Jehovah. Et erit ſanguis vobis ad ſignum ſuper domibus ubi vos, & videro ſanguinem, & prætéribo præter vos, & non erit in vobis plaga perditori, in percutere Me terram Ægypti. Et erit dies ille vobis ad memoriale, & feriabimini illum feſtum Jehovæ, generationibus veſtris, ſtatuto æterno feriabimini illum. Septem diebus azyma comedetis, etiam in die primo ceſſare facietis fermentum e domibus veſtris, quia omnis comedens firmentatum, & exſcindetur anima illa ex Iſraele, a die primo uſque ad diem ſeptimum. Et in die primo convocatio ſancta, & in die ſeptimo convocatio ſancta, erit vobis; nullum opus fiet in illis, tantum quod comedetur omni animæ, hoc ſolum fiet vobis.* Et tranſibo per terram Ægypti, ſignificat præſentiam apud illos qui infeſtarunt: in nocte illa, ſignificat ſtatum mali illorum: & percutiam omne primogenitum in terra Ægypti, ſignificat damnationem illorum qui in fide ſeparata a charitate: ab homine & uſque ad beſtiam, ſignificet cupiditates illorum malas interiores & exteriores: & in omnes deos Ægypti faciam judicia, ſignificat falſitates illorum quæ damnandæ: Ego Jehovah, ſignificat Dominum quod

 ſolus

ſolus Deus: & erit ſanguis, ſignificat verum boni innocentiæ: vobis ad ſignum ſuper domibus, ſignificat quod id teſtificatio voluntatis boni: & videro ſanguinem, ſignificat apperceptionem illius veri ab illis qui damnationem inferunt: & præteribo præter vos, ſignificat quod fugiet inde: & non erit in vobis plaga perditori, ſignificat quod damnatio ab infernis non influet: in percutere Me terram Ægypti, ſignificat cum damnantur illi qui in fide ſeparata a charitate: & erit dies ille vobis ad memoriale, ſignificat ſtatus illius quale in cultu: feriabimini illum feſtum Jehovæ, ſignificat cultum Domini propter liberationem a damnatione: generationibus veſtris, ſignificat in illis quæ fidei & charitatis: ſtatuto æterno feriabimini illum, ſignificat cultum Domini ſecundum ordinem cœli pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali: ſeptem diebus, ſignificat ſanctum: azyma comedetis, ſignificat purificationem a falſis: etiam in die primo ceſſare facietis fermentum e domibus veſtris, ſignificat quod prorſus nihil falſum erit in bono: quia omnis comedens fermentatum, ſignificat qui appropriat ſibi falſum: & exſcindetur anima illa ex Iſraele, ſignificat quod ſeparabitur ab illis qui ab Eccleſia ſpirituali, & quod erit damnatus: a die primo uſque ad diem ſeptimum, ſignificat ſtatum ſanctum plenum: & in die primo convocatio ſancta, ſignificat quod in principio omnes ſimul erunt: in die ſeptimo convocatio ſancta, erit vobis, ſignificat ita in fine ſtatus: nullum opus fiet in illis, ſignificat detentionem tunc a terreſtribus & mundanis: tantum quod comedatur omni animæ, ſignificat cum appropriatur bonum ſpirituale & cœleſte: hoc ſolum fiet, ſignificat quod his modo tunc ſtudebunt.

7869. Et tranſibo per terram Ægypti, quod ſignificet præſentiam apud illos qui infeſtarunt, conſtat ex ſignificatione tranſire, cum per terram, & a Jehovah, quod ſit præſentia; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui infeſtarunt illos qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6692. 7097; hic terra Ægypti pro illis.

7870. In nocte illa, quod ſignificet ſtatum mali illorum, conſtat ex ſignificatione noctis, quod ſit ſtatus cum non niſi quam malum & falſum; opponitur enim nox diei, & caligo luci, & per diem & lucem ſignificatur cum verum & bonum; inde per noctem etiam ſignificatur ultimum tempus Eccleſiæ, nam tunc quia nulla fides & charitas, falſa & mala regnant, videatur n: 2353. 6000; etiam per noctem ſignificatur devaſtatio totalis, n: 7776, ut & damnatio, n: 7851. Ex his patet, quod ſtatus illorum, qui in inferno ſunt, dicatur nox; non quod caligo noctis apud illos ſit, nam ſe mutuo vident, ſed quia ſtatus veri & boni, qui in cœlis, dicitur dies, inde ſtatus falſi & mali dicitur nox; etiam eſt caligo ibi cum aliquid lucis e cœlo illuc influit; tunc enim lumen illorum, ex quo vident, diſſipatur & fit caligo. Lumen, ex quo vident, eſt quidem ex luce a Domino per cœlum, nam in alterea vita non aliunde eſt aliqua lux, ſed hæc apud illos in inferno recipitur a facultate intelligendi verum apud illos, facultas quod poſſint intelligere remanet apud illos, ut apud omnem hominem, utcunque in malo aut falſo ſunt, ſed cum lux illa cœleſtis a facultate illa tranſit in voluntatem, quod nempe non velint intelligere, & inde in malum & falſum;

ſum; quæ apud illos tunc lux cœleſtis illis vertitur in lumen, quod ſimile lumini ex igne carbonario eſt; quod lumen, ut dictum, vertitur in denſam caliginem a luce cœli cum influit: quod in infernis ſit lumen quale eſt quod ex igne carbonario, videatur n: 1528. 3340. 4418. 4531; & quod lumen illud vertatur in caliginem ad præſentiam lucis cœli, n: 1783. 3412. 4533. 5057. 5058. 6000. Ex his conſtare poteſt, quod in altera vita cuique ſit lux ſecundum facultatem intelligendi inſtructam veris ex bono, aut falſis ex malo.

7871. Et percutiam omne primogenitum in terra Ægypti, quod ſignificet damnationem illorum qui in fide ſeparata a charitate, conſtat ex ſignificatione percutere, quod ſit damnatio, percutere enim eſt occidere aut morti dare, & per mortem in ſpirituali ſenſu ſignificatur damnatio, videatur n: 6119; ex ſignificatione primogeniti, cum prædicatur de Ægyptiis, per quos repræſentantur qui in falſis ex malo; quod ſit fides ſeparata a charitate, n: 3325. 7039. 7766. 7778. 7779; quod primogenitum in genuino ſenſu, cum dicitur de Eccleſia ſpirituali, ſit fides quæ charitatis, videatur n: 367. 2435. 3325. 3494. 6344. 7035, inde in oppoſito ſenſu primogenitum eſt fides abſque charitate.

7872. Ab homine & uſque ad beſtiam, quod ſignificet cupiditates illorum malas interiores & exteriores, conſtat ex ſignificatione ab homine & uſque ad beſtiam, quod ſit affectio boni interioris & exterioris, de qua n: 4724. 7523; per hominem enim ſignificatur affectio boni interioris & per beſtiam affectio boni exterioris; inde in oppoſito ſenſu, ut hic, ubi de Ægyptiorum primogenitis agitur, ſignificantur affectiones malæ, ſeu cupiditates interiores & exteriores: quod beſtiæ ſint affectiones bonæ, & in oppoſito ſenſu affectiones malæ ſeu cupiditates, videatur n: 45. 46. 142. 143. 246. 714, 715. 719. 776. 1823. 2179. 2180. 2781. 3218. 3519. 5198.

7873. Et in omnes deos Ægypti faciam judicia, quod ſignificet falſitates illorum quæ damnandæ, conſtat ex ſignificatione deorum, quod ſint falſitates, de qua ſequitur; & ex ſignificatione facere judicia, quod ſit damnari, nam judicare ſeu facere judicia eſt vel ad vitam vel ad mortem, ad vitam eſt ſalvatio, ad mortem eſt damnatio. Dii in Verbo plures nominantur; cum ita vocantur Angeli, ſignificantur vera, videatur n: 4295. 4402. 7268; inde in oppoſito ſenſu per deos gentium ſignificantur falſa, n: 4402. 4544. Quod Vera dicantur dii, eſt quia Verum procedit ex Ipſo Divino, & in ſe eſt Divinum, inde qui recipiunt illud, vocantur dii; non quod illi ſint dii, ſed quod verum, quod apud illos, ſit Divinum; inde eſt, quod in Lingua Originali Deus dicatur Elohim in plurali. Ipſum Divinum eſt Divinum Bonum, at quod procedit ab Illo eſt Divinum Verum, quod univerſum cœlum implet: quia nunc Deus eſt Verum, inde in oppoſito ſenſu eſt falſum.

7874. Ego Jehovah, quod ſignificet Dominum quod ſolus Deus, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra n: 7401. 7444. 7544. 7598. 7636, explicata ſunt.

7875. Et erit ſanguis, quod ſignificet verum boni innocentiæ, conſtat ex ſignificatione ſanguinis agni, quod ſit verum boni innocentiæ, ut ſupra n: 7846.

7876. Vobis ad ſignum ſuper domibus ubi vos, quod ſignificet quod id teſtificatio voluntatis boni, conſtat ex ſignificatione eſſe ad ſignum, quod ſit teſtificatio; & ex ſignificatione voluntatis, quod ſint quæ voluntatis boni, de qua ſupra n: 7848.

7877. Et videro ſanguinem, quod ſignificet apperceptionem illius veri ab illis qui damnationem inferunt, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit intelligere & appercipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; quod ſit apperceptio ab illis qui damnationem inferunt, ſequitur; & ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit verum boni innocentiæ, ut ſupra n: 7846. Quid verum boni innocentiæ, dicendum; bonum innocentiæ eſt bonum amoris in Dominum, qui enim in hoc amore ſunt, in innocentia ſunt; inde eſt, quod illi qui in intimo ſeu tertio cœlo ſunt, in innocentia ſint præ reliquis, quia in amore in Dominum; ex innocentia apparent illi, qui ibi, aliis ſicut infantes, & uſque ſunt ſapientiſſimi omnium qui in cœlo, videatur n: 2306, nam innocentia habitat in ſapientia, n: 2305. 3495. 4797: Verum boni innocentiæ, quod apud illos, non eſt verum fidei, ſed eſt bonum charitatis; nam illi qui in tertio cœlo ſunt, non ſciunt quid fides, ita nec quid verum ejus, ſunt enim in perceptione veri quod fidei, ex qua ſciunt illico quod ita ſit, nec uſquam ratiocinantur de illo, num ita ſit, minus litigant de illo; quod eo modo in perceptione eſt, hoc non cadit in ſcientiam; aliter apud ſpirituales, qui in ſecundo cœlo, hi per verum quod fidei dicuntur ad bonum quod charitatis, quare illi ratiocinantur num id verum ſit vel non, quia num ſit non percipiunt, inde vera illis fiunt ſcientia, & vocantur doctrinalia fidei. Quod illi qui in intimo ſeu tertio cœlo, in tali ſtatu ſint, quod percipiant quid verum fidei, ac ideo illud non ad ſcientiam referant, videatur n: 202. 337. 2715. 2718. 3246. 4448. Quomodo cum hoc ſe habet, quod a Jehovah dicatur *Videro*, ita de ſe, ſignificetur apperceptio ab illis qui damnationem inferunt, hoc eſt, ab infernalibus, patere poteſt ab illis, quæ prius oſtenſa ſunt, quod nempe malum tribuatur Jehovæ ſeu Domino, tametſi nihil mali ab Ipſo provenit, ſed ab inferno, videatur n: 2447. 6073. 6992. 6997. 7533. 7633. 7643; quod malum permittatur, hoc apparet ſicut ab Ipſo qui permittit, cum poteſt auferre; ita hic, quod morti dati ſint primogeniti Ægyptiorum; hoc tribuitur Jehovæ, nam dicitur "Tranſibo per terram Ægypti in nocte illa, & percutiam omne primogenitum in terra Ægypti: & factum in media nocte, & Jehovah percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, uſque ad primogenitum captivi, qui in domo foveæ" Verſ: 12. 29; & tamen in hoc Verſu vocatur ille *perditor* qui hoc facit "Erit ſanguis vobis ad ſignum ſuper domibus, ubi vos, & videro ſanguinem, & præteribo præter vos, & *non erit vobis plaga perditori*" ſimiliter ſe habet cum devaſtatione malorum in altera vita, deque damnatione, & dejectione in infernum, quæ in ſenſu interno per plagas, &

per

er mortem primogenitorum, & per immerſionem in mare Suph, intelliguntur; Jehovah ſeu Dominus nullum vaſtat, minus damnat, & in infernum dejicit; ſed eſt ipſe ſpiritus malus qui hoc ſibi facit, eſt malum quod in illo; inde nunc eſt, quod per videro ſanguinem, ſignificetur apperceptio ab illis qui damnationem inferunt. Quomodo cum Permiſſione ſe habet, non poteſt paucis dici, quia perplura arcana involvit; quod damnentur impii, & quod crucientur, non eſt a Domino permiſſio qualis eſt volentis, ſed qualis eſt non volentis, qui non poteſt auxilium ferre, urgente & reſiſtente fine, qui eſt ſalvatio totius generis humani, nam ſi auxilium ferret, foret malum facere, quod prorſus contra Divinum eſt: ſed de his plura, ex Divina Domini Miſericordia, alibi.

7878. Et præteribo præter vos, quod ſignificet quod fugiet inde, nempe damnatio quæ ab infernis, conſtat ex ſignificatione præterire, cum hoc dicitur de damnatione, quod ſit fugere inde; etiam damnationis ſphæra, quæ ex infernis effluit, præter illos qui a Domino in vero & bono ſunt, fugit; damnatio enim influit apud illos qui in malo & falſo ſunt, nam ſtatus receptionis ibi eſt, non autem apud illos qui in vero & bono; ſunt enim oppoſita, quorum unum fugit alterum. Omnia quæ hactenus ſtatuta ſunt de agno paſchali, de ejus coctione & eſu, tum de ſanguine ſuper poſtes & ſuperliminare, ſe referunt ad hæc, quod nempe perditor præteribit illorum domos; in ſenſu interno, quod ab omni damnatione immunes erunt; propter hunc finem, ut nempe damnatio ab illis fugeret, præparati ſunt; præparationis proceſſus eſt qui in ſenſu interno per ſtatuta de Agno paſchali deſcriptus eſt.

7879. Et non erit in vobis plaga perditori, quod ſignificet quod damnatio ab inferno non influet, conſtat ex ſignificatione plagæ, quod hic ſit damnatio, nam hæc plaga erat mors omnium primogenitorum in Ægypto, quæ quod ſit damnatio, videatur n: 7778; & ex ſignificatione perditoris, quod ſit infernum quod damnationem infert. Cum hoc, quod infernum damnationem inferat, ita ſe habet; devaſtatio malorum in altera vita, tum quoque damnatio, ut & dejectio in infernum, non venit immediate a ſpiritu qui in malo eſt, ſed venit ab infernis; mala enim, quæ ibi, omnia exiſtunt per influxum ab infernis, & nullum abſque influxu inde, & exiſtunt ſecundum ſtatum mali, in quo ſunt ſpiritus qui vaſtantur & damnantur; & ſtatus mali exiſtit ſecundum privationem boni & veri; ſecundum eum ſtatum fit communicatio cum infernis; & inferna paratiſſima ſunt ad inferendum malum; nam inferre malum eſt ipſum jucundum vitæ illorum. Quia inferna talia ſunt, idcirco a Domino clauſa tenentur; quippe ſi aperirentur, periret univerſum genus humanum, nam inferna perniciem omnium continue ſpirant: quod peſte perierint ſeptuaginta millia virorum, propter numerationem populi a Davide, II Sam: XXIV; quodque in caſtris Aſſyriorum occiſa ſint centum octoginta & quinque millia in una nocte, II Reg: XIX: 35, facta ſunt ab infernis, quod tunc aperta fuerint; ſimiliter foret hodie, ſi aperirentur; idcirco a Domino ſtricte occluſa tenentur. Quod damnatio ab infernis non influere

poſſit

poſſit apud illos, qui a Domino in bono & vero tenentur, quod ſignificatur per quod non erit in vobis plaga perditori, videatur mox ſupra n: 7878.

7880. In percutere Me terram Ægypti, quod ſignificet cum damnantur illi qui in fide ſeparata a charitate, conſtat ex illis ſupra n: 7871.

7881. Et erit dies vobis ad memoriale, quod ſignificet ſtatus illius quale in cultu, conſtat ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962. 6110; & ex ſignificatione memorialis, quod ſit quale in cultu, de qua n: 6688.

7882. Feriabimini illum feſtum Jehovæ, quod ſignificet cultum Domini propter liberationem a damnatione, conſtat ex ſignificatione feriari feſtum Jehovæ, quod ſit cultus Domini, & quidem propter liberationem a damnatione, quia ideo feſtus hic dies; quod Pæſach inſtitutum ſit propter liberationem illorum qui ab Eccleſia ſpirituali a Domino, videatur n: 7867.

7883. Generationibus veſtris, quod ſignificet in illis quæ fidei & charitatis, conſtat ex ſignificatione generationum, quod ſint fidei & charitatis, de qua n: 613. 2020. 2584. 6239.

7884. Statuto æterno feriabimini illum, quod ſignificet cultum Domini ſecundum ordinem cœli pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione ſtatuti æterni, quod ſit ordo cœli, de qua ſequitur; & ex ſignificatione feriari, quod ſit cultus Domini, ut mox ſupra n: 7882; & quia dicitur ad filios Iſraelis, quod illi feriaturi illum, intelliguntur qui ab Eccleſia ſpirituali. Quod ſtatutum æternum ſit ordo cœli, eſt quia omnia ſtatuta, quæ filiis Iſraelis mandata ſunt, erant talia quæ fluebant ex ordine cœli; inde etiam repræſentabant illa quæ cœli. Per cultum ſecundum ordinem cœli, intelligitur omne exercitium boni ſecundum præcepta Domini: per cultum Dei hodie intelligitur imprimis cultus oris in templo, tum mane & veſpere; ſed cultus Dei non in eo eſſentialiter conſiſtit, verum in vita uſuum, ille cultus eſt ſecundum ordinem cœli: cultus oris eſt quoque cultus, ſed prorſus nihil facit, niſi cultus vitæ ſit, nam hic cultus eſt cordis; ille, ut cultus ſit, ex hoc procedat.

7885. Septem diebus, quod ſignificet ſanctum, conſtat ex ſignificatione ſeptem, quod involvat ſanctum, & ſeptem dierum quod ſint ſanctum; quod ſeptem involvat ſanctum, videatur n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268.

7886. Azyma comedetis, quod ſignificet purificationem a falſis, conſtat ex ſignificatione azymorum, quod ſint purificatio a falſis de qua n: 2342.

7887. Etiam in die primo ceſſare facietis fermentum e domibus veſtris, quod ſignificet quod prorſus nihil falſum erit in bono, conſtat ex ſignificatione diei primi, quod ſit principium ſtatus illius, quod dies ſit ſtatus, videatur mox ſupra n: 7881; ex ſignificatione fermenti, quod ſit falſum, de qua in ſequentibus; & ex ſignificatione domus, quod ſit bonum, de qua n: 2233. 2234. 2559. 3652. 3720. 7833. 7834. 7835. 7848; inde patet, quod per in die primo ceſſare facietis fermentum e domibus veſtris, ſignificetur

tur quod ab ipſo principio ſtatus illius nihil falſum erit in bono. Cum bono ita ſe habet; bona ſunt varietate infinita, & illis quale eſt ex veris; inde tale fit bonum, qualia ſunt vera, quæ intrant; vera quæ intrant, raro ſunt genuina, ſed ſunt apparentia veri, & quoque ſunt falſa, ſed uſque non oppoſita veris; attamen cum hæc in bonum influunt quod fit cum vivitur ſecundum illa, ex ignorantia, & in hac eſt innocentia, & cum finis eſt faciendi bonum, tunc ſpectantur illa a Domino, & in cœlo, non ut falſa, ſed ut ſimilia veri, & ſecundum quale innocentiæ acceptantur ut vera; inde bonum quale ſuum accipit: ex his conſtare poteſt, quid intelligitur per quod nihil falſum erit in bono.

7888. Quia omnis comedens fermentatum, quod ſignificet qui appropriat ſibi falſum, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit appropriare ſibi, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f. 3596. 4745; & ex ſignificatione fermentati, quod ſit falſum, ut ſupra n: 7887.

7889. Et exſcindetur Anima illa ex Iſraele, quod ſignificet quod ſeparabitur ab illis qui ab Eccleſia ſpirituali, & quod erit damnatus, conſtat ex ſignificatione exſcindi, quod ſit ſeparari, & quoque damnari; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint illi qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpe: cauſa, quod ſeparabitur & erit damnatus is cui in bono eſt falſum, eſt quia falſum, quod ſignificatur per fermentatum, in bono, facit illud tale, ut non poſſit non recipere malum ab infernis quæ damnationem inferunt; quando liberandi ab illis qui infeſtarunt, quod tunc damnatio influet ab undique, & quod illi qui in genuino bono ſunt, ſeu in bono abſque falſo, per mediam damnationem incolumes tranſibunt, videatur ſupra n: 7878.

7890. Die primo uſque ad diem ſeptimum, quod ſignificet ſtatum ſanctum plenum, conſtat a ſignificatione dierum ſeptem, quod ſint ſtatus ſanctus, de qua ſupra n: 7885, & quoque quod ſint ſtatus plenus, n: 6508, qui etiam per ſeptimanam ſignificatur; quod ſeptimana ſit integra periodus major aut minor, a principio ad finem, videatur n: 2044. 3845.

7891. Et in die primo convocatio ſancta, quod ſignificet quod in principio omnes ſimul erunt, conſtat a ſignificatione diei primi, quod ſit principium, nempe liberationis ab illis qui infeſtarunt, & ſic a damnatione; & ex ſignificatione convocationis ſanctæ, quod ſit quod omnes ſimul erunt. Convocationes fiebant, ut una eſſet totus cætus Iſraelis, ac ita repræſentaret cœlum, omnes enim tunc diſtincti erant in Tribus, ac tribus in Familias, & familiæ in domos; quod repræſentaretur cœlum cum ſocietatibus ibi per tribus, familias, domos filiorum Iſraelis, videatur n: 7836; ideo Convocationes illæ dicebantur ſanctæ, & fiebant ad quodlibet feſtum, Levit: XXIII: 27. 36. Num: XXVIII: 26. Cap: XXIX: 1. 7. 12; ex eo ipſa feſta vocabantur Convocationes ſanctæ, nam mandatum, ut omnes maſculi in illis adeſſent; quod feſta dictæ ſint Convocationes ſanctæ, conſtat apud Moſchen "Hæc feſta ſtata Jehovæ, *quæ vocabitis Convocationes ſanctas*, ad offerendum ignitum Jehovæ" Levit: XXIII: 37: quod tunc adeſſent omnes maſculi, apud Eundem "*Tribus vicibus in anno comparebit omnis maſculus tuus coram*

Jehovah Deo tuo, in loco quem elegerit, in feſto azymorum, & in feſto ſeptimanarum, & in feſto tabernaculorum" Deut: xvi: 16.

7892. In die ſeptimo convocatio ſancta erit vobis, quod ſignificet ita in fine ſtatus, conſtat ex ſignificatione diei ſeptimi, qui ultimus erat feſti, quod ſit finis ejus: quid convocatio ſancta, videatur nunc ſupra n: 7890.

7893. Nullum opus fiet in illis, quod ſignificet detentionem tunc a terreſtribus & mundanis, conſtat ex ſignificatione operis, quod ſint labores & ſtudia, quæ pro fine habent illa quæ mundi & telluris ſunt; inde per quod nullum opus fiet in illis, ſignificatur detentio a talibus. Quod tam ſevere interdictum ſit, quod nullum opus in feſtis & ſabbathis facerent, erat ut tunc in ſtatu repræſentativo pleno eſſent, hoc eſt, in talibus quæ repræſentabant cœleſtia & ſpiritualia; qui ſtatus turbatus fuiſſet, ſi opera feciſſent quæ ſpectarent mundum & tellurem ut finem; repræſentativa enim Eccleſiæ apud Jacobi poſteros inſtituta fuerunt, ut per illa communicatio eſſet cœli cum homine, ob illum finem eſt Eccleſia; communicatio illa non obtenta fuiſſet, niſi ſub pæna mortis vetitum fuiſſet aliquod opus facere diebus feſtorum & ſabbathorum; nam illorum animo inſidebant mundana & terreſtria, quibus ſe toto corde immergebant, tales enim erant; quare ſi illis ſimul vacarent, communicatio per repræſentativa prorſus interrumperetur & nulla fieret: poſtea vero eadem feſta retenta fuerunt, propter vitam tunc cœleſtem, ac propter doctrinam ut tunc diſcerent quid fides & charitas.

7894. Tantum quod comedatur omni animæ, quod ſignificet cum appropriatur bonum ſpirituale & cœleſte, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit appropriatio, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f. 3596. 4745; quod ſpirituale & cœleſte appropriaretur, intelligitur per illa quæ inſtituta ſunt de agno paſchali.

7895. Hoc ſolum fiet, quod ſignificet quod his modo ſtudebunt, conſtat abſque explicatione.

6896. Verſ: 17. 18. 19. 20. *Et obſervabitis azyma, quia eodem die hoc eduxi exercitus veſtros e terra Ægypti, & cuſtodietis diem hunc generationibus veſtris ſtatuto æterno. In primo in quartodecimo die menſis in veſpera comedetis azyma, uſque ad diem primum & vigeſimum menſis in veſpera. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris, quia omnis comedens fermentatum, & exſcindetur anima illa e cætu Iſraelis, in peregrino & in indigena terræ. Nullum fermentatum comedetis, in omnibus habitationibus veſtris comedetis azyma.* Et obſervabitis azyma, ſignificat quod nullum falſum erit: quia in eodem die hoc eduxi exercitus veſtros e terra Ægypti, ſignificat quia ſtatus tunc charitatis & fidei, per quem ſeparatio ab illis qui in malis & falſis: & cuſtodietis diem hunc generationibus veſtris, ſtatuto æterno, ſignificat cultum ex fide & charitate ſecundum ordinem cœli: in primo in quartodecimo die menſis, ſignificat in principio ſancti ſtatus: in veſpera, ſignificat finem ſtatus prioris & principium novi: comedetis azyma, ſignificat appropriationem veri a bono purificati a falſo: uſque ad diem primum & vigeſimum menſis, ſignificat finem ſtatus illius ſancti: in veſpera, ſignificat finem ſtatus prioris

&

& principium novi: ſeptem diebus, ſignificat integram periodum hujus ſtatus: fermentum non invenietur in domibus veſtris, ſignificat quod prorſus nihil falſi accedet ad bonum: quia omnis comedens fermentatum, & exſcindetur anima illa e cætu Iſraelis, ſignificat quod qui bono ſuo adjungit falſum, damnatus ſit: in peregrino & in indigena terræ, ſignificat qui ab Eccleſia, ſive non natus ibi, ſive natus ibi: nullum fermentatum comedetis, ſignificat quod cavendum omnino ne approprietur falſum: in omnibus habitationibus veſtris comedetis azyma, ſignificat quod in interioribus, ubi bonum, appropriabitur verum.

7897. Et obſervabitis azyma, quod ſignificet quod nullum falſum erit, conſtat ex ſignificatione azymorum, quod ſit purificatum ab omni falſo, de qua n: 2342.

7898. Quia in eodem die hoc eduxi exercitus veſtros e terra Ægypti, quod ſignificet quia ſtatus tunc charitatis & fidei, per quem ſeparatio ab illis qui in malis & falſis, conſtat ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus, de qua ſupra n: 7881; ex ſignificatione exercituum, quod ſint illa quæ charitatis & fidei, de qua n: 3448. 7236; ex ſignificatione educere, quod ſit ſeparari; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint illi qui in malis & falſis, de qua ſæpius.

7899. Et cuſtodietis diem hunc generationibus veſtris ſtatuto æterno, quod ſignificet cultum ex fide & charitate ſecundum ordinem Divinum, conſtat ex ſignificatione cuſtodire, quod ſit cultus, nam dies ille cuſtodiebatur cum in illo colebatur pæſach; ex ſignificatione generationum, quod ſint illa quæ fidei & charitatis, de qua ſupra n: 7883; & ex ſignificatione ſtatuti æterni, quod ſit ſecundum ordinem Divinum, de qua etiam ſupra n: 7884.

7900. In primo, in quartodecimo die menſis, quod ſignificet in principio ſancti ſtatus, conſtat ex ſignificatione in primo, quod ſit principium ut ſupra n: 7887. 7891; & ex ſignificatione quatuordecimi diei, quod ſit ſanctus ſtatus; quod numerus quatuordecim ſit ſanctum, videatur ſupra n: 7842, & quod dies ſit ſtatus n: 7881: quod numerus quatuordecim ſit ſanctum, eſt quia exiſtit ex ſeptem; ſeptem, ubi nominantur in Verbo, ſignificant ſanctum; numeri enim ſimplices & compoſiti ſimile involvunt, n: 5291. 5335. 5708: quia Pæſach dierum feſtorum ſanctiſſimus fuit, idcirco mandatum eſt, ut celebraretur die quartodecimo menſis, ſeptem diebus perſtaret, & die vigeſimo primo, per quem etiam ſanctum ſignificatur, finiretur: propterea etiam ſtatutum erat, ut qui non potuerunt celebrare Pæſach primo menſe, celebrarent illud menſe ſequente, etiam die quartodecimo, de quo ita apud Moſchen "Cum vir quis fuerit immundus ob animam, aut in via longinqua, vobis aut generationibus veſtris, faciet tamen Pæſach Jehovæ, *in menſe ſecundo, in quartodecimo die*, inter veſperas facient illud" Num: IX: 10. 11.

7901. In veſpera, quod ſignificet finem ſtatus prioris & principium novi, conſtat ex ſignificatione veſperæ, quod ſit finis ſtatus prioris & principium alterius, de qua n: 7844.

7902. Comedetis azyma, quod ſignificet appropriationem veri a bono, purificati a falſo, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit appropriatio, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 f. 3596. 4745; quod ſit appropriatio veri a bono, eſt quia verum appropriatur a bono, & bonum, ut prius paſſim oſtenſum eſt, ſuum quale habet a vero, quare ut verum approprietur erit a bono, ac ut bonum, erit per verum; & ex ſignificatione azymi, quod ſit verum purificatum ab omni falſo, de qua n: 2342. Quod verum purificatum ab omni falſo attinet, ſciendum, quod apud hominem nuſquam dari queat Verum purum, tam quia a malo, in quo eſt, & quod inſidet, falſum continue profluit, quam quia vera inter ſe nexum habet, & ideo, ſi unum falſum ſit, magis ſi plura, ipſa vera reliqua inde conſpurcantur, & aliquid de falſo trahunt: at Verum dicitur purificatum a falſo, cum homo teneri poteſt a Domino in bono innocentiæ; innocentia eſt agnoſcere, quod apud ſe nihil niſi malum ſit, & quod omne bonum a Domino; tum credere, quod non ſciat nec percipiat a ſe aliquid, ſed ex Domino, ita quoque verum quod fidei; cum homo in hoc ſtatu eſt, tunc removeri poteſt falſum ab illo, & inſinuari verum a Domino: hic ſtatus eſt qui ſignificatur per azyma, & quoque per eſum agni paſchalis.

7903. Uſque ad diem primum & vigeſimum menſis, quod ſignificet finem illius ſancti, conſtat ex ſignificatione diei primi & vigeſimi, quod ſit ſtatus ſanctus, & quoque quod ſit finis illius ſtatus; quod ſit ſtatus ſanctus, eſt quia exſurgit ex ſeptem & ex tribus in ſe multiplicatis, & ſeptem ſignificant ſanctum, & quoque tria; quod dies ille primus & vigeſimus ſit finis illius ſtatus patet, quia ultimus.

7904. In Veſpera, ſignificat finem ſtatus prioris & principium novi, ut ſupra n: 7902.

7905. Septem diebus, quod ſignificet integram periodum hujus ſtatus, conſtat a ſignificatione ſeptem dierum, quod ſint ſtatus ſanctus, ut ſupra n: 7885, & quoque integra periodus a principio ad finem, ſeu ſtatus plenus, n: 728. 6508, ſimiliter ac ſeptimana, n: 2044. 3845; quia illa ſignificabantur, inſtitutum eſt, ut feſtum hoc ſeptem diebus perſtaret.

7906. Fermentum non invenietur in domibus veſtris, quod ſignificet quod prorſus nihil falſi accedet ad bonum, conſtat ex ſignificatione fermenti, quod ſit falſum, de qua ſequitur; & ex ſignificatione domus, quod ſit bonum, de qua n: 3652. 3720. 4982. 7833. 7834. 7835. Quod fermentum ſit falſum, conſtare poteſt ab illis locis, ubi fermentum ac fermentatum, tum ubi azymum & infermentatum, nominantur; prout apud Matthæum "Jeſus dixit, videte & *cavete a fermento Phariſæorum & Sadducæorum*; poſtea intellexerunt diſcipuli, quod non dixiſſet *ut caverent a fermento panis*, ſed *a doctrina Phariſæorum & Sadducæorum*" xvi: 6. 12; ibi fermentum manifeſte pro falſa doctrina. Quia fermentum ſignificabat falſum, interdictum fuit *ſacrificare ſuper fermentato ſanguinem ſacrificii*" Exod: xxiii: 18. Cap: xxxiv: 25, per ſanguinem enim ſacrificii ſignificabatur ſanctum verum, ita verum ab omni falſo purum, n: 4735. 4978. 7317. 7326. 7846. 7850: tum ſtatutum, quod

quod *Minchah*, quæ offereretur ſuper altari, *non coqueretur fermentata*" Levit: VI: 9. 10; quodque *placentæ* & *lagana etiam eſſent infermentata*" Levit: VII: 11. 12. 13. Quod fermentatum & infermentatum ulterius attinet, ſciendum quod purificatio veri a falſo apud hominem, nuſquam exiſtere poſſit abſque fermentatione ita dicta, hoc eſt, abſque falſi pugna cum vero, & veri cum falſo; ſed poſtquam pugna exſtiterat, ac verum vicerat, tunc falſum ſicut fæx decidit, & verum exiſtit purificatum; prout vinum, quod poſt fermentationem clareſcit, fæcibus ad fundum decidentibus: fermentatio illa, ſeu pugna exiſtit imprimis cum vertitur ſtatus apud hominem, nempe cum ille incipit agere ex bono quod charitatis, & non ut prius, ex vero quod fidei; nam ſtatus non adhuc purificatus eſt, cum homo agit ex vero fidei, at tunc purificatus eſt, cum ex bono quod charitatis, tunc enim ex voluntate agit, prius modo ex intellectu: pugnæ ſpirituales ſeu tentationes ſunt fermentationes in ſpirituali ſenſu, nam tunc falſa ſe volunt conjungere veris, ſed vera reſpuunt illa, & tandem dejiciunt illa quaſi ad fundum, proinde defæcant: in hoc ſenſu intelligendum, quod Dominus de fermento docet apud Matthæum "*Simile eſt Regnum cælorum fermento*, quod accipiens mulier abſcondidit in farinæ ſatis tribus, *donec fermentaretur totum*" XIII: 33, farina eſt verum ex quo bonum: tum apud Hoſcheam "Omnes adulterantes, ſicut clibanus incenſus a piſtore, *ceſſat excitator a ſubigendo maſſam uſque ad fermentationem ejus*" VII: 4. Quia, ut dictum, apud hominem tales pugnæ, quæ per fermentationes ſignificantur, in ſtatu ante novum vitæ exiſtunt, idcirco etiam ſtatutum eſt, quod cum *mincha nova feſto primitiarum* adferеretur, *panis motitationis*, *fermentata coqueretur*, & quod id primitiæ Jehovæ" Levit: XXIII: 16. 17.

7907. Quia omnis comedens fermentatum, & exſcindetur anima illa e cætu Iſraelis, quod ſignificet quod qui bono ſuo adjungit falſum, damnatus ſit, conſtat & ſignificatione comedere, quod ſit appropriare, de qua n: 2343. 3168. 3513 fin: 3596. 4745, ita quoque conjungere, n: 2187, nam qui aliquid ſibi appropriat, is ſibi id conjungit; ex ſignificatione fermentati, quod ſit falſum, de qua nunc ſupra n: 7906; ex ſignificatione exſcindi, quod ſit ſeparari, & damnari, de qua n: 7889; ex ſignificatione animæ, quod ſit homo; & ex ſignificatione cætus Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 7830. 7843: ex his patet quod per omnis comedens fermentatum, & exſcindetur anima illa e cætu Iſraelis, ſignificetur quod qui bono ſuo adjungit falſum, ſeparabitur ab Eccleſia ſpirituali, & damnatus erit.

7908. In peregrino & in indigena terræ, quod ſignificet qui ab Eccleſia, ſive non natus ibi, ſive natus ibi, conſtat ex ſignificatione peregrini, quod ſit qui inſtruitur in veris & bonis Eccleſiæ, & recipit illa, de qua n: 1463. 4444, ita qui non natus eſt intra Eccleſiam, ſed uſque accedit ad illam; & ex ſignificatione indigenæ terræ, quod ſit qui intra Eccleſiam natus eſt.

7909. Nullum fermentatum comedetis, quod ſignificet quod cavendum

omnino

omnino ne approprietur falſum, conſtat ex ſignificatione fermentati, quod ſit falſum, de qua ſupra n: 7906; & ex ſignificatione comedere, quod ſit appropriare ſibi, de qua etiam ſupra n: 7907. Quod tam frequenter dicatur, quod fermentatum non comedetur, ut Verſ: 15. 17. 18. 19, involvit, quod omnino cavendum ſit a falſo; cauſa quod a falſo omnino cavendum, eſt ut homo in bono ſit; falſum non concordat cum bono, ſed deſtruit bonum, nam falſum eſt mali, & verum eſt boni; ſi falſum appropriatur, hoc eſt, firmiter creditur, nulla eſt receptio boni innocentiæ, conſequenter non liberatio a damnatione. Aliud eſt appropriare ſibi falſum, aliud eſt adjungere; qui adjungunt, ſi in bono ſunt, falſum rejiciunt cum apparet illis verum; at qui appropriant ſibi falſum, retinent illud, ac ipſi Vero, cum apparet, reſiſtunt: inde nunc eſt, quod tam frequenter dicatur, quod non comedetur fermentatum.

7910. In omnibus habitationibus veſtris comedetis azyma, quod ſignificet quod in interioribus, ubi bonum, appropriabitur verum, conſtat a ſignificatione habitationum, quod ſint illa quæ mentis ſunt, ita quæ intelligentiæ & ſapientiæ, de qua n: 7719, conſequenter interiora, nam ibi intelligentia & ſapientia, & quoque ibi bonum; & ex ſignificatione comedere azyma, quod ſit appropriare ſibi verum, de qua ſupra aliquoties. Quod appropriatio fiat in interioribus, & quod ibi bonum, ſciendum, quod apud illos qui in Domino ſunt, hoc eſt, qui in vita fidei & charitatis, bonum habitet in interioribus, & quo interius apud illos, eo purius & cœleſtius bonum; at in exterioribus habitat Verum, quoque exterius apud illos, eo Verum eſt magis viduatum bono; cauſa eſt, quia homo quoad interiora ſua eſt in cœlo, & quoad intima ſua eſt prope Dominum, at quoad exteriora eſt in mundo; inde eſt, quod vera, quæ fidei, intrent per viam externam, bonum autem, per internam, n: 7756. 7757; tum quod appropriatio veri fiat in interioribus ubi bonum.

7911. Verſ: 21. 22. 23. 24. *Et vocavit Moſcheh omnes ſeniores Iſraelis, & dixit ad illos, protrahite & accipite vobis pecudem gregis, juxta familias veſtras, & mactate Paſach. Et accipietis faſciculum hyſſopi, & intingatis in ſanguine, qui in pelvi, & attingere faciatis ad ſuperliminare & ad binos poſtes, de ſanguine qui in pelvi; & vos non exibitis quiſquam ex oſtio domus ſuæ uſque ad mane. Et tranſibit Jehovah ad infligendum plagam Ægypto, & viderit ſanguinem ſuper ſuperliminari & ſuper binis poſtibus, & præteribit Jehovah præter oſtium, & non dabit perditori venire ad domus veſtras ad infligendum plagam. Et cuſtodietis verbum hoc ad ſtatutum tibi & filiis tuis uſque æternum.* Et vocavit Moſcheh omnes ſeniores Iſraelis, ſignificat illuſtrationem intellectus illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, per influxum & præſentiam Veri Divini: & dixit ad illos, ſignificat perceptionem: protrahite, ſignificat quod cogerent ſe: & accipite vobis pecudem gregis, ſignificat ad recipiendum bonum innocentiæ: juxta familias veſtras, ſignificat ſecundum cujuſvis veri bonum: & mactate Paſach, ſignificat præparationem ad præſentiam Domini, & inde liberationem: & accipietis faſciculum hyſſopi, ſignificat medium externum per quod purificatio:

catio: & intingetis in ſanguine, ſignificat ſanctum verum quod boni innocentiæ: qui in pelvi, ſignificat quod in bono naturalis: & attingere facietis ad ſuperliminare & ad binos poſtes, ſignificat bona & vera naturalis: de ſanguine qui in pelvi, ſignificat ſanctum verum quod boni innocentiæ in naturali: & vos non exibitis quiſquam ex oſtio domus ſuæ, ſignificat quod permanebunt in bono quod a vero non ſpectandum: uſque ad mane, ſignificat ad ſtatum illuſtrationis: & tranſibit Jehovah, ſignificat præſentiam Divini: ad infligendum plagam Ægypto, ſignificat unde damnatio illis qui ab Eccleſia in fide ſeparata a charitate fuerunt: & viderit ſanguinem ſuper ſuperliminari & ſuper binis poſtibus, ſignificat apperceptionem ſancti veri quod boni innocentiæ in naturali: & præteribit Jehovah præter oſtium, ſignificat quod fugiet inde damnatio: & non dabit perditori venire ad domus veſtras, ſignificat quod falſum & malum quæ ex infernis ad voluntatem nullatenus accedent: ad infligendum plagam, ſignificat damnationem quam ipſi ſibimet inferunt: & cuſtodietis verbum hoc ad ſtatutum tibi & filiis tuis uſque æternum, ſignificat quod omne hoc erit ſecundum ordinem Divinum poſthac illis qui ab Eccleſia ſpirituali.

7912. Et vocavit Moſcheh omnes ſeniores Iſraelis, quod ſignificet illuſtrationem intellectus illorum qui ab Eccleſia ſpirituali per influxum & præſentiam Veri Divini, conſtat ex ſignificatione vocare, cum dicitur de Vero Divino, quod ſit influxus & præſentia, de qua n: 6177. 6840. 7390. 7451. 7721; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Lex Divina, ita Verbum & Verum Divinum, de qua in Præfat: ad Cap: XVIII: Geneſ: tum n: 4859 f. 5922. 6723. 6752. 6771. 6827. 7010. 7014. 7089. 7382; ex ſignificatione ſeniorum, quod ſint præcipua ſapientiæ & intelligentiæ quæ concordant cum vero & bono, de qua n: 6523. 6525. 6890, quæ vocare ſeu præſentia ſiſtere, eſt illuſtrare intellectum; & ex repræſentatione Iſraelis, quod ſit Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 4286. 6426. 6637: ex his patet, quod per vocavit Moſcheh omnes ſeniores Iſraelis, ſignificetur illuſtratio intellectus illorum qui ab Eccleſia ſpirituali per influxum & præſentiam Veri Divini.

7913. Et dixit ad illos, quod ſignificet perceptionem, conſtat ex ſignificatione dicere in hiſtoricis Verbi, quod ſit perceptio, de qua n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2419. 2862. 3395. 3509. 5687. 5743. 5837. 6251.

7914. Protrahite, quod ſignificet quod cogerent ſe, conſtat ex ſignificatione protrahere, cum dicitur de bono innocentiæ quod recepturi a Domino illi qui ab Eccleſia ſpirituali, quod ſit cogere ſe; bonum enim innocentiæ, quod eſt bonum amoris in Dominum, ab homine ſpiritualis Eccleſiæ non recipitur, niſi cogat ſe, nam ægre ab illo credi poteſt, quod Dominus ſit ſolus Deus, & quoque quod Humanum Ipſius Divinum ſit, quare quia non in fide, nec in amore in Ipſum poteſt eſſe, conſequenter non in bono innocentiæ, niſi cogat ſe; quod homo ſe cogere debeat, & cum ipſe ſe cogit, ſit ex libero, non autem cum cogitur, videatur n: 1937. 1947: hoc ſignificatur per protrahite, nempe pecudem paſchalem: quod protrahere illam, aliquod arcanum,

arcanum, quod non exſtat in ſenſu literæ, involvat, patet.

7915. Et accipite vobis pecudem gregis, quod ſignificet ad recipiendum bonum innocentiæ, conſtat a ſignificatione agni paſchalis, qui hic eſt pecus gregis, quod ſit bonum innocentiæ, de qua n: 3519. 3994. 7840.

7916. Juxta familias veſtras, quod ſignificet ſecundum cujuſvis veri bonum, conſtat ex ſignificatione familiarum, cum dicitur de filiis Iſraelis, per quos repræſentatur Eccleſia ſpiritualis, quod ſint veri bona, nam bona illius Eccleſiæ vocantur veri bona: quod familiæ illa ſignificent, eſt quia in ſenſu interno, non niſi quam ſpiritualia, hoc eſt, quæ cœli & Eccleſiæ, ita quæ fidei & charitatis ſunt, intelliguntur; quare familiæ in illo ſenſu ſunt quæ deſcendunt ex bono per verum, & ſunt veri bona.

7917. Et mactate Pæſach, quod ſignificet præparationem ad præſentiam Domini, & inde liberationem, conſtat ex ſignificatione mactare, quod ſit præparatio, ut ſupra n: 7843; & ex ſignificatione Pæſach, quod ſit præſentia Domini, & liberatio illorum qui ab Eccleſia ſpirituali.

7918. Et accipietis faſciculum hyſſopi, quod ſignificet medium externum per quod purificatio, conſtat ex ſignificatione hyſſopi, quod ſit verum externum quod medium purificationis, de qua ſequitur: dicitur quod acciperent faſciculum hyſſopi, quia faſciculus prædicatur de veris & eorum diſpoſitione n: 5530. 5881. 7408: quod hyſſopus ſit verum externum, quod medium purificationis, eſt quia omnis purificatio ſpiritualis fit per vera; amores enim terreſtres & mundani, e quibus homo purificandus, non cognoſcuntur niſi per vera, quæ cum a Domino inſinuantur, etiam ſimul pro amoribus illis, ut pro immundis & damnandis, horror inſinuatur, qui facit, ut cum ſimile influit in cogitationem, redeat horreſcentia illa, proinde averſatio pro illis; ita purificatur homo per vera, ut per media externa: quia ita, ſtatutum fuit, ut circumciſio fieret per cultros ſeu gladiolos petrarum; quod gladioli ſeu cultri petrarum ſint vera fidei, per quæ purificatio, videatur n: 2799. 7044, & quod circumciſio ſit purificatio ab amoribus ſpurcis, n: 2039. 2632. 3412. 3413. 4462. 7045. Quia Hyſſopus id ſignificabat, ideo adhibebatur in mundationibus, quæ in ſenſu interno ſignificabant purificationes a falſis & malis; ut in mundatione lepræ, apud Moſchen "Accipiet ſacerdos *pro mundando leproſo* duas aves viventes mundas, & *lignum cedri*, & coccineum, & *Hyſſopum*; ac intinget illa in ſanguinem avis mactatæ, & ſparget ſuper mundandum" Levit: XIV: 4. 5. 6: 7: ſimiliter *in mundatione domus*, ſi lepra in illa" ibid: Verſ: 49. 50. 51: Ad *aquam ſeparationis*, per quam mundabantur, conficiendam, etiam adhibebatur *lignum cedri* & *Hyſſopus*" Num: XIX: 6. 18; per lignum cedri ſignificabatur Verum ſpirituale internum, per hyſſopum autem externum; ita per cedrum medium purificationis interius, per hyſſopum exterius: quod hyſſopus ſit medium purificationis, patet manifeſte apud Davidem "*Expiabis me hyſſopo*, & mundus fiam; lavabis me & præ nive dealbabor" Pſalm: LI: 9, expiare hyſſopo & mundus fieri pro purificatione externa; lavare & præ nive dealbari pro purificatione interna; nix & albedo prædicatur de vero, n: 3301. 3993. 4007. 5319, quod hyſſopus ſit verum

verum infimum, & cedrus ſuperius patet ex his in Libro Primo Regum "Schelomo loquutus eſt de lignis *a Cedro quæ in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ exiens e pariete*" v: 13, ubi cedrus pro vero, quod eſt intelligentiæ, interno, & hyſſopus pro vero, quod intelligentiæ, externo.

7919. Et intingetis in ſanguine, quod ſignificet ſanctum Verum quod boni intelligentiæ, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, hic ſanguinis agni, quod ſit ſanctum verum boni innocentiæ, de qua ſupra n: 7846. 7877.; quid verum boni innocentiæ, videatur n: 7897.

7920. Qui in pelvi, quod ſignificet quod in bono naturalis, conſtat ex ſignificatione pelvis, quod ſit bonum naturalis; per vaſa enim in genere ſignificantur ſcientifica quæ naturalis, n: 3068, ex cauſa quia illa ſunt receptacula influxus boni & veri; & quia per illa ſignificantur ſcientifica, etiam ſignificatur naturale, nam ſcientifica ſunt naturalis, & naturale eſt commune receptaculum: in ſpecie autem per vaſa ex ligno & ex ære ſignificabantur bona naturalis, nam lignum eſt bonum, & quoque æs; inde eſt, quod pelvis ſit bonum naturalis. Sciendum, quod aliud intelligatur per bonum naturale, & aliud per bonum naturalis; bonum naturale eſt quod eſt homini ex hæreditario, & bonum naturalis eſt quod ei a Domino per regenerationem: de bono naturali, videatur n: 7197.

7921. Et attingere facietis ad ſuperliminare & ad binos poſtes, quod ſignificet bona & vera naturalis, conſtat ex ſignificatione ſuperliminaris, quod ſit bonum naturalis, & ex ſignificatione poſtium, quod ſint vera ejus, de qua n: 7847.

7922. De ſanguine qui in pelvi, quod ſignificet ſanctum verum quod boni innocentiæ in naturali, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, nempe agni, quod ſit ſanctum verum quod boni innocentiæ, de qua n: 7919, & ex ſignificatione pelvis, quod ſit naturale, de qua mox ſupra n: 7920.

7923. Et vos non exibitis quiſquam ex oſtio domus ſuæ, quod ſignificet quod permanebunt in bono quod a vero non ſpectandum, conſtat a ſignificatione non exire, quod ſit permanere; ex ſignificatione domus, quod ſit bonum, de qua n: 2233. 2234. 2559. 3652. 3720. 7833. 7834. 7835. 7848; inde patet, quod per vos non exibitis quiſquam ex oſtio domus ſuæ, ſignificetur quod permanebunt in bono: quod ſignificetur quod bonum non a vero ſpectandum, eſt quia permanere in domo, eſt in bono, at exire ex oſtio domus eſt a bono ad verum, bonum enim intra eſt, verum autem extra, n: 7910.; quid ſit ſpectare a bono ad vera, videatur n: 5895 f. 5897. 7857; a vero ſpectare bonum, eſt ab externo internum; at a bono ſpectare verum, eſt ab interno externum, nam, ut modo dictum, bonum eſt interius verum autem exterius; ſpectare ex bono verum eſt ſecundum ordinem, nam omnis influxus Divinus eſt per interiora ad exteriora, ſpectare autem ex vero bonum, non eſt ſecundum ordinem; quare cum regeneratur homo, tunc vertitur ordo, & bonum ſeu charitas ſpectatur primo loco, & verum ſeu fides ſecundo.

7924. Uſque ad mane, quod ſignificet ad ſtatum illuſtrationis, conſtat ex ſignificatione mane, quod ſit ſtatus illuſtrationis, de qua n: 3458. 3723. 5740. 7860.

7925. Et tranſibit Jehovah, quod ſignificet præſentiam Divini, conſtat ex ſignificatione tranſire, nempe per terram Ægypti, cum dicitur de Jehovah, quod ſit præſentia Divini, de qua ſupra n: 7869.

7926. Ad infligendum plagam Ægypto, quod ſignificet unde damnatio illis qui apud Eccleſia in fide ſeparata a charitate fuerunt, conſtat ex ſignificatione plagæ, quæ hic eſt mors primogenitorum, quod ſit damnatio illorum qui ab Eccleſia ſeparata a charitate, de qua n: 7766. 7778; per Ægyptum enim ſeu Ægyptios ſignificantur illi qui in ſcientia talium quæ Eccleſiæ, fuerunt, ſed qui ſeparaverunt vitam a Doctrina, hoc eſt, charitatem a fide; Ægyptii etiam fuerunt tales, nam ſcientiam rerum quæ Eccleſiæ illius temporis, quæ Eccleſia fuit repræſentativa, habuerunt; ſciverunt repræſentationes ſpiritualium in naturalibus, quæ Eccleſiæ ritualia tunc conſtituebant, proinde ſciverunt correſpondentias, ut evidenter conſtare poteſt ab illorum hieroglyphicis, quæ erant imagines rerum naturalium quæ repræſentabant ſpiritualia: inde eſt, quod etiam per Ægyptios ſignificentur qui in ſcientia rerum fidei, ſed in vita mali: tales in altera vita, quoad omnia quæ fidei, ſeu quoad omnia quæ Eccleſiæ, vaſtantur, & tandem damnantur; quæ damnatio eſt, quæ in ſenſu interno intelligitur per mortem primogenitorum in Ægypto. Quia dicitur, quod tranſibit Jehovah ad infligendum plagam Ægypto, & per id ſignificatur præſentia Divini, unde damnatio illorum qui ab Eccleſia in fide ſeparata a charitate, dicendum quomodo hoc ſe habet; Jehovah ſeu Dominus non ſiſtit ſe præſentem apud illos qui in inferno, ut inferat damnationem, ſed uſque eſt præſentia Ipſius quæ facit; inferna enim continue cupiunt infeſtare bonos, & quoque continue ambiunt aſcendere in cœlum, ac deturbare illos qui ibi, ſed non altius quam ad illos qui in ultimis terminis cœli ſunt, eniti poſſunt; eſt enim inimicitia, quæ continue ſpirat hoſtilitatem & violentiam; at Dominus jugiter providet, ut illi qui in ultimis terminis cœli ſunt, in tuto & quieto ſint; hoc fit per præſentiam Ipſius apud illos; infernales tunc cum immittunt ſe ubi Dominus eſt præſens, hoc eſt, in præſentiam Ipſius, ſe conjiciunt in mala vaſtationis, & tandem in damnationem; præſentia enim Domini, in quam ruunt, talia infert, ut prius paſſim oſtenſum eſt: inde patet, quod Dominus non ſe præſentem apud illos ſiſtat, ut illis mala pœnæ inferat, ſed quod illi ſe conjiciant in illa. Ex his patet, quod a Domino non niſi quam bonum, & quod omne malum ab ipſis qui in malo ſunt, ita quod mali ſemetipſos inferant vaſtationes, damnationem, & infernum: ſic conſtare poteſt, quomodo intelligendum, quod tranſibit Jehovah ad infligendum plagam Ægypto.

7927. Et viderit ſanguinem ſuper ſuperliminari & ſuper binis poſtibus, quod ſignificet apperceptionem ſancti veri quod boni innocentiæ in naturali, conſtat a ſignificatione videre, quod ſit intelligere & appercipere, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5400; ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit ſanctum verum boni innocentiæ, ut ſupra n: 7919; & ex ſignificatione ſuperliminaris & binorum poſtium, quod ſint bona & vera naturalis, de qua etiam ſupra n: 7847.

7928. Et præteribit Jehovah præter oſtium, quod ſignificet quod fugiet inde damnatio, conſtat ab illis ſupra n: 7878., ubi ſimilia.

7929. Et non dabit perditori venire ad domus veſtras, quod ſignificet quod falſum & malum, quæ ab infernis, ad voluntatem nullatenus accedent, conſtat ex ſignificatione non dabit, quod ſit quod non accedet; ex ſignificatione perditoris, quod ſit infernum, de qua n: 7879, ita falſum & malum quæ ab infernis, nam inferna ſunt ex falſo & malo; & ex ſignificatione domuum, quod ſint illa quæ voluntatis, de qua n: 710. 7848; per domum enim ſignificatur homo, inde quoque mens ejus, quia homo eſt homo ex eo quod intelligat verum & velit bonum, quæ ſunt mentis; & quia homo eſt homo imprimis ex illa parte mentis quæ voluntas dicitur, inde quoque per domum ſignificatur voluntas; ſed quid horum ſignificatur, ex ſerie rerum in ſenſu interno patet.

7930. Ad infligendum plagam, quod ſignificet damnationem quam ſibimet inferunt, conſtat ex ſignificatione plagæ, quod hic ſit damnatio illorum qui ab Eccleſia in fide ſeparata a charitate fuerunt, de qua n: 7879. 7926: quod mali ſibimetipſis inferant damnationem, videatur mox ſupra n: 7926.

7931. Et cuſtodietis verbum hoc ad ſtatutum tibi & filiis tuis uſque æternum, quod ſignificet quod omne hoc erit ſecundum ordinem Divinum poſthac illis qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione cuſtodire verbum hoc uſque æternum, quod ſit quod omne hoc obſervandum erit poſthac; ex ſignificatione ad ſtatutum, quod ſit ſecundum ordinem, de qua n: 7884; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 4286. 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. Per ordinem intelligitur ille ordo qui in cœlo a tempore cum Dominus ex Divino Humano ſuo incepit diſponere omnia in cœlo & in terra, quod fuit ſtatim poſt Reſurrectionem, Matth: XXVIII: 18; ſecundum illum ordinem tunc potuerunt illi qui ab Eccleſia ſpirituali, elevari in cœlum, & frui beatitudine æterna, at non ſecundum ordinem priorem; Dominus enim prius omnia diſpoſuit per cœlum, at poſtea per ſuum Humanum, quod glorificavit & Divinum fecit in mundo; per quod tantum robur acceſſit, ut in cœlum elevarentur qui non prius elevari potuerunt; tum ut mali ab undequaque recederent, & clauderentur in ſuis infernis: hic ordo eſt qui intelligitur.

7932. Verſ: 25. 26. 27. 28. *Et erit quod veneritis ad terram, quam dabit Jehovah vobis, quemadmodum loquutus eſt; & cuſtodietis ſervitium hoc. Et erit quod dixerint ad vos filii veſtri, quod nam ſervitium hoc vobis. Et dicetis, ſacrificium Pæſach hoc Jehovæ, quod præteriverit præter domos filiorum Iſraelis in Ægypto, in infligere Illum plagam Ægypto, & domos noſtras liberaverit: & inflexit ſe populus, & incurvavit ſe. Et iverunt & fecerunt filii Iſraelis, quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi & Aharoni, ita fecerunt.* Et erit quod veneritis ad terram, quam dabit Jehovah vobis, ſignificat ad cœlum, quod a Domino illis: quemadmodum loquutus eſt, ſignificat ſecundum promiſſionem in Verbo: & cuſtodietis ſervitium hoc, ſignificat cultum

propter liberationem: & erit, quod dixerint ad vos filii veſtri, ſignificat interiorem perceptionem veri, quæ conſcientiæ: quod nam ſervitium hoc vobis, ſignificat cum in cultu: & dicetis, ſignificat cogitationem: ſacrificium Pæſach hoc Jehovæ, ſignificat cultum Domini propter liberationem: quod præteriverit præter domos Iſraelis, ſignificat quod damnatio aufugeret a bonis in quibus detenti ſunt a Domino: in Ægypto, ſignificat cum in propinquitate ad malos: in infligere Illum plagam Ægypto, ſignificat cum damnati illi qui ab Eccleſia in fide ſeparata a charitate fuerunt: & domos noſtras liberaverit, ſignificat quod uſque ad illos, quia in bono a Domino, nihil damnabile: & inflexit ſe populus & incurvavit ſe, ſignificat humiliationem oris & cordis: & iverunt & fecerunt filii Iſraelis quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi & Aharoni, ſignificat quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali obedirent Vero Divino: ita fecerunt, ſignificat actum ex voluntate.

Et erit quod veneritis ad terram, quam dabit Jehovah vobis, quod ſignificet ad cœlum quod a Domino illis, conſtat a ſignificatione terræ, hic terræ Canaanis, ad quam venturi, quod ſit Regnum Domini, ita cœlum, de qua n: 1607. 1866. 3038. 3481. 3705. 4116. 4240. 4447. 5757; filii enim Iſraelis repræſentabant illos qui ab Eccleſia ſpirituali, & in mundo ante adventum Domini fuerunt, ac non ſalvari potuerunt niſi per Dominum, & ideo conſervati fuerunt ac detenti in terra inferiori, ubi interea infeſtati ſunt ab infernis quæ circumcirca; cum itaque Dominus in mundum venit, ac Humanum in Se Divinum fecit, tunc, cum reſurrexit, illos qui ibi conſervati & detenti fuerunt, liberavit, ac eos, poſtquam tentationes ſubierunt, in cœlum elevavit; hæc ſunt quæ in ſenſu interno continentur in Libro II Moſchis ſeu Exodo: per gyptios ſignificantur illi qui infeſtarunt; per eductionem inde ſignificatur liberatio; per vitam quadraginta annorum in deſerto tentationes; & per introductionem in terram Canaanem elevatio in cœlum, videantur quæ de his prius n: 6854. 6914. 7091 fin: 7828, memorata ſunt. Ex his patet, quod per cum veneritis in terram, ſignificetur ad cœlum quod a Domino illis.

7933. Quemadmodum loquutus eſt, quod ſignificet ſecundum promiſſionem in Verbo, conſtat ex ſignificatione loqui, cum dicitur a Domino de cœlo, ad quod venturi qui ab Eccleſia ſpirituali, quod ſit promiſſio in Verbo; in ſenſu enim interno Verbi, tam in Libris Moſchis, quam apud Prophetas, agitur de Liberatione illorum qui ante adventum Domini detenti fuerunt in terra inferiore, ac infeſtati a malis, deque elevatione illorum in cœlum, ac intellecti ibi ſunt per filios Iſraelis; hæc promiſſio eſt, quæ ſignificatur hic per *quemadmodum loquutus Jehovah.* Quod Dominus paſſim dicat, quod in Ipſo conſumanda & conſumata ſint omnia quæ in Scriptura, involvunt illa quæ in ſenſu interno Verbi ſunt, nam ibi agitur unice de Regno Domini, ac in ſupremo ſenſu de Ipſo Domino; ſicut quæ apud Lucam "Jeſus dixit diſcipulis; *hæc ſunt verba, quæ loquutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum; quod oporteret impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moſchis,* &

& Prophetis, & Pſalmis, de Me: tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent ſcripturas". XXIV: 44. 45: apud Eundem "*Ecce aſcendimus in Hieroſolymam, ubi perficientur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis*" XVIII: 31: & apud Matthæum "*Nolite putare quod venerim ad ſolvendum Legem & Prophetas; non veni ad ſolvendum, ſed ad implendum: amen dico vobis, uſque dum prætereat cœlum & terra, jotha unum aut unum corniculum non præteribit in Lege, donec omnia fiant*" V: 17. 18: hæc, & quæ Dominus alibi dicit de impletione Legis ſeu Scripturæ, involvunt, ut dictum eſt, illa quæ de Ipſo in ſenſu interno, prædicta ſunt; in illo ſenſu omnia & ſingula uſque ad unumquodvis jotha, ſeu ad quemlibet minimum apicem, agunt de Domino; quare dicitur quod jotha unum aut corniculum unum, non præteribit in Lege donec omnia fiant; & apud Lucam "*Facilius eſt cœlum & terram tranſire, quam Legis unum apicem cadere*" XVI: 17: qui non ſcit, quod ſingula uſque ad omnium minima in ſenſu interno de Domino & de Ipſius Regno, agant, & quod inde Verbum ſit ſanctiſſimum, nequaquam comprehendere poteſt, quid hoc, quod non unus apex cadet, nec unum jotha aut corniculum præteribit, & quod facilius ſit ut cœlum & terra tranſeat; nam illa quæ in ſenſu externo exſtant, non apparent tanti; textus autem internus tam continens eſt, ut ne quidem vocula, abſque interruptione ſeriei, omiſſa eſſe potuerit.

7934. Et cuſtodietis ſervitium hoc, quod ſignificet cultum propter liberationem, conſtat ex ſignificatione cuſtodire, quod ſit quod obſervandum, ut ſupra n: 7930; & ex ſignificatione ſervire aut ſervitii, quod ſit cultus Domini.

7935. Et erit quod dixerint ad vos filii veſtri, quod ſignificet interiorem perceptionem veri quæ conſcientiæ, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit perceptio, de qua ſupra n: 7913; & ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373. 4257; quod ſit perceptio interior quæ conſcientiæ, eſt quia agitur de ſtatu poſthac ſeu futuro illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, & liberati a Domino, quod mentibus illorum inſidebit id verum, quod ſalvatio illorum unice accepta debeatur Domino; hujus veri perceptio eſt conſcientiæ; qui enim ab Eccleſia ſpirituali ſunt, non perceptionem habent prout illi qui ab Eccleſia cœleſti, ſed loco illius habent conſcientiam: Conſcientia apud illos naſcitur &, formatur ex veris Eccleſiæ, in qua nati ſunt, quæ in pueritia & poſtea hauſerunt, & vita confirmarunt, & ſic fidei facta ſunt; ſecundum illa vera agere, eſt ſecundum conſcientiam, & contra illa agere eſt contra conſcientiam; inſident memoriæ interiori ſicut inſcripta, & demum quaſi illa quæ in infantia impreſſa ſunt, quæ apparent poſtea prorſus familiaria, & ſicut innata; quemadmodum ſunt loquelæ, cogitationes, reminiſcentiæ, reflectiones variæ, & in externis greſſus, geſtus, vultus, & plura, in quæ homo non naſcitur, ſed per conſuetudines inducitur: cum vera quæ fidei ita quoque impreſſa ſunt, quod ſit in interiore homine, tunc illa ſimiliter familiaria fiunt, & demum ſicut innata agunt hominem ad cogitandum, volendum, & agendum ſecundum illa; hoc vitæ vocatur conſcientia, eſtque vita hominis ſpiritualis, quæ tanti æſti-

manda

manda quantum vera ſunt bona genuina quæ fidei, ex quibus cogitat, & quantum ſunt bona genuina quæ charitatis, ex quibus agit; quantum illa dicunt & ſequentium ſerie etiam patet, quod per illa verba ſignificetur perceptio interior quæ conſcientiæ.

7936. Quodnam ſervitium hoc vobis, quod ſignificet cum in cultu, nempe quod tunc perceptio quæ conſcientiæ, conſtat ex ſignificatione ſervitii, quod ſit cultus, ut ſupra n: 7934.

7937. Et dicetis, quod ſignificet cogitationem, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit cogitatio, de qua n: 3395. 7094: quod dicere hic ſit cogitatio, eſt quia per dicere mox ſupra n: 7935 ſignificata eſt perceptio quæ conſcientiæ, & hic eſt reſponſum, quod ad perceptionem quæ conſcientiæ eſt cogitatio.

7938. Sacrificium Pæſach hoc Jehovæ, quod ſignificet cultum Domini propter liberationem, conſtat ex ſignificatione ſacrificii, quod ſit cultus, de qua n: 922. 6905; & ex ſignificatione Pæſach, quod ſit præſentia Domini, & liberatio illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 7093 fin 7867.

7939. Quod præteriverit præter domos Iſraelis, quod ſignificet quod damnatio aufugeret a bonis, in quibus detenti ſunt a Domino, conſtat a ſignificatione præterebit Jehovah, quod ſit quod fugiet inde damnatio, ut ſupra n: 7878. 7928; ex ſignificatione domuum, quod ſint bona, de qua n: 3652. 3720. 4982. 7833. 7834. 7835; & ex repræſentatione Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpius. Quod dicatur quod in bonis detenti ſint a Domino, eſt quia cum tranſibant per loca damnationis ſeu inferna, quod factum cum liberati, tunc detenti fuerunt in bono a Domino; ob hunc finem preparati ſunt, præparationis illius proceſſus deſcribitur per ſtatuta de ſanguine, deque agno paſchali, & ejus eſu, de quibus in Verſ: hujus Capitis, 3 ad 11. 15 ad 20. 22. 43 ad 48: quod cum liberati loca damnationis ſeu inferna tranſirent, videbitur in ſequentibus.

7940. In Ægypto, quod ſignificet cum in propinquitate ad malos, conſtat ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint mali qui infeſtarunt illos qui ab Eccleſia ſpirituali; de qua ſæpius; inde per Ægyptum, ſignificatur ſtatus ſeu locus ubi illi; quod in propinquitate, patet, quia in terra Goſchen: ut ſciatur quomodo hæc ſe habent, videantur quia ſupra n: 7932, dicta ſunt.

7941. In infligere Illum plagam Ægypto, quod ſignificet cum damnati illi qui ab Eccleſia in fide ſeparata a charitate fuerunt, conſtat ex ſignificatione infligere plagam Ægypto, quod ſit damnatio illorum qui in fide ſeparata a charitate, de qua n: 7766. 7778. 7926.

7942. Et domos noſtras liberaverit, quod ſignificet quod uſque ad illos, quia in bonis a Domino, nihil damnabile, conſtat ex illis quæ ſupra n: 7939, explicata ſunt.

7943. Et inflexit ſe populus & incurvavit ſe, quod ſignificet humiliationem oris & cordis, conſtat ex ſignificatione inflectere ſe, quod ſit humiliatio exterior ita oris, & ex ſignificatione incurvare ſe, quod ſit humiliatio interior ita cordis, de quibus n: 5682. 7068.

7944.

7944. Et iverunt & fecerunt filii Iſraelis quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi & Aharoni, quod ſignificet quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali obedient Vero Divino, conſtat ex ſignificatione ire & facere, quod ſit obedire; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpius; & ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Verum Divinum, Moſcheh internum & Aharon externum, de qua n: 7089. 7382.

7945. Ita fecerunt, quod ſignificet actum ex voluntate, conſtat ex eo quod repetito dicatur *fecerunt*, & quod tunc prius ſignificet actum ex intellectu, hoc autem ex voluntate; in Verbo enim commune eſt, quod quaſi repetitiones binæ unius rei ſint; ſed unum ſe refert ad verum quod intellectus, & alterum ad bonum quod voluntatis; cauſa eſt, ut in ſingulis Verbi ſit conjugium cœleſte, quod eſt boni & veri, n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 4138 f. 5138. 5502. 6343; ac in ſupremo ſenſu Conjugium Divinum, quod eſt Divini Boni in Domino, ac Divini Veri procedentis ab Ipſo, n: 3004. 5502. 6179; ex quibus etiam conſtare poteſt, quod Verbum ſit ſanctiſſimum.

7946. Verſ: 29. 30. 31. 32. 33. 34. *Et factum in media nocte, & Jehovah percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, uſque ad primogenitum captivi, qui in domo foveæ. Et ſurrexit Pharao nocte illa, & omnes ſervi illius, & omnes Ægyptii, & fuit clamor magnus in Ægypto, quia nulla domus ubi non mortuus. Et vocavit Moſchen & Aharonem noctu, & dixit, ſurgite, exite e medio populi mei, etiam vos, etiam filii Iſraelis, & ite, ſervite Jehovæ, ſecundum loqui vos. Etiam greges veſtros etiam armenta veſtra accipite, quemadmodum loquuti eſtis, & ite, & benedicatis etiam mihi. Et invaluit Ægyptus ſuper populum, feſtinando dimittere illos e terra, quia dixerunt, omnes nos morimur. Et portavit populus maſſam ſuam antequam fermentaretur, mactræ illorum ligatæ in veſtibus illorum ſuper humero illorum.* Et factum in media nocte, ſignificat ſtatum meri falſi ex malo: & Jehovah percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, ſignificat damnationem fidei ſeparatæ a charitate: a primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, ſignificat vera falſificata fidei quæ primo loco: uſque ad primogenitum captivi qui in domo foveæ, ſignificat vera falſificata fidei quæ poſtremo loco: & omne primogenitum beſtiæ, ſignificat bonum fidei adulteratum: & ſurrexit Pharao nocte iſta, & omnes ſervi illius, & omnes Ægyptii, ſignificat quod damnati omnes & ſinguli cum in merum falſum a malo immiſſi ſunt, apperciperent averſationem & timorem pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali: & fuit clamor magnus in Ægypto, ſignificat lamentationem interiorem: quia nulla domus ubi non mortuus, ſignificat quia nullus non damnatus: & vocavit Moſchen & Aharonem noctu, ſignificat affluxum veri a Divino in ſtatu illo: & dixit, ſurgite, exite e medio populi mei, ſignificat quod diſcederent ab illis: etiam vos, etiam filii Iſraelis, ſignificat cum vero illorum a Divino, & cum vero per quod bonum & cum vero quod ex bono: ite ſervite Jehovæ, ſignificat ut colant Dominum: ſecundum loqui vos, ſignificat ſecundum voluntatem:

voluntatem: etiam greges veſtros, etiam armenta veſtra accipite, ſignificat charitatis bona interiora & exteriora: quemadmodum luquuti eſtis, ſignificat ſecundum voluntatem: & ite, ſignificat ut omnino diſcedant: & benedicatis etiam mihi, ſignificat ut intercedant: & invaluit Ægyptus ſuper populum, feſtinando dimittere illos e terra, ſignificat quod ex averſione & timore urgerent ut diſcederent: quia dixerunt, omnes nos morimur, ſignificat ſic infernum illis: & portavit populus maſſam ſuam antequam fermentaretur, ſignificat ſtatum primum veri ex bono, in quo nihil falſi: mactræ illorum ligatæ in veſtibus illorum, ſignificat jucunda affectionum adhærentia veris: ſuper humero illorum, ſignificat ſecundum omnem potentiam.

7947. Et factum in media nocte, quod ſignificet ſtatum meri falſi ex malo, conſtat ex ſignificatione mediæ noctis, quod ſit devaſtatio totalis, de qua n: 7776, hoc eſt, privatio omnis boni & veri; unde ſtatus meri falſi ex malo: quod non ſit ſtatus mali, videatur n: 2353. 6000. 7870.

7948. Et Jehovah percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, quod ſignificet damnationem fidei ſeparatæ a charitate, conſtat ex ſignificatione percutere, quod ſit damnatio, ut n: 7871; & ex ſignificatione primogeniti in terra Ægypti, quod ſit fides ſeparata a charitate, de qua n: 7039. 7766. 7778.

7949. A primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, quod ſignificet vera falſificata fidei quæ primo loco, conſtat ex illis quæ n: 7779 explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

7950. Uſque ad primogenitum captivi qui in domo foveæ, quod ſignificet vera falſificata fidei quæ poſtremo loco, conſtat ex ſignificatione primogeniti in terra Ægypti, quod ſit fides ſeparata a charitate, ut mox ſupra n: 7948, ita quoque verum fidei falſificatum, de quo ſequitur; & ex ſignificatione Captivi qui in domo foveæ, quod ſint qui poſtremo loco, opponitur enim primogenito Pharaonis ſeſſuro ſuper throno illius, per quod ſignificatur Verum fidei falſificatum quod primo loco, n: 7779. 7949; per captivum in domo foveæ in ſpirituali ſenſu proximo intelligitur qui in ſenſuali corporeo eſt, ita in mera caligine de veris & bonis, quia ne quidem in facultate percipiendi, ſicut qui in ſenſuali interiori ſunt; inde eſt, quod ſignificentur qui in poſtremo loco ſunt. Quod primogenitum in terra Ægypti ſit verum fidei falſificatum, eſt quia primogenitum Ægypti eſt fides ſeparata a charitate, n: 7948; qui in hac fide ſunt, in mero tenebroſo & caliginoſo ſunt de veris quæ fidei, in nulla enim luce poſſunt eſſe, ita non in aliqua perceptione quid verum & num verum; omnis enim lux ſpiritualis venit per bonum a Domino, ita per charitatem, nam bonum charitatis eſt ſicut flamma, ex qua lux, bonum enim eſt amoris, & amor eſt ignis ſpiritualis, ex quo illuſtratio, qui credit quod qui in malo vitæ ſunt, etiam in illuſtratione quoad vera fidei poſſint eſſe, maximopere fallitur; poſſunt in ſtatu confirmationis eſſe, hoc eſt, poſſint confirmare doctrinalia Eccleſiæ ſuæ, & hoc quandoque ſolerter & ingenioſe, ſed non poſſunt videre, num quæ confirmant, ſint vera vel non:

quod

quod confirmari queat etiam falſum, uſque at appareat ſicut verum; & quod non ſapientis ſit confirmare, ſed videre num ita ſit, videatur n: 4741. 5033. 6816. 7012. 7680. Qui itaque in malo quoad vitam eſt, is in falſo ſui mali eſt, & verum, utcunque ſcit illud, non credit; quandoque putat ſe credere, ſed fallitur, quod non credat, dabitur ei ſcire in altera vita, quando percipere ejus redigitur ad concors cum velle ejus, tunc verum inficiabitur, averſabitur, & reſpuet, & quod contrarium eſt, hoc eſt, falſum agnoſcet pro vero; inde nunc eſt, quod qui in fide ſeparata a charitate ſunt, non poſſint aliter quam vera quæ fidei falſificare.

7951. Et omne primogenitum beſtiæ, ſignificat bonum fidei falſificatum, ut prius n: 7781.

7952. Et ſurrexit Pharao nocte iſta, & omnes ſervi illius, & omnes Ægyptii, quod ſignificet quod damnati omnes & ſinguli, cum in merum falſum ex malo immiſſi ſunt, apperciperent averſationem & timorem pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione noctis, quod ſit ſtatus meri falſi ex malo, ut ſupra n: 7947, & inde damnatio; ſive enim dicas ſtatum meri falſi ex malo, ſive damnationem, idem eſt, nam qui in illo ſtatu ſunt, damnati ſunt; ex ſignificatione Pharaonis, ſervorum illius, & omnium Ægyptiorum, quod ſint omnes & ſinguli: quod etiam ſignificetur, quod apperciperent averſationem ac timorem pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali patet a ſequentibus; nam vocavit Pharao Moſchen & Aharonem, & dixit quod abirent e medio populi ſui; & Ægyptii expulerunt illos, Verſ: 39.

7953. Et fuit clamor magnus in Ægypto, ſignificat lamentationem interiorem, ut n: 7782, ubi eadem verba.

7954. Quia nulla domus ubi non mortuus, quod ſignificet quia nullus non damnatus, conſtat ex ſignificatione nulla non domus, quod ſit nullus non ibi; & ex ſignificatione mortui, quod ſit damnatus, de qua n: 5407. 6119. 7494. 7871.

7955. Et vocavit Moſchen & Aharonem noctu, quod ſignificet affluxum Veri a Divino in ſtatu illo, conſtat ex ſignificatione vocavit, quod ſit præſentia & influxus, de qua n: 6177. 6840. 7390. 7451, 7721, hic affluxus, quia dicitur de illis qui in ſtatu damnationis, hoc eſt, qui in ſtatu meri falſi ex malo, illi non interius aliquem influxum veri & boni recipere poſſunt, ſed exterius, quod eſt affluxus; ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſit Verum a Divino, de qua n: 6771. 6827; Verum a Divino dicitur, non Verum Divinum, quia prædicatur de illis qui in damnatione; & ex ſignificatione noctu, quod ſit ſtatus damnationis, de qua ſupra n: 7851. 7870.

7956. Et dixit, ſurgite, exite e medio populi mei, quod ſignificet quod diſcederent, conſtat abſque explicatione.

7957. Etiam vos, etiam filii Iſraelis, quod ſignificet cum vero illo a Divino, & cum vero per quod bonum, & cum vero quod ex bono, conſtat ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum a Divino, de qua mox ſupra n: 7955; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpe, ita qui in Vero per quod bonum, & in vero quod ex

 bono;

bono; Eccleſia enim ſpiritualis diſtinguitur ab Eccleſia cœleſti in eo, quod per verum quod fidei introducatur in bonum quod charitatis, ita quod pro eſſentiali habeat verum; initiatio fit per verum; nam per id inſtruuntur quid faciendum, & cum faciunt id verum vocatur id bonum, ex hoc bono dein, cum initiati ſunt, vident vera ſecundum quæ iterum agant; inde patet, ſive dicas illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ſive illos qui in vero per quod bonum & in vero quod ex bono, idem ſit.

7958. Ite, ſervite Jehovæ, quod ſignificet ut colant Dominum, conſtat ex ſignificatione ſervire, quod ſit colere; quod per Jehovam, ubi in Verbo nominatur, intelligatur Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6281. 6303. 6905.

7959. Secundum loqui vos, quod ſignificet ſecundum voluntatem, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit voluntas, de qua n: 2626.

7960. Etiam greges veſtros, etiam armenta veſtra accipite, quod ſignificet charitatis bona interiora & exteriora, conſtat ex ſignificatione gregum, quod ſint bona charitatis interiora; & ex ſignificatione armentorum, quod ſint bona charitatis exteriora, de quibus n: 2566. 5913. 6048.

7961. Quemadmodum loquuti eſtis, ſignificat ſecundum voluntatem, ut mox ſupra n: 7953.

7962. Et ite, quod ſignificet ut omnino diſcedant, conſtat ex ſignificatione ire ſeu abire, quod ſit diſcedere; & quia iterum dicitur, ſignificatur quod omnino diſcederent.

7963. Et benedicatis etiam mihi, quod ſignificet ut intercedant, conſtat ex ſignificatione benedicere, quod ſit intercedere, nam benedicere hic ſignificat ut ſupplicarent pro illo; quod ſupplicare pro Pharaone ſit intercedere, videatur n: 7396. 7461.

7964. Et invaluit Ægyptus ſuper populum feſtinando dimittere illos e terra, quod ſignificet quod ex averſatione & timore urgerent ut diſcederent; conſtat ex ſignificatione invaleſcere ſuper populum feſtinando dimittere illos, quod ſit urgere ut diſcederent; quod ex averſatione & timore, patet, nam qui in mero falſo ex malo ſunt, illos qui in vero ex bono averſantur adeo, ut ne quidem præſentiam illorum ſuſtinere poſſint; inde eſt, quod qui in malo ſunt, ſe dejiciant in infernum profunde ſecundum mali quale & quantum, ut procul ſint a bono, & hoc non ſolum ex averſatione, ſed etiam ex timore, nam in præſentia boni crucientur.

7965. Quia dixerunt, omnes nos morimur, quod ſignificet ſic infernum illis, conſtat ex ſignificatione mori, quod ſit infernum, quod mors in ſpirituali ſenſu ſit infernum, videatur n: 5407. 6119.

7966. Et portavit populus maſſam ſuam antequam fermentaretur, quod ſignificet ſtatum primum veri ex bono, in quo nihil falſi, conſtat ex ſignificatione maſſæ, quod ſit verum ex bono; per farinam enim & ſimilaginem ſignificatur Verum, per maſſam quæ inde veri bonum, & per panem qui ex maſſa ſignificatur bonum amoris; cum per panem ſignificatur bonum amoris, reliqua nempe per maſſam & per farinam, ſignificantur in ſuo ordine bona & vera,

vera; quod panis ſit bonum amoris, videatur n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915; & ex ſignificatione antequam fermentaretur, quod ſit in quo nihil falſi; quod fermentum ſit falſum, videatur ſupra n: 7906. Quod hic ſtatus primus ſit, nempe cum liberati, patet, quia dicitur, quod populus portavit maſſam illam, ita cum exirent; ſtatus autem ſecundus deſcribitur Verſ: ſeq: 39, per quod coxerint maſſam, quam eduxerunt ex Ægypto, placentas azymas, quia non fermentata, per quæ ſignificatur, quod ex vero boni iterum produceretur bonum, in quo nihil falſi: ſunt hi bini ſtatus, in quibus illi qui ab Eccleſia ſpirituali, cum in bono, tenentur a Domino, primus quod ex bono quod voluntatis videant & cogitent verum; alter quod ex conjugio illo boni & veri producant vera, quæ per velle illa & facere illa, iterum fiunt bona; & ſic porro continue, ſunt veri tales productiones & derivationes apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt; hoc in mundo ſpirituali ſiſtitur repræſentative ſicut arbor cum foliis & fructibus, folia ibi ſunt vera, fructus ſunt bona veri, ſemina ſunt ipſa bona, ex quibus reliqua.

7967. Mactræ illorum ligatæ in veſtibus illorum, quod ſignificet jucunda affectionum adhærentia veris, conſtat ex ſignificatione mactrarum, quod ſint jucunda affectionum, de qua n: 7356; ex ſignificatione ligari, quod ſit adhærere; & ex ſignificatione veſtium, quod ſint vera, de qua n: 1073. 2576. 4545. 4763. 5248. 5319. 5954. 6914. 6917. Quid jucunda affectionum adhærentia veris, dicendum; omnia vera, quæ apud hominem intrant, conjuncta ſunt cum aliquo jucundo, nam vera abſque jucundo non ſunt alicujus vitæ; ex jucundis, quæ conjuncta veris, cognoſcitur quomodo ſe habet cum veris apud hominem; ſi jucunda malarum affectionum ſunt, tunc male ſe habet; ſi autem jucunda bonarum affectionum, bene ſe habet; angeli enim qui apud hominem, influunt continue cum affectionibus bonis, ac tunc excitant vera, quæ illis conjuncta ſunt, ſimiliter viciſſim; ſi vera bonis affectionibus non conjuncta ſunt, tunc in vanum laborant angeli excitare illa quæ fidei & charitatis ſunt. Ex his conſtare poteſt, quid intelligitur per jucunda affectionum adhærentia veris, quæ ſignificantur per quod mactræ ligatæ in veſtibus illorum.

7968. Super humero illorum, quod ſignificet ſecundum omnem potentiam, conſtat ex ſignificatione humeri, quod ſit omnis potentia de qua n: 1085. 4931 ad 4937.

7969. Verſ: 35. 36. *Et filii Iſraelis fecerunt ſecundum verbum Moſchis, & petierunt ab Ægyptiis vaſa argenti & vaſa auri, & veſtes. Et Jehovah dedit gratiam populi in oculis Ægyptiorum, & commodaverunt illis; & eripuerunt Ægyptiis.* Et filii Iſraelis fecerunt ſecundum verbum Moſchis, ſignificat quod obedirent vero Divino: & petierunt ab Ægyptiis vaſa argenti & vaſa auri & veſtes, ſignificat ſcientifica veri & boni adempta malis qui ab Eccleſia, addicanda bonis qui inde: & Jehovah dedit gratiam populi in oculis Ægyptiorum, ſignificat timorem illorum qui damnati pro illis qui ab Eccleſia ſpirituali: & commodaverunt illis, ſignificat quod transferrentur: & eri-

puerunt Ægyptiis, ſignificat quod qui in damnatione a talibus prorſus devaſtati eſſent.

7970. Hæc quoad ſingula explicare ſuperſedetur, quia prius bis explicata ſunt, nempe ad Exod: Cap: III: Verſ: 21. 22, n: 6914. ad 6920; & ad præced: Cap: Verſ: 2. 3, n: 7768. ad 7773.

7971. Verſ: 37. 38. 39. *Et profecti filii Iſraelis de Raamſes ad Succoth, quaſi ſexcenta millia peditum virorum præter infantem. Et etiam turba mixta multa aſcendit cum illis, & grex & armentum acquiſitio gravis valde. Et coxerunt maſſam, quam eduxerunt ex Ægypto, placentas azymas, quia non fermentata, quia expulſi ex Ægypto, & non potuerunt commorari, & etiam viaticum non fecerunt ſibi.* Et profecti filii Iſraelis de Raamſes ad Succoth, ſignificat ſtatum primum diſceſſionis & quale: quaſi ſexcenta millia peditum virorum, ſignificat omnia veri & boni fidei in uno complexu: præter infantem, ſignificat bonum innocentiæ: & etiam turba mixta multa, ſignificat vera quæ non genuina: aſcendit cum illis, ſignificat quæ adjuncta: & grex & armentum acquiſitio gravis valde, ſignificat bonum acquiſitum per verum interius & exterius copia multa: & coxerunt maſſam quam eduxerunt ex Ægypto placentas azymas, ſignificat quod ex vero boni iterum produceretur bonum in quo nihil falſi: quia non fermentata, ſignificat quia in vero ex bono nihil falſi ineſſet: quia expulſi ex Ægypto, & non potuerunt commorari, ſignificat quia remoti ab illis qui in falſo ex malo erant: & etiam viaticum non fecerunt ſibi, ſignificat quod non aliam ſuſtentationem a vero & bono ſecum haberent.

7972. Et profecti filii Iſraelis a Raamſes ad Succoth, quod ſignificet ſtatum primum diſceſſionis, & quale, conſtat ex ſignificatione proficiſci, quod ſint vitæ ordo & inſtituta, de qua n: 1293. 3335. 4882. 5493. 5606; inde profectiones filiorum Iſraelis, de quibus in Exodo, ſunt ſtatus vitæ & eorum mutationes a primo ad ultimum; hic itaque per profectionem a Raamſes ad Succoth ſignificatur ſtatus primus & ejus quale; nomina enim locorum, ſicut etiam perſonarum, omnia ſignificant res, & earum quale, videatur n: 768. 1224. 1264. 1876. 1888. 3422. 4298. 4310. 4442. 5905. 6516.

7973. Quaſi ſexcenta millia peditum virorum, quod ſignificet omnia veri & boni fidei in uno complexu, conſtat ex ſignificatione numeri ſexcentorum millium, quod ſint omnia fidei in uno complexu, exſurgit enim hic numerus ex ſex & quoque ex duodecim, & duodecim ſignificant omnia fidei & charitatis, n: 577. 2089. 2129 f. 2130 f: 3272. 3858. 3913; inde eſt quod filii Jacobi fuerint duodecim, & quod poſteri illorum diſtincti in totidem Tribus, & quoque quod a Domino aſſumti ſint duodecim diſcipuli, ut nempe repræſentarent omnia fidei & charitatis; de Tribubus videatur n: 3858. 3862. 3039. 3926. 4060. 6335. 6337. 6640 7836. 7891; de Diſcipulis, n: 3354. 3488. 5858 f. 6397; quod hic ſexcenta millia ſignificent ſimilia, eſt quia numerus major & minor, ſeu multiplicatus ac diviſus, ſimile involvit cum ſimplicibus ex quibus, n: 5291. 5335. 5208; hoc patet manifeſte ex numero duodecim, hic ſive diviſus ſit in ſex, vel multiplicatus in ſeptuaginta duo, vel in 144, hoc eſt, duodecim in duodecim, vel in 12000, vel in

144000,

144000, ſimile ſignificat; ut 144000 apud Johannem "Audivi numerum obſignatorum *centum quadraginta quatuor millia*, obſignati ex omni Tribu Iſraelis; *ex Tribu unaquavis duodecim millia*" Apoc: VII: 4. 5. ſeq: hic per filios Iſraelis non intelliguntur filii Iſraelis, non per Tribus Tribus, nec per numerum numerus, ſed talia quæ ſunt in ſenſu interno, nempe omnia fidei & charitatis, & ſic per unamquamvis Tribum in ſpecie, unum genus vel una claſſis, ſecundum illa quæ ad Capp: XXIX & XXX Geneſ: explicata ſunt. Similiter apud Eundem "Ecce Agnus ſtans ſuper monte Sionis, *& cum Ipſo* 144000 *habentia Nomen Patris Ipſius* ſcriptum ſuper frontibus ſuis: canebant Canticum novum coram Throno, & nemo poterat diſcere Canticum, *niſi* 144000 *emti de terra*; hi ſunt qui ſequuntur Agnum quo vadit; *hi emti ſunt de hominibus primitiæ Deo & Agno*" XIV: 1. 3. 4; ex hac deſcriptione patet, quod qui in charitate ſunt, intelligantur per 144000; & quoque patet, quod numerus ille modo deſignet ſtatum & quale; numerus enim ille deſignat ſimile cum duodecim, nam exiſtit ex 12000 & 12 in ſe multiplicatis: ſimiliter ac numerus minor 144, qui eſt duodecies duodecim, apud Eundem "Menſus eſt murum Sanctæ Hieroſolymæ deſcendentis a Deo e Cœlo, 144 *Cubitorum*, quæ eſt menſura hominis, hoc eſt, Angeli" Apoc: XXI: 2. 17; quod murus ſanctæ Hieroſolymæ non ſit murus in ſenſu ſpirituali, ſed quod ſit verum fidei defendens illa quæ Eccleſiæ, videatur n: 6419, inde quoque dicitur fuiſſe illum 144 cubitorum; quod ita ſit manifeſte patet, nam dicitur quod menſura illa ſit hominis, hoc eſt, Angeli; per hominem & per angelum ſignificatur omne veri & boni fidei; & quoque patet ex *duodecim* lapidibus pretioſis, ex quibus fundamentum muri, & ex *duodecim* portis, quarum unaquævis erat margarita, ibid: Verſ: 19. 20. 21, per lapides enim pretioſos ſignificantur vera fidei quæ ex bono charitatis, n: 643. 3720. 6426; ſimiliter per portam, & quoque per margaritam: inde nunc conſtat, quod numerus minor & major involvat ſimile cum numero ſimplici, ex quo ille; quod omnes numeri in Verbo ſignificent res, videatur n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 6175. Ex his nunc videri poteſt, quod numerus ſexcentorum millium virorum exeuntium ex Ægypto, ſignificent etiam talia: quod hic numerus talia ſignificet, vix aliquis credere poteſt, ex cauſa quia hiſtoricum eſt, ac omne hiſtoricum mentem in ſenſu externo continenter tenet, & a ſenſu interno abſtrahit; ſed uſque numerus ille etiam talia ſignificat, nam ne quidem eſt vocula, imo nec unum jotha aut unus apex in Verbo, qui non in ſe ſanctus eſt, quia in ſe ſanctum involvit; quod in ſolo hiſtorico non ſanctum ſit, nullus non videt.

7974. Præter infantem, quod ſignificet bonum innocentiæ, conſtat ex ſignificatione infantis, quod ſit bonum innocentiæ, de qua n: 430. 1616. 2126. 2305. 3183. 3494. 4797. 5608.

7975. Et etiam turba mixta multa, quod ſignificet bona quæ non genuina, conſtat ex ſignificatione turbæ mixtæ, quod ſint bona non genuina; nam cum per filios Iſraelis repræſentantur bona & vera genuina, quæ ſunt

Eccleſiæ

Eccleſiæ ſpiritualis, n: 7956, per turbam mixtam comitantem illos ſignificantur vera & bona non genuina: cum illis enim qui ab Eccleſia ſpirituali ita ſe habet; ſunt bona & vera illis genuina, & ſunt bona & vera non genuina; ſpiritualis enim Eccleſiæ homo nullam habet perceptionem boni & veri, ſed pro bono & vero agnoſcit & credit quæ doctrinalia Eccleſiæ ſuæ doceant; inde eſt quod in permultis veris non genuinis ſit, conſequenter etiam in bonis ſimilibus, nam bona ſuum quale a veris habent; quod ſpirituales ſint in per-pluribus veris non genuinis, videatur n: 2708. 2715. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3240. 3241. 3246. 3833. 4402. 4788. 5113. 6289. 6500. 6639. 6865. 6945. 7233; quod inde illis vera non pura ſint, n: 6427; ſed uſque tenentur illi a Domino in bonis maxime genuinis, quod fit per influxum per interiora, n: 6499, & tunc vera & bona non genuina inde ſeparantur, & rejiciuntur ad latera; hæc ſunt quæ ſignificantur per turbam mixtam multam valde. Similiter per illam ſignificantur, qui ab Eccleſia ſunt, ſed non intra illam, ut gentiles, qui in obedientia & mutua charitate inter ſe vivunt; illis nec vera genuina ſunt, quia non habent Verbum; hi quoque, ut & ipſa vera non genuina, ſignificantur per turbam multam apud Johannem "Audivi numerum obſignatorum, Centum quadraginta quatuor millia, obſignati ex omni Tribu Iſraelis: poſt hæc vidi, cum ecce *Turba multa quam numerare nemo poterat*, ex omni gente & tribubus & populis & linguis, ſtantes coram throno, & coram Agno, induti ſtolas albas, & palmæ in manibus illorum" Apoc: VII: 4. 9.

7976. Aſcendit cum illis, quod ſignificet quæ adjuncta, conſtat ex ſignificatione aſcendere cum illis, cum dicitur de bonis & veris, quod ſit quod adjuncta; nam vera & bona non genuina ſeparantur quidem a bonis & veris genuinis apud hominem ſpiritualem, ſed non auferuntur, remanent adjuncta a latere, quo rejecta, n: 7975 f. Similiter ſe habet cum Eccleſia Domini inter gentes, quibus vera non genuina; illæ in cœlo etiam adjunctæ ſunt illis qui in veris & bonis genuinis ſunt.

7977. Et grex & armentum acquiſitio gravis valde, quod ſignificet bonum acquiſitum per verum, interius & exterius, copia multa, conſtat ex ſignificatione gregis, quod ſit bonum interius, & ſignificatione armenti, quod ſit bonum exterius, de quibus n: 2566. 5913. 6048. 7960; quod acquiſitum ſit, ſignificatur per acquiſitionem; omne enim bonum apud illos, qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, acquiſitum eſt per verum, nam abſque vero quod fidei non ſciunt quid verum ſpirituale, nec quid bonum ſpirituale: verum quidem civile, tum verum morale, & eorum bona, ſcire poſſunt, quia hæc ſunt congrua rebus quæ in mundo, inde quoque illorum perceptionem habent, at verum ſpirituale & bonum ejus, non illis quæ in mundo congrua ſunt, imo in pluribus prorſus ab illis abeunt, quare de illis inſtruendi ſunt. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod omne bonum apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, acquirendum ſit per Verum: quod gravis valde, ſit copia multa, patet.

7978.

7978. Et coxerunt maſſam, quam eduxerunt ex Ægypto, placentas azymas, quod ſignificet quod ex Veri bono iterum produceretur bonum, in quo nihil falſi, conſtat ex ſignificatione coquere, cum dicitur de vero boni, quod ſignificatur per maſſam, quod ſit producere; ex ſignificatione maſſæ, quod ſit verum boni, de qua ſupra n: 7966; & ex ſignificatione placentarum azymarum, quod ſint bona in quibus nihil falſi; quod azyma ſint quæ abſque falſo, videatur n: 2342. 7906. Quod hic ſtatus alter ſit veri ex bono, in quo fuerunt cum liberati, videatur ſupra n: 7966. 7972. Quod placentæ ſint bona, eſt quia ſunt panis, & panis in ſenſu interno eſt bonum amoris, de quo n: 276. 680. 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915; ſed diſtinguitur panis placentarum a pane communi, in eo, quod per panem placentarum ſignificetur bonum amoris erga proximum, ita bonum ſpirituale, & per panem communem ſignificatur bonum amoris in Dominum, ita bonum cœleſte: bonum illud ſpirituale ſignificatum eſt per mincham, quæ offerebatur & adolebatur cum ſacrificio ſuper altari, mincha enim cocta fuit in placentas & in lagana, ut conſtare poteſt Exod: XXIX: 2. 3. 23. 24. 37. Levit: II: 2 ſeq: Cap VI: 13. 14. Numer: VI: 15. 19. Cap: XV: 18. 19. 20. 21. Simile ſignificabatur per duodecim panes propoſitionis, qui etiam coquebantur in placentas, de quibus ita apud Moſchen "Sumes ſimilaginem, & *coques* illam *duodecim placentas*, duarum decimarum erit *placenta una*: & pones illas in duos ordines, ſenos ordine, ſuper menſa munda, coram Jehova; & dabis ſuper ordinem thus purum; & erit ad panes in memoriale, ignitum Jehovæ" Levit: XXIV: 5. 6. 7. 8. 9; ex his conſtare poteſt, quod panes ſignificarent ſanctum, nam alioquin nuſquam tale mandatum fuiſſet; & quia ſignificabant ſanctum, etiam vocantur ſanctitas ſanctitatum, ibid: Verſ: 9: ſed per hos panes ſignificabatur bonum amoris cœleſtis; & per quod cocti eſſent in placentas, ſignificabantur bona amoris ſpiritualis. Ex his, & ex illis quæ in locis ſupracitatis allata ſunt, conſtare poteſt, quod ſimile per panem in ſancta cæna intelligatur.

7979. Quia non fermentata, quod ſignificet quia in vero ex bono nihil falſi ineſſet, conſtat ex ſignificatione maſſæ, de qua dicitur quod non fermentata, quod ſit verum boni, de qua ſupra n: 7966; & ex ſignificatione non fermentatæ, quod ſit abſque falſo, de qua n: 2342. 7906.

7980. Quia expulſi ab Ægypto, & non potuerunt commorari, quod ſignificet quoniam remoti ab illis qui in falſo ex malo erant, conſtat ex ſignificatione expelli, quod ſit removeri, nam qui expellitur is removetur, videatur ſupra n: 7964; ex ſignificatione Ægypti, quod ſint qui in falſo ex malo, de qua prius; & ex ſignificatione non poſſe commorari, quod ſit remotionis neceſſitas.

7981. Et etiam viaticum non fecerunt ſibi, quod ſignificet quod non aliam ſuſtentationem a vero & bono ſecum haberent, quam nempe quæ ſignificatur per maſſam non fermentatam, quæ quod ſit verum boni in quo nihil falſi videatur n: 7966, conſtat ex ſignificatione viatici, quod ſit ſuſtentatio a vero & bono, de qua n: 5490. 5953.

7982. Verſ: 40. 41. 42. *Et habitatio filiorum Iſraelis, qua habitaverunt in Ægypto, triginta anni & quadringenti anni. Et fuit a fine triginta annorum & quadringentorum annorum, fuit in eodem die hoc, exiverunt omnes exercitus Jehovæ e terra Ægypti. Nox cuſtodiarum hæc Jehovæ, ad educendum illos e terra Ægypti; hæc nox iſta Jehovæ cuſtodiarum omnibus filiis Iſraelis ad generationes illorum.* Et habitatio filiorum Iſraelis qua habitaverunt in Ægypto, ſignificat infeſtationum durationem: triginta anni, & quadringenti anni, ſignificat quale ad ſtatum illarum: & fuit a fine triginta annorum & quadringentorum annorum, ſignificat tempus adventus Domini cum liberati: & fuit in eodem die hoc, ſignificat quod tunc: exiverunt omnes exercitus Jehovæ e terra Ægypti, ſignificat quod illi qui in vero & bono, & uſque illuc detenti exempti ſint: nox cuſtodiarum hæc Jehovæ, ſignificat Domini præſentiam apud illos qui in vero & bono, & apud illos qui in malo & inde in mero falſo: ad educendum illos e terra Ægypti, ſignificat liberationem ex captivitate ſpirituali: hæc nox iſta Jehovæ cuſtodiarum, ſignificat quod tunc detenti ab omni falſo & malo: omnibus filiis Iſraelis ad generationes illorum, ſignificat illos ab Eccleſia ſpirituali, apud quos eſt bonum ex vero & verum ex bono.

7983. Et habitatio filiorum Iſraelis qua habitaverunt in Ægypto, quod ſignificet infeſtationum durationem, conſtat ex ſignificatione habitationis, quod ſit vitæ ſtatus, de qua n: 1293. 3384. 3613. 4451. 6051, hic ſtatus infeſtationum, nam ille eſt ſtatus vitæ, de quo nunc agitur, & qui ſignificatur per numerum triginta & quadringentorum annorum, ad quem illa verba ſe referunt.

7984. Triginta anni & quaringenti anni, quod ſignificet quale & ſtatum illarum, conſtat ex ſignificatione triginta, quod ſit ſtatus plenus reliquiarum, exſurgit enim ille numerus ex tribus & decem in ſe multiplicatis, & per tria ſignificatur ſtatus plenus, n: 2788. 4495. 7715, perque decem reliquiæ, n: 576. 1906. 2284; quid ſtatus plenus, in ſequentibus dicetur; & ex ſignificatione quadringentorum, quod ſint vaſtationis duratio, de qua n: 2959. 2966, & inde conjunctio boni & veri, n: 4341: quod omnes numeri ſignificent res & ſtatus, & quod numerus compoſitus ſimile cum ſimplicibus, ex quibus compoſitus eſt, videatur ſupra n: 7973. Quod vaſtationem, quæ per quadringentos annos ſignificatur, attinet, eſt illa duplex, nempe vaſtatio mali & falſi, & vaſtatio boni & veri; apud illos qui damnantur eſt vaſtatio boni & veri, at apud illos qui ſalvantur, eſt vaſtatio mali & falſi; vaſtatio eſt privatio: quod mali qui ab Eccleſia fuerunt, vaſtati ſint quoad omne bonum & verum, hactenus oſtenſum eſt, nam vaſtationis gradus ſucceſſivi ſignificati ſunt per plagas in Ægypto; boni autem vaſtantur quoad malum & falſum; hæc apud illos ſucceſſive ſeparantur, hoc eſt, rejiciuntur ad latera, ac bona & vera colliguntur ad medium; hæc collectio boni & veri intelligitur per reliquias; cumque ſtatus plenus reliquiarum illis eſt, tunc elevantur in cœlum; hic ſtatus eſt qui ſignificatur per triginta, & vaſtatio per quadringenta: vaſtatio mali & falſi, ac inſinuatio boni & veri apud bonos, fit per infeſtationes, & per tentationes; per illas & has removentur falſa & mala,

mala, ac induntur bona & vera; & hoc uſque dum ſtatus plenus fit. Quid ſtatus plenus, paucis etiam dicendum eſt; unuſquiſque, qui vel damnatur, vel ſalvatur, habet certam menſuram, quæ impleri poteſt; mali ſeu qui damnantur habent certam menſuram mali & falſi, ac boni ſeu qui ſalvantur, habent certam menſuram boni & veri; hæc menſura apud unumquemvis impletur in altera vita; ſed aliquibus eſt menſura major, aliquibus autem minor; menſura illa comparatur in mundo per affectiones quæ ſunt amoris, quo quis plus amaverat malum ac inde falſum, eo menſuram ſibi majorem comparaverat; & quo quis plus amaverat bonum & inde verum, eo menſura illi major eſt; limites & gradus extenſionis illius menſuræ in altera vita manifeſte apparent, ac non poſſunt ibi tranſcendi, ſed poſſunt impleri, & quoque actualiter implentur, nempe bonis & veris apud illos qui in affectione boni & veri fuerunt; ac malis & falſis apud illos qui in affectione mali & falſi; inde patet, quod menſura illa ſit facultas recipiendi vel malum & falſum, vel bonum & verum, comparata in mundo: hic ſtatus eſt qui intelligitur per ſtatum plenum, & ſignificatur per triginta: deſcribitur ille a Domino in Parabolis de Talentis apud Matthæum Cap: XXV: 14 ad 31, & de Minis apud Lucam Cap: XIX: 13 ad 25; & tandem his verbis apud Matthæum "habenti omni dabitur ut abundet, ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferretur ab eo" XXV: 29; & apud Lucam "Adſtantibus dixit, tollite ab illo minam, & date ei qui decem minas habet: dixerunt illi, Domine, habet decem minas; dico vobis, quod omni qui habet dabitur, ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferretur ab eo" XIX: 24. 25. 26: quod menſura cujuſvis impleatur, etiam docet Dominus alibi apud Eundem "Date, & dabitur vobis, menſuram bonam, preſſam, agitatam, & ſuperfluentem, dabunt in ſinum veſtrum, VI: 38: ex his nunc patet, quid intelligitur per ſtatum plenum.

7985. Dicitur, quod habitatio filiorum Iſraelis, qua habitaverunt in Ægypto, fuerint triginta anni & quadringenti anni; & porro, quod a fine triginta annorum & quadringentorum annorum, in eodem die hoc, exiverint omnes exercitus Jehovæ e terra Ægypti, cum tamen habitatio filiorum Iſraelis a Jacobi deſcenſu in Ægyptum ad exitum poſterorum ejus nunc, non fuerit plus quam dimidium illius temporis, nempe 215 Annorum, ut patet manifeſte a Chronologicis Scripturæ Sacræ; fuit enim Moſcheh natus ex Amram, & Amram ex Kehath, ac Kehath ex Levi, ac Kehath ſimul cum Levi patre ſuo venit in Ægyptum, Geneſ: XLVI: 11, ætas vitæ Kehath fuit 133 annorum, Exod: VI: 18, ac ætas vitæ Amram, ex quo Aharon & Moſcheh, 137 annorum, ibid: Verſ: 20; & Moſcheh fuit vir 80 annorum, cum ſtetit coram Pharaone, Exod: VII: 7; non memoratur quo anno ætatis Kehathi natus eſt Amram, nec quo anno ætatis Amrami natus eſt Moſcheh; at quod non fuerint 430 anni, conſtare poteſt, nam anni ætatum illorum ne quidem ad 430 aſſurgunt, ſed ad 350; quod ſciri poteſt, ſi addantur anni ætatis Kehathi 133, cum annis ætatis Amrami 137, & hi cum annis Moſchis 80 cum ſtetit coram Pharaone; minus ſi addantur anni a nativitatibus illorum; quod

fuerint 215 anni, ex Chronologicis videri poteſt. Sed ab Abrahami deſcenſu in Ægygtum ad exitum filiorum Iſraelis fuerunt 430 anni, de quibus etiam videantur Chronologici: inde nunc conſtare poteſt, quod per 430 annos hic intelligatur integra periodus temporis uſque ab Abrahamo, & non a Jacobo: quod hi anni deſignati ſint, ac dicti anni habitationis filiorum Iſraelis in Ægypto, eſt ob ſenſum internum, in quo per illos ſignificatur ſtatus plenus ac duratio vaſtationis illorum, qui ab Eccleſia ſpirituali fuerunt, ac in terra inferiore uſque ad adventum Domini detenti, ac tunc liberati, de quibus videatur n: 6854. 6914. 7035. 7091. 7828. 7932.

7986. Et fuit a fine triginta annorum & quadringentorum annorum, quod ſignificet tempus adventus Domini, cum ſalvati, conſtat ex ſignificatione annorum triginta & quadringentorum, quod ſint ſtatus plenus ac duratio vaſtationis ſeu infeſtationis illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, ac in terra inferiore uſque ad adventum Domini detenti, ac tunc liberati, de qua mox ſupra n: 7985, & n: 6854. 6914. 7035. 7091. 7828. 7932; inde a fine illorum annorum, ſignificat tempus adventus Domini cum ſalvati.

7987. Et fuit in eodem die hoc, quod ſignificet quod tunc, conſtat ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962. 7680; inde in eodem die hoc, eſt in illo ſtatu, ita tunc, nempe cum adventus Domini qui ſignificatur per a fine triginta & quadringentorum annorum, ac liberatio illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, quæ ſignificatur per exiverunt omnes exercitus Jehovæ e terra Ægypti.

7988. Exiverunt omnes exercitus Jehovæ e terra Ægypti, quod ſignificet quod illi qui in vero & bono, & uſque illuc detenti, exemti ſint, conſtat ex ſignificatione exire e terra Ægypti, quod ſit eximi & liberari ab infeſtationibus, quod exire ſit eximi, patet, & quod terra Ægypti ſint infeſtationes, videatur n: 7278; & ex ſignificatione exercituum Jehovæ, quod ſint vera & bona quæ Eccleſiæ ſpirituali, ita illi qui in vero & bono ſunt, de qua n: 3448. 7236. Quod vera & bona ſint Exercitus Jehovæ, conſtat apud Danielem "Exivit cornu unum de exiguo hirci, & crevit valde verſus meridiem, & verſus ortum, & verſus decus, & crevit *uſque ad Exercitus cælorum*, & dejecit in terram *de Exercitu*, & de ſtellis, & conculcavit illa; imo uſque *ad Principem Exercitus* extulit ſe: & *Exercitus traditus eſt ſuper jugi in prævaricationem*, quia projecit *Veritatem* in terram: tunc audivi unum ſanctum loquentem, quouſque datur & ſanctum & *exercitus* conculcationi; dixit ad me, uſque ad veſperam & mane, bis mille trecenta, tunc juſtificabitur ſanctum" VIII: 9 ad 14, hic quod exercitus ſint vera & bona manifeſte patet; dicitur enim quod dejecerit in terram de exercitu & de ſtellis, ac poſtea quod projecit *veritatem* in terram, & quod exercitus eſſet conculcationi uſque ad veſperam & mane, hoc eſt, ad adventum Domini. Quia vera & bona ſunt exercitus Jehovæ, idcirco Angeli vocantur Exercitus Ipſius in Libro 1 Regum "Michah propheta dixit, vidi Jehovam ſedentem ſuper throno

throno ſuo, *ac univerſum Exercitum cælorum ſtantem juxta ipſum* " XXII : 19 : & apud Davidem "Benedicite Jehovæ *Angeli Ipſius*, potentes robore; benedicite Jehovæ *omnes Exercitus Ipſius*, miniſtri Ipſius" Pſalm: CIII : 20. 21, Angeli vocantur Exercitus a veris & bonis, in quibus ſunt; nec ſolum Angeli dicebantur Exercitus Jehovæ, ſed etiam Luminaria Cœli, ut Sol, Luna, ac Stellæ, & hoc quia per Solem ſignificabatur bonum amoris, per Lunam bonum fidei, & per ſtellas cognitiones boni & veri; quod illa luminaria dicantur exercitus, patet in Libro Geneſeos "Abſoluti ſunt cœli & terra, & *omnes Exercitus illorum*" II, ubi per Exercitus intelliguntur omnia luminaria cœli, at in ſenſu interno, in quo ibi agitur de nova creatione hominis, intelliguntur vera & bona; pariter apud Davidem "Laudate Jehovam omnes Angeli Ipſius, *Laudate Ipſum omnes Exercitus Ipſius*; laudate Ipſum Sol & Luna, laudate Ipſum omnes ſtellæ lucis" Pſalm: CXLVIII : 2. 3, quod Sol ſit bonum amoris, & luna bonum fidei, videatur n: 1529. 1530. 2441. 2495. 4060. 4696. 5377. 7083, & quod ſtellæ ſint cognitiones boni & veri, n: 1808. 2120. 2495. 2849. 4697. Quod Sol, Luna, & ſtellæ ſignificent bona & vera, eſt quia Dominus in Cœlo eſt Sol cœleſtibus, ac Luna Spiritualibus, n: 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643. 4300. 4321 f. 5097. 7078. 7083. 7171. 7173; & quia domicilia Angelica lucent ſicut ſtellæ, ſecundum hæc apud Danielem "Tunc intelligentes ſplendebunt ſicut ſplendor expanſi, & *juſtificantes multos ſicut ſtellæ*, in ſæculum & æternitatem" XII: 3. Quia Angeli ex veris & bonis vocantur Exercitus Jehovæ, & quoque Sol, Luna, & Stellæ, & omne verum & bonum procedit a Domino, ideo Dominus in Verbo appellatur *Jehovah Zebaoth* ſeu *Exercituum*, n: 3448, appellatur etiam ex eo, quia pugnat pro homine contra inferna. Ex his nunc conſtare poteſt, quid in ſenſu interno intelligitur per Exercitus Jehovæ: quod filii Jacobi, qui exiverunt ex Ægypto, non fuerint, ſed quod repræſentaverint, patet ex vita illorum in Ægypto, quod non cognoverint Jehovam, ne quidem Nomen Ipſius, antequam hoc Moſchi indicatum eſſet e rubo, Exod: III : 13. 14. 15. 16; tum quod fuerint æque ac Ægygtii adoratores vituli, ut concludi poteſt ex Exod: Cap XXXII; tum ex vita illorum in deſerto, quod fuerint tales, ut non potuerint introduci in terram Canaanem; ita nihil minus quam Exercitus Jehovæ.

7989. Nox cuſtodiarum hæc Jæhovæ, quod ſignificet Domini præſentiam apud illos qui in vero & bono, & apud illos qui in malo & inde in mero falſo, conſtat ex ſignificatione noctis, quod ſit ſtatus damnationis, de qua n: 7851; & ex ſignificatione cuſtodiarum Jehovæ, quod ſit præſentia Domini & inde tutatio; per præſentiam enim Domini illuſtrantur illi qui in bono & inde in vero, ac occæcantur illi qui in malo & inde falſo; tum per præſentiam Domini educuntur illi e damnatione qui elevandi in cœlum, nam detinentur a malo ac tenentur in bono, & hoc vi forti, a Domino; & per præſentiam Domini etiam inducuntur in damnationem, qui dejiciendi in infernum, nam ſecundum gradum præſentiæ Domini in malo ſunt, n:

7926. 7643; inde nunc eſt, quod ſtatus ille ac tempus illud dicatur nox cuſtodiarum Jehovæ. Præſentia Domini in ſequentibus deſcribitur per Columnam nubis interdiu & columnam ignis noctu, ad ducendum illos, Exod: XIII: 21, & præſentia tam apud illos qui in bono & vero, quam apud illos qui in malo & falſo, per quod columna illa interponeret ſe inter caſtra Iſraelis & inter caſtra Ægyptiorum, & quod cum Jehovah proſpiceret inde ad caſtra Ægyptiorum, quod Ægyptii immerſi ſint in mare Suph, Exod: XIV: 19. 20. 24. 25. 26. 27.

7990. Ad educendum illos e terra Ægypti, quod ſignificet liberationem ex captivitate ſpirituali, conſtat ex ſignificatione educere, quod ſit liberare; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ubi infeſtati a malis, ita ubi fuerunt in captivitate ſpirituali, ſecundum illa quæ n: 6854. 6914. 7035. 7091. 7828. 7932. 7985, allata ſunt. In captivitate ſpirituali dicuntur eſſe, qui quoad interiora tenentur a Domino in bono & vero, ſed quoad exteriora ab inferno in malo & falſo; unde pugna Externi hominis cum Interno: in hoc ſtatu tenentur qui infeſtantur; & tunc Dominus per influxum per interiora pugnat pro illis contra affluxum mali & falſi ab infernis; tenentur tunc ſicut captivi, nam per influxum a Domino volunt in bono & vero eſſe, ſed per affluxum ab infernis videntur ſibi non poſſe. Hæc pugna fit ob finem, ut Externus homo redigatur ad obedientiam Interni, & ſic naturalia ſubordinentur ſpiritualibus.

7991. Hæc nox iſta Jehovæ cuſtodiarum, quod ſignificet quod tunc detenti ab omni falſo & malo, conſtat ex illis quæ mox ſupra n: 7989 de nocte cuſtodiarum Jehovæ dicta ſunt.

7992. Omnibus filiis Iſraelis ad generationes illorum, quod ſignificet illos ab Eccleſia ſpirituali apud quos eſt bonum ex vero & verum ex bono, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpius; & ex ſignificatione generationum, quod ſint illa quæ fidei & charitatis, de qua n: 2020. 2584. 6239, ita apud quos bonum ex vero, & verum ex bono, qui enim ab Eccleſia ſpirituali ſunt, per verum quod fidei introducuntur ad bonum quod charitatis, ac cum introducti ſunt ex bono ducuntur ad vera: qui ex bono ad vera ducuntur, ſunt qui conſtituunt Eccleſiam internam, qui autem per verum introducuntur ad bonum, ſunt qui externam.

7993. Verſ: 43 ad 49. *Et dixit Jehovah ad Moſchen & Aharonem, hoc ſtatutum Pæſach, omnis filius alienigenæ non comedet illud. Et omnis ſervus viri, emtio argenti, & circumcideris illum, tunc comedet illud. Inquilinus & mercenarius non comedet illud. In domo una comedetur, non educes e domo de carne foras; & os non frangetis in illo. Omnis cætus Iſraelis facient illud. Et cum peregrinatur tecum peregrinus, & faciat Pæſach Jehovæ, circumcidetur illi omnis maſculus, & tunc accedet ad faciendum illud, & erit ſicut indigena terræ: & omnis præputiatus non comedet illud. Lex una erit indigenæ & peregrino peregrinanti in medio veſtrum.* Et dixit Jehovah ad Moſchen & Aharonem, ſignificat informationem per Verum Divinum: hoc ſtatutum Pæſach,

ſignificat

ſignificat leges ordinis illis qui a damnatione & infeſtationibus liberati: omnis filius alienigenæ non comedet illud, ſignificat illos qui non in vero & bono quod ab illis ſeparati: & omnis ſervus viri, ſignificat hominem naturalem adhuc: emptio argenti, ſignificat cui aliquid verum ſpirituale: & circumcideris illum, ſignificat purificationem ab amoribus ſpurcis: tunc comedet illud, ſignificat quod cum illis: inquilinus & mercenarius non comedet illud, ſignificat qui ex ſola indole naturali bonum faciunt, & qui propter lucrum, quod non cum illis: in domo una comedetur, ſignificat conſociationes bonorum convenientium, ut faciant unum bonum ſimul: non educes e domo de carne foras, ſignificat quod bonum hoc non commiſcebitur bono alterius: & os non frangetis in illo, ſignificat ſcientificum verum quod etiam integrum erit: omnis cætus Iſraelis facient illud, ſignificat quod ea lex ordinis omnibus qui in bono veri & in vero boni: & cum peregrinatur tecum peregrinus, ſignificat illos qui in vero & bono Eccleſiæ inſtructi ſunt, & receperunt illa: & faciat pæſach Jehovæ, ſignificat ſi velit una cum illis eſſe: circumcidetur illi omnis maſculus, ſignificat quod verum illius ab impuris amoribus defæcandum ſit: & tunc accedet ad faciendum illud, ſignificat quod tunc cum illis erit: & erit ſicut indigena terræ, ſignificat quod receptus ſicut ille qui in illo vero & bono, & purificatus ab amoribus ſpurcis: & omnis præputiatus non comedet illud, ſignificat quod qui in amoribus ſui & mundi, non una eſſe poſſit: lex una erit indigenæ & peregrino peregrinanti in medio veſtrum, ſignificat quod qui inſtructus recepit Eccleſiæ verum & bonum, & vivit ſecundum illa, erit ſicut ille qui prius inſtructus intra Eccleſiam eſt, & præceptis fidei & charitatis conformem vitam vivit.

7994. Et dixit Jehovah ad Moſchen & Aharonem, quod ſignificet informationem per Verum Divinum, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, cum agitur de ſtatutis Eccleſiæ, quod ſit informatio ſeu inſtructio, de qua n: 7186. 7267. 7304. 7380. 7517. 7769. 7793. 7825; & ex repræſentatione Moſchis & Aharonis, quod ſint Verum Divinum, Moſcheh internum & Aharon externum, de qua n: 7009. 7010. 7089. 7382.

7995. Hoc ſtatutum Pæſach, quod ſignificet leges ordinis illis qui a damnatione & infeſtationibus liberati, conſtat ex ſignificatione ſtatuti, quod ſit id quod ex ordine, de qua ſequitur; & ex ſignificatione pæſach, quod ſit præſentia Domini & liberatio a damnatione, de qua n: 7093 fin: 7867. Quod id quod ordinis eſt, quod per ſtatutum ſignificatur attinet, ſciendum quod omnia ſtatuta, quæ mandata ſunt filiis Iſraelis, fuerint leges ordinis in forma externa, at illa quæ repræſentabant & ſignificabant, erant leges ordinis in forma interna; leges ordinis ſunt vera quæ ex bono; complexus omnium legum ordinis eſt Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini; inde patet, quod Ipſum Divinum Domini in cœlo ſit ordo, Divinum Bonum eſſentiale ordinis, ac Divinum Verum formale ejus.

7996. Omnis filius alienigenæ non comedet illud, quod ſignificet illos qui non vero & bono, quod ab illis ſeparati, conſtat ex ſignificatione alienigenæ, quod ſint qui extra Eccleſiam non agnoſcentes aliquid veri & boni quæ

fidei,

fidei, ut fuerunt gentes in terra Canaane, de qua n: 2049. 2115, ita qui, non in vero & bono; & ex ſignificatione non comedere illud, quod ſit non communicare & conjungi cum illis, ita ſeparati ab illis: agitur in nunc ſequentibus de illis qui ſimul comedent pæſach, & qui non comedent; erat pæſach cæna, quæ repræſentabant conſociationes bonorum in cœlo; in ſtatutis quæ ſequuntur, indicatur quinam conſociari poſſent, & quinam non poſſent. In genere convivia, tam prandia quam cænæ antiquis temporibus intra Eccleſiam fiebant, ut conſociarentur & conjungerentur quoad amorem, ac ut ſe mutuo inſtruerent in illis quæ amoris & fidei, ita in illis quæ cœli, videatur n: 3596. 3832. 5161; talia fuerunt illo tempore jucunda circa commeſſationes, & fuerunt finis propter quem prandia & cænæ; ita nutriebatur mens & quoque corpus unanimiter & correſpondenter; inde illis ſanitas ac vita longæva, ac inde illis intelligentia & ſapientia, tum inde illis communicatio cum cœlo, & quibuſdam manifeſta cum Angelis. At ſicut omnia interna ſucceſſu temporis evaneſcunt, & abeunt in externa, ita quoque conviviorum & commeſſationum fines, qui hodie non ſunt propter conjunctionem aliquam ſpiritualem, ſed propter conjunctiones mundanas, nempe propter lucra, propter ambitus honorum, & propter voluptates, inde nutritio corporis, ſed nulla mentis.

7997. Quod Cæna paſchalis repræſentaverit conſociationes angelorum in Cœlis quoad bona & vera, videatur ſupra n: 7836. 7996, & quia illas repræſentabat, ordinatum eſt, ut non modo unaquævis domus per ſe tunc ſimul eſſet & comederet, ſed etiam quod non alii conſociarentur, quam qui repræſentarent conjunctionem amoris, qualis eſt ſocietatum Cœleſtium, & ſic quod reliqui ſepararentur; qui ſepararentur erant alienigenæ, nam per illos ſignificabantur qui non in bono & vero Eccleſiæ, tum inquilini & mercenarii, quia per illos repræſentabantur qui ex ſola indole naturali, & qui propter lucra facerent & venditarent bonum & verum; hi & illi non conſociari poſſunt cum angelis in cœlis, ſed quum illis licet circumvagari, quod fit primo tempore adventus illorum in alteram vitam, antequam ſubeunt vaſtationes boni & veri, tunc cum ad aliquam ſocietatem Angelicam veniunt, ac ſentiunt ſphæram ſanctitatis ex vero boni innocentiæ, quod ſignificatur per ſanguinem Agni paſchalis, n: 7846. 7877, non poſſunt appropinquare, ſed ex timore & averſatione confeſtim aufugiunt.

7998. Et omnis ſervus viri, quod ſignificet hominem naturalem adhuc, conſtat ex ſignificatione ſervi, quod ſit naturale, de qua n: 3019. 3020. 3191. 3192. 3204. 3206. 3209 5305, ita homo naturalis; quod homo naturalis dicatur ſervus, eſt quia factus eſt ad miniſtrandum Spirituali tum ad obediendum illi, ſicut ſervus ſuo domino.

7999. Emtio Argenti, quod ſignificet cui aliquid verum ſpirituale, conſtat a ſignificatione emtionis, quod ſit acquiſitio & appropriatio, de qua n: 4397. 4487. 5374. 5397. 5406. 5410. 4426; & ex ſignificatione Argenti, quod ſit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658, hic verum ſpirituale, quia ſervus qui emtus in ſenſu interno eſt naturalis homo, & ideo

dominus qui emit eſt ſpiritualis. Cum hoc quomodo ſe habet, non ſciri poteſt, niſi ſciatur quomodo ſpirituale ſibi emit, hoc eſt, acquirit & appropriat naturale; cum regeneratur homo, tunc primum diſſident internum & externum illius, hoc eſt, ſpirituale & naturale, ſpirituale enim vult illa quæ cœli, naturale autem quæ mundi; ſed ſpirituale influit tunc continue in naturale, & adducit illud ad conſenſum, hoc fit per verum, & quod ſpirituale in naturali ſibi adducit; hoc dicitur emtum argento, hoc eſt, acquiſitum & appropriatum per verum.

8000. Et circumcideris illum, quod ſignificet purificationem ab amoribus ſpurcis, conſtat ex ſignificatione circumcidi, quod ſit purificatio ab amoribus ſui & mundi, ita ab amoribus ſpurcis, de qua n: 2039. 2056. 2632. 3412. 3413. 4462. 7045.

8001. Tunc comedet illud, quod ſignificet quod cum illis, conſtat ex ſignificatione comedere, nempe agnum paſchalem una cum reliquis, quod ſit communicare & conjungi, de qua n: 2187. 5643; Cæna enim paſchalis repræſentabat, ut ſupra n: 7836. 7841. 7996. 7997, dictum, Angelicas conſociationes quoad bona & vera; & per ſtatuta de alienigenis, ſervis, inquilinis, mercenariis, & peregrinis, de quibus hic agitur, in ſenſu interno indicatur, quinam conſociari poſſent; & quinam non poſſent; inde eſt quod per comedere ſignificetur eſſe cum illis ſeu conſociari, & per non comedere, non eſſe cum illis, ſeu ſeparari.

8002. Et inquilinus & mercenarius non comedet illud, quod ſignificet qui ex ſola indole naturali bonum faciunt, & qui propter lucrum, quod non cum illis, conſtat ex ſignificatione inquilini, quod ſint qui bonum faciunt ex ſola indole naturali, de qua ſequitur; ex ſignificatione mercenarii, quod ſint qui propter lucrum bonum faciunt, de qua etiam ſequitur; & ex ſignificatione non comedere illud, quod ſit non eſſe cum illis, de qua mox ſupra n: 8001. Quod inquilinus ſit, qui ex ſola indole naturali bonum faciunt, eſt quia inquilini erant advenæ ex aliis populis, & incolæ, & cum Iſraelitis & Judæis in una domo habitabant; & cohabitare ſignificat in bono ſimul eſſe; ſed quia erant, ut dictum, ex populis extra Eccleſiam, bonum, quod ſignificatur, non eſt bonum Eccleſiæ, ſed eſt bonum non Eccleſiæ, hoc bonum vocatur bonum naturale, quia ex nativitate eſt hæreditario, tale etiam bonum aliquibus eſt ex invaletudine ac imbecillitate; hoc bonum intelligitur per bonum quod faciunt qui ſignificantur per inquilinos. Hoc bonum prorſus differt a bono Eccleſiæ, nam per bonum Eccleſiæ formatur apud hominem conſcientia, quæ eſt planum, in quod influunt angeli, & per quod datur cum illis conſortium; at per bonum naturale non aliquod planum pro Angelis formari poteſt; qui in hoc bono ſunt, faciunt bonum in tenebris ex cœco inſtinctu, non in luce veri ex influxu e cœlo; quapropter in altera vita abducuntur ſicut paleæ a vento, a quocunque, tam a malo quam a bono, ac plus a malo qui novit adjungere ratiociniis aliquid affectionis & perſuaſionis, nec tunc abduci poſſunt ab Angelis, nam Angeli operantur per vera & bona fidei, ac influunt in planum, quod intus in homine ex veris & bonis fidei formatum eſt: ex his

patet,

patet, quod qui ex ſola indole naturali bonum faciunt, non poſſint conſociari Angelis: de illis & de ſorte illorum in altera vita, videatur n: 3470. 3471. 3518. 4988. 4992. 5032. 6208. 7197. Quod Inquilini ſint, qui non in terra ſua, nec in domo ſua, ſed in aliena, commorantur, conſtat apud Moſchen “Terra vendetur præciſe, Mea enim eſt terra, ſed *peregrini* & *inquilini* vos Mecum” Levit: xxv: 23: apud Davidem “Audi preces meas, Jehovah, ad lachrymam meam ne taceas, quia *peregrinus ego Tecum*, *inquilinus* ſicut omnes patres mei” Pſalm: xxxix: 13: & in Libro Geneſeos “Abraham dixit ad filios Chethi, *peregrinus* & *inquilinus* ego vobiſcum, date mihi poſſeſſionem ſepulchri” xxiii: 4; per peregrinum æque ac per inquilinum ſignificatur advena & incola ex alia terra, ſed per peregrinum ſignificantur illi, qui in veris Eccleſiæ inſtruebantur & qui recipiebant illa, per inquilinos autem, qui in veris Eccleſiæ non inſtrui, quia illa non recipere volebant. Quod Mercenarios attinet, erant illi qui pro mercede laborabant, erant ſervi, ſed non empti; quod illi dicti ſint mercenarii, videatur Levit: xix: 13. Cap: xxv: 4. 5. 6. Deut: xxiv: 14. 15: quia Mercenarii erant qui pro mercede laborabant, per illos in ſenſu interno intelliguntur, qui bonum faciunt propter lucrum in mundo; & in ſenſu adhuc interiori qui bonum faciunt propter mercedem in altera vita, ita qui per opera mereri volunt. Qui bonum faciunt ſolum propter lucrum in mundo, illi nequaquam poſſunt conſociari Angelis, nam finis propter quem eſt mundus, hoc eſt, opulentia & eminentia; non autem cœlum, hoc eſt, beatitudo & felicitas animarum; finis eſt qui determinat actiones, & dat illis quale: de illis qui bonum faciunt modo propter lucrum ita Dominus apud Johannem “Ego ſum Paſtor bonus, paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus; *Mercenarius* vero & qui non paſtor, cujus oves non ſunt propriæ, videt lupum venientem, & deſerit oves, fugitque, & lupus rapit illas, & diſpergit oves, *Mercenarius* vero fugit, quia *Mercenarius* eſt” x: 11. 12. 13: & apud Jeremiam “Vitula pulcherrima Ægyptus, excidium a ſeptentrione venit, *Mercenarii illius ſicut vituli ſaginarii*, nam etiam illi converterunt ſe, fugerunt ſimul, non conſtiterunt, quia dies exitii illorum venit ſuper illos” xlvi: 20. 21. Quod Inquilini & Mercenarii non conſociarentur quoad ſancta cum illis qui ab Eccleſia, apud Moſchen “*Ullus alienus* non comedet ſanctum, *Inquilinus* ſacerdotis & *Mercenarius* non comedet ſanctum” Levit: xxii: 10: & quod ex filiis inquilinorum emerentur ſervi qui ſervirent in perpetuum, apud Eundem “Servum & ancillam ex Gentibus, quæ circum vos, emetis; & etiam *de filiis inquilinorum* peregrinantium cum vobis, de his emetis, & de familia illorum quæ vobiſcum, licet pepererint in terra veſtra, ut ſint vobis in poſſeſſionem, inque hæriditatem tranſmittatis eos filiis veſtris poſt vos, ad hæriditandum poſſeſſione, in æternum illis dominabimini” Levit: xxv: 44. 45. 46; per filios inquilinorum ſignificantur ſcientifica, quæ ex ſolo naturali lumine; quod ſpiritualia vera illis dominabuntur, ſignificatur per quod ſervi ex filiis inquilinorum emerentur poſſeſſione perpetua. Qui vero bonum faciunt propter mercedem in altera vita, qui etiam per Mercinarios ſignificantur, differunt ab illis, de

quibus

quibus nunc ſupra, quod pro fine habeant vitam & felicitatem in cœlo; ſed quia finis ille determinat & convertit cultum Divinum illorum a Domino ad ſe, ac inde ſibi ſolis bene volunt, at aliis modo quantum illi ſibi; & tunc amor ſui ineſt ſingulis, non autem amor proximi, ita non illis eſt genuina charitas: hi nec poſſunt conſociari Angelis, nam Angeli prorſus averſantur & nomen & ideam mercedis ſeu remunerationis: quod bene faciendum abſque fine mercedis, docet Dominus apud Lucam "*Amate inimicos veſtros*, & *benefacite*, atque mutuo date, *nihil inde ſperantes*, tunc erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi" VI: 32. ad 35. tum Cap: XIV: 12. 13. 14. De bonis meritoriis, qualia ſunt videatur, n. 1110. 1111. 1774. 1835. 1877. 2027. 2273. 2340. 2373. 2400. 3816. 4007. fin. 4175. 4943. 6388. 6389. 6390. 6392. 6393. 6478. Quod a Domino toties dicatur, quod, qui bonum faciunt, mercedem in cœlo habituri ſint, ut Matth: V: 11. 12. Cap: VI: 1. 2. 16. Cap: X: 41. 42. Cap: XX: 1. ad 17. Marc: XIV: 41. Luc: VI: 23. 35. Cap: XIV: 14. Johan: IV: 36, eſt quia homo antequam regeneratus eſt, non poſſit non cogitare de mercede; aliter vero cum regeneratus eſt, tunc indignatur ſi quis cogitat quod proximo benefaciat mercedis cauſa, nam jucundum & beatum ſentit in benefaciendo, non autem in remuneratione; quod merces in ſenſu interno ſit jucundum affectionis charitatis, videatur n. 3816. 3956. 6388. 6478.

8003. In domo una comedetur, quod ſignificet conſociationes bonorum convenientium ut faciant unum bonum, conſtat ex eo quod cœna paſchalis repræſentaverit conſociationes angelicas in cœlo, & quod unaquævis domus filiorum Iſraelis ſocietatem in particulari, videatur n. 7836. 7891. 7996. 7997. ſocietates angelicæ ſunt omnes inter ſe diſtinctæ ſecundum bona, & hoc in genere, in ſpecie & in particulari, n. 3241. 4625; conſociati ſunt qui in ſimili bono: quod hi unum bonum faciant, eſt quia omne unum non ab uno, ſed a pluribus, exiſtit; a pluribus enim variis ſed uſque convenientibus fit forma, quæ quod unum faciat per harmoniam, in cœlo per harmoniam ſpiritualem, quæ eſt bonorum amoris, videatur n. 3241. 3267. 3744. 3745. 3746. 3986. 4005. 4149. 5598. 7236. 7833. 7836: ex his patet, quod per in una domo comedetur, ſignificentur conſociationes bonorum convenientium ut faciant unum bonum ſimul, quod comedere nempe pæſach, ſit conſociari, ſeu eſſe cum illis, videatur ſupra n: 8001.

8004. Non educes e domo de carne foras, quod ſignificet bonum hoc non commiſcebitur bono alterius, conſtat ex ſignificatione educere e domo foras, quod ſit alteri dare ad comedendum, ita commiſcere cum alio bono quam quod eſt ſuæ ſocietatis; & ex ſignificatione carnis, quod ſit bonum, de qua n: 6968. 7850. Sunt enim ſocietates in cœlo diſtinctæ ſecundum functiones omnium membrorum, viſcerum & organorum in corpore, ut ad finem plurium Capitum oſtenſum eſt; functio cujuſvis membri, viſceris & organi per correſpondentiam ſe refert ad peculiare bonum, ab altero diſtinctum; ex inde patet, quod bona multiplicia ſint, & quod, ut ex illis diſtinctæ formæ exiſtant, quæ ſimul ſumtæ formam perfectiſſimam cœli conſtituent, nequa-

quam commiſcenda ſint, nam ſi commiſcerentur periret diſtinctio: hoc ſignificatur per quod non educerent e domo de carne foras.

8005. Et os non frangetis in illo, quod ſignificet ſcientificum verum quod etiam integrum erit, conſtat ex ſignificatione oſſis, quod ſit ultimum in quo terminantur interiora ut in ſua baſi, ut fulciuntur ne fiat divaricatio, tale ultimum in ſpiritualibus eſt ſcientificum, nam omnia vera & bona ſpiritualia defluunt ſecundum ordinem ad inferiora, & terminantur tandem in ſcientificis, ac ibi ſiſtunt ſe videnda homini: quod non frangetis, ſit quod integrum erit, patet. Scientificum dicitur integrum, cum non niſi quam vera, quæ concordant cum ſuo bono, in ſe admittit, nam ſcientificum eſt commune receptaculum. Præterea ſcientifica ſe habent ſicut oſſa in homine, ſi ea non integra ſunt, aut in ſuo ordine, ut cum luxata, aut cum diſtorta, forma corporis inde variatur, & ſecundum illam actiones. Scientifica vera ſunt doctrinalia.

8006. Omnis cœtus Iſraelis facient illud, quod ſignificet quod ea lex ordinis omnibus qui in bono veri & in vero boni, conſtat ex ſignificatione cœtus Iſraelis, quod ſint omnia vera & bona in uno complexu, n: 7830, ita qui in vero per quod bonum, & in bono per quod verum, n: 7956, proinde qui ab Eccleſia Spirituali. Quod omnes illi facerent pæſach, erat ut repræſentarent liberationem illorum qui ab Eccleſia Spirituali in inferiore terra uſque ad adventum Domini detenti ſunt, n: 6854. 6914. 7091 f. 7847. 7932; & per commeſſationem in una domo conſociationes Angelicas in cœlo, n: 7836. 7996. 7997, ita per quod totus cœtus Iſraelis faceret, totum cœlum. Illo tempore nullibi erat Eccleſia, ſed modo repreſentativum Eccleſiæ, ad quod aſſumti ſunt poſteri Abrahami ex Jacobo; per repræſentativa Eccleſiæ dabatur communicatio cum cœlo, ac per cœlum cum Domino; inde erat quod genti illi injunctum eſſet omnia ſtatuta & omnes leges ſtricte obſervare, imprimis ſtatuta de Pæſach, uſque adeo, ut qui mundus eſſet, & non faceret pæſach, exſcinderetur, Num. IX. 13.

8007. Et cum peregrinatur tecum peregrinus, quod ſignificet illos qui in vero & bono Eccleſiæ inſtructi ſunt, & receperunt illa, conſtat ex ſignificatione peregrini, quod ſint qui inſtruebantur, ac Eccleſiæ ſtatuta & leges recipiebant, de qua n: 2025. 4444. 7908; cum peregrinatur tecum dicitur, quia per peregrinari ſignificatur inſtrui & vivere, n: 1463. 3672; ita per peregrinos peregrinantes cum illis, ſignificantur non modo qui in vero & bono Eccleſiæ inſtruebantur, & recipiebant illa, ſed etiam qui vivebant ſecundum illa.

8008. Et faciat pæſach Jehovæ, quod ſignificet ſi velit una cum illis eſſe, conſtat ex ſignificatione facere pæſach Jehovæ, ſeu comedere illud, quod ſit una cum illis eſſe, de qua n: 8001.

8009. Circumcidetur illi omnis maſculus, quod ſignificet quod verum illius ab impuris amoribus defæcandum ſit, conſtat ex ſignificatione circumcidi, quod ſit purificari ſeu defæcari ab amoribus impuris, de qua n: 2039. 2056. 2632. 3412. 3413. 4462. 7045; & ex ſignificatione maſculi, quod ſit verum fidei, de qua n: 749. 2046. 4005. 7838.

8010.

8010. Et accedet ad faciendum illud, ſignificat quod tunc cum illis erit, ut ſupra n: 8008.

8011. Et erit ſicut indigena terræ, quod ſignificet quod acceptus ſicut ille qui in illo vero & bono, & purificatus ab amoribus ſpurcis, conſtat ex ſignificatione indigenæ terræ, quod ſit qui natus intra Eccleſiam, ac in ejus vero & bono eſt, conſequenter qui purificatus ab amoribus ſpurcis; indigena terræ dicitur, quia per terram ſignificatur Eccleſia; quod terra in Verbo ſit Eccleſia, videatur n: 566. 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 1607. 1733. 1850. 2117. 2118. 2571. 2928. 3355. 4447. 4535. 5577; quod terra ſit Eccleſia, eſt quia per terram in Verbo terra Canaan intelligitur, & per terram Canaan ſignificatur Regnum Domini ac Eccleſia, n: 1413. 1437. 1585. 1607. 1866. 3038. 3481. 3705. 3686. 4116. 4240. 4447, 4454. 4516, 4517. 5136. 5757. 6516: per omnem terram, quæ nominatur in Verbo, ab angelis non intelligitur terra, ſed gens quæ ibi, & cum gens, intelligitur quale gentis quoad ſpirituale ejus, hoc eſt, quoad id quod eſt Eccleſiæ: quod idea qualis gentis obveniat, cum nominatur terra, notum eſt, nam id fit etiam apud hominem, magis apud Angelos, qui ſpiritualiter de omni naturali cogitant.

8012. Et omnis præputiatus non comedet illud, quod ſignificet quod qui in amoribus ſui & mundi, non una eſſe poſſit, conſtat ex ſignificatione præputiati ſeu incircumciſi, quod ſit qui in amoribus ſui & mundi eſt, de qua n: 2056. 3412. 3413. 7045; & ex ſignificatione comedere illud, nempe pæſach, quod ſit eſſe cum illis, de qua ſupra n: 8001.

8013. Lex una erit indigenæ & peregrino peregrinanti in medio veſtrum, quod ſignificet quod qui inſtructus recepit Eccleſiæ verum & bonum, & vivit ſecundum illa, erit ſicut ille qui prius inſtructus intra Eccleſiam eſt, & præceptis fidei & charitatis, conformem vitam vivit, conſtat ex ſignificatione lex una erit, quod ſit ſimile jus, ita quod erit ſicut alter; ex ſignificatione indigenæ, quod ſit qui natus intra Eccleſiam, ac in ejus vero & bono eſt, quoad doctrinam & quoad vitam, de qua mox ſupra n: 8011; & ex ſignificatione peregrini peregrinantis in medio veſtrum, quod ſit qui inſtruitur in Eccleſiæ vero & bono, & recipit illa, & vivit ſecundum illa, de qua etiam ſupra n: 8007. Secundum præcepta *fidei* & *charitatis*, dicitur, ob differentiam; vita enim ante regenerationem eſt ſecundum præcepta fidei, at poſt regenerationem eſt ſecundum præcepta charitatis; ante regenerationem nemo ſcit quid charitas ex affectione; ſed ſolum ex doctrina, ſecundum hujus præcepta, quæ præcepta fidei vocantur, tunc vivitur, at poſt regenerationem ex affectione ſcitur quid charitas, nam amat tunc proximum, & illi ex corde vult bonum, & tunc vivitur ſecundum legem inſcriptam, nam agitur ex affectione charitatis; hic ſtatus prorſus differt a ſtatu priori; qui in primo ſtatu ſunt, in obſcuro ſunt quoad vera & bona fidei, at qui in hoc ſtatu ſunt, in claro ſunt reſpective; hi vident vera & confirmant illa ex illuſtratione, illi autem non vident vera & confirmant illa ex illuſtratione, ſed ex perſuaſione de doctrinalibus Eccleſiæ quod vera ſint; & quia non ex illuſtratione illa

 vident,

vident, æque poſſunt confirmare falſa ac vera, & poſtquam confirmata ſunt, vident illa prorſus ſicut vera: ex his conſtare poteſt, quid intelligitur per vivere ſecundum præcepta fidei; & quid per vivere ſecundum præcepta charitatis. Quod peregrinos attinet, in Verbo aliquoties mandatum eſt, ut non aliqua diſtinctio fieret inter indigenam terræ & peregrinum peregrinantem cum illis, ex cauſa, quia gentes, a quibus peregrini, æque recipiuntur in cœlum, ac illi qui intra Eccleſiam ſunt, poſtquam inſtructi receperunt vera fidei; de gentibus in altera vita, videatur n: 932. 1032. 1059. 2049. 2284. 2589 ad 2604. 2861. 2863. 3263. 4190. 4197; inde mandatum eſt, quod ſicut indigena ita peregrinus; ut apud Moſchen "*Quod ſi peregrinatus fuerit vobiſcum peregrinus*, qui fecerit ignitum odoris quietationis Jehovæ, quemadmodum facitis ſic faciet, quantum ad concionem, *ſtatutum unum vobis & peregrino peregrinanti*, ſtatutum æternitatis in generationes veſtras; *quales vos talis peregrinus coram Jehovah; lex una & judicium unum erit vobis, & peregrino peregrinanti vobiſcum*" Num: XV: 14. 15. 16. Apud Eundem "*Sicut indigena ex vobis, erit vobis peregrinus peregrinans vobiſcum*" Levit: XIX: 34. Apud Eundem "Judicium unum erit vobis, *quale peregrino tale indigenæ erit*" Levit: XXIV: 22. Apud Eundem "*Quando peregrinatus fuerit vobiſcum peregrinus*, faciet pæſach Jehovæ, juxta ſtatutum Pæſach, & juxta ſtatuta ejus ſic faciet; *ſtatutum unum erit vobis, tam peregrino quam indigenæ*" Num: IX: 14.

8014. Verſ: 50. 51: *Et fecerunt omnes filii Iſraelis, quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi & Aharoni, ita fecerunt. Et fuit in eodem die hoc, eduxit Jehovah filios Iſraelis e terra Ægypti, quoad exercitus illorum.* Et fecerunt omnes filii Iſraelis quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi & Aharoni, ſignificat actum obedientiæ ſecundum verum Divinum: ita fecerunt, ſignificat actum ex voluntate: & fuit in eodem die hoc, ſignificat ſtatum præſentiæ Domini: eduxit Jehovah filios Iſraelis e terra Ægypti, ſignificat quod Dominus liberaverit illos qui in bono veri & vero boni a damnatione: quoad exercitus illorum, ſignificat illos diſtinctos ſecundum quale boni a vero.

8015. Et fecerunt omnes filii Iſraelis quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi & Aharoni, quod ſignificet actum obedientiæ ſecundum Verum Divinum conſtat ex illis ſupra n: 7944, ubi ſimilia.

8016. Ita fecerunt, quod ſignificet actum ex voluntate, conſtat ex ſignificatione facere, cum iterato dicitur, quod ſit actus ex voluntate, ut ſupra n: 7945.

8017. Et fuit in eodem die hoc, quod ſignificet ſtatum præſentiæ Domini, conſtat ex ſignificatione diei, quod ſit tempus & ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 7680; quod ſit ſtatus præſentiæ Domini, eſt quia dies Pæſach erat, & per pæſach ſignificatur præſentia Domini, ac liberatio illorum qui ab Eccleſia ſpirituali a captivitate ſpirituali & a damnatione, n: 7867; quod tunc liberatio, ſignificatur per ſequentia in hoc Verſu, quod nempe "die illo Jehovah eduxerit filios Iſraelis e terra Ægypti quoad exercitus illorum;" quod hoc fuerit craſtino paſchatis, conſtat apud

apud Moſchen "Profecti ſunt ex Ægypto quinto decimo die menſis primi, craſtino paſchatis, in oculis omnium Ægyptiorum, Ægyptiis tunc ſepelientibus occiſos primogenitos" Numer: XXXIII: 3. 4. Quod præſentia Domini liberet illos qui in bono ſunt a damnatione, & inducat illos qui in malo ſunt in damnationem videatur n: 7926. 7989.

8018. Eduxit Jehovah filios Iſraelis e terra Ægypti, quod ſignificet quod Dominus liberaverit illos qui in bono veri & vero boni, a damnatione, conſtat a ſignificatione educere, quod ſit liberare; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ſeu quod idem, qui in bono veri & in vero boni, de qua ſupra n: 7956. 8006; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit damnatio; quod terra Ægypti hic ſit damnatio, eſt quia per ſtatum Ægyptiorum nunc ſignificatur damnatio, n: 7766. 7778: quod Dominus a damnatione liberaverit illos qui ab Eccleſia ſpirituali, hoc eſt, qui in bono veri & vero boni, videatur n: 6854. 6914. 7091 f. 7828, 7932. Liberatio illorum a Domino cum reſurrexit, ſignificatur per deſcenſum Domini ad inferos: ac manifeſtata eſt per exſuſcitationem mortuorum e monumentis, de qua apud Matthæum "Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora dormientium ſanctorum ſuſcitata ſunt, & exeuntes e monumentis ſuis poſt reſurrectionem Ipſius, ingreſſi ſunt in ſanctam urbem, ac apparuerunt multis" XXVII: 52. 53; egreſſio e monumentis, & ingreſſio in ſanctam urbem, tum apparitio, exſtiterunt in teſtificationem, quod a Domino liberati ſint, qui eo uſque detenti fuerunt in captivitate ſpirituali, ac quod introducti in cœlum; cœlum in ſenſu interno ſignificatur per ſanctam urbem; ideo dicitur ſancta urbs, cum tamen non ſancta ſed prophana fuit, cum Ipſum Dominum, qui in omnibus Eccleſiæ illorum ritualibus fuit repræſentatus, ac in Verbo apud illos deſcriptus, & ſic qui Deus Eccleſiæ illorum fuerat, tam crudeliter tractaverunt. Simile per hoc ſignificatur apud Danielem "In tempore hoc eripietur populus tuus, omnis qui invenietur ſcriptus in libro: denique multi de dormientibus in pulvere terræ evigilabunt, hi ad vitam æternam, reliqui vero in opprobria, in ignominiam æternam" XII: 1. 2. Et quoque per hoc apud Ezechielem "Propheta & dic, ſic dixit Dominus Jehovih, ecce Ego aperturus ſepulchra veſtra, & aſcendere faciam vos e ſepulchris veſtris, popule mi, ac deducam vos ſuper terram Iſraelis, ut cognoſcatis; quod Ego Jehovah, cum aperuero ſepulchra veſtra, & aſcendere fecero vos e ſepulchris veſtris, popule mi, & dedero ſpiritum meum in vobis, ut vivatis, & collocavero vos ſuper terra veſtra, ut cognoſcatis quod Ego Jehovah loquutus ſim, & fecerim, dictum Jehovæ," XXXVII: 12. 13. 14, per terram Iſraelis, ſeu per terram Canaanem intelligitur cœlum, n: 8011; per hæc apud prophetam deſcribitur nova creatio ſeu generatio hominis; & quoque vivificatio illorum, qui ab Eccleſia ſpirituali, a Domino.

8019 Quoad exercitus illorum, quod ſignificet illos diſtinctos ſecundum quale boni a vero, conſtat ex ſignificatione exercituum, quod ſint bona & vera, de qua ſupra n: 7988; quoad exercitus ſignificat quod illi qui per filios Iſ-

raelis

raelis repræſentantur, diſtincti eſſent ſecundum quale boni a vero: quod omnes in altera vita ſecundum bona diſtincti & conjuncti ſint, videatur n: 7833. 3836. 8003. Secundum quale boni a vero dicitur, quia omne bonum ſuum quale habet a vero, & inde variatur, n: 3804. 4149. 5345. 5355. 6917.

8920. Ex ſtatutis & legibus de eſu agni paſchalis, de quibus in hoc Capite, manifeſte patet, quod arcana cœleſtia ſint, quæ continentur & reconduntur in ſingulis, & quod abſque cognitione ex ſenſu interno nihil ſciatur quam mere rituale in forma externa, ac nihil cœleſte, minus Divinum; ſicut, cur pecus paſchalis eſſet Agnus vel hœdus; cur pecus maſcula eſſet, & filius anni; cur mactaretur quarto decimo die menſis; cur ſanguis inde ſpargeretur ſuper poſtes & ſuperliminare; cur comederetur aſſa igne, cum azymis ſuper amaroribus; & non de illa crudum aut coctum in aquis; cur aſſaretur caput ſuper cruribus & ſuper medio ejus; cur nihil de illa relinqueretur ad mane, & cur relictum combureretur igne; cur azyma comederent ſeptem diebus, & cur exſcinderetur comedens fermentatum; cur alienigena, inquilinus & mercenarius non comederent illud, ſed ſervus viri emtio argenti, ac peregrinus, ſi circumciderentur; cur in una domo comederetur, nec educeretur de carne foras; cur os non frangeretur in illa: quid hæc & perplura alia involvunt, & cur mandata ſunt, prorſus ignoraretur, niſi ſciantur leges ordinis in ſpirituali mundo, quibus correſpondent, & niſi ex ſenſu interno ſciatur quid ſingula in illo mundo, hoc eſt, in cœlo, ſignificant; & imprimis niſi credatur quod in omnibus inſit ſpirituale; niſi ineſſet omnibus & ſingulis ſpirituale, Angeli cum ab homine legitur, qui apud hominem, parum & vix aliquid ex Verbo, comprehenderent, nam Angeli omnia, quæ in Verbo narurali modo deſcripta ſunt, comprehendunt ſpiritualiter.

Continuatio de Spiritibus & Incolis Planetæ Jovis.

8021. *QUIDAM ex ſpiritibus Jovis, qui terrorem incutiunt per adventum, de quibus prius, appulit ad ſiniſtrum meum latus ſub ulna ac inde, loquebatur, ſed loquela ejus erat ſtridens, voces nec erant admodum diſcretæ ac inter ſe ſeparatæ, adeo ut diu expectare deberem, antequam colligerem ſenſum; & cum loquebatur, etiam interjiciebat aliquid terroris; dicebat, quod ita in ſua tellure fiat, & quod illi, antequam angeli illorum adveniunt, præmittantur ad hominem, ac eo modo præparent; monens ut etiam ego illos, cum veniunt, bene excipiam; ſed reſpondere datum eſt,*

eſt, quod hoc meum non ſit, ſed quod apud me excipiantur omnes ſicut ipſi ſunt.

8022. *Poſtea venerunt Angeli illius telluris, & dabatur percipere ex loquela mecum, quod prorſus different ab Angelis noſtræ telluris, loquela enim illorum non fiebat per voces, ſed per ideas, quæ ſe per interiora mea undequaque diffundebant, & inde quoque influxum habebant in faciem, ſic ut facies ad ſingula concurreret, incipiendo a labiis & pergendo verſus circumferentiam undequaque; ideæ, quæ loco vocum erant, diſcretæ erant, ſed perparum; dicebant quod ita cum ſuis in tellure ſua loquerentur, & quod ibi loquela quoque faciei ſit, incipiens a labiis.*

8023. *Poſtea loquebantur mecum per ideas adhuc minus diſcretas, adeo ut vix aliquid interſtitiale perciperetur, erat in mea perceptione ſicut ſenſus vocum apud illos qui ſolum ad ſenſum abſtracte a vocibus attendunt; hæc loquela mihi intelligibilior priori erat, & quoque erat plenior: influebat ſimiliter ac prior in faciem, ſed influxus erat ſecundum quale loquelæ magis continuus; verum non incepit ut prior a labiis, ſed ab oculis. Dicebant, quod etiam ita loquantur cum ſuis in ſua tellure, ſed cum illis ibi, qui præ reliquis gaudent interiori ſenſu ac apperceptione.*

8024. *Poſtea loquebantur adhuc continuius, & plenius; & tunc facies non potuit conveniente motione concurrere; ſed ſentiebatur influxus in Cerebrum, & quod illud tunc ſimiliter ageretur.*

8025. *Ultimo loquebantur ita, ut ſermo ſolum caderet in intellectum interiorem, erat volubilitas ejus ſicut auræ tenuis; ipſum influxum percipiebam, ſed non diſtincte ſingula: dicebant, quod etiam ſint in ſua tellure homines, cum quibus hac loquela loquuntur, & quod ſint illi qui poſt mortem immediate auferuntur in cœlum.*

8026. *Loquelæ hæc genera ſe habebant ſicut fluida, primum genus ſicut aqua fluens, alterum ſicut aqua tenuior, tertium ſicut atmoſphæra reſpective, & quartum ſicut aura tenuis.*

8027. *Spiritus qui a latere ſiniſtro erat, de quo ſupra, qandoque interloquebatur, imprimis monens ut cum Angelis ſuis modeſte agerem; erant enim ſpiritus ex noſtra tellure qui inferebant talia quæ diſplicerent; dicebat etiam quod non intellexerit quid angeli loquebantur, ſed quod poſtea, quando admotus auri meæ ſiniſtræ; tunc quoque ei loquela erat non ſtridens ut prius, ſed qualis eſt aliis ſpiritibus.*

8028.

8028. *Exinde conſtare potuit, quomodo ſe res habet ſecundum ordinem in cœlo, & inde in terrarum orbe, nempe cum venturi Angeli quod præmittatur ſpiritus, qui præparet viam, quodque is timorem incutiat, atque moneat, ut Angelos humaniter excipiant, & quod interloquatur, tum quod primum non intelligat quid Angeli loquuntur, ſed poſtea cum in meliorem ſtatum redactus eſt, quod intelligat; verbo quod jugiter adſit, ac animum præparet, ac avertere indigna conetur. Circa hæc obveniebat mihi cogitatio de Johanne Baptiſta, quod ſecundum ordinem cœli eſſet, ut is præmitteretur & annuntiaret adventum Domini, ac prepararet viam, ut digne reciperetur, ſecundum illa apud Matthæum Cap:* III: 3. *Luc:* I: 17. *Cap:* III: 4. *Johan:* I: 23.

8029. *Ex illis quæ aliquoties prius memorata ſunt de ſtatu hominis poſt mortem, conſtat, quod pauci ſint, qui, cum in alteram vitam veniunt, illico intrent cœlum, ſed quod infra cœlum commorentur, aliquo tempore, ut illa quæ ſunt amorum terreſtrium & corporeorum, quæ ſecum e mundo tulerunt, abſtergantur, & ſic præparentur ut in ſocietate cum angelis poſſint eſſe; ſimiliter fit cum hominibus omnium tellurum, nempe quod poſt deceſſum ſint primum infra cœlum inter ſpiritus, & poſtea, cum præparati, fiant angeli; datum eſt videre, cum ſpiritus illius telluris fiebant Angeli, apparuerunt Equi lucidi ſicut ignei, a quibus, ſimiliter ac Elias, auferebantur; Equi lucidi ſicut ignei ſignificant intellectum illuſtratum; quod equi in Verbo ſignificent intellectuale, videatur n:* 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6534; & *quod Equi ignei, & Currus ignei, qui auferebant Eliam, intellectum Verbi quoad ejus interiora, n:* 2762.

8030. *Cœlum hoc angelicum, ad quod auferuntur, eſt cœlum primum ſeu trium ultimum; hoc Cœlum apparet ad dextrum a tellure illorum, & prorſus ſeparatum eſt a Cœlo primo ſeu ultimo Angelorum qui e noſtra tellure: qui in illo cœlo ſunt, apparent induti cæruleo punctato aureis ſtellulis; credunt enim eum colorem eſſe ipſiſſimum cœleſtem; cum in mundo ſunt, & contemplantur cœlum ſtelliferum, vocant illud domicilium Angelorum, inde etiam color cæruleus ab illis amatur.*

8031. *Spiritus illius telluris prorſus non volunt in conſortio eſſe, cum ſpiritibus noſtræ telluris, quia differunt animis & moribus; dicunt enim quod ſpiritus noſtræ telluris ſint aſtuti, ac ad machinanda mala prompti & ingenioſi, & quod parum ſciant & cogitent de bono;*

tum

tum quod non ſicut illi agnoſcant unicum Dominum. Præterea ſpiritus telluris Jovis multo ſapientiores ſunt ſpiritibus noſtræ telluris, de quibus etiam dicunt, quod multa loquantur & parum cogitent, & ſic quod non multa poſſint interius percipere, & ne quidem quid bonum; concludunt inde, quod homines noſtræ telluris homines externi ſint.

8032. *Continuatio de ſpiritibus & incolis planetæ Jovis, ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Doctrina Charitatis.

8033. QUID Charitas & quid Fides apud hominem, nunc dicendum. Charitas eſt affectio interna, quæ conſiſtit in eo, quod ex corde velit proximo bonum facere, & quod id ſit jucundum vitæ ejus; & hoc abſque remuneratione.

8034. Fides autem eſt affectio interna, quæ conſiſtit in eo, quod ex corde ſcire velit quid verum & quid bonum, & hoc non propter doctrinam ut finem, ſed propter vitam: hæc affectio ſe conjungit cum affectione charitatis per id, quod facere velit ſecundum verum, ita ipſum Verum.

8035. Qui in genuina affectione charitatis & fidei ſunt, credunt quod nihil boni ex ſe velint, & quod nihil veri ex ſe intelligant, ſed quod voluntas boni & intellectus veri ſit a Domino.

8036. Hoc nunc eſt charitas, & hoc eſt Fides; qui in illis ſunt, in ſe habent Regnum Domini, & Cœlum; ac in illis eſt Eccleſia; & ſunt qui regenerati ſunt a Domino, & ab Ipſo acceperunt novam voluntatem & novum intellectum.

8037. Qui amorem ſui aut amorem mundi pro fine habent, nequaquam poſſunt in charitate & fide eſſe; qui in illis amoribus ſunt, ne quidem ſciunt quid charitas & quid fides, & prorſus non comprehendunt, quod velle bonum proximo abſque remuneratione ſit cœlum in homine, & quod illi affectioni inſit tanta felicitas, quanta eſt angelorum quæ ineffabilis; nam credunt, ſi privantur gaudio ex gloria honorum ac opum, quod nihil gaudii amplius detur, cum tamen tunc primum inchoat gaudium cœleſte, quod infinite tranſcendit.

CAPUT XIII.

1. ET loquutus eſt JEHOVAH ad Moſchen, dicendo.

2. Sanctifica Mihi primogenitum, aperturam omnis uteri, in filiis Iſraelis, in homine & in beſtia; Mihi illud.

3. Et dixit Moſcheh ad populum, memento diei hujus, quo exiviſtis ex Ægypto, e domo ſervorum, quia in robore manus eduxit JEHOVAH vos exhinc: & non comedetur fermentatum.

4. Hodie vos exitis, in menſe Abib.

5. Et erit, cum introduxerit te JEHOVAH ad terram Cananæi, & Chittæi, & Emorræi, & Chiviæ, & Jebuſæi, quam juravit patribus tuis ad dandum tibi, terram fluentem lacte & melle, & ſervies ſervitium hoc in menſe hoc.

6. Septem diebus comedes azyma, & in die ſeptimo feſtum JEHOVÆ.

7. Azyma comedetur ſeptem diebus, & non videbitur tibi fermentatum, & non videbitur tibi fermentum in omni termino tuo.

8. Et indicabis filio tuo in die iſto, dicendo, propter hoc fecit JEHOVAH mihi, in exire me ex Ægypto.

9. Et erit tibi in ſignum ſuper manu tua, & in memoriale inter oculos tuos, propterea ut ſit lex JEHOVÆ in ore tuo, quia manu robuſta eduxit te JEHOVAH ex Ægypto.

10. Et cuſtodies ſtatutum hoc ad ſtatum tempus, ab anno in annum.

11. Et erit cum introduxerit te JEHOVAH ad terram Cananæi, quemadmodum juravit tibi & patribus tuis, & dederit illam tibi.

12. Et tranſire facies omnem aperturam uteri, JEHOVÆ, & omnem aperturam fœtus beſtiæ, qui erit tibi maſculi, JEHOVÆ.

13. Et omnem aperturam aſini redimes in pecude, & ſi non redimis, & decollabis illud; & omnem primogenitum hominis in filiis tuis redimes.

14. Et erit quod interroget te filius tuus cras, dicendo, quid hoc, & dicas ad illum, in robore manus eduxit nos JEHOVAH ex Ægypto, e domo ſervorum,

15. Et erat quod induraverit Pharao ad dimittendum vos, & interfecit JEHOVAH omne primogenitum in terra Ægypti, a primigenito hominis & uſque ad primogenitum beſtiæ, propterea ego ſacrifico JEHOVÆ omnem aperturam uteri, maſculos, & omnem primogenitum filiorum meorum redimo.

16. Et erit in ſignum ſuper manu tua & ad frontalia inter oculos tuos, quia in robore manus eduxit nos JEHOVAH ex Ægypto.

17. Et fuit in dimittere Pharao populum, & non duxit illos DEUS via terræ Philiſtæorum, quia propinqua illa, quia dixit DEUS, forte pœnitebit populum in videre illos bellum, & revertentur Ægyptum.

18. Et circumduxit DEUS populum via deſerti mare Suph; & accincti aſcenderunt filii Iſraelis e terra Ægypti.

19. Et accepit Moſcheh oſſa Joſephi ſecum, quia adjurando adjuravit filios Iſraelis, dicendo, viſitando viſitabit DEUS vos, & aſcendere facietis oſſa mea exhinc vobiſcum.

20. Et profecti e Succoth, & caſtrametati in Etham, in fine deſerti.

21. Et JEHOVAH ibat ante illos interdiu in columna nubis, ad ducendum illos via, & noctu in columna ignis, ad illuminandum illos, ad eundum diu & noctu.

22. Non recedebat columna nubis interdiu, & columna ignis noctu, ante populum.

CONTENTA.

8038. AGITUR in hoc Capite in ſenſu interno de fide in Dominum, & de perpetua recordatione, quod ab Ipſo liberati ſint e damnatione: fides in Dominum ſignificatur per ſanctificationem primogenitorum; & perpetua recordatio liberationis a Domino, per celebrationem pæſach.

8039. In ſequentibus hujus Capitis, & poſtea, agitur de ulteriore præparatione illorum, qui ab Eccleſia ſpirituali, & ante adventum Domini in inferiore terra detenti ſunt, antequam introduci poſſent in cœlum; & quod propter illum finem, primo per mediam damnationem tuto tranſmitterentur, & dein quod ſubirent tentationes; jugiter præſente Domino: tranſmiſſio per mediam damnationem ſignificatur per tranſitionem per mare Suph; tentationes, per vitam in deſerto, ad quod ducebantur; ac præſentia Domini per columnam nubis interdiu, & ignis noctu.

SENSUS INTERNUS

8040. Verſ. 1. 2. *ET loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo. Sanctifica Mihi omne promigenitum, aperturam omnis uteri, in filiis Iſraelis, in homine & in beſtia, Mihi illud.* Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo, ſignificat informationem a Divino: ſanctifica Mihi omne primogenitum, ſignificat fidem, quod a Domino: aperturam omnis uteri, ſignificat quæ ex charitate: in filiis Iſraelis, ſignificat in Eccleſia ſpirituali: in homine & in beſtia, ſignificat bonum fidei interius & exterius: Mihi illud, ſignificat quod Domini ſit.

8041. Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo, quod ſignificet informationem a Divino, conſtat ex ſignificatione loqui & dicere, cum a Jehovah de obſervandis Eccleſiæ, quod ſit informatio, de qua n: 7769. 7793. 7825; & quia a Jehovah, eſt informatio a Divino; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum, de qua n: 6771. 7014. 7382; inde per loquutus Jehovah ad Moſchen, dicendo, ſignificatur informatio a Divino per Divinum Verum.

8042. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod ſignificet fidem, quod a Domino, conſtat ex ſignificatione ſanctificare Jehovæ ſeu Domino, quod ſic addicare Ipſi, hoc eſt, confiteri & agnoſcere quod ab Ipſo; & ex ſignificatione primogeniti, quod ſit fides, de qua n: 352. 2435. 6344. 7035. cum dicitur fides, intelligitur omne verum quod Eccleſiæ ſpirituali, & quia intelligitur omne Verum Eccleſiæ, etiam intelligitur ipſa Eccleſia ſpiritualis, nam hujus Eccleſiæ eſſentiale eſt verum; eſt quidem bonum eſſentiale Eccleſiæ, & eſt actualiter Primogenitus, n: 2435. 3325. 4925. 4926. 4928. 4930; ſed bonum, quod illis qui ab Eccleſia ſpirituali, in ſe eſt verum; cum enim agunt ſecundum Verum, quod doctrinæ illorum, tunc Verum appellatur bonum, tranſivit tunc ab intellectu in voluntatem, & a voluntate in actum, quod fit ex voluntate, hoc dicitur bonum: quod hoc bonum uſque in ſe & ſua eſſentia ſit verum, eſt quia illis doctrinalia Eccleſiæ ſunt Vera, & doctrinalia in Eccleſiis diſcrepant, proinde etiam Vera, & uſque tamen, licet tam varia ſunt, per velle illa & agere illa, fiunt bona, ut modo dictum eſt. Cum regeneratur homo, ducitur ille per fidem intellectu ſeu doctrina ad fidem voluntate ſeu vita, hoc eſt, per verum fidei ad bonum charitatis, cum homo in bono charitatis eſt, tunc regeneratus eſt; & tunc ex bono illo gignit vera, quæ vera boni vocantur; hæc vera ſunt, quæ ſunt ipſiſſima vera fidei, quæ per primogenita intelliguntur; ſe habent enim generationes ſeu nativitates verorum a bono, ſicut ſe habent generationes ſeu nativitates filiorum ac

filiarum.

filiarum a parente, & poſtmodum nepotum & neptum, dein pronepotum & proneptum, & ſic porro; prima ſeu immediata generatio aut nativitas, quæ eſt filiorum & filiarum, eſt quæ ſignificantur per primogenitum, quotcunque ſint, non autem altera & tertia, niſi reſpective ad ſuos parentes: quod illa ſanctificata ſint Jehovæ ſeu Domino, eſt quia omnia vera & bona derivativa ſeu deſcendentia trahunt ſuam eſſentiam a primitivis. In hoc ſpirituale fundatur jus primogenitorum de quo in Verbo.

8043. Aperturam omnis uteri, quod ſignificet quæ ex charitate, conſtat ex ſignificatione aperturæ uteri, quod ſit quod a regenerato immediate naſcitur, ita quod a charitate, ſecundum illa quæ mox ſupra n: 8043, dicta ſunt; nam qui e novo concipitur, venit quaſi iterum in uterum, & qui e novo naſcitur, exit quaſi iterum ex utero; ſed quod concipitur in utero, & naſcitur ex utero, non eſt homo quatenus homo, ſed eſt fides charitatis, hæc enim facit ſpirituale hominis, ita quaſi ipſum hominem é novo, nam ejus vita tunc inde eſt; ex his conſtare poteſt, quid per aperturam uteri in ſenſu ſpirituali intelligitur; angeli, qui in ſolis ideis ſpiritualibus ſunt, non aliud per illud intelligunt: quid uterus, tum quid eſſe in utero, & exire ex utero, videatur n: 3293 fin: 3294. 3967. 4904. 4918. 4931. 5052. 5054. 6433. Quia per uterum illa ſignificantur, ideo Dominus in Verbo vocatur Formator ab Utero, hoc eſt, Regenerator, ut apud Eſaiam "Sic dixit Jehovah, Factor tuus, & *Formator tuus ab utero*, adjuvat te; ne time, ſerve mi Jacob, & Jeſchurun quem elegi; quia effundam *aquam* ſuper ſitientem, & rivulos ſuper aridam; effundam *ſpiritum meum* ſuper ſemen tuum, & benedictionem ſuper natos tuos" XLIV: 2. 3. Dominus vocatur Factor & Formator ex utero, quia regenerat hominem, & ex naturali facit ſpiritualem; quia regeneratio fit per verum & bonum, ideo dicitur quod effundet *aquam* ſuper ſitientem, & *ſpiritum* ſuper ſemen ejus; per aquam enim ſignificatur Verum quod fidei, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 7307, & per ſpiritum bonum quod charitatis; ſimiliter ac per aquam & ſpiritum apud Johannem "Dixit Jeſus ad Nicodemum, amen, amen, dico tibi, niſi quis *generetur denuo*, non poteſt videre Regnum Dei: dixit ad Ipſum Nicodemus, quomodo poteſt homo generari cum ſenex eſt, *num poteſt in uterum matris ſuæ ſecundo venire*, reſpondit Jeſus, amen, amen, dico tibi, *niſi quis generatus fuerit ex aqua & ſpiritu*, non poteſt ingredi in Regnum Dei; quod natum eſt e carne caro eſt, ſed quod *generatum eſt ex ſpiritu*, *ſpiritus eſt*: tune es *magiſter* in Iſrael, & hoc non noſti" III: 3. 4. 56. 10. Dominus dicitur formator ab utero etiam alibi apud Eſaiam "Sic dixit Jehovah Redemptor tuus, & *Formator tuus ab utero*; Ego Jehovah faciens omnia, expandens cœlos ſolum, & extendens terram a Me Ipſo" XLIV: 24, per cœlos & terram intelligitur in communi ſenſu Eccleſia Interna & Externa, n: 82. 1411. 1753. 1850. 3355. 4535, & in particulari Eccleſiæ internum & externum apud hominem qui regeneratus eſt; & per expandere & extendere ſignificatur facere ſeu creare ex Divina potentia, n: 7673, inde Dominus ut Regenerator vocatur Factor & Creator, ac regeneratio vocatur nova creatio. Pariter apud Eundem "Attendite ad Me, domus Jacobi, & omnes reliquiæ domus Iſraelis, portati a ventre

ventre, *lati ab uetro*" XLVI: 3. Et apud Davidem "Super Te, Domino Jehovih, *impoſitus ſum ab utero*, e viſceribus matris meæ, *Tu eductor meus*, Tu laus mea jugiter" Pſalm: LXXI: 6. Ex his nunc patet, quid per aperturam uteri, & conſequenter quid per primogenitum in ſenſu interno ſignificatur.

8044. In filiis Iſraelis, quod ſignificet in Eccleſia ſpirituali, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 4286. 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223.

8045. In homine, & in beſtia, ſignificat bonum fidei interius & exterius, ut n: 4724. 7523.

8046. Mihi illud, quod ſignificet quod Domini ſit, conſtat ex eo quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6281. 6303. 6905. 6945. 6956, unde *Mihi illud* eſt quod ſit Domini: quod omne bonum & omne verum, ita charitas & fides, ſint a Domino, ac prorſus nihil ab homine, videatur n: 904 fin. 2411. 3142. 3147. 4151. 5482. 5649. 6193. 6325. 6466 ad 6495. 6613 ad 6626. 6982. 6985. 6996. 7004. 7055. 7056. 7058. 7270. 7343.

8247. Verſ: 3 ad 10. *Et dixit Moſcheh ad populum, memento diei hujus quo exiviſtis ab Ægypto, e domo ſervorum, quia in robore manus eduxit Jehovah vos exhinc: & non comedetur fermentatum. Hodie vos exitis, in menſe Abib. Et erit, cum introduxerit te Jehovah ad terram Cananæi, & Chittæi, & Emorræi, & Chivæi, & Jebuſæi, quam juravit patribus tuis ad dandum tibi, terram fluentem lacte & melle, & ſervies ſervitium hoc in menſe hoc. Septem diebus comedes azyma, & in die ſeptimo feſtum Jehovæ. Azyma comedetur ſeptem diebus, & non videbitur tibi fermentatum, & non videbitur tibi fermentum in omni termino tuo. Et indicabis filio tuo in die iſto, dicendo, propter hoc fecit Jehovah mihi, in exire me ex Ægypto. Et erit tibi in ſignum ſuper manu tua, & in memoriale inter oculos tuos, propterea ut ſit lex Jehovæ in ore tuo, quia manu robuſta eduxit te Jehovah ex Ægypto. Et cuſtodies ſtatutum hoc ad ſtatum tempus, ab anno in annum.* Et dixit Moſcheh ad populum, ſignificat inſtructionem per Verum Divinum: memento diei hujus, quo exiviſtis ab Ægypto, e domo ſervorum, ſignificat quod imprimis reminiſcendum illius ſtatus, in quo fuerunt cum liberati e captivitate ſpirituali a Domino: quia in robore manus eduxit Jehovah vos exhinc, ſignificat quod ex Divina potentia Domini liberati ſint: & non comedetur fermentatum, ſignificat quod non appropriabitur ullum falſificatum: hodie vos exitis, ſignificat liberationem in æternum: in menſe Abib, ſignificat principium ſtatus novi: & erit cum introduxerit te Jehovah ad terram Cananæi, & Chittæi, & Emorræi, & Chivæi, & Jebuſæi, ſignificat in regionem Cœli occupatam ab illis qui in malo & falſo quam juravit patribus tuis ad dandum tibi, ſignificat quæ ex Divino promiſſa illis qui in bono & vero: terram fluentem lacte & melle, ſignificat ubi lætitia & gaudium: & ſervies ſervitium hoc in menſe hoc, ſignificat cultum Domini perennem propter liberationem: ſeptem diebus comedes azyma, ſignificat purificationem a falſis: & in die ſeptimo feſtum Jehovæ, ſignificat ſanctum cultum Domini: azyma comedetur ſeptem diebus, ſigni-

ſignificat quod omnino purificandi a falſis: & non videbitur tibi fermentatum, ſignificat quod omnino non admittetur falſificatum: & non videbitur tibi fermentum, ſignificat quod nec quicquam falſum: in omni termino tuo, ſignificat quouſque ſe extendit verum quod ex bono: & indicabis filio tuo in die iſto, dicendo, ſignificat interiorem perceptionem veri quæ conſcientiæ: propter hoc fecit Jehovah mihi, in exire me ex Ægypto, ſignificat quod a Domino liberati ſint e captivitate ſpirituali & e damnatione: & erit tibi in ſignum ſuper manu tua, ſignificat quod erit in perpetuo voluntate: & in memoriale inter oculos tuos, ſignificat quod perpetuo in intellectu: ut ſit lex Jehovæ in ore tuo, ſignificat ut Divinum Verum in omni quod inde procedit: quia manu robuſta eduxit te Jehovah ex Ægypto, ſignificat quod ex potentia Divina liberati ſint: & cuſtodies ſtatutum hoc ad ſtatum tempus ab anno in annum, ſignificat quod illa lex ordinis in illo ſtatu jugiter.

8048. Et dixit Moſcheh ad populum, quod ſignificet inſtructionem per Verum Divinum, conſtat ex ſignificatione dicere, cum per Verum Divinum de obſervandis in Eccleſia, quod ſit inſtructio, de qua n: 7186. 7267. 7304. 7380. 7517; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum, de qua ſupra n: 8041.

8049. Memento diei hujus quo exiviſtis ex Ægypto, e domo ſervorum, quod ſignificet quod imprimis reminiſcendum illius ſtatus in quo fuerunt cum liberati e captivitate ſpirituali a Domino, conſtat ex ſignificatione memento, quod ſit reminiſcendum; ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962. 7680; ex ſignificatione exire, quod ſit liberari, nam per exitum filiorum Iſraelis ſignificatur liberatio illorum qui ab Eccleſia ſpirituali a Domino, de qua liberatione videatur n: 6854. 6914. 7091 fin: 7828. 7932. 8018; ex ſignificatione Ægypti, & domus ſervorum, quod ſit captivitas ſpiritualis, per Pharaonem enim & Ægyptios ſignificati ſunt qui in altera vita per falſa infeſtaverunt ſpirituales, n: 7097. 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228. 7317, inde per terram Ægypti ſignificata eſt infeſtatio, n: 7278, infeſtatio per falſa nec aliud eſt quam captivitas ſpiritualis, nam cum infeſtantur, tenentur ſicut captivi in falſis, a quibus liberari continue allaborant; inde quoque in Verbo dicti ſunt vincti in fovea, n: 6854; ſpiritualis illa captivitas eſt quæ etiam ſignificatur per domum ſervorum, quod ſervitium ſit impugnatio a falſis ſeu infeſtatio, videatur n: 7120. 7129.

8050. Quia in robore manus eduxit Jehovah vos exhinc, quod ſignificet quod ex Divina potentia Domini liberati ſint, conſtat ex ſignificatione roboris manus, quod ſit potentia, & cum dicitur de Jehovah, quod ſit omnipotentia; quod robur ſit potentia, patet, quod manus etiam ſit potentia, videatur n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544. 6947. 7188. 7189. 7518. 7673; & ex ſignificatione educere, quod ſit liberare; quod Jehovah ſit Dominus, videatur ſupra n: 8046.

8051. Et non comedetur fermentatum, quod ſignificet quod non appropriabitur ullum falſificatum, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit appropriare,

propriare, de qua n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745; & ex ſignificatione fermenti, quod ſit falſum, de qua n: 2342. 7906, inde fermentatum eſt falſificatum. Quod appropriationem falſi & falſificati attinet, ſciendum quod falſum & falſificatum non alicui approprietur ſicut falſum & falſificatum qui in bono eſt, & inde vult in vero eſſe, ſed illi qui in malo eſt, & inde non vult in vero eſſe; quod ei qui in bono eſt & inde vult in vero eſſe, non approprietur falſum ut falſum, eſt quia cogitat bene de Deo, de Regno Dei, deque vita ſpirituali, & inde applicat falſum ut non contra hæc ſit, ſed ut aliquo modo concordet, ita lenit illud, & aſperum ac durum ejus non venit in ideam: niſi hoc foret, vix aliquis ſalvari poſſet, nam falſa præ veris regnant: ſed ſciendum, quod qui in bono ſunt; etiam in amore veri ſint, quare cum in altera vita inſtruuntur ab Angelis, rejiciunt falſa, & acceptant vera, & hoc ſecundum gradum amoris veri, quem in mundo habuerunt.

8052. Hodie vos exitis, quod ſignificet liberationem in æternum, conſtat ex ſignificatione hodie, quod ſit æternum, de qua n: 2838. 3998. 4304. 6165. 6984; & ex ſignificatione exire, quod ſit liberari, ut ſupra n: 8049.

8053. In menſe abib, quod ſignificet principium ſtatus novi, conſtat ex ſignificatione menſis, quod ſit finis ſtatus prioris & principium ſeqentis, ita etiam ſtatus novus, de qua n: 3814; quod menſis Abib ſit principium a quo omnes ſtatus ſequentes, patet ab illis quæ de hoc menſe dicitur in Cap: præced: nempe " Menſis hic vobis caput menſium, primus hic vobis menſibus anni, Verſ: 2, videatur n: 7827. 7828.

8054. Et erit cum introduxerit te Jehovah ad terram Cananæi & Chittæi, & Emorræi & Chivæi & Jebuſæi, quod ſignificet regionem Cœli occupatam ab illis qui in malo & falſo, conſtat ex ſignificatione terræ Cananæi, & Chittæi, & Emorræi, & Chivæi, & Jebuſæi, quod ſit Cœlum, hic regio Cœli occupata ab illis qui in malo & falſo; quod terra Canaan ſit Regnum Domini in Cœlo, & in terra ſeu Eccleſia, videatur n: 1413. 1437. 1585. 1607. 1866. 3038. 3481. 3686. 3705. 4116. 4240. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. 5757. 6176; mala & falſa ſignificantur per gentes hic nominatas, malum ex falſo mali per Cananæum n: 4818; falſum ex quo malum per Chittæum, n: 2913; malum & inde falſum per Emorræum, n: 1857. 6306; idolatricum in quo aliquid boni per Chivæum, n: 6860, & idolatricum in quo aliquid veri, per Jebuſæum, n: 6860: quod regio Cœli, in quam venturi illi qui ab Eccleſia ſpirituali ante adventum Domini occupata fuerit a malis & falſis, videatur ſupra n: 6858. Quod hanc rem ulterius attinet, ſciendum quod ante adventum Domini Cœlum non diſtinctum fuerit in tres cœlos, nempe in intimum ſeu tertium, in medium ſeu ſecundum, ac in ultimum ſeu primum, ſicut poſt adventum Domini, ſed erat unum, Cœlum ſpirituale nondum erat, regio, ubi Cœlum ſpirituale futurum, occupata fuit ab illis qui in falſo & malo, ſed qui potuerunt teneri in aliquo vero & bono, per media externa, imprimis per ideas eminentiæ ac dignitatis, pariter ac fit in mundo, ibi qui in malo ſunt & in falſo, uſque obligantur, ut vera quaſi cogitent & loquantur, utque bona quaſi velint & faciant, per media externa,

 quæ

quæ ſunt honores & lucra: cauſa quod regio illa cœli a talibus tunc occupata fuerit, erat quia deerant boni, & qui ab Eccleſia ſpirituali, nondum erant præparati, & tamen ubivis a ſpiritibus impletum eſſe debuit, ut eſſet continuum a Domino uſque ad hominem, nam ſi diſcontinuum, periiſſet homo: ſunt etiam hodie regiones cœli aliquæ a talibus occupatæ, at illi qui ibi vi forti detenentur a malis faciendis; immediate ſupra caput ſunt qui per innocentiam fallunt & ſeducunt, ſed ſupra illos ſunt cœleſtes ab Antiquiſſima Eccleſia, qui illos tenent in vinculis tali vi, ut nequaquam poſſint allicui malum inferre; poſt occipitium eſt quoque hodie regio, quæ fuerat cœli, occupata a malis; & quoque antrorſum verſus ſiniſtrum: malorum etiam conatus continuus eſt invadendi loca ubi boni, & actualiter invadunt, ut primum a bonis non impleta ſunt, conatum illum ſæpius appercipere datum eſt: regiones illæ occupantur, cum in mundo augentur mali, ac dimunuuntur boni, nam tunc ad hominem accedunt ſpiritus mali, & ab illo recedunt ſpiritus boni, & quantum hi recedunt, tantum regiones proximæ ad hominem occupantur a malis, quum hoc fit in communi, incolæ regionum illarum permutantur: hoc fit cum Eccleſia prope ſuum finem eſt, nam tunc regnat malum & falſum: ſed circa finem Eccleſiæ, dejiciuntur illi, & regiones occupatæ dantur bonis, qui interea ad cœlum præparati ſunt: hoc intelligitur per hæc apud Johannem, "Factum eſt bellum *in Cœlo*, Michael & Angeli ejus pugnarunt contra draconem, & draco pugnavit, ac Angeli ejus, ſed non prævaluerunt, *neque locus inventus eſt illorum amplius in cœlo*," XII: 7. 8. Hic ſtatus cœli repræſentatus eſt per terram Canaanem, quod gentes illam occupaverint, & per filios Iſraelis, quod illas inde ejecerint; per terram, enim Canaan ſignificatur Regnum Domini, ita Cœlum & Eccleſia, ut ex locis ſupra citatis videri poteſt.

8055. Quam juravit patribus tuis ad dandum tibi, quod *ſignificet quæ ex* Divino promiſſa illis qui in bono & vero, conſtat ex ſignificatione jurare, cum a Jehovah, quod ſit confirmatio a Divino irrevocabilis, n: 2842, 3375; inde jurare ad dandum eſt promiſſio; & ex ſignificatione patrum, quod ſint qui in bono & vero; per patres enim, cum de Eccleſia agitur, ſignificantur Antiqui, ſeu antiquæ Eccleſiæ, quæ in *bono* et vero, n: 6050. 6075. 6589. 6876. 6884. 7648.

8056. Terram fluentem lacte & melle, quod ſignificet ubi lætitia & gaudium, conſtat ex ſignificatione terræ fluentis lacte & melle, quod ſit amænum & jucundum, de qua n: 5620. 6857, ita lætitia & gaudium. Lætitia & gaudium dicitur quia in Verbo lætitia prædicatur de vero, & gaudium de bono, ſimiliter amænum & jucundum, etiam lac prædicatur de vero boni, & mel de bono veri.

8057. Et ſervies ſervitium hoc in menſe hoc, quod ſignificet cultum Domini perennem propter liberationem, conſtat ex ſignificatione ſervitii, quod ſit cultus, ut n: 7934; & ex ſignificatione menſis, quod ſit finis ſtatus prioris et principium novi; ac menſis abib, quod ſit principium a quo omnes ſtatus ſequentes, de qua n: 8053; inde quoque per menſem ſignificatur perenne.

8058. Septem diebus comedes azyma, quod ſignificet purificationem a falſis conſtat ex ſignificatione ſeptem dierum, quod involvat ſanctum, de qua n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268, & quod ſit ſtatus plenus, n: 6508; & ex ſignificatione comedere azyma, quod ſit appropriatio veri, ac purificatio a falſo, azymum enim eſt bonum purificatum a falſo, & comedere eſt appropriatio, n: 368. 3513. 3596. 3832. 4745; quod azymum ſit bonum purificatum a falſo, eſt quia panis eſt bonum, & fermentum eſt falſum.

8059. Et in die ſeptimo feſtum Jehovæ, quod ſignificat ſanctum cultum Domini, conſtat ex ſignificatione diei ſeptimi, quod ſit ſtatus ſanctus, quod dies ſit ſtatus, videatur n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 5672. 5962, & quod ſeptem ſint ſanctum, n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268; & ex ſignificatione feſti Jehovæ, quod ſit cultus Domini, quod feſtum ſit cultus ex læto animo, videatur n: 7093; quodque Jehova ſit Dominus n: 8046.

8060. Azyma comedetur ſeptem diebus, quod ſignificet quod omnino purificandi a falſis, conſtat ex ſignificatione comedere azyma, quod ſit appropriare bonum purificatum a falſis, ut mox ſupra n: 8058; hoc quia iterum dicitur, ſignificat quod omnino hoc fiet; & ex ſignificatione ſeptem dierum, quod ſit ſanctum, & quoque ſtatus plenus, de qua ſupra n: 8058.

8061. Et non videbitur tibi fermentatum, quod ſignificet quod omnino non admittetur falſificatum, nempe ut approprietur, ſecundum illa quæ ſupra n: 8351, explicata ſunt; quod omnino hoc fiet, ſignificatur per quod iterum dicatur.

8062. Et non videbitur tibi fermentum, quod ſignificet quod nec quicquam falſum, conſtat ex ſignificatione fermenti, quod ſit falſum, de qua n: 7906; falſificatum quod ſignificatur per fermentatum & falſum quod ſignificatur per fermentum, differunt in eo, quod falſificatum ſit verum applicatum ad confirmandum malum, & falſum eſt omne quod contra verum eſt.

8063. In omni termino tuo, quod ſignificet quouſque ſe extendit verum quod ex bono, conſtat ex ſignificatione termini, quod ſit extenſio veri a bono, omne enim verum ſuam extenſionem habet, quæ extenſio quandoque manifeſtatur per ſphæram; & quia habet extenſionem, habet ſuos terminos; ſphæra extenſionis veri eſt ſecundum quale & quantum boni; eſt enim bonum ſicut flamma, ac verum ſicut lux: ſphæra extenſionis in ſpirituali mundo eſt ad ſocietates quæ circumcirca, quouſque ibi ſe extendit ſphæra, eo uſque eſt communicatio, de hoc videatur n: 6598 ad 6613. Secundum ſphæram extenſionis in cœlo eſt cuivis intelligentia & ſapientia, & eſt felicitas, nempe ſecundum quantum & ſimul quale ejus. Ex his conſtare poteſt, quid per in omni termino in ſenſu ſpirituali ſignificatur, hic quod in bono non aliquid falſum; falſa enim ſunt extra ſphæram, nam excipiunt ubi vera deſinunt, at ſi intrant ſphæram, tunc adpropriantur; quod non intrabunt, ſignificatur per quod non videbitur tibi fermentatum aut fermentum in omni termino tuo.

8064. Et indicabis filio tuo in die iſto, dicendo, quod ſignificet interi-

orem perceptionem, quæ conſcientiæ, conſtat ex illis quæ 7935 explicata ſunt, ubi ſimilia.

8065. Propter hoc fecit Jehovah mihi in exire me ex Ægypto, quod ſignificet quod a Domino liberati ſint e captivitate ſpirituali & e damnatione, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit liberari; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit captivitas ſpiritualis, & damnatio, de quibus ſupra n: 8049.

8066. Et erit tibi in ſignum ſuper manu tua, quod ſignificet quod erit perpetuo in voluntate, conſtat ex ſignificatione ſigni, quod ſit perpetua recordatio, nam quod ſigno eſt & quod memoriali, hoc propter perpetuam reminiſcentiam eſt; quod ſignum ſuper manu eſſet, erat ut quoties moverent manum, ſeu facerent aliquid, ejus reminiſcerentur, & quod ut memoriale inter oculos eſſet, erat ut quoties intuerentur aliquid, ejus reminiſcerentur; & ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327, 5328. 5544. 6292. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. 7673, hic voluntas, quia omnis actio & potentia actionis, quæ fit per manum, procedit a voluntate.

8067. Et in memoriale inter oculos, quod ſignificet quod perpetuo in intellectu, conſtat ex ſignificatione memorialis, quod etiam ſit perpetua recordatio; memoriale dicitur, quia hoc in Verbo prædicatur de intellectuali, at ſignum de voluntario; & ex ſignificatione oculorum, quod ſint intellectus, de qua n: 2701. 3820. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534, inde per memoriale inter oculos, ſignificatur quod perpetuo erit in intellectu, hoc eſt, in cogitatione. Quomodo intelligendum, quod perpetuo erit in intellectu & perpetuo in voluntate, paucis dicetur; quæ apud hominem per fidem & charitatem impreſſa ſunt, ſeu quæ homo plane credit & amat, hæc perpetuo ſunt in ejus cogitatione & voluntate, cogitat enim illa & vult illa tametſi in ideis & in negotiis de aliis rebus eſt, & autumat quod illa in mente tunc non adſint, ibi enim ſunt inter alia, quæ conſtituunt quale mentis; quod ita ſit, patet manifeſte a ſphæra ſpirituali, quæ circum ſpiritum ſeu angelum eſt, cum enim appropinquat, ex ſphæra illa cognoſcitur illico, qua fide & qua charitate eſt, ac plura quæ ei cordi ſunt, tametſi ille de iis tunc nihil cogitat: ſunt talia, quæ vitam mentis cujuſvis conſtituunt, & ſe tenent perpetuo ibi: illuſtrari hæc poſſent a perpluribus apud hominem, ſicut a reflexionibus variis, ab affectionibus, aque actionibus ab infantia impreſſis, & ſimilibus, quæ jugiter adſunt & regunt, etiamſi nihil de eo manifeſte cogitatur: ita ſe habet cum amore in proximum, cum amore in Deum, cum amore boni & veri, cum fide, qui in illis ſunt, perpetuo volunt illa ac cogitant illa, nam inſunt, & cum inſunt, dicuntur univerſaliter regnantia, videatur, n: 6159. 6571. 7648.

8068. Ut ſit lex Jehovæ in ore tuo, quod ſignificet ut Divinum Verum ſit in omni quod inde procedit, conſtat ex ſignificatione legis Jehovæ, quod ſit Divinum Verum, de qua n: 7462; & ex ſignificatione eſſe in ore, quod ſit in omni quod inde procedit, hoc eſt, ex intellectu & voluntate; in ore enim eſt in ſermone, & in ſermone ineſt utrumque mentis, tam ejus intellectuale quam voluntarium, intellectuale in ſenſu vocum & rerum, voluntarium

tarium

tarium in affectione, quæ dat vitam ſermoni.

8069. Quia manu robuſta eduxit te Jehovah ex Ægypto, quod ſignificet quod ex potentia Divina liberati ſint, conſtat ex ſignificatione manus robuſtæ Jehovæ, quod ſit Divina potentia Domini; & ex ſignificatione educere, quod ſit liberare, de quibus ſupra n: 8050.

8070. Et cuſtodies ſtatutum hoc ad ſtatum tempus ab anno in annum, quod ſignificet quod illa lex ordinis in illo ſtatu jugiter, conſtat ex ſignificatione ſtatuti, quod ſit lex ordinis, de qua n: 7884. 7995; ex ſignificatione temporis, quod ſit ſtatus, de qua n: 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3404. 3827. 3938. 4814. 4882. 4901. 4916. 6110. 7381, inde ad ſtatum tempus eſt in illo ſtatu, & a ſignificatione anni, quod ſit integra periodus a principio ad finem, de qua n: 2906, ita ab anno ad annum, eſt jugiter.

8071. Verſ: 11 ad 16. *Et erit cum introduxerit te Jehovah ad terram Cananæi, quemadmodum juravit tibi & patribus tuis, & dederit illam tibi. Et tranſire facies omnem aperturam uteri, Jehovæ, & omnem aperturam fœtus beſtiæ, qui erit tibi maſculi, Jehovæ. Et omnem aperturam aſini redimes in pecude, & ſi non redimis, & decollabis illud; & omnem primogenitum hominis in filiis tuis redimes. Et erit, quod interrogat te filius tuus cras, dicendo, quid hoc, & dicas ad illum, in robore manus eduxit nos Jehovah ex Ægypto e domo ſervorum. Et erat quod induraverit Pharao ad dimittendum nos, & interfecit Jehovah omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito hominis, & uſque ad primogenitum beſtiæ, propterea ego ſacrifico Jehovæ omnem aperturam uteri, maſculos, & omnem primogenitum filiorum meorum redimo. Et erit in ſignum ſuper manu tua, & ad frontalia inter oculos tuos, quia in robore manus eduxit nos Jehovah ex Ægypto.* Et erit cum introduxerit te Jehovah ad terram Cananæi, ſignificat regionem cœli occupatam ab illis qui in malo & falſo: quemadmodum juravit tibi & patribus tuis, & dederit illam tibi, ſignificat quæ ex Divino promiſſa illis qui in bono & vero: & tranſire facies omnem aperturam uteri Jehovæ, ſignificat fidem charitatis quæ regenerationis, quod Domini: & omnem aperturam fœtus beſtiæ, ſignificat omnem charitatem quæ novæ generationis: qui erit tibi maſculi, ſignificat quæ veri fidei: Jehovæ, ſignificat quod Domini ſit: & omnem aperturam aſini redimes in pecude, ſignificat quod fides mere naturalis non addicabitur Domino, ſed verum innocentiæ quod inibi: & ſi non redimis, & decollabis illud, ſignificat ſi non inibi bonum innocentiæ, quod ſeparanda & ejicienda: & omnem primogenitum hominis in filiis tuis redimes, ſignificat quod vera fidei non addicanda ſint Domino, ſed bona ejus: & erit quod interroget te filius tuus, ſignificat perceptionem ex vero quod conſcientiæ; cras, ſignificat ſemper cum ſit: quid hoc, ſignificat inquiſitionem cur ita: & dicas ad illum, ſignificat reſponſum: in robore manus eduxit nos Jehovah ex Ægypto e domo ſervorum, ſignificat quod ex Divina Domini potentia liberati ſint e capivitate ſpirituali: & erat quod induraverit Pharao ad dimittendum nos, ſignificat cum obſtinarent ſe qui per falſa infeſtabant, ne liberarentur: & interfecit Jehovah omnem primogenitum in terra Ægypti, ſignificat quod damnati omnes qui in fide ſeparata a charitate:

charitate: a primogenito hominis & uſque ad primogenitum beſtiæ, ſignificat falſum fidei ſeparate interius & exterius: propterea ego ſacrifico Jehovæ omnem aperturam uteri maſculos, ſignificat quod ideo addicanda Domino fides charitatis, quæ novæ generationis: & omnem primogenitum filiorum meorum redimo, ſignificat, quod vera fidei non addicanda ſint Domino, ſed bona ejus: & erit in ſignum ſuper manu, ſignificat quod erit perpetuo in voluntate: & ad frontalia inter oculos, ſignificat quod perpetuo in intellectu: quia in robore manus eduxit nos Jehovah de Ægypto, ſignificat quod ex Divina potentia Domini liberati ſint.

8072. Et erit cum introduxerit te Jehovah ad terram Cananæi, quod ſignificet regionem cœli occupatam ab illis qui in malo & falſo, conſtat ab illis quæ ſupra n: 8054 memorata ſunt.

8073. Quemadmodum juravit tibi & patribus tuis, & dederit tibi, quod ſignificet quæ ex Divino promiſſa illis qui in bono & vero, conſtat ab illis ſupra n: 8055, ubi ſimilia.

8074. Et tranſire facies omnem aperturam uteri Jehovæ, quod ſignificet fidem charitatis quæ regenerationis, quod Domini, conſtat ex ſignificatione tranſire facere, quod ſit addicare, ſimiliter ac ſanctificare ſupra n: 8042, & ſacrificare infra n: 8088; & ex ſignificatione aperturæ uteri, quod ſit fides ex charitate, quæ eſt regenerati, de qua ſupra n: 8042. 8043; quod Jehovah ſit Dominus, videatur n: 8046.

8075. Et omnem aperturam fætus beſtiæ, quod ſignificet omnem charitatem quæ novæ generationis, conſtat ex ſignificatione aperturæ uteri, quod ſit fides ex charitate quæ novæ generationis, de qua n: 8043; & ex ſignificatione fætus beſtiæ, quod ſit affectio boni, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776. 1823. 2179. 2180. 3218. 3519. 5198, ita bonum charitatis.

8076. Qui erit tibi maſculi, quod ſignificet quæ veri fidei, conſtat ex ſignificatione maſculi, quod ſit verum fidei, de qua n: 2046. 4005. 7838.

8077. Jehovæ, quod ſignificet quod Domini ſit, nam per Jehovam in Verbo non alius intelligitur quam Dominus videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6303. 6281. 6905. 6945. 6956. Quæ in binis his Verſibus continentur, non ulterius explicantur, quia prius ad Verſ: 2. hujus Capitis, n: 8042. 8043. 8044. 8045, explicata ſunt.

8078. Et omnem aperturam aſini redimes in pecude, quod ſignificet quod fides mere naturalis non addicabitur Domino, ſed verum innocentiæ quod inibi, conſtat ex ſignificatione aperturæ, quod ſit quod primum naſcitur a regenerato, ſeu primogenitum, ita fides; quod primogenitum ſit fides, hactenus oſtenſum eſt; ex ſignificatione aſini, quod ſit naturale, per aſinum enim ſignificatur ſcientificum, n: 5492. 5791; tum ſervitium, n: 5958. 6389, ita quoque naturale, nam ſcientifica ſunt naturalis, ac naturale reſpective ad ſpirituale eſt ſervitium; inde nunc per aperturam aſini ſignificatur fides mere naturalis, de qua ſequitur; ex ſignificatione redimere, quod ſit loco ejus aliud dare; quod redimere id ſignificet, patet a ſenſu pleno verborum, qui eſt horum "aperturam aſini *non tranſire facies Jehovæ*, ſed redimes

pro

pro pecude: " quod tranſire facere Jehovæ, ſit addicare Domino, ſimiliter ac ſanctificare & ſacrificare, videatur mox ſupra n: 8074, ita non tranſire facere ſed redimere, eſt non addicare, ſed loco ejus aliud dare: & ex ſignificatione pecudis; quod ſit verum innocentiæ; quod pecus ſit verum innocentiæ, eſt quia per pecudem intelligitur agnus vel hœdus, & per hos ſignificatur innocentia, n: 3519. 3994. 7840, hic verum innocentiæ, quia non agnus ſeu hœdus ſed pecus dicitur: ex his patet, quod per omnem aperturam aſini redimes in pecude, ſignificetur quod fides mere naturalis non addicanda ſit Domino, ſed verum innocentiæ quod inibi. Fides mere naturalis eſt fides quæ inſinuatur per viam externam, & non internam, ſicut fides ſenſualis, quæ eſt cum creditur quod ita ſit, quia oculus vidit, & manus tetigit, hæc fides eſt, de qua Dominus ad Thomam "Quia vidiſti, Thoma, credidiſti, beati qui non vident, & credunt" Johan: xx: 29; tum ſicut fides miraculorum, quæ eſt cum creditur quod ita ſit, ſolum ex miraculis, de qua fide videatur n: 7290: ut & fides auctoritatis, quæ eſt cum creditur quod ita ſit, quia alius, cui fides habetur, dixerat: fides autem ſpiritualis, eſt quæ inſinuatur per viam internam & ſimul externam, inſinuatio per viam internam facit ut credatur, & tunc quod inſinuatur per viam externam facit ut confirmetur; ſpirituale fidei eſt affectio charitatis, & inde affectio veri propter uſum bonum ac propter vitam; hæc faciunt ut fides ſpiritualis ſit: inſinuatio fidei per viam internam, fit per lectionem Verbi, & tunc per illuſtrationem a Domino, quæ datur ſecundum affectionis quale, hoc eſt, ſecundum finem ſciendi verum. Ex his nunc conſtare poteſt, quid fides mere naturalis, & quod illa fides, quia non eſt ſpiritualis, non poſſit addicari Domino, hoc eſt, agnoſci & credi quod ſit a Domino, nam Dominus per affectionem veri & boni influit; quod fides ſit affectio interna, videatur n: 8034. Verum innocentiæ, quod poteſt ineſſe iſti fidei, & acceptari a Domino, eſt quod creditur ita eſſe ex innocentia. Ex his nunc patet, quomodo intelligendum, quod fides mere naturalis non addicabitur Domino, ſed verum innocentiæ, quod inibi.

8079. Et ſi non redimis, & decollabis illud, quod ſignificet ſi non inibi verum innocentiæ, quod ſeparanda & ejicienda, conſtat ex ſignificatione non redimere, quod ſit non addicare Domino, ſed loco ejus aliud dare, ut nunc ſupra n: 8078; & ex ſignificatione decollare, quod ſit ſeparare & ejicere; quod decollare id ſit, eſt quia collum ſignificat conjunctionem interiorum cum exterioribus, n: 3542. 3603. 3695. 3725. 5320. 5328. 5926. 6033, ita decollatio ſeparationem & ejectionem, nempe fidei mere naturalis, ſi non inibi verum innocentiæ.

8080. Et omnem primogenitum in filiis tuis redimes, quod ſignificet quod vera fidei non addicanda ſint Domino, ſed bona ejus, conſtat ex ſignificatione primogeniti, quod ſit fides, de qua n: 352. 2435. 6344. 7035. 8042; ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; & ex ſignificatione redimere, quod ſit loco ejus aliud dare, ut ſupra n: 8077. 8078; quod ſit quod non addicanda, ſequitur ex ſenſu pleno, qui horum verborum eſt "Et omnem primogenitum hominis in filiis

tuis

tuis *non tranſire facies*, hoc eſt, *non ſacrificabis*, ſed redimes;" non tranſire facere eſt non addicare, ut ſupra n: 8077. 8078: ex his patet, quod per omnem primogenitum hominis in filiis tuis redimes, ſignificetur quod vera fidei non addicanda ſint Domino, ſed loco illorum aliud; quod hoc aliud ſit bonum fidei conſtare poteſt ex eo, quod per primogenitum in genere ſignificetur bonum fidei, ut ſupra n: 8042. 8043, at cum dicitur primogenitum hominis in filiis ejus, quod ſit verum fidei; nam fidei eſt verum & eſt bonum. Quod fidei bonum ſeu charitas ſit hoc aliud, quod pro veris fidei addicandum ſit Domino, etiam conſtare poteſt ex eo, quod primogeniti filiorum Iſraelis non acceptati ſint, ſed loco illorum Levitæ, & hoc ob cauſam quia per Levi repræſentatum eſt bonum fidei ſeu charitas, n: 3875. 4497. 4502. 4503; quod Tribus Levi acceptata ſit loco omnium primogenitorum, videatur n: III: 12. 13. 40 ad fin: Cap: VIII: 16. 17. 18: quod bonum fidei ſit hoc aliud quod addicandum Domino, etiam conſtare poteſt ex eo, quod fides non ſit fides abſque charitate, n: 654. 724. 1162. 1176. 2231. 2340. 2349. 2419. 2839. 2982. 3146. 3325. 3849. 3865. 4368. 5351. 7039. 7082. 7083. 7084. 7342 fin: 7950; tum ex eo, quod bonum fidei actualiter primo loco ſit, at verum fidei modo apparenter, n: 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4925. 4926. 4928. 4930. 4977. 5351. 6256. 6269. 6272. 6273; ita quod charitas ſit primogenitum, n: 3325. 3494. 4925. 4926. 4928. 4930. Quod Verum fidei in ſe ſpectatum abſque bono ejus, non addicandum ſit Domino, hoc eſt, dandum Ipſi, ſeu agnoſcendum quod ab Ipſo, eſt, quia omne verum fidei nullam in ſe vitam habet, priuſquam ſit bonum fidei; & verum fidei ſit bonum fidei per velle illud, & facere illud, n: 7835, cum itaque ſit bonum fidei, tunc agnoſcitur a Domino quod ſit Ipſius, nam Dominus dat fidem mediate per bonum ejus: omne etiam verum fidei apud hominem Eccleſiæ ſpiritualis ſit bonum fidei, cum ille regeneratur; ac tunc primum ſit Domini. Lex de redemptione primogenitorum hominis lata eſt ob finem, ne ſacrificarent filios ſuos, quod in uſum venit apud gentiles, apud quos ſtatuta Eccleſiæ Antiquæ, quæ Eccleſia repræſentativa fuit, remanſerunt, ſed temporis ſucceſſu plane adulterata quod primogeniti ſanctificandi eſſent Deo, ex ſtatutis Eccleſiæ antiquæ fuit, ſed per ſanctificationem intelligere cæperunt ſacrificationem; ad ſimile faciendum inclinaverunt quoque poſteri Jacobi, quapropter lex illa coram illis explicata eſt, & ne id fieret loco primogenitorum aſſumti ſunt Levitæ, ut dictum eſt; lex illa explicata eſt ſecundum ſenſum ejus correſpondentem in ſpirituali mundo, qui eſt quod vera fidei non ſancta ſint, ita nec ſanctificanda ſeu addicanda, ſed bona fidei: ſanctificatio etiam dein ita intellecta fuit, quod darent ſeu ſiſterent primogenitum Jehovæ, & offerrent ſacrificium pro illo, ſecundum hæc apud Lucam "Quum impleti ſunt dies purificationis illorum, juxta legem Moſchis, deduxerunt Jeſum in Hieroſolymam, *ut ſiſterent Domino*, quemadmodum ſcriptum eſt in Lege Domini, quod omnis maſculus aperiens uterum, *Sanctum Domino* vocandus eſſet, & ut darent ſacrificium" II: 22. 23. 24.

8081.

8081. Et erit quod interroget te filius tuus, quod ſignificet perceptionem ex vero quod conſcientiæ, conſtat ex ſignificatione interrogare, quod ſit cognitio ex perceptione, de qua n: 5597. 5800. 6250; & ex ſignificatione filii, quod ſit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 3373; quod ſit perceptio ex vero quod conſcientiæ, patet ex illis, quæ n: 7935, explicata ſunt, ubi ſimilia. Ex vero quod conſcientiæ dicitur, quia conſcientia illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, eſt conſcientia veri, nam comparatur ex doctrinalibus Eccleſiæ, quæ creduntur vera, ſive vera ſint ſive non vera; ſed tunc fiunt conſcientiæ, cum quoque fiuntnon vitæ.

8082. Cras, quod ſignificet ſemper cum ſit, conſtat ex ſignificatione cras ſeu craſtini diei, quod ſit æternum, de qua n: 3998, ita quoque perpetuum ſeu ſemper, hic ſemper cum ſit.

8083. Quid hoc, quod ſignificet inquiſitionem cur ita; & dicas ad illum, quod ſignificet reſponſum, conſtat abſque explicatione.

8084. In robore manus eduxit nos Jehovah ex Ægypto, e domo ſervorum, quod ſignificet quod ex Divina potentia Domini liberati ſint e captivitate ſpirituali, conſtat ex illis ſupra n: 8049. 8050.

8085. Et erat quod induraverit Pharao ad dimittendum nos, quod ſignificet cum obſtinarent ſe qui per falſa infeſtabant, ne liberarentur, conſtat ex ſignificatione indurare ſe, quod ſit ſe obſtinare, de qua n: 7272. 7300. 7305; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui infeſtarunt per falſa, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228. 7317; & ex ſignificatione dimittere, quod ſit liberare.

8086. Et interfecit Jehovah omnem primogenitum in terra Ægypti, quod ſignificet quod damnati omnes qui in fide ſeparata a charitate, conſtat ex ſignificatione primogenitorum Ægypti, quod ſint fides ſeparata a charitate, de qua n: 7039. 7779; quod per mortem illorum ſignificetur damnatio illorum qui in illa fide, & in vita mali, videatur n: 7766. 7778.

8087. A primogenito hominis & uſque ad primogenitum beſtiæ, quod ſit falſum fidei ſeparata interius ex exterius, conſtat ex ſignificatione primogeniti Ægypti, quod ſit fides ſeparata a charitate, ut nunc ſupra n: 8086; ita falſum fidei, nam qui fidem ſeparant a charitate & doctrina & vita, non poſſunt aliter quam in falſo eſſe, quia malum vitæ continuo operatur, & perſuadet ſui conforme falſum; ſique verum offertur, tunc per applicationem ſiniſtram facit ut id ſe conformet, ita id falſificat; & ex ſignificatione hominis & beſtiæ, quod ſit interius & exterius, de qua n: 4724. 7573.

8088. Propterea ego ſacrifico Jehovæ omnem aperturam uteri maſculos, quod ſignificet quod ideo addicanda Domino fides charitatis quæ novæ generationis, conſtat ex ſignificatione ſacrificare Jehovæ, quod ſit addicare Domino; per ſacrificare, ſimile hic ſignificatur ac per ſanctificare Verſ: 2 hujus Capitis, & per tranſire facere Verſ: 12, quod ſacrificare Jehovæ ſit addicare Domino, videatur n: 8042, & quoque per tranſire facere n: 8074; per addicare intelligitur ſibi non vindicare, ſed confiteri & agnoſcere, quod ſit a Domino; ex ſignificatione aperturæ uteri, quod ſint quæ fidei a chari-

tate, de qua n: 8043; quod illa ſint novæ generationis, videatur ſupra n: 8042; & ex ſignificatione maſculi, quod ſit verum fidei, de qua n: 2046. 4005. 7838.

8089. Et omnem primogenitum filiorum meorum redimo, quod ſignificet quod vera fidei non addicanda ſint Domino, ſed bona ejus, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 8080 explicata ſunt, ubi ſimilia.

8090. Et erit in ſignum ſuper manu tua, quod ſignificet quod erit perpetuo in voluntate; & ad frontalia inter oculos, quod ſignificet quod perpetuo in intellectu; quia in robore manus eduxit nos Jehovah de Ægypto, quod ſignificet quod ex Divina potentia Domini liberati ſint, conſtat ex illis quæ ſupra ad Verſum 9 hujus Capitis explicata ſunt, ubi ſimilia verba, de quibus n: 8066. 8067. 8069.

8091. Verſ: 17. 18. *Et fuit in dimittere Pharao populum, & non duxit illos Deus via terræ Philiſtæorum, quia propinqua illa, quia dixit Deus, forte pœnitebit populum in videre illos bellum, & revertentur Ægyptum. Et circumduxit Deus populum via deſerti, mare Suph; & accincti aſcenderunt filii Iſraelis e terra Ægypti.* Et fuit in dimittere Pharao populum ſignificat cum illi qui infeſtarunt relinquerent illos qui ab Eccleſia ſpirituali: & non duxit illos Deus via terræ Philiſtæorum, ſignificat quod a Divino proviſum ne tranſirent ad verum fidei quod non ex bono: quia propinqua illa, ſignificat quod primum obveniet: quia dixit Deus, ſignificat Prævidentiam Divinam: forte pœnitebit populum in videre illos bellum, ſignificat quod a vero declinabunt per oppugnationes: & revertatur Ægyptum, ſignificat quod inde lapſus in falſa, quæ prorſus contra vera & bona fidei: & circumduxit Deus populum via deſerti, ſignificat quod ex auſpicio Divino perducti ad confirmanda vera & bona fidei per tentationes: mare Suph, ſignificat damnationem quam primum tranſirent: & accincti aſcenderunt filii Iſraelis e terra Ægypti, ſignificat quod ex ſtatu infeſtationum exempti ſint, & ſic parati ad ſuſtinendas tentationes.

8092. Et fuit in dimittere Pharao populum, quod ſignificet cum illi qui infeſtarunt relinquerent illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere; ex repræſentatioue Pharaonis, quod ſint qui per falſa infeſtarunt, de qua n: 7107. 7110. 7126, 7142, 7220. 7228. 7317; & ex ſignificatione filiorum Iſraelis, qui hic ſunt populus, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſupra n: 8044.

8093. Et non duxit illos Deus via terræ Philiſtæorum, quod ſignificet quod a Divino proviſum ne tranſirent ad verum fidei quod non ex bono, conſtat ex ſignificatione non duxit illos Deus via, quod ſit quod proviſum a Divino ne tranſirent, per ducere enim, cum a Deo, ſignificatur Providentia, & per viam ſignificatur verum, n: 627. 2333, hic tranſire ad illud; & ex repræſentatione Philiſtæorum, quod ſint qui in ſcientia cognitionum quæ fidei, & non in vita charitatis, de de qua n: 1197. 1198. 3412. 3413, ita qui in vero fidei quod non ex bono; quod per Philiſtæos & terram illorum id ſignificetur, conſtare poteſt a locis in Verbo, ubi nominantur, imprimis apud Jeremiam Cap: XLVII: 1 ad fin: ubi deſcribuntur; tum apud Joelem

Cap: IV: 5. 6. & quoque ab Hiſtoricis Verbi, ubi agitur de bellis inter filios Iſraelis & Philiſtæos, deque illorum ſubjugatione a Philiſtæis, & nunc horum a filiis Iſraelis; per Philiſtæos ibi repræſentantur illi qui in fide ſeparata ſunt, ſeu quibus ſcientia cognitionum fidei, eſt principale, non autem vita ſecundum illam, conſequenter illi, qui docent & credunt ſolam fidem ſalvare. Opinio fide de ſola ſeu ſeparata, non eſt nova, ſeu ſolum hujus temporis, ſed fuerat in antiquis Eccleſiis, & invaluit cum malo vitæ; deſcribitur etiam in Verbo paſſim, ſed per Nomina; primum per *Cainum*, quod occiderit fratrem ſuum Abelem, n: 337. 340. 1179, Cainus ibi in ſenſu interno repræſentativo eſt talis fides, & Abel eſt Charitas; deſcribitur etiam per *Chamum*, cum maledictus a patre ſuo, n: 1062. 1063; poſtea per *Rubenem*, quod aſcendet cubile patris ſui, n: 3870. 4601; & per *Schimeonem* & *Levi*, quod occiderint Chamorem & viros Sechemi, ac ideo maledicti a patre ſuo, n: 3870. 6352: deſcribitur etiam illa fides per *Ægyptios*, ac per eorum primogenita quod occiſa, n: 7766. 7778, & quod illi immerſi ſint mari Suph; deſcribitur etiam per *Philiſtæos*, n: 3412. 3413, & quoque per *Tyrum* & *Sidonem* paſſim apud Prophetas, apud quos per Philiſtæos ſignificatur ſcientia cognitionum fidei, & per Tyrum & Sidonem ipſæ cognitiones interiores & exteriores; demum etiam per *Petrum*, cum ter abnegavit Dominum, n: 6000. 6073 fin: ſed videantur quæ de hac fide prius oſtenſa ſunt, n: 36. 379. 389. 916. 1017. 1076. 1077. 1162. 1176. 1798. 1799. 1834. 1844. 2049. 2116. 2228. 2231. 2261. 2340. 2349. 2364. 2383. 2385. 2401. 2435. 2982. 3146. 2342. 3325. 3412. 3413. 3416. 3427. 3773. 4663. 4672. 4673. 4683. 4721. 4730. 4766. 4783. 4925. 5351. 5826. 5820. 6269. 6272. 6273. 6348. 6353. 7039. 7097. 7127. 7317. 7502. 7545. 7623 ad 7627. 7724. 7779. 7790. 7950.

8094. Quia propinqua illa, quod ſignificet quod primum obveniat, conſtat ex ſignificatione propinquæ, cum dicitur de fide ſeparata, quod ſit quod primum obveniat. Quomodo intelligendum, quod opinio de fide ſeparata ſeu ſola primum obveniat, paucis dicetur; malum vitæ ſecum habet ſuum falſum, id falſum reconditum jacet apud hominem, qui in malo vitæ eſt, & ille quandoque neſcit quod id apud illum ſit; ſed ut primum cogitat de Eccleſiæ veris, ac imprimis cum de ſalute, tunc falſum illud prodit & ſe manifeſtat, ſique ipſum verum quoad commune ſuum non negare poteſt, tunc explicat illud ad favorem mali ſui, ac ſic falſificat: cum itaque cogitat de fide & charitate, quæ eſſentialia Eccleſiæ & ſalutis ſunt, illico tunc obvenit fides, non autem charitas, quia hæc oppoſita eſt malo vitæ; inde quoque removet charitatem, & ſolam fidem eligit; ex his patet, quod fidei vera propinqua ſint, non autem fidei bona, hoc eſt, quod illa primum obveniant non autem hoc. Ab erroneo & falſo hoc principio dein conſequuntur plura quæ falſa & erronea ſunt; ſicut quod bona opera nihil ad ſalutem faciant; quod vita non ſequatur hominem poſt mortem; quod tunc ſalvetur homo ex ſola miſericordia per fidem, utcunque in mundo vixerat; quod ſceleſtiſſimus ſalvetur per fidem in ultima vitæ ſuæ hora; quod mala abſtergantur

momento; hæc & ſimilia cogitantur & ſtatuuntur ex principio illo, ſunt inde in catenæ nexu; ſed illa perciperentur prorſus aliter ſe habere, ſi charitas & vita ſit principium.

8095. Quia dixit Deus, quod ſignficet Prævidentiam Divinam, conſtat ex ſignificatione dixit Deus, cum de futuris, quod ſit Prævidentia Divina, ut quoque n: 5361. 6946.

8096. Forte pænitebit populum in videre illos bellum, quod ſignificet quod a vero declinabunt per oppugnationes, conſtat ex ſignificatione pænitere, quod ſit declinare a vero, de qua ſequitur; & ex ſignificatione belli, quod ſint pugnæ ſpirituales, de qua n: 1664. 1788. 2686, ita oppugnationes. Quod pænitere ſit declinare a vero, eſt quia per exitum filiorum Iſraelis ab Ægypto, perque moram illorum in deſerto, & per introductionem in terram Canaanem, ſignificatur quod ducerentur jugiter ad bonum, & ſic ad Cœlum; inde per pænitere & reverti ad Ægyptum, ſignificatur abire a bono, ita declinare a vero; nam per Ægyptum ſeu Ægyptios ſignificantur qui ſunt in fide ſeparata a charitate, & qui contra vera Eccleſiæ, n: 6692. 7039. 7097. 7317. 7766. 7926. Quod oppugnationes attinet ab illis qui in vero fidei quod non ex bono, qui ſignificantur per Philiſtæos, ſciendum, quod illi in altera vita infeſtent probos, & continuo oppugnent bonum fidei ſeu charitatem, nam principia quæ in mundo captarunt, in alteram vitam ſecum ferunt ac retinent, uſque dum vaſtati ſunt, hoc eſt, privati omni ſcientia cognitionum fidei, ac demiſſi in infernum: hodie ſunt tales magno numero, & habitant ad dextrum antrorſum in plano ſub planta; habitatio illorum eſt ſpecies urbis: cum illis inde loqui, pluries datum eſt, & audire ratiocinia pro fide ſola, quæ acuta ſunt, & oppugnationes charitatis quæ contumaces. Hæc nunc ſunt, quæ in ſenſu interno intelliguntur per quod non ducerentur via terræ Philiſtæorum, & quod tunc forte pæniteret illos, in videre illos bellum.

8097. Et revertatur Ægyptum, quod ſignificet quod inde lapſus in falſa, quæ prorſus contra vera & bona fidei, conſtat ex ſignificatione Ægypti, quod ſit quod contra vera & bona fidei, n: 6692. 7039. 7097. 7317. 7366. 7926; quod illuc reverti, ſit labi in falſa, patet.

8098. Et circumduxit Deus populum via deſerti, quod ſignificet quod ex auſpicio Divino perducti ad confirmanda vera & bona fidei per tentationes, conſtat ex ſignificatione duxit Deus, quod ſit Providentia, ut ſupra n: 8092, ſeu, quod idem, auſpicium Divinum; & ex ſignificatione viæ deſerti, quod ſit ad ſubeundas tentationes, ita ad confirmanda vera & bona fidei, nam per tentationes confirmantur: per deſertum ſignificatur ubi inhabitatum & incultum, de qua n: 2708, in ſpirituali ſenſu, ubi non bonum & verum, tum ubi verum nondum conjunctum bono, ita per deſertum ſignificatur ſtatus illorum apud quos conjunctio fiet, & quia conjunctio non fit niſi per tentationes, etiam hæ ſignificantur, ſed quando numerus quadraginta adjicitur, ſive ſint quadraginta anni, ſive quadraginta menſes, ſive quadraginta dies; quadraginta enim ſignificant tentationes, ac durationem illarum quamcunque n:

730.

730. 862. 2272. 2273; hæc ſignificantur per filiorum Iſraelis peregrinationes in deſerto quadraginta annis; tentationes etiam quas ſubiverunt, deſcriptæ ſunt; quod ut illas ſubirent, & ſic repræſentarent, in deſertum ducti ſint, patet ab his apud Moſchen "Recordaberis omnis viæ, qua duxit te Jehovah Deus tuus, *his quadraginta annis in deſerto*, ut *affligeret te*, *ut tentaret te*, ut cognoſceret quod in corde tuo. Cibavit te manna in deſerto, quam non noverunt patres tui, ut affligeret te, *ut tentaret te*, ad benefaciendum tibi in poſteritate tua" Deut: VIII: 2. 16. Quia per quadraginta ſignificabantur tentationes & illarum durationes, ac per deſertum ſtatus illorum qui ſubeunt illas, idcirco etiam Dominus, cum tentaretur, exivit in deſertum, & ibi erat quadraginta diebus, Matth: IV: 1. 2. ſeq: Luc: IV: 1. 2. ſeq: Marc: I: 12. 13.

8099. Mare Suph, quod ſignificet damnationem, quam primum tranſirent, conſtat ex ſignificatione maris Suph, quod ſit infernum ubi illi qui in fide ſeparata a charitate, inque vita mali; & quia mare Suph eſt infernum, eſt quoque damnatio. Cum hoc, quod primum tranſirent damnationem, ita ſe habet; illi qui ab Eccleſia ſpirituali fuerunt, & uſque ad adventum Domini detenti in terra inferiore, ac ibi infeſtati ab illis qui in fide ſeparata a charitate fuerunt, de quibus in Capitibus quæ præcedunt actum eſt, cum inde liberati ſunt, non immediate in cœlum ſunt ſublati, ſed prius in alterum ſtatum purificationis, qui eſt tentationum, perducti ſunt; nam vera & bona fidei nec confirmari nec conjungi poſſunt abſque tentationibus, & antequam illa confirmata ſunt & conjuncta, non elevari in cœlum potuerunt; hæc repræſentata ſunt per filios Iſraelis, quod non ſtatim introducti ſint in terram Canaanem, ſed prius in deſertum, ubi per quadraginta annos permanſerunt, ac interea varias tentationes ſubiverunt, de quibus in Libris Moſchis. Quod id attinet, quod primum per mare Suph, per quod ſignificatur infernum illorum qui in fide ſeparata ac vita mali, tranſiverunt, ita per mediam damnationem, ſciendum quod infernum hoc ſit antrorſum profunde ſub infernis adulterorum, & extendat ſe ſatis late verſus ſiniſtrum; ſeparatur ab infernis adulterorum per aquas quaſi maris; ad dextrum ibi, ſed altius, eſt ubi congregantur illi qui in fidei vero ſed non in fidei bono ſunt, qui per Philiſtæos ſignificantur, de quibus mox ſupra n: 8098; terra autem inferior, ubi ſunt qui infeſtantur, eſt ſub planta pedis, pauliſper antrorſum; qui ab infeſtationibus liberantur, illi non perducuntur verſus dextrum, nam ibi ſunt illi qui ſignificantur per Philiſtæos, ſed perducuntur ad ſiniſtrum, per medium infernum, de quo dictum eſt, ac emergunt ad ſiniſtrum, ubi quaſi deſertum: quod per hanc viam tranſeant illi qui ab infeſtationibus eximuntur, bis mihi videre datum eſt: cum tranſeunt, tutantur ita a Domino, ut ne hilum mali, minus aliquid damnationis illos attingat, circumcincti enim ſunt columna angelorum, apud quos eſt Dominus præſens; hoc repreſentatum eſt per tranſitum filiorum Iſraelis per mare Suph: hoc quoque intellectum eſt per hæc apud Eſaiam "Expergiſcere, expergiſcere, indue robur, Brachium Jehovæ, nonne Tu illud, quod *exſiccavit mare*, *aquas abyſſi magnæ*, quod poſuit *profunditates maris*

viam,

viam, ut tranſirent redempti" LI : 9. 10, Brachium Jehovæ eſt Dominus quoad Divinum Humanum; aquæ abyſſi magnæ, & profunditates maris, ſunt infernum ubi illi qui in fide ſeparata a charitate ac in vita mali, aquæ ſicut maris, ſub quibus ſunt, ſunt falſa, nam falſa in altera vita apparent ſicut denſæ & obſcuræ nubes, & quoque ſicut inundationes aquarum, n: 739. 4423. 7307; redempti qui tranſirent, ſunt qui a Domino liberati ſunt. Apud Eundem "Jehovah recordatus eſt dierum antiquitatis, Moſchis, populi Ipſius, *ubi qui aſcendere fecit eos e mari*, cum paſtore gregis ſui, ubi qui poſuit in medio illius ſpiritum ſanctitatis ſuæ" LXIII: 11; in Prophetico hoc per Moſchen intelligitur Dominus, Qui etiam eſt paſtor gregis; per populum, quem aſcendere fecit ex mari, illi qui liberati e damnatione. Apud Jeremiam "A voce caſus eorum contremuit terra, clamorem, *in mari Suph* audita eſt vox illorum" XLIX: 21, mare Suph pro inferno, agitur enim ibi de Edomo ac ejus damnatione, & dicitur quod illius vox audita ſit ex mari Suph, cum tamen illi non immerſi illi mari fuerunt ſed Ægyptii, inde patet quod mare Suph ſignificet infernum ac damnationem; per Edomum ibi ſignificantur qui ex malo amoris ſui rejiciunt vera doctrinæ, & amplectuntur falſa, n: 3322. Ex his nunc conſtare poteſt, quid per mare Suph in ſenſu interno repræſentativo ſignificatur, & quid per tranſitum filiorum Iſraelis, ac per immerſionem Ægyptiorum ibi, de quibus in Capite ſequente.

8100. Et accincti aſcenderunt filii Iſraelis e terra Ægypti, quod ſignificet quod ex ſtatu infeſtationum exemti ſint, & ſic parati ad ſuſtinendas tentationes, conſtat ex ſignificatione accincti aſcendere, quod ſit quod parati, hic ad ſuſtinendas tentationes, quia ducti per mare Suph in deſertum; quod deſertum ſit ſtatus, ſubeundi tentationes, videatur ſupra n: 8098; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpius; & ex ſignificatione terræ Ægypti, quod ſit ſtatus infeſtationum, de qua n: 7278; aſcendere inde, eſt eximi ſeu liberari: ex his patet, quod per accincti aſcenderunt filii Iſraelis e terra Ægypti, ſit quod ex ſtatu infeſtationum exempti ſint, & ſic parati ad ſuſtinendas tentationes. Quid diſcriminis ſit inter tentationes & infeſtationes, videatur n: 7474.

8101. Verſ: 19. *Et accepit Moſcheh oſſa Joſephi ſecum, quia adjurando adjuravit filios Iſraelis, dicendo, viſitando viſitabit Deus vos, & aſcendere facietis oſſa mea exhinc vobiſcum.* Et accepit Moſcheh oſſa Joſephi ſecum, ſignificat repræſentativum Eccleſiæ, quod illis: quia adjurando adjuravit filios Iſraelis, dicendo, ſignificat obſtrictionem: viſitando viſitabit Deus vos, ſignificat cum id ultimum & primum Eccleſiæ venturum: & aſcendere facietis oſſa mea exhinc vobiſcum, ſignificat, ut ſupra, repræſentativum Eccleſiæ illis, non Eccleſia, quæ etiam eſt in interno.

8102. Hæc ſuperſedentur ulterius explicare, quia prius ad Geneſ: Cap: L, Verſ: 24. 25, explicata ſunt, ubi ſimilia verba, videatur n: 6590. 6592.

Verſ: 20. 21. 22. *Et profecti e Succoth, & caſtrametati in Etham, in fine deſerti. Et Jehovah ibat ante illos interdiu in columna nubis, ad ducendum illos via; & noctu in columna ignis, ad illuminandum illos, ad eundum diu*

&

& noctu. *Non recedebat columna nubis interdiu, & columna ignis noctu, ante populum.* Et profecti e Succoth, & caſtrametati in Etham, ſignificat ſtatum ſecundum poſtquam liberati: in fine deſerti, ſignificat ſtatum primum tentationum: & Jehovah ibat ante illos, ſignificat continuam præſentiam Domini: interdiu in columna nubis, ſignificat cum ſtatus illuſtrationis quod temperatus per obſcurum veri: ad ducendum illos via, ſignificat auſpicium Divinum: & noctu in columna ignis ad illuminandum illos, ſignificat cum ſtatus obſcuritatis, quod temperatus per illuſtrationem a bono: ad eundum diu & noctu, ſignificat ſic vitam in utroque ſtatu: non recedebat columna nubis interdiu, & columna ignis noctu, ante populum, ſignificat præſentiam Domini quod perpetua.

8103. Et profecti e Succoth, & caſtrametati in Etham, quod ſignificet ſtatum ſecundum poſtquam liberati, conſtat ex eo, quod profectiones & caſtrametationes filiorum Iſraelis, poſtquam exiverunt ab Ægypto, ſignificent ſtatus ſpirituales illorum qui a Domino liberati ſunt, de quibus ſupra; ſtatuum mutationes ſignificantur per itinera ab uno loco in alterum, & ibi ſtationes; hic ſtatus ſecundus per profectionem e Succoth ad Etham, quia ſtatus primus per profectionem a Raamſes ad Succoth, n: 7972: etiam per profectiones in ſenſu interno Verbi ſignificantur vitæ ſtatus ac inſtituta, n: 1293. 3335. 5606, & per caſtrametationes ordinationes veri & boni, quæ ſunt vitæ, n: 4236.

8104. In fine deſerti, quod ſignificet ſtatum primum tentationum, conſtat ex ſignificatione deſerti, quod ſit ſtatus ad ſubeundas tentationes, de qua ſupra n: 8098; & quia inchoabatur ille ſtatus in fine deſerti, ideo per finem deſerti ſignificat ſtatus primus.

8105. Et Jehovah ibat ante illos, quod ſignificet continuam præſentiam Domini, conſtat abſque explicatione; quod Jehovah ſit Dominus, videatur ſupra n: 8046.

8106. Interdiu in columna nubis, quod ſignificet cum ſtatus illuſtrationis quod temperatus per obſcurum veri, conſtat ex ſignificatione interdiu ſeu in die, quod ſit in ſtatu illuſtrationis, nam tempora diei, ut mane, meridies, veſpera, & nox, correſpondent illuſtrationibus quæ ſunt intelligentiæ & ſapientiæ in altera vita, n: 5672. 5962. 6110, inde dies eſt ſtatus illuſtrationis ſeu perceptionis claræ, & nox ſtatus non illuſtrationis ſeu perceptionis obſcuræ, n: 7680; & ex ſignificatione nubis, quod ſit obſcurum veri, ex cauſa, quia nubes aufert charitatem lucis e ſole, & quoque temperat illam. In Verbo paſſim dicitur, quod Jehovah apparuerit in nube, & quod cinctus nube, tum quod ſub pedibus Ipſius nubes, ibi per nubem intelligitur obſcurum veri; in ſpecie ſenſus literalis Verbi, nam hic ſenſus reſpective ad ſenſum internum, eſt obſcurum veri, videatur Præfatio ad Geneſ: Cap: XVIII, tum n: 4391. 5922. 6343. 6752; hoc per nubem ſignificabatur, cum Dominus apparuit Petro, Jacobo, & Johanni in gloria, Luc: IX: 34; cum e monte Sinai populo, cumque Moſchi quando intravit ad Ipſum ibi, Exod: XIX: 9. Cap: XX: 18. Cap: XXIV: 15. 16. 17. 18. Cap: XXXIV, 5; ut & per hoc quod

Dominus

Dominus toties dixit, quod Venturus in nubibus cœli, Matth: xxiv: 30. Cap: xxvi: 63. 64. Marc: xiii: 26. Cap: xiv: 61. 62. Luc: xxi: 27: ſenſus literalis Verbi vocatur nubes, quia ſenſus internus, qui vocatur gloria, non poteſt comprehendi ab homine, niſi regenerato, & tunc illuſtrato; ſenſus internus Verbi, ſeu Verum Divinum in ſua gloria, ſi appareret coram homine non regenerato, foret ſicut caligo, in qua prorſus nihil videret, & quoque ex qua cæcutiret, hoc eſt, nihil crederet. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per nubem interdiu, quod nempe obſcurum veri, ac ubi de Verbo agitur, ſenſus literalis. In columna nubis & ignis dicitur, quia per columnam ſignificatur firmamentum, quod ſuffulcit, ut Jerem: i: 18. Pſalm: lxxv: 4. Apoc: iii: 12. Job: ix: 6, ac prædicatur de naturali, quia naturale eſt inſtar firmamenti aut baſeos ſpirituali; definit enim ſpirituale in naturali, & ibi quieſcit; inde eſt quod pedes angeli deſcendentis e cœlo apparuerint ſicut *columnæ ignis*" Apoc: x: 1, nam per pedes ſignificatur naturale, n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952. 5327. 5328.

8107. Ad ducendum illos via, quod ſignificet auſpicium Divinum, conſtat ex ſignificatione ducere via, cum de Jehovah, quod ſit Providentia, & auſpicium Divinum, de qua n: 8093. 8098.

8108. Et noctu in columna ignis ad illuminandum illos, quod ſignificet cum ſtatus obſcuritatis quod temperatus per illuſtrationem a bono, conſtat a ſignificatione noctis, quod ſit ſtatus obſcuritatis, de qua n: 1712. 6000; ex ſignificatione ignis, quod ſit bonum amoris, de qua n: 934. 4906. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. 7852; & ex ſignificatione illuminare, quod ſit illuſtratio. Quod Jehovah ſeu Dominus apparuerit ſeu præiverit in columna nubis interdiu, & in columna ignis noctu, erat quia per illa repræſentabatur ſtatus cœli, ibi enim ſunt perpetuæ variationes & mutationes ſtatus, continuo enim perficiuntur Angeli, quod abſque perpetuis ſtatuum mutationibus nullatenus fieri poteſt; in genere variationes & mutationes illæ ſe habent ſicut vices temporum in mundo, nempe ſicut vices temporum anni, quæ ſunt ver, æſtas, autumnus, hyems, & iterum ver; ac ſicut vices temporum diei, quæ ſunt mane, meridies, veſpera, nox, & iterum mane; cum ibi mane & meridies, eſt illuſtratio intellectus a Domino, ſed tunc illuſtratio illa temperatur obſcuro veri, ſicut nube, cumque ibi veſpera & nox, eſt illis obſcuritas intellectus, ſed hæc temperatur a Domino per bonum amoris, ſicut per ignem qui illuminat: hæc ſunt quæ repræſentata ſunt per columnam nubis interdiu, & columnam ignis noctu apud filios Iſraelis in deſerto.

8109. Ad eundem diu & noctu, quod ſignificet vitam in utroque ſtatu, conſtat ex ſignificatione ire & proficiſci, quod ſit vivere, de qua n: 3335. 3690. 5882. 5493. 5606; & ex ſignificatione diei, quod ſit ſtatus illuſtrationis; & noctis, quod ſit ſtatus obſcuritatis, de quibus mox ſupra n: 8106. 8108, ita uterque ſtatus.

8110. Non recedebat columna nubis interdiu, & columna ignis noctu ante populum,

ante populum, quod ſignificet præſentiam Domini, quod perpetua, conſtat ex illis quæ nunc explicata ſunt; apparuerunt enim ita coram populo Angeli, in quorum medio Dominus.

Continuatio de Spiritibus & Incolis Planetæ Jovis.

8111. *PER diutinam converſationem cum ſpiritibus Telluris Jovis, conſtabat quod probiores ſint ſpiritibus plurium aliarum tellurum; allapſus eorum cum veniebant, commoratio, & influxus tunc, erat tam lenis & ſuavis, ut exprimi nequeat; probitas per lenitudinem & ſuavitatem in altera vita ſe manifeſtat: illæ diſtingui perclare potuerunt a lenitudine & ſuavitate ſpirituum bonorum noſtræ telluris.*

8112. *Quando leve aliquod diſſidium inter illos exiſtit, apparet illis ſicut tenuis radius candidus, qualis ſolet eſſe fulguris; vel faſciola, in qua ſtellæ coruſcantes: hæc ſigna diſſidii ſunt; ſed diſſidium inter illos cito reſarcitur: ſtellæ cum coruſcant & ſimul errant, ſignum eſt non bonum, at ſtellæ coruſcantes fixæ, ſignum bonum eſt.*

8113. *Præſentiam ſpirituum Jovialium non modo cognoſcere potui ex allapſus & influxus lenitudine & ſuavitate, ſed etiam ex eo, quod influerent quam maxime in faciem, & illam diſponerent ridentem & hilarem, & id continue dum aderant: dictum, quod ita diſponerent facies incolarum telluris ſuæ, nam eis inſpirare volunt tranquillitatem & jucunditatem cordis: tranquillitas & jucunditas illa, quæ ab illis mihi inſpirabatur, implebat ſenſibiliter thoracem & cor; removebantur tunc cupiditates & ſollicitudines de futuris, quæ intranquillum & injucundum inducunt, ac animum in motus varios excitant & agitant: inde conſtare mihi potuit, qualis vita incolarum telluris Jovis eſſet: dictum eſt ab illis mihi, quod nec timeant mortem, niſi paululum propter jacturam conjugis & liberorum; ex cauſa quia, pro certo ſciunt quod mors corporis ſit continuatio vitæ, ac quod poſtea feliciores fiant.*

8114. *Apperceptum quod illis eſſet ſtatus felicitatis adhuc interioris,*

terioris, & quod ſuſceptibiles recipiendi ſtatum felicitatis adhuc magis interioris eſſent; hoc appercipitur, per quod interiora non clauſa ſint, ſed aperta ad Dominum; quo enim apertiora ſunt interiora, eo ſunt ſuſceptibiliora recipiendi Divinum Bonum, ac Divinum felix. Aliter prorſus ac apud illos, qui non in ordine cœli vivunt; apud illos interiora clauſa ſunt, & exteriora aperta ad infernum; unde influunt contemptus aliorum, odia, vindictæ, crudelitates, quæ illis jucunda ſunt contra illos, qui ſe non colunt, aut cupiditatibus ſuis non favent.

8115. *Spiritus telluris Jovis cum ſpiritibus noſtræ telluris non ſimul eſſe poſſunt, quia prorſus alio genio ſunt, & non amant jucundum tranquillitatis ſicut illi; mirati ſunt, cum audirent, quod qui ex noſtra tellure angeli fiunt, prorſus alio corde ſint, & vix aliquid ſimile ſtatus ſui, cum fuerunt ſpiritus, retineant: ut ſcirent quod ita eſſet, ex cœlo, ab angelis e noſtra tellure, veniebant chori, unus poſt alterum; (Chori ſunt, quando plures ſimul unum cogitant, loquuntur, & agunt, in ſerie continua, celebratio Domini in cœlis per choros utplurimum fit, de choris videatur n:* 1648. 1649. 2595. 2596. 3350. 5182;*) Chori illi tantopere oblectabant ſpiritus Joviales qui apud me, ut viderentur ſibi quaſi in cœlum rapti: glorificatio illa per choros perſtabat per unam horam circiter: delitias illorum, quas inde capiebant, mecum communicatas, ſentire dabatur: dicebant, quid id dicerent ſuis, qui alibi.*

8116. *Narrabant, quod in regione telluris ubi illi, magna multitudo hominum eſſet, quantam tellus poſſet nutrire; quodque fertilis eſſet, & omnibus abundaret; & quod incolæ ibi non plus cuperent, quam quantum ad neceſſitates vitæ; & quod inde multitudo hominum tam magna.*

8117. *Ulterius narrabant, quod diſtincti ibi ſint in Gentes, familias, & domos, & quod omnes ſeparatim cum ſuis habitent; quodque converſationes illorum ſint maxime intra affinitates: tum quod nuſquam aliquis alterius bona cupiat; & quod nec in animum veniat inde ſibi aliquid vindicare, minus invadere & diripere, hoc ut facinus contra naturam humanam, ac horrendum, reputant: cum dicere vellem, quod in hac tellure ſint bella, deprædationes, ac neces, tunc avertebant ſe, & averſabantur audire.*

8118. *Quod Antiquiſſimi in hac tellure ſimiliter habitaverint, mihi ab Angelis dictum eſt, nempe quod diſtincti in gentes, familias, & domos, & quod omnes contenti ſuis bonis fuerint; & quod ex bonis*

aliorum

aliorum diteſcere, ut & dominari, prorſus tunc ignotum fuerit; idcirco antiqua tempora, ac imprimis antiquiſſima Domino præ ſequentibus accepta fuerunt; & quia talis ſtatus fuit, etiam tunc regnabat innocentia, & cum illa ſapientia; quiſque tunc bonum egit ex bono, & juſtum fecit ex juſto; quid facere bonum & juſtum propter honorem ſui, aut propter lucrum, non ſciebant; nec tunc loquebantur niſi verum, & hoc non ita ex vero quam ex bono, hoc eſt, non ex intellectuali ſeparato, ſed ex voluntario conjuncto: talia erant tempora antiqua, quapropter tunc potuerunt Angeli converſari cum hominibus, ac illorum mentes pæne ſeparatas a corporeis ſecum in cœlum ducere, ac circumducere, & magnifica ibi & felicia monſtrare, ut & felicia ſua ac jucunda cum illis communicare: hæc tempora etiam ſcriptoribus antiquis fuerunt nota, & ab illis appellata aurea, & quoque Saturnina. Cauſa quod illa tempora talia eſſent, erat, ut dictum, quod vixerint diſtincti in gentes, ac gentes in familias, & familiæ in domos, ac unaquæque domus per ſe habitaret; quodque tunc non alicui in mentem venerit, hæreditatem alterius invadere, ac inde opulentiam ſibi & dominium acquirere; longe aberat tunc amor ſui & amor mundi; quiſque ex corde lætus erat ex ſuo, & non minus ex bono alterius. Sed hæc ſcena mutata eſt, & in contrarium verſa, ſuccedente tempore, cum animum invaſit cupiditas dominandi & poſſidendi aliorum bona; tunc genus humanum ſe tutandi cauſa congregavit in regna & imperia; & quia ceſſaverunt leges charitatis & conſcientiæ, quæ inſcriptæ cordibus fuerunt, leges ad compeſcendas violentias, ferre neceſſum fuit, in quibus honores & lucra erant præmia, ac privationes illorum, pænæ: cum ita ſtatus mutatus eſt, ipſum cœlum ſe removit ab homine, & hoc magis & magis uſque ad hæc ſæcula, dum non amplius ſcitur, num cœlum, proinde num infernum ſit, imo negatur quod ſint. Hæc dicta ſunt, ut per paralelïſmum illuſtretur, qualis ſtatus illorum eſt qui in tellure Jovis, ac unde illorum probitas, & quoque ſapientia, de qua plura in ſequentibus.

8119. *Continuatio de ſpiritibus & Incolis Telluris Jovis ad finem Capitis ſequentis.*

E X O D I

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Doctrina Charitatis.

8120. CREDTUR quod Charitas erga proximum ſit dare pauperibus, opem ferre indigenti, ac bonum facere cuicunque; ſed uſque genuina charitas eſt, prudenter agere, & propter finem ut inde bonum; qui alicui pauperi aut indigenti malefico opem fert, is per illum malefacit proximo, nam per opem, quam fert, confirmat illum in malo, ac ſuppeditat ei copiam malefaciendi aliis: aliter qui ſuppetias fert bonis.

8121. Sed Charitas erga proximum multo latius ſe extendit, quam ad pauperes & indigentes: Charitas erga proximum eſt rectum facere in omni opere, ac debitum in omni officio: ſi judex juſtum facit propter juſtum, charitatem erga proximum exercet; ſi punit ſontem, & abſolvit inſontem, charitatem erga proximum exercet, nam ſic conſulit concivi, conſulit patriæ, & quoque Regno Domini, per facere juſtum propter juſtum Regno Domini, per abſolvere inſontem concivi, & per punire ſontem patriæ: Sacerdos qui docet verum, & ducit ad bonum, propter verum & bonum, is charitatem exercet: qui autem talia facit propter ſe & mundum, is charitatem non exercet, quia non amat proximum, ſed ſemet.

8122. Similiter ſe habet cum omnibus reliquis, ſive in aliqua functione ſint, ſive non ſint; ut cum liberis erga parentes, & cum parentibus erga liberos; cum ſervis erga dominos, & cum dominis erga ſervos; cum ſubditis erga regem, & cum rege erga ſubditos: qui ex illis debitum facit ex debito, ac juſtum ex juſto, is charitatem exercet.

8123. Quod illa Charitatis erga proximum ſint, eſt quia unuſquiſque homo eſt proximus, ſed diverſimode, n: 6818; ſocietas minor & major magis proximus, n: 6819. 6820; patria adhuc magis proximus, n: 6819. 6821; Eccleſia adhuc magis, n: 6819. 6822; Regnum Domini adhuc magis, n: 6819. 6823; & Dominus ſupra omnes, n: 6819.

6824;

6824; in ſenſu univerſali Bonum quod procedit a Domino eſt proximus, n: 6706. 6711, conſequenter etiam Juſtum & Rectum. Quapropter qui facit bonum quodcunque propter bonum, & juſtum propter juſtum, is amat proximum, & exercet charitatem, nam facit ex amore boni & amore juſti, ac ita ex amore illorum in quibus bonum & juſtum ſunt: at qui facit injuſtum propter lucrum quodcunque, is odit proximum.

8124. Qui in charitate erga proximum eſt ex affectione interna, in ſingulis ejus quæ cogitat & loquitur, ac quæ vult & agit, eſt charitas erga proximum; dici poteſt, quod homo ſeu angelus quoad interiora ſua ſit charitas cum bonum ei eſt proximus. Tam late ſe extendit Charitas erga proximum.

CAPUT XIV.

1. ET loquutus eſt JEHOVAH ad Moſchen, dicendo.

2. Loquere ad filios Iſraelis, & revertantur & caſtrametentur ante Pi-Chiroth, inter Migdal & inter mare, ante Baal-Zephon; e regione ejus caſtrametemini juxta mare.

3. Et dicet Pharao de filiis Iſraelis, perplexi illi in terra, concluſit ſuper illos deſertum.

4. Et indurabo cor Pharaonis, & perſequetur poſt illos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu illius; & ſcient Ægyptii quod Ego JEHOVAH: & fecerunt ita.

5. Et indicatum regi Ægypti, quod fugeret populus; & converſum eſt cor Pharaonis & ſervorum illius contra populum, & dixerunt, quid hoc fecimus, quod dimiſerimus Iſraelem a ſerviendo nobis.

6. Et alligavit currum ſuum, & populum ſuum ſumſit ſecum.

7. Et ſumſit ſexcentos currus electos, & omnes currus Ægypti: & tertiani duces ſuper omnes illius.

8. Et induravit JEHOVAH cor Pharaonis Regis Ægypti, & perſequutus poſt filios Iſraelis; & filii Iſraelis exeuntes manu excelſa.

9. Et perſequuti Ægyptii poſt illos, & aſſequuti illos caſtrametantes juxta mare, omnes equi curruum Pharaonis, & equites illius, & exercitus illius juxta Bi-Chiroth ante Baal-Zephon.

10. Et Pharao appropinquavit, & ſuſtulerunt filii Iſraelis oculos ſuos, & ecce Ægyptius proficiſcens poſt illos; & timuerunt valde, & clamaverunt filii Iſraelis ad JEHOVAM.

11. Et dixerunt ad Moſchen, numne nulla ſepulchra in Ægypto, ſumſiſti nos ad moriendum in deſerto, quid hoc feciſti nobis, ad educendum nos ex Ægypto.

12. Nonne hoc verbum quod loquuti ſumus ad te in Ægypto, dicendo, ceſſa a nobis, & ſerviamus Ægyptiis, quia bonum nobis ſervire Ægyptiis, præ mori nos in deſerto.

13. Et dixit Moſcheh ad populum, ne timeatis, conſiſtite, & videte ſalutem JEHOVÆ, quam faciet vobis hodie, quia quos videtis Ægyptios hodie, non addetis videre illos amplius uſque in ſæculum.

14. JEHOVAH militabit pro vobis, & vos taceatis.

15. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, quid clamas ad Me, loquere ad filios Iſraelis, & proficiſcantur.

16. Et tu tolle baculum tuum, & extende manum tuam ſuper mare, & diffinde illud, & veniant filii Iſraelis in medium maris in arido.

17. Et Ego, ecce Ego indurans cor Ægyptiorum, & venient poſt illos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu illius, in curribus illius, & in equitibus illius.

18. Et ſcient Ægyptii quod Ego JEHOVAH, in glorificari Me in Pharaone, in curribus illius, & in equitibus illius.

19. Et profectus Angelus DEI incedens ante caſtra Iſraelis, & ivit poſt illos, & profecta columna nubis ab ante illos, & ſtetit poſt illos.

20. Et venit inter caſtra Ægyptiorum & inter caſtra Iſraelis, & fuit nubes & tenebræ, & illuminabat noctem, & non appropinquavit hic ad hunc tota nocte.

21. Et extendit Moſcheh manum ſuam ſuper mare, & abire fecit JEHOVAH mare vento orientiali ſorti tota nocte, & poſuit mare ad ſiccum, & diffindebantur aquæ.

22. Et venerunt filii Iſraelis in medium mare in arido; & aquæ illis murus a dextra illorum & a ſiniſtra illorum.

23. Et perſequuti Ægyptii, & venerunt poſt illos omnes equi Pharaonis; currus illius, & equites illius ad medium maris.

24. Et fuit in cuſtodia matutina, & proſpexit JEHOVAH ad caſtra Ægyptiorum in columna ignis & nubis, & perturbavit caſtra Ægyptiorum.

25. Et dimovit rotam curruum illius, & duxit illam in gravitate & dixit Ægyptius, fugiam coram Iſraele, quia JEHOVAH militat pro illis in Ægyptios.

26. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, extende manum tuam ſuper mare, & revertantur aquæ ſuper Ægyptios, ſuper currus illius, & ſuper equites illius.

27. Et extendit Moſcheh manum ſuam ſuper mare, & reverſum eſt mare ad vergere mane, ad vim fluxus ſui, & Ægyptii fugientes obviam ei, & excuſſit JEHOVAH Ægyptios in medium mare.

28. Et reverſæ ſunt aquæ, & obtexerunt currus & equites, ad omnem exercitum Pharaonis, venientes poſt illos in mare, non relictus eſt in illis uſque ad unum.

29. Et filii Iſraelis iverunt in arido in medium maris, & aquæ illis murus a dextra illorum & a ſiniſtra illorum.

30. Et ſalvavit JEHOVAH in die hoc Iſraelem e manu Ægyptiorum, & vidit Iſrael Ægyptios mortuos ſuper litore maris.

31. Et vidit Iſrael manum magnam quam fecit JEHOVAH in Ægyptiis, & timuerunt populus JEHOVAM, & crediderunt in JEHOVAM, & in Moſchen ſervum Ipſius.

CONTENTA.

8125. AGitur in hoc Capite in ſenſu interno de prima Tentatione illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, & de Traductione illorum per medium infernum, ac de Tutatione tunc a Domino: & quoque agitur de immerſione illorum qui in fide ſeparata a charitate in infernum, ubi falſa a malis. Illi qui ab Eccleſia ſpirituali repræſentantur per filios Iſraelis; qui in fide ſeparata a charitate per Ægyptios; Tentatio prima deſcribitur per murmurationem filiorum Iſraelis cum viderent exercitium Pharaonis; Infernum ſignificatur per mare Suph, per quod tuto traducti filii Iſraelis, & in quod immerſi Ægyptii; falſa ex malis ſignificantur per aquas quæ hos operuerunt.

SENSUS INTERNUS.

8126. Verſ: 1. 2. 3. 4. E*T loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo. Loquere ad filios Iſraelis, & revertantur & aſtrametantur ante Pi-Chiroth, inter Migdal & inter mare, ante Baal-Zephon, e regione*

e regione ejus caſtrametemini juxta mare. Et dicet Pharao de filiis Iſraelis, perplexi illi in terra, concluſit ſuper illos deſertum. Et indurabo cor Pharaonis, & perſequetur poſt illos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu illius, & ſcient Ægyptii, quod Ego Jehovah: & fecerunt ita. Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo, ſignificat inſtructionem a Divino per Divinum Verum: loquere ad filios Iſraelis, ſignificat influxum Veri Divini apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali: & revertantur, ſignificat quod nondum præparati: & caſtrametentur ante Pichiroth inter Migdal & inter mare ante Baal-Zephon, ſignificat principium ſtatus ad ſubeundas tentationes: e regione ejus caſtrametemini juxta mare, ſignificat quod inde tentationis influxus: & dicet Pharao de filiis Iſraelis, ſignificat cogitationem illorum qui in damnatione de ſtatu illorum qui ab Eccleſia ſpirituali: perplexi illi in terra, ſignificat quod in confuſo ſint quoad illa quæ ſunt Eccleſiæ: concluſit ſuper illos deſertum, ſignificat quod obſcuritas illos occupaverit: & indurabo cor Pharaonis, ſignificat quod obſtinarent ſe adhuc qui in falſis a malo: & perſequetur poſt illos, ſignificat quod adhuc conarentur ſubjugare illos: & glorificabor, ſignificat quod viſuri effectum Divinum ex Divino Humano Domini in diſſipatione falſi: in Pharaone & in omni exercitu illius, ſignificat immerſionem illorum qui in falſis ex malo in infernum, & obſtipationem ibi a falſis ſicut ab aquis: & ſcient Ægyptii quod Ego Jehovah, ſignificat quod inde notum quod Dominus ſit ſolus Deus: & fecerunt ita, ſignificat obedientiam.

8127. Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo, quod ſignificat inſtructionem a Divino per Divinum Verum, conſtat ex ſignificatione loquutus eſt, & dixit Jehovah, cum de illis quæ fient & contingent, quod ſit inſtructio a Divino, ut n: 7186. 7241. 7267. 7304. 7380. 7517; & ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n: 6723. 6752. 6771. 6827. 7014. 7010. 7089. 7382; quod *per* Divinum Verum, eſt quia Moſcheh, per quem Divinum Verum repræſentatur, loqueretur ad populum; Ipſum Divinum nec immediate inſtruit & loquitur cum hominibus, & ne quidem cum Angelis, ſed mediate per Divinum Verum, n: 7765; hoc intelligitur per verba Domini apud Johannem "Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, Qui in ſinu Patris, Ille expoſuit" 1: 18. Cap: v: 37, per Unigenitum Filium intelligitur Dominus quoad Divinum Verum; ex Hoc etiam Dominus ſe vocat Filium Hominis, n: 2628. 2803. 2813. 3704; Dominus etiam, cum in mundo, fuit Divinum Verum; poſtea autem, cum glorificatus eſt, factus eſt etiam quoad Humanum, Divinum Bonum, & tunc ex Hoc proceſſit Divinum Verum, quod eſt Spiritus Veritatis ſeu Spiritus Sanctus.

8128. Loquere ad filios Iſraelis, quod ſignificet influxum Veri Divini apud illos qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit influxus, de qua n: 2951. 5481. 5797. 7270; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua n: 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; quod loqui ſit influxus, eſt

quia

quia Moſcheh in ſenſu interno repræſentativo eſt Divinum Verum, & Divinum Verum in perceptionem & cogitationem per influxum venit; cogitatio ex perceptione eſt loquela interna, cui loquela externa correſpondet, quare in ſenſu interno illa intelligitur per hanc.

8129. Et revertantur, quod ſignificet quod nondum præparati, conſtat ex ſignificatione reverti, nempe a via terræ Philiſtæorum ad viam deſerti ad mare Suph, quod ſit quod nondum præparati, nempe ad introductionem in cœlum, quæ ſignificatur per ingreſſum illorum in terram Canaanem. Quomodo hæc ſe habent, & quod reverti ſit quod non præparati, conſtare poteſt ab illis quæ ad Verſ: 18 Capitis præcedentis n: 8098. 8099, explicata & oſtenſa ſunt, quod nempe non in cœlum poſſent introduci, priuſquam ſubiverant tentationes, & Dominus per illas confirmaverat vera & bona, & conjunxerat illa; hoc per præparari hic intelligitur.

8130. Et caſtrametentur ante Pichiroth inter Migdal & inter mare ante Baal Zephon, quod ſignificet principium ſtatus ad ſubeundas tentationes, conſtat ex ſignificatione caſtrametari, quod ſit ordinatio veri & boni, de qua n: 4236. 8103 fin: hic ad ſubeundas tentationes; ille ſtatus eſt qui ſignificatur per loca illa ad quæ caſtrametarentur; quod ille ſtatus ſignificetur, patet a ſequentibus ex eo, quod Pharao cum exercitu ſuo ibi caſtra ſua dein poſuerit, & quod ex illis conſpectis filii Iſraelis in gravem anxietatem, per quam primus ſtatus tentationum ſignificatur, pervenerint; videantur ſequentia ad Verſ. 9. 10. 11. 12.

8131. E regione ejus caſtrametemini juxta mare, quod ſignificet quod inde tentationis influxus, conſtat ex ſignificatione e regione ejus, quod ſit juxta ut in conſpectu, in ſenſu interno, ut inde influxus; ex ſignificatione caſtrametari, quod ſit ordinatio veri & boni ad ſubeundas tentationes, ut nunc ſupra n: 8130; & ex ſignificatione maris Suph, quod ſit infernum, ubi falſa ex malis, de qua n: 8099. Quomodo intelligendum, quod inde tentationis influxus, paucis dicitur; Tentationes apud hominem ſunt pugnæ ſpirituales inter malos ſpiritus & inter bonos, pugnæ ſunt ex illis & de illis quæ homo egerat & cogitaverat, quæ in ejus memoria, mali ſpiritus incuſant & aggrediuntur, boni autem excuſant & defendunt; pugnæ illæ apparent ſicut in homine, nam quæ ex ſpirituali mundo apud hominem influunt, ſiſtuntur ſicut non inde, ſed in ipſo, videatur n: 741. 751. 761. 1820. 3927. 4249. 4307. 4572. 5036. 6657. 6666: ſimiliter ſe habet cum Spiritibus, cum ſubeunt tentationes: cum itaque ſubituri ſunt tentationes, diſponuntur apud illos interiora, hoc eſt, vera & bona, a Domino, in illum ſtatum, ut per influxum immediatum ab Ipſo, ac mediatum per Cœlum, reſiſti queant falſa & mala, quæ ab infernis, & ſic ille qui eſt in tentatione tutari: homo cum tentatur etiam juxta infernum eſt, imprimis juxta hoc infernum, quod ſignificatur per mare Suph, nam ibi ſunt illi qui in ſcientia veri fuerunt, ſed in vita mali, & inde in falſis ex malo; ex infernis per ſpiritus influunt illa quæ anxietatem inducunt homini in tentationibus: ex his conſtare poteſt, quid

intelligitur per tentationis influxum ab inferno, qui ſignificatur per quod e regione caſtrametarentur juxta mare Suph.

8132. Et dixit Pharao de filiis Iſraelis, quod ſignificet cogitationem illorum qui in damnatione de ſtatu illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, conſtat ex ſignificatione dicere, quod ſit cogitatio, de qua n: 7094. 7107. 7244. 7937; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui per falſa infeſtant, de qua n: 7107. 7110. 7126. 7142. 7220. 7228. 7317, hic qui in damnatione ſunt, hoc eſt, in meris falſis ex malo, nam qui mere in his, in damnatione ſunt; hic ſtatus per Pharaonem & Ægyptios ſignificatur, poſtquam primogenita ibi occiſa ſunt, nam per primogenita occiſa ſignificatur damnatio, n: 7766. 7778; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua mox ſupra n: 8128.

8133. Perplexi illi in terra, quod ſignificet quod in confuſo ſint quoad illa quæ Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione perplexum eſſe, quod ſit eſſe implicatum, ita in confuſo, de qua n: 2831; & ex ſignificatione terræ, quod ſint illa quæ Eccleſiæ; quod terra ſit Eccleſia, videatur n: 8011.

8134. Concluſit ſuper illos deſertum, quod ſignificet quod obſcuritas illos occupaverit, conſtat ex ſignificatione concludere ſuper illos, cum dicitur de obſcuritate, quæ ſignificatur per deſertum, quod ſit totos occupare; & ex ſignificatione deſerti, quod ſit obſcurum fidei, de qua n: 7313.

8135. Et indurabo cor Pharaonis, quod ſignificet quod obſtinarent ſe adhuc qui in falſis a malo, conſtat a ſignificatione indurare, quod ſit obſtinare ſe, de qua n: 7272. 7300. 7305; & ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis a malo, ſeu quod idem, qui in damnatione, ut ſupra n: 8132: cor Pharaonis dicitur, quia per cor in genuino ſenſu ſignificatur bonum amoris cœleſtis, n: 3313. 3635. 3883 ad 3896. 7542; inde in ſenſu oppoſito malum, hic malum illorum qui in ſcientia fidei & in vita mali fuerunt.

8136. Et perſequetur poſt illos, quod ſignificet quod adhuc conarentur ſubjugare illos, conſtat ex ſignificatione perſequi poſt illos, quod ſit conare ſubjugare; intentio enim quod perſequerentur erat ut redigerent in ſtatum ſervitutis, & per ſervire, ubi de Ægyptiis, ſignificatur intentio ſubjugandi, n: 6666. 6670. 6671.

8137. Et glorificabor, quod ſignificet quod viſuri effectum Divinum ex Divino Humano Domini in diſſipatione falſi, conſtat ex ſignificatione glorificari, cum de Jehovah ſeu Domino, quod ſit effectus Divinus, hic ex Divino Humano Ipſius, quia Dominus per quod venit in mundum, & aſſumſit Humanum, & Hoc Divinum fecit, in inferna conjecit omnia mala & falſa, ac cœlos redegit in ordinem, & quoque liberavit illos qui ab Eccleſia ſpirituali e damnatione, videatur n: 6854. 6914. 7091. 7828. 7932. 8018; hæc in genere ſignificantur per glorificari, hic autem ſignificatur quod illi qui infeſtaverunt probos, conjicerentur in infernum, ac ibi circumfunderentur falſis ſicut ab aquis maris, & hoc ut effectus Divinus ex ſola præſentia Domini. Ut ſciatur, quomodo cum hoc ſe habet, ulterius explicabitur; ſunt in-

ferna

ferna tot numero, quot ſunt genera & ſpecies malorum; quodlibet infernum eſt ſeparatum ab altero, ſicut per nimbos, nubes, ſeu aquas; mala & falſa in altera vita apparent coram oculis ſpirituum ſicut nimbi & nubes, & quoque ſicut aquæ, falſa ex malis illorum qui ab Eccleſia ſpirituali fuerunt & vixerunt male, ſicut aquæ, falſa autem ex malis illorum qui ab Eccleſia cœleſti ſicut nimbi; talibus circumfuſi apparent illi qui in infernis, ubivis cum differentia quoad quantum & quale, denſum & tenue, caliginoſum & obſcurum, hoc ſecundum genus & ſpeciem falſi ex malo; infernum ubi illi qui in fide ſeparata a charitate & in vita mali vixerunt, eſt circumfuſum ſicut ab aquis maris; falſa mali quidem illis qui ibi ſunt non apparent ſicut aquæ, ſed illis qui extra aſpiciunt: ſupra illud mare, ubi illi, ſunt inferna adulterorum; cauſa quod ibi ſupra ſint, eſt quia adulteria in ſenſu interno ſunt adulterationis boni & inde perverſionis veri, ita mala ex quibus falſa contra vera & bona fidei, n: 2466. 2729. 3399, qualia falſa apud illos ſunt qui in inferno infra, & vixerunt contra verum Eccleſiæ, ac bonum ejus prorſus nihili fecerunt, & quia hoc nihili fecerunt, etiam adulteraverunt & perverterunt omne id in Verbo, quod ibi de bono, hoc eſt, de charitate erga proximum & de amore in Deum, dicitur. Quod glorificationem in Pharaone & in exercitu illius attinet, eſt illa hic immerſio in infernum illud, & circumfuſio ab aquis ſicut maris, ex ſola præſentia Domini, ut ſupra dictum; mali enim præſentiam Domini, hoc eſt, præſentiam boni & veri quæ ab Illo, fugiunt, nam ad ſolum affluxum illorum horrent & cruciantur, & quoque ex præſentia illa circumfunduntur ſuis malis & falſis, nam tunc erumpunt ab illis; ac illa cingunt & interponuntur, ne Divinum influat & ex illo crucientur; hic effectus Divinus eſt, qui hic per glorificationem in Pharaone & in ejus exercitu ſignificatur; quod ille effectus ſit ex Divino Humano Domini, eſt, ut ſupra dictum, quia per id, quod Dominus in mundum venit, & aſſnmſit Humanum, & Hoc Divinum fecit, omnia falſa & mala in infernum conjecit, ac vera & bona in cœlis in ordinem redegit, & illos qui ab Eccleſia ſpirituali e damnatione liberavit.

8138. In Pharaone & in omni exercitu illius, quod ſignificet immerſionem illorum qui in falſis ex malo in infernum, & obſtipationem ibi a falſis ſicut ab aquis, conſtat ex illis quæ nunc ſupra n: 8137 memorata ſunt, nempe quod per Pharaonem ſignificentur illi qui in infernum conjecti ſunt, & quoque per exercitum illius, per Pharaonem illi qui in falſis ex malo, & per exercitum illius ipſa falſa; quod exercitus ſint vera ex bono, videatur n: 3448. 7236. 7988, & inde in oppoſito ſenſu falſa ex malo, n: 3448: obſtipatio a falſis ſicut ab aquis dicitur, quia falſa ex malo, qualia ſunt illorum qui ab Eccleſia in fide ſeparata ac in vita mali fuerunt, apparent ibi ſicut aquæ, n: 8137; inde etiam eſt, quod inundationes aquarum ſignificent vaſtationes veri, ac ibi aquæ falſa, n: 705. 739. 756. 6346. 7307. 6853.

8139. Et ſcient Ægyptii, quod Ego Jehovah, quod ſignificet quod inde

notum, quod Dominus ſit ſolus Deus, conſtat ex illis quæ n: 7401. 7444. 7544. 7598. 7636, explicata ſunt, ubi ſimilia.

8140. Et fecerunt ita, quod ſignificet obedientiam, conſtat abſque explicatione.

8141. Verſ: 5. 6. 7. 8. 9. *Et indicatum regi Ægypti, quod fugeret populus, & converſum eſt cor Pharaonis & ſervorum illius contra populum, & dixerunt, quid hoc fecimus, quod dimiſerimus Iſraelem a ſerviendo nobis. Et alligavit currum ſuum, & populum ſuum ſumſit ſecum. Et ſumſit ſexcentos currus electos, & omnes currus Ægypti; & tertiani duces ſuper omnes illos. Et induravit Jehovah cor Pharaonis regis Ægypti, & perſequutus poſt filios Iſraelis; & filii Iſraelis exeuntes manu excelſa. Et perſequuti Ægyptii poſt illos, & aſſequuti illos caſtrametantes juxta mare; omnes equi curruum Pharaonis, & equites illius, & exercitus illius, juxta Pi-Chiroth ante Baal-Zephon.* Et indicatum regi Ægypti, quod fugeret populus, ſignificat cogitationem illorum qui in meris falſis ex malo quod ſepararentur prorſus: & converſum eſt cor Pharaonis & ſervorum illius contra populum, ſignificat mutationem ſtatus in malum penes illos qui in falſis ex malo: & dixerunt, quid hoc fecimus, ſignificat increpationem: quod dimiſerimus Iſraelem a ſerviendo nobis, ſignificat quod reliquerint & non ſubjugaverint: & alligavit currum ſuum, ſignificat doctrinam falſi quæ fidei ſeparatæ in genere: & populum ſuum ſumſit ſecum, ſignificat cum omnibus & ſingulis falſis: & ſumſit ſexcentos currus electos, ſignificat omnia & ſingula doctrinalia falſi quæ fidei ſeparatæ in ſuo ordine: & omnes currus Ægypti, ſignificat etiam doctrinalia falſi ſervientia illis: & tertiani duces ſuper omnes illius, ſignificat ſub communibus in ordinem redacta: & induravit Jehovah cor Pharaonis regis Ægypti, ſignificat obſtinationem ex falſo quod ex malo: & perſequuti poſt filios Iſraelis, ſignificat conatum ſubjugandi illos qui in fide conjuncta charitati: & filii Iſraelis exeuntes manu excelſa, ſignificat cum tamen exemti ab eorum ſubjugationis conatu ex potentia Divina: & perſequuti Ægyptii poſt illos, ſignificat effectum ex conatu ſubjugationis illorum qui in falſis a malo: & aſſequuti illos caſtrametantes juxta mare, ſignificat communicationem circa regionem inferni ubi falſa ex malo: omnes equi curruum Pharaonis, & equites illius, & exercitus illius, ſignificat omnia quæ falſi ex intellectuali perverſo: juxta Pichiroth ante Baal-Zephon, ſignificat unde communicatio, & inde principium ſtatus ſubeundi tentationes.

8142. Et indicatum regi Ægypti quod fugeret populus, quod ſignificet cogitationem illorum qui in meris falſis ex malo, quod ſepararentur prorſus, conſtat ex ſignificatione indicari alicui, quod ſit cogitare & reflectere, de qua n: 2862. 5508; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua ſupra n: 8132. 8135, qui cum rex Ægypti nuncupatur, quod ſint qui in meris falſis, n: 7220. 7228, nam per regem ſignificantur vera, n: 1672. 2015. 2069. 4575. 4581. 4966. 5044. 6148, inde in oppoſito ſenſu falſa; & ex ſignificatione fugere, quod ſit ſeparari.

8143. Et converſum eſt cor Pharaonis & ſervorum illius contra populum, quod ſignificet mutationem ſtatus in malum penes illos qui in falſis a malo,

conſtat

conſtat ex ſignificatione converti cor, quod ſit mutatio ſtatus in malum; quod converti ſit mutari, hic quoad animum, ita quoad ſtatum patet, & quod cor ſit malum, videatur ſupra n: 8135; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua ſupra n: 8132; ex ſignificatione ſervorum, quod ſint qui inferioris ſortis ſunt & miniſtrant; & quia illi ſignificantur omnes & ſinguli qui in falſis ex malo n: 7396; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali: inde patet, quod per converſum eſt cor Pharaonis & ſervorum illius contra populum, ſignificetur mutatio ſtatus in malum penes omnes illos qui in falſis ex malo contra illos qui ab Eccleſia ſpirituali.

8144. Et dixerunt, quid hoc fecimus, quod ſignificet increpationem nempe ſui, conſtat abſque explicatione.

8145. Quod dimiſerimus Iſraelem a ſerviendo nobis, quod ſignificet quod reliquerint & non ſubjugaverint, conſtat ex ſignificatione dimittere, quod ſit relinquere; & ex ſignificatione a ſerviendo ſibi, cum ab Ægyptiis de filiis Iſraelis, quod ſit ab impugnando per falſa & infeſtando, de qua n: 7120. 7129, & per id a ſubjugando, n: 6666. 6670. 6671.

8146. Et alligavit currum ſuum, quod ſignificet doctrinam falſi quæ fidei ſeparatæ in genere, conſtat ex ſignificatione currus, quod ſit doctrina, de qua n: 2760. 5321. 5945, hic doctrina falſi, quæ fidei ſeparatæ, quia currus Pharaonis, & per Pharaonem repræſentantur falſa quæ fidei ſeparatæ; nam qui in fide ſeparata a charitate, & ſimul in vita mali ſunt, non poſſunt aliter quam in falſis eſſe, n: 8094. In nunc ſequentibus agitur de collectione omnium falſitatum ex malo apud illos qui in fide ſeparata a charitate & in vita mali fuerunt: actum eſt in præcedentibus de vaſtatione verorum fidei apud illos, & tandem de reductione ad illum ſtatum, ut in meris falſis ex malo eſſent, ita in damnatione; in hoc Capite nunc agitur de dejectione illorum in infernum, nam dejectio in infernum ſequitur damnationem: cum hoc ſtatu, nempe cum ſtatu dejectionis in infernum ita ſe habet; cum hoc fiet, colliguntur tunc in unum omnia falſa quæ illis, quod fit per aperitionem omnium infernorum cum quibus communicationem habuerunt, & infunduntur in illos; inde falſorum ex malo condenſationes circum illos, quæ illis qui extra aſpiciunt, apparent ſicut aquæ, n: 8137. 8138, ſunt exhalationes ex vita illorum; quum his circumfunduntur, tunc in inferno ſunt: quod falſa ex malo in unum colligantur, & infundantur in illos, fit ob cauſam, ut circumſtipentur talibus quæ vitæ illorum fuerant, ac in illis poſtea teneantur, genus mali & inde falſi tunc diſtinguit illos, & infernum illorum ab aliis infernis: quia agitur de collectione omnium falſorum ex malo, quæ illis, ideo toties in hoc Capite memorantur Pharaonis currus, ejus equi, equites, exercitus, & populus, nam per illa ſignificantur omnia falſi quæ apud illos; ut in hoc Verſu "Alligavit *currum ſuum*, & *populum ſuum* ſumſit ſecum;" Verſu 7mo "Sumſit *ſexcentos currus* electos, & *omnes currus Ægypti*;" Verſ: 9 "Et perſequuti Ægyptii poſt illos, omnes *equi curruum* Pharaonis, & *equites illius*, & *exercitus illius*;" Verſ: 17 "Glorificabor in *Pharaone*, in omni *exercitu* illius, in

curribus

curribus illius, & *in equitibus* illius;" Verſ: 18, ſimiliter; Verſ: 23 "Et perſequuti Ægyptii, & venerunt poſt illos, *omnes equi Pharaonis, currus* illius, & *equites* illius;" Verſ: 25 "Jehovah removit *rotam curruum* illorum;" Verſ: 26 "Revertantur aquæ ſuper Ægyptios, ſuper *currus* illorum, & ſuper *equites* illorum;" Verſ: 28 "Reverſæ ſunt aquæ, & obtexerunt *currus* & *equites*, ad omnem *exercitum* Pharaonis:" hæc toties repetita ſunt, quia agitur de falſis ex malo, quod collecta & infuſa in illos; per illa enim ſignificantur omnia falſi ex malo, per Pharaonem & Ægyptios ipſi illi qui in falſis ex malo ſunt; per currus doctrinalia falſi; per equos ſcientifica falſa ex intellectuali perverſo; per equites, ratiocinia inde; per exercitum & populum ipſa falſa.

8147. Et populum ſuum ſumſit ſecum, quod ſignificet cum omnibus & ſingulis falſis, conſtat ex ſignificatione populi, quod ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581, hic falſa ex malo, quæ repræſentantur per Pharaonem & Ægyptios. Cum dicitur Pharao ac ſervi illius, aut Pharao & populus illius, ſignificantur omnes & ſinguli qui in illis falſa, tum omnia & ſingula falſa, n: 7396.

8148. Et ſumſit ſexcentos currus electos, quod ſignificet omnia & ſingula doctrinalia falſi quæ fidei ſeparatæ in ſuo ordine, conſtat ex ſignificatione numeri ſexcentorum; quod ſint omnia & ſingula veri & boni fidei in uno complexu, ita in oppoſito ſenſu omnia & ſingula falſi & mali fidei ſeparatæ a charitate; quod hæc per ſexcenta ſignificentur, conſtare poteſt ex illis quæ de numero ſexcentorum millium, n: 7973, oſtenſa ſunt; & ex ſignificatione curruum, quod ſint doctrinalia fidei, hic fidei ſeparatæ, de qua mox ſupra n: 8146; per currus electos ſignificantur doctrinalia illius fidei præcipua, ex quibus reliqua dependent; quæ ab illis dependent, ſeu illis ſerviunt, ſignificantur per currus Ægypti, de quibus mox ſequitur. Sciendum, quod hæc falſa, quæ hic per Pharaonem, exercitum, & populum illius, tum per currus, equos & equites illius ſignificantur, ſunt præcipue falſa illorum qui in fide perſuaſiva ſunt, hoc eſt, qui perſuadent ſibi quod doctrinalia Eccleſiæ, in qua ſunt, vera ſint, & tamen in vita mali ſunt; fides perſuaſiva datur cum malo vitæ, non autem fides ſalvifica, nam fides perſuaſiva eſt perſuaſio quod vera ſint omnia quæ doctrinæ Eccleſiæ, non propter verum, nec propter vitam, ne quidem propter ſalutem, nam hanc vix credunt, ſed propter lucrationes, hoc eſt, propter aucupandos honores & opes, & propter famam, illorum cauſa; ut talia lucrentur diſcunt doctrinalia, ita non ob finem ut ſerviant Eccleſiæ ac ſaluti animarum, ſed ut ſibi & ſuis; quare illis perinde eſt, ſive doctrinalia illa ſint vera vel falſa, hoc non curant, minus inquirunt, nam in nulla affectione veri propter verum ſunt; ſed illa, qualiacunque ſunt, confirmant, & cum confirmaverunt, perſuadent ſibi quod vera ſint, non cogitantes quod confirmari queant æque falſa ac vera, n: 4741. 5033. 6865. 7012. 7680. 7950; inde fides perſuaſiva; quæ quia non pro fine habet ac intuetur proximum, & ejus bonum, ita nec Dominum, ſed ſe & mundum, hoc eſt, honores & lucrum, conjungitur illa cum malo vitæ, non autem cum bono vitæ,

vitæ, nam fides cum hoc conjuncta eſt ſalvifica; hæc fides datur a Domino, illa autem eſt ab ipſo homine; illa manet in æternum, hæc diſſipatur in altera vita; etiam diſſipatur in mundo, ſi nihil per illam lucrantur; at quamdiu lucrantur, militant pro illa, ſicut pro ipſo cœlo, cum tamen non pro illa ſed pro ſe; nam illa quæ fidei ſunt, hoc eſt, doctrinalia, ſunt illis pro mediis ad finem, hoc eſt, ad eminentiam & opulentiam: qui in hac fide ſunt in mundo, ægre poſſunt diſtingui ab illis qui in fide ſalvifica, nam loquuntur & prædicant ex ardore ſicut Zeli pro doctrinali, ſed eſt ardor ex igne amoris ſui & mundi. Hi ſunt, qui imprimis per Pharaonem & Ægyptios ſignificantur, & qui in altera vita quoad finem illam vaſtantur, qua vaſtata, ſunt illi in meris falſis ex malo; nam falſa tunc erumpunt ex malo; omne enim malum ſecum habet ſuum falſum, conjuncta enim ſunt; & falſa illa apparent, cum relinquuntur malo vitæ ſuæ; malum tunc eſt quaſi ignis, & falſa ſunt ſicut lumen inde. Hoc genus mali & inde falſi, prorſus differt a generibus aliorum malorum & inde falſorum, eſt deteſtabilius reliquis, quia eſt contra bona & vera fidei, & inde iſti malo prophanatio ineſt; prophanatio eſt agnitio veri & boni, & uſque vita contra illa, n: 593. 1008. 1010. 1059. 2051. 3398. 3898. 4289. 4601. 6960. 6963. 6971.

8149. Et omnes currus Ægypti, quod ſignificet etiam doctrinalia falſi inſervientia illis, conſtat ex ſignificatione curruum Pharaonis, quod ſint doctrinalia falſi præcipua, a quibus reliqua dependent, inde per currus Ægypti ſignificantur doctrinalia falſi, quæ illis inſerviunt, de quibus nunc ſupra n: 8149; nam per regem & illius currus ſignificantur principalia, at per populum ſeu per Ægyptios, & illorum currus, ſignificantur ſecundaria. Doctrinalia Eccleſiæ apud illos qui in malo vitæ ſunt, dicuntur doctrinalia falſi, tametſi poſſunt eſſe quoad partem, minorem aut majorem, vera; cauſa eſt, quia vera apud illos qui in malo vitæ ſunt, quantum ad illos, non ſunt vera, per applicationem enim ad malum, quod vitæ, exuunt eſſentiam veri, & induunt naturam falſi, nam ſpectant ad malum, cui ſe conjungunt; malo conjungi vera nequeunt, niſi hæc falſificentur, quod fit per interpretationes ſiniſtras, & ſic perverſiones; inde eſt, quod doctrinalia Eccleſiæ apud illos dicantur doctrinalia falſi, tametſi vera fuerint; nam canon eſt, quod vera apud illos qui in malo vitæ ſunt, falſificentur, ac falſa apud illos qui in bono vitæ ſunt, verificentur; quod falſa apud hos verificentur, eſt quia applicantur ut concordent bono, ſic ipſæ ruditates falſi abſterguntur, videatur n: 8051.

8150. Et tertiani duces ſuper omnes illius, quod ſignificet ſub communibus in ordinem redacta, conſtat ex ſignificatione Tertianorum ducum, quod ſint communia, ſub quibus particularia; quod tertiani duces id ſignificent, eſt quia tria, a quibus tertiani dicuntur, ſignificant completum & integrum, n: 2788. 4495. 7715, ac duces præcipua, hæc ſimul cum illis ſunt communia, nam ſub communibus ordinantur omnia & ſingula quæ erunt in ſerie, ordinatio ſub communibus facit, ut ſingula unum agant, utque in forma ſint, & habeant quale ſimul: de communibus; quod ſub illis particularia, & ſub his ſingularia, vi-

deatur

deatur n: 920. 2384. 3739. 4325 f. 4329. 4345. 4383. 5208. 5339. 6115. 6146.

8151. Et induravit Jehovah cor Pharaonis, quod ſignificet obſtinationem ex falſo quod ex malo, conſtat ex ſignificatione indurare cor, quod ſit ſe obſtinare, de qua n: 7272. 7300. 7305. 7616: quod dicitur quod Jehovah induraverit cor illius, in ſenſu interno ſignificat, quod ipſi qui in malo & falſo induraverint ſe, ita ipſa mala & falſa, de qua re videatur n: 2447. 6073. 6992. 6997. 7533. 7643. 7877. 7926.

8152. Et perſequutus poſt filios Iſraelis, quod ſignificet conatum ſubjugandi illos qui in fide conjuncta charitati, conſtat ex ſignificatione perſequi, quod ſit conatus ſubjugandi, ut n: 8136; & ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpius; ita qui in fide conjuncta charitati, nam qui ab illa Eccleſia ſunt, in illa fide tam quoad doctrinam quam quoad vitam ſunt; bonum fidei ſeu charitas eſt eſſentiale, ita primo loco, illis qui ab Eccleſia genuina ſpirituali; aſt quibus fides, ſeparata a bono ejus, tam quoad doctrinam quam quoad vitam, eſt verum fidei ſeu fides eſſentiale ſeu primo loco, hi non ſunt ab Eccleſia illa, nam vita facit Eccleſiam, non autem doctrina, niſi quantum hæc fit vitæ: inde patet, quod Eccleſia Domini non ſit hic aut ibi, ſed quod ſit ubivis, tam intra illa regna ubi Eccleſia, quam extra illa, ubi vivitur ſecundum præcepta charitatis: inde eſt, quod Eccleſia Domini ſit per univerſum orbem ſparſa, & tamen quod una ſit; cum enim vita facit Eccleſiam, & non doctrina ſeparata a vita, tunc Eccleſia una eſt, at cum doctrina facit Eccleſiam, tunc plures ſunt.

8153. Et filii Iſraelis exeuntes manu excelſa, quod ſignificet cum tamen exemti ab eorum ſubjugationis conatu potentia Divina, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ſeu in fide conjuncta charitati, ut nunc ſupra n: 8152; ex ſignificatione exire, quod ſit liberari, ſeu eximi a conatu ſubjugationis illorum; qui conatus ſignificatur per perſequi, n: 8152; & ex ſignificatione manus excelſæ, quod ſit potentia Divina, per manum enim ſignificatur potentia, n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 5544. 6292. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8069, & per excelſum ſignificatur Divinum; quod excelſum ſit Divinum, eſt quia per illud intelligitur cœlum ubi Divinum; inde in Verbo de Jehovah ſeu Domino dicitur, quod habitet in excelſo, & Ipſe vocatur Altiſſimus; ut apud Eſaiam "*Exaltatus* Jehovah, quia inhabitat *Excelſum*" XXXIII: 5 Apud Eundem "Sic dixit *Altus* & *Excelſus*, habitans in æternum, & Cujus Nomen Sanctus, in ſancto & *Alto* habito" LVII: 15. Apud Davidem "Jehovah miſit *de Alto* & eripuit me" Pſalm: XVIII: 17: inde Jehovah vocatur *Altiſſimus*, Deut: XXXII: 18. Dan: IV: 14. 21. 31. Cap: VII: 18. 22. 25. Pſalm: VII: 18. Pſalm: IX 3. Pſalm: XVIII: 14. Pſalm: XLVI: 5. Pſalm: L: 14. Pſalm: LVII: 3. Pſalm: LXXXII: 6. Quia Altum ſignificabat cœlum, ac inibi Divinum, inde Cultus Divinus ab illis qui ab Eccleſia repræſentativa, inſtituebatur ſuper montibus, ac ſuper locis altis; ac ideo

ideo quoque in Excelſis, quæ ſibi etiam ædificabant, de quibus paſſim in Hiſtoricis & Propheticis Verbi, ut apud Ezechielem " Ædificaſti tibi *Excelſum*, & feciſti tibi *Altum* in omni platea; ſuper omni capite viæ ædificaſti *Excelſum* tuum" XVI: 24. 25. 31. Quod Divinum ſignificatum ſit per altum, eſt quia per Cœlum ſtelliferum ſignificatum eſt Cœlum Angelicum, & etiam creditum quod ibi eſſet; ſed ſapientiores illorum ſciebant, quod Cœlum non eſſet in alto, ſed ubi bonum amoris, & hoc intus in homine, ubicunque is eſſet: quod alta ſint interiora, ſeu bona quæ ibi, videatur n: 450. 1735. 2148. 4210. 4599.

8154. Et peſequuti Ægyptii poſt illos, quod ſignificet effectum ex conatu ſubjugationis illorum qui in falſis ex malo, conſtat ex ſignificatione perſequi, quod ſit conatus ſubjugationis, ut ſupra n: 8152, hic effectus ab illo conatu, quia iterum dicitur; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis a malo, de qua prius ſæpe.

8155. Et aſſequuti illos caſtrametantes juxta mare, quod ſignificet communicationem circa regionem inferni ubi falſa ex malis, conſtat ex ſignificatione aſſequi quod ſit communicatio; nam aſſequi ſeu attingere in ſpirituali ſenſu eſt influxus, per quem communicatio, hic falſorum ex malo illorum qui per Ægyptios ſignificantur, cum illis qui per Iſraelem: quod communicatio ibi, conſtat a tentatione, quam primum ibi ſubiverunt, de qua in ſequentibus; omnis tentatio exiſtit per influxum ab infernis, ita per communicationem, n: 8131; ex ſignificatione caſtrametari, quod ſint ordinationes veri & boni a Domino ad ſubeundas tentationes, n: 8103. 8130. 8131; & ex ſignificatione maris, hic maris Suph; quod ſit infernum, ubi falſa ex malo illorum qui in fide ſeparata a charitate, & in vita mali, n: 8090. 8137. 8148.

8156. Omnes equi curruum Pharaonis, & equites illius, & exercitus illius, quod ſignificet omnia quæ falſi ex intellectuali perverſo, conſtat ex ſignificatione equorum, quod ſint intellectuale, de qua n: 2761. 2762. 3217. 5321. 7024. 8029, hic intellectuale perverſum, quale eſt illorum qui in molo, & inde in falſo; ex ſignificatione curruum, quod ſint doctrinalia, de qua n: 2760. 5321. 5945. 8146; ex ſignificatione equitum, quod ſint illa quæ intellectus, de qua n: 6534, hic ratiocinia falſa ex intellectuali perverſo; & ex ſignificatione exercitus, quod ſint falſa, de qua ſupra n: 8138: ex his patet, quod per equos curruum Pharaonis & equites illius & exercitum illius, ſignificentur ſcientifica, raciocinia, & falſa ex intellectuali perverſo, ita omnia quæ falſi.

8157. Juxta Pi-chiroth ante Baal-Zephon, quod ſignificet unde communicatio, & inde principium ſtatus ſubeundi tentationes, conſtat ex illis ſupra n: 8130.

8158. Verſ: 10. 11. 12. 13. 14. *Et Pharao appropinquavit; & ſuſtulerunt filii Iſraelis oculos ſuos, & ecce Ægyptius proficiſcens poſt illos, & timuerunt valde; & clamaverunt filii Iſraelis ad Jehovam. Et dixerunt ad Moſchen, numne nulla ſepulchra in Ægypto, ſumſiſti nos ad moriendum in deſerto; quid hoc*

feciſti nobis, ad educendum nos ex Ægypto. Nonne hoc verbum quod loquuti ſumus ad te in Ægypto, dicendo, ceſſa a nobis, & ſerviamus Ægyptiis, quia bonum nobis ſervire Ægyptiis præ mori nos in deſerto. Et dixit Moſcheh ad populum, ne timeatis, conſiſtite, & videte ſalutem Jehovæ, quam faciet vobis hodie; quia quos videtis Ægyptios hodie, non addetis videre illos amplius uſque in ſæculum. Jehovah militabit pro vobis; & vos taceatis. Et Pharao appropinquavit, ſignificat influxum falſi ex malo gravem inde: & ſuſtulerunt filii Iſraelis oculos ſuos, ſignificat intellectuale mentis & cogitationem: & ecce Ægyptius proficiſcens poſt illos, ſignificat ingraveſcentiam falſi continue creſcentem: & timuerunt valde, ſignificat horreſcentiam: & clamaverunt filii Iſraelis ad Jehovam, ſignificat ſupplicationem de ope: & dixerunt ad Moſchen, ſignificat tentationis ſummum cum deſperatio: numne nulla ſepulchra in Ægypto, ſumſiſti nos ad moriendum in deſerto, ſignificat ſi damnatio quod æque fuerit ſi illa per falſa infeſtantium, vel ſi per ſtatum tentationum in quo ſuccumberent: quid hoc feciſti nobis, ad educendum nos ex Ægypto ſignificat quod irritum eſſet quod ex infeſtationibus a falſis liberati ſint: nonne hoc verbum quod loquuti ſumus ad te in Ægypto, dicendo, ſignificat quod tale quid cogitatum cum infeſtati a falſis: ceſſa a nobis, & ſerviamus Ægyptiis, ſignificat quod non retraherentur quin ſe dedant: quia bonum nobis ſervire Ægyptiis præ mori in deſerto, ſignificat quod damnatio per falſi violentiam in ſtatu infeſtationum præſtaret damnatione quæ per ſuccumbentiam in ſtatu tentationum: & dixit Moſcheh ad populum, ſignificat elevationem e ſtatu deſperationis per Verum Divinum: ne timeatis, ſignificat quod non deſperandum: conſiſtite & videte ſalutem Jehovæ, ſignificat ſalvationem a Domino ſolo, ac nihil ab illis: quam faciet hodie, ſignificat quæ in æternum: quia quos videtis Ægyptios hodie, non addetis videre illos amplius uſque in ſæculum, ſignificat quod falſa quæ ſemel amoventur erunt in æternum amota: Jehovah militabit pro vobis, ſignificat quod Dominus ſolus tentationum pugnas ſuſtineat: & vos taceatis, ſignificat quod ex ſuis viribus prorſus nihil efficient.

8159. Et Pharao appropinquavit, quod ſignificet influxum falſi ex malo gravem inde, conſtat ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua n: 8132. 8135. 8146. 8148.; & ex ſignificatione appropinquare, quod ſit influxus: in ſenſu interno agitur de prima tentatione illorum; qui liberati ſunt, ac omnis tentatio fit per influxum ab infernis, ſpiritus enim qui inde ſunt, excitant & depromunt omnia male acta & male cogitata quæ apud hominem, & per illa incuſant eum & damnant, inde conſcientia læditur, & mens in anxietatem venit; hæc fiunt per influxum ab infernis, imprimis ab hoc inferno, quod repræſentatur per mare Suph; ex his conſtare poteſt, quod per appropinquare in ſenſu ſpirituali, in quo de tentationibus agitur, ſignificetur influxus. Quia in Verſibus nunc ſequentibus agitur de Tentatione prima illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, ſciendum quod prius tentationes ſubire nequiverint, quam poſtquam Dominus Humanum ſuum glorificavit, hoc eſt, Divinum fecit, & in Hoc apud illos præſens eſſet; ſi prius, tunc ſuccubuiſſent, nam illi, qui ab Eccleſia ſpirituali, unice ſalvati ſunt per Divinum

vinum Humanum Domini: tentationes illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, quas ſubituri poſtquam Dominus in mundum venit, & tunc ex Divino Humano potuit pro illis contra inferna pugnare, intelliguntur per hæc apud Malachiam "Subito veniet ad Templum ſuum Dominus, Quem vos quæritis, & Angelus fæderis Quem vos deſideratis, ecce venit dixit Jehovah Zebaoth: quis ſuſtinet diem adventus Ipſius, & quis conſiſtet cum apparuerit; *Ille enim ſicut ignis conflatoris, & ſicut ſmegma fullonum, ſedebit conflans & purgans argentum, & purificabit filios Levi, & defæcabit illos, ſicut aurum & ſicut argentum*; ut ſint adferentes Jehovæ mincham in juſtitia; tunc ſuavis erit Jehovæ minchah Jehudæ & Hieroſolymæ, juxta dies æternitatis, & juxta annos priores" III: 1. 2. 3. 4, manifeſte ibi de Domini adventu; filii Levi ibi ſunt qui ab Eccleſia ſpirituali, nam per Levi ſignificatur charitas ſeu bonum ſpirituale, n: 3875. 4497. 4502. 4503, ignis conflatoris eſt tentatio, per quam purificatio, quæ his intelligitur per purgare & defæcare illos ſicut aurum & argentum; minchah quam adferent Jehovæ, eſt fides & charitas; dies æternitatis & anni priores, ſunt antiquæ Eccleſiæ, ac ſtatus cultus Domini tunc. Quod Tentationes attinet, illæ ſe habent, ſicut ſupra n: 8131, dictum, quod inferna pugnent contra hominem, & Dominus pro homine; ad quodcunque falſum, quod inferna inferunt, eſt reſponſum a Divino; falſa, quæ ab infernis, injiciuntur & influunt in externum ſeu naturalem hominem, ſed reſponſum a Divino influit in internum ſeu ſpiritualem; hoc quod a Divino non ita ad perceptionem hominis pervenit, ſicut illa, nec illud ſingularia cogitationis movet, ſed communia ejus, at ita, ut vix ad perceptionem aliter veniat, quam ſicut ſpes, & inde conſolatio, in qua tamen innumerabilia ſunt, quæ homo neſcit, ſunt talia, quæ conveniunt affectioni ſeu amori illius, imprimis affectioni ſeu amori veri & boni, ex quibus illius conſcientia. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod per vitam filiorum Iſraelis in deſerto deſcribantur tentationes in ſua ſerie, quas ſubiverunt illi qui ab Eccleſia ſpirituali Domini fuerunt, & liberati: quod Tentationes ſubiverint, erat ut alterius præpararentur ad cœlum; nam per tentationes, ut per unica media, confirmantur bona & vera, & conjunguntur, & per illas charitas fit charitas fidei, & fides fit fides charitatis: quod tentationes ſubituri illi qui ab Eccleſia, intelligitur per hæc quæ Dominus dixit apud Matthæum "Quiſquis non *ſuſcipit crucem ſuam*, & ſequitur poſt Me, non eſt Me dignus" X: 38. 39. Marc: VIII: 31 ad fin. Apud Eundem "Dixit diſcipulis ſuis, ſi quis vult poſt Me venire, abneget ſe ipſum, *tollat crucem ſuam*, & ſequatur Me" XVI: 24. 25. Luc: IX: 23. 24. Apud Lucam "Quiſquis *non portat crucem ſuam*, venitque poſt Me, non poteſt eſſe meus diſcipulus" XIV: 27. Apud Marcum "Jeſus ad divitem, veni, ſequere Me, *tollens crucem*" X: 21. Et apud Matthæum "Ne exiſtimate quod venerim ad mittendum pacem ſuper terram, *non veni mittere pacem, ſed gladium*" X: 34. Sed ſciendum, quod in tentationibus non homo pugnet, ſed Dominus ſolus pro homine, tametſi hoc apparet ſicut ab homine, & cum Dominus pugnat pro homine, vincit homo in omnibus: hodie pauci in tentationes admittuntur, ex cauſa quia non in vita fidei ſunt,

& inde non in conſcientia veri, & qui non in conſcientia veri ex bono vitæ, is ſuccumbit, inde ſtatus ejus ſequens pejor fit ſtatu priori.

8160. Et ſuſtulerunt filii Iſraelis oculos ſuos, quod ſignificet intellectuale mentis & cogitationem, conſtat ex ſignificatione oculorum, quod ſint intellectuale mentis, de qua n: 2701. 3820. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534; inde tollere oculos eſt intuitio, perceptio & cogitatio, n: 2789. 2829. 3198. 3202. 4083. 4086. 4339.

8161. Et ecce Ægyptius proficiſcens poſt illos, quod ſignificet ingraveſcentiam falſi continue creſcentem, conſtat ex ſignificatione Ægyptii, quod ſint qui in falſis ex malo, ita quoque ipſum falſum ex malo, de qua n: 8132. 8135. 8146. 8148; & ex ſignificatione proficiſci poſt illos, quod ſit influxus & communicatio propior; per appropinquavit Pharao ſignificatus eſt influxus falſi ex malo, n: 8159, inde per proficiſci poſt illos ſignificatur influxus adhuc propior, ita gravior; inde eſt quod ſignificetur ingraveſcentia falſi continue creſcens. In mox ſequentibus deſcribitur tentatio, quæ quia exiſtit per influxum falſi ex malo ab infernis, ideo nunc deſcribitur ejus appropinquatio, hoc eſt, ingraveſcentia creſcens.

8162. Et timuerunt valde, quod ſignificet horreſcentiam, conſtat ex ſignificatione timere, cum prædicatur de tentatione, quod ſit horror ſeu horreſcentia: quod timor ſit horreſcentia, eſt quia cum tentatio ingruit, ex falſis & malis conſcientia percellitur, ita internus homo, nam conſcientia eſt interni hominis, inde horror, qui eſt averſatio conjuncta timori pro morte ſpirituali; horror exiſtit ex ſolo influxu falſi & mali apud illos qui conſcientiam habent, nam conſcientia eſt ex vero & bono fidei, ita ex illis quæ faciunt vitam ſpiritualem; falſa & mala ſunt deſtruentia illam vitam, ita conantia inferre mortem, hoc eſt, damnationem, inde horreſcentia.

8163. Et clamaverunt filii Iſraelis ad Jehovam, quod ſignificet ſupplicationem de ope, conſtat abſque explicatione.

8164. Et dixerunt ad Moſchen, quod ſignificet tentationis ſummum & deſperationem, conſtat ex illis quæ ſequuntur, nam illa involvuntur in *dixerunt*; quod ſequentia verba ſint verba tentationis cum hæc ad ſummum venit, & cum deſperatio, patet: deſperatio dicitur, quia hæc plerumque eſt finis ſeu in fine tentationum ſpiritualium, n: 1787. 2694. 5279. 5280. 7147. 7155. 7166. Quia hodie pauci ſunt, qui tentationes ſpirituales ſubeunt, & inde ignotum quomodo cum illis ſe habet, aliquid de illis ulterius licet dicere: ſunt Tentationes ſpirituales & ſunt Tentationes naturales; tentationes ſpirituales ſunt Interni hominis, naturales autem ſunt externi; tentationes ſpirituales quandoque exiſtunt abſque tentationibus naturalibus, quandoque cum illis, tentationes naturales ſunt, cum homo patitur quoad corpus, quoad honores, quoad opes, verbo quoad vitam naturalem, ut fit in morbis, infortuniis, perſequutionibus; punitionibus non ex juſto, ac ſimilibus; anxietates quæ tunc exiſtunt, ſunt quæ intelliguntur per tentationes naturales; ſed hæ tentationes prorſus nihil faciunt ad vitam ejus ſpiritualem, nec dici poſſunt tentationes ſed dolores; exiſtunt enim ex læſione vitæ naturalis, quæ eſt amoris

ſui

ſui & mundi; in his doloribus ſunt quandoque ſcelerati, qui ex plus dolent & anguntur, quo plus ſe & mundum amant, & ſic inde vitam habent. At tentationes ſpirituales ſunt Interni hominis, & aggrediuntur ejus vitam ſpiritualem; anxietates tunc non ſunt propter aliquam jacturam vitæ naturalis, ſed propter jacturam fidei & charitatis,& conſequenter ſalutis; inducuntur hæ tentationes ſæpe per tentationes naturales, nam cum homo in his eſt, nempe in morbo, dolore, jactura opum, aut honoris, & ſimilibus, ſi tunc cogitatio venit de ope Domini, de Providentia Ipſius, de ſtatu malorum quod glorientur & exultent, cum boni patiuntur, ac varias dolores & varias jacturas ſubeunt, tunc eſt tentatio ſpiritualis conjuncta tentationi ſpirituali: talis fuit ultima Tentatio Domini, in Gethſemane, & cum crucem paſſus eſt, quæ fuit omnium atrociſſima. Ex his patet, quid tentatio naturalis, & quid ſpiritualis. Datur quoque tertium genus, nempe anxietas melancholica, quæ ex ſtatu infirmo corporis aut animi ut plurimum cauſam trahit; illi anxietati poteſt aliquid tentationes ſpirituales ineſſe, & poteſt nihil ejus ineſſe.

8165. Numne nulla ſepulchra in Ægypto, ſumſiſti nos ad moriendum in deſerto, quod ſignificet ſi damnatio, quod æque fuerit ſi illa per falſa infeſtantium, vel ſi per ſtatum tentationum in quo ſuccumberent, conſtat ex ſignificatione ſepulchrorum, quod ſint damnatio, de qua n: 2916. 4832; ex ſignificatione Ægypti, quod ſint infeſtationes, de qua n: 7278, nam per Ægyptios & Pharaonem repræſentantur qui in altera vita per falſa infeſtant, n: 7097. 7107. 7110. 7126. 7142. 7317; ex ſignificatione mori, quod etiam ſit damnatio, de qua n: 5407. 6119. 7494; & ex ſignificatione deſerti, quod ſit ſtatus ſubeundi tentationes, n: 8098; inde mori in deſerto, eſt ſuccumbere in tentatione, & inde damnari: ex his patet, quod per numne nulla ſepulchra in Ægypto, ſumſiſti nos ad moriendum in deſerto, ſignificetur ſi damnatio, quod æque fuerit ſi illa per falſa infeſtantium, ita in ſtatu in quo prius fuerunt, vel ſi per tentationes in quibus ſuccumberent, ita in ſtatu in quem poſtea veniunt. Quod hæc verba ſint verba deſperationis, patet; penes illos qui in deſperatione ſunt, quæ eſt ultimum tentationis, etiam talia cogitantur, & tunc quaſi in proclivi ſunt, ſeu quaſi in lapſu ad infernnm; verum cogitatio talis tunc nihil nocet, nec ab angelis attenditur, nam cuique homini eſt potentia limitata, cum tentatio uſque ad limitem ultimum potentiæ ejus venit, tunc homo non ultra ſuſtinet, ſed labitur; verum tunc, hoc eſt, cum in proclivi ad labendum eſt, elevatur is a Domino, & ſic a deſperatione liberatur; plerumque tunc perducitur in ſtatum ſpei & inde conſolationis clarum, & quoque in fauſtum. Dicitur damnatio per ſtatum tentationum in quo ſuccumberent, quia qui in tentationibus ſuccumbunt, illi in damnationis ſtatum veniunt; tentationes enim ſunt propter finem ut confirmentur vera & bona, ac conjungantur, ut inde fides & charitas, ſed hic finis obtinetur quando homo in tentationibus vincit; at cum ſuccumbit, tunc rejiciuntur vera & bona, & confirmantur falſa & mala; inde ſtatus damnationis illis.

8166. Quid hoc feciſti nobis ad educendum nos ex Ægypto, quod ſignificet

ficet quod irritum eſſet quod ex infeſtationibus a falſis liberati ſint, conſtat ex ſignificatione quid hoc feciſti nobis, quod ſit quod irritum eſſet; ex ſignificatione educi, quod ſit liberari; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſint infeſtationes, de qua mox ſupra n: 8164.

8167. Nonne hoc verbum quod loquuti ſumus ad te in Ægypto, dicendo, quod ſignificet quod tale quid cogitatum cum infeſtati a falſis, conſtat ex ſignificatione nonne hoc verbum quod loquuti, quod ſit tale quod cogitatum, nam per hoc verbum ſignificatur hæc res, ita tale quid; & per loqui, cogitare, quod loqui ſit influxus & inde receptio, videatur n: 5797. 7270. 8128, ita quoque cogitatio, n: 2271. 2287. 2619; & ex ſignificatione Ægypti, quod ſit infeſtatio a falſis, ut ſupra n: 8164.

8168. Ceſſa a nobis & ſerviamus Ægyptiis, quod ſignificet quod non retraherentur quin ſe dedant, conſtat a ſignificatione ceſſare a nobis, quod ſit, cum de infeſtationibus dicitur, non inhibere & non retrahere; & ex ſignificatione ſervire Ægyptiis, quod ſit ſe dare victos illis qui per falſa infeſtant, ita quin ſe dedant: quod ceſſare a nobis, cum in ſtatu infeſtationum & quoque in ſtatu tentationum dicitur de influxu Veri Divini, quod per Moſchen repræſentatur, ſit non inhibere & non retrahere, eſt quia binæ vires ſeu potentiæ in illis agunt, una quæ ex falſis quæ injiciuntur ab infernis in externum hominem, altera quæ eſt ex veris quæ inſinuantur a Domino in internum, n: 8163; hæ binæ vires agunt contra ſe mutuo, falſa, quæ injiciuntur ab infernis, vim & potentiam ſuam habent ab amore ſui & mundi, qui in homine; at vera quæ inſinuantur a Domino, vim & potentiam ſuam habent ab amore erga proximum & in Dominum; cum vincit homo, tunc prævalet ſemper vis & potentia interna, quia hæc eſt Divina; quæ nec admittit ut vis ſeu potentia a falſis ultra augeatur, quam ut repelli queat; cum itaque binæ hæ vires agunt, tunc vis interna quæ a Domino continue quaſi retrahit hominem, & inhibet, ne falſa detrahant illum, & ille ſic ſuccumbat; nam commune eſt, quando binæ vires ſibi oppoſitæ agunt, quod una trahat & altera retrahat; vires in ſpirituali mundo ſunt affectiones quæ amorum, inſtrumentalia per quæ agunt ſunt vera, ac in oppoſito ſenſu falſa.

8169. Quia bonum nobis ſervire Ægyptiis præ mori in deſerto, quod ſignificet quod damnatio per falſi violentiam in ſtatu infeſtationum præſtaret damnationi quæ per ſuccumbentiam in ſtatu tentationum, conſtat ex ſignificatione bonum eſſe præ illo, quod ſit quod præſtaret; ex ſignificatione ſervire Ægyptiis, quod ſit ſuccumbentia a falſis infeſtantium; per ſervire enim ſignificatur ſubjugatio, n: 6666. 6670. 6671, ita ſuccumbentia, hic a falſis infeſtantium; ex ſignificatione mori, quod ſit damnatio, ut ſupra n: 8164; & ex ſignificatione deſerti, quod ſit ſtatus ſubeundi tentationes, de qua n: 8098; ex his patet, quod per bonum nobis ſervire Ægyptiis præ mori in deſerto, ſignificetur quod præſtaret ſuccumbere a falſis cum infeſtati, quam ſuccumbere in tentationibus: quod præſtet ſuccumbentia in illo ſtatu quam in hoc, etiam verum eſt, nam ſuccumbere in tentationibus, eſt confirmari in falſis & malis contra vera & bona fidei; at ſuccumbere in infeſtationum ſtatu,

ſtatu, eſt confirmari in falſis & malis, ſed non manifeſte contra vera & bona fidei; inde patet, quod ſuccumbentiæ in tentationibus inſit blaſphematio veri & boni, & quandoque prophanatio; & damnatio omnium maxima & diriſſima, eſt damnatio ex prophanatione.

8170. Et dixit Moſcheh ad populum, quod ſignificet elevationem e ſtatu deſperationis per Verum Divinum, conſtat ex illis quæ nunc ſequuntur, quæ *dixit* Moſcheh, quæ involvunt elevationem e ſtatu deſperationis: per Verum Divinum dicitur, quia omnis elevatio in ſtatu tentationum fit per Verum Divinum; quod Verum Divinum in ſenſu interno repræſentativo intelligatur per Moſchen, videatur n: 6752. 7010. 7014. 7089.

8171. Ne timeatis, quod ſignificet quod non deſperandum, conſtat ex ſignificatione timere, quod ſit horreſcere, de qua ſupra n: 8162, hic deſperare, nam timor ſpiritualis in tentationibus eſt primum horreſcentia, ultimo eſt deſperatio; timor ſpiritualis eſt timor pro damnatione.

8172. Conſiſtite & videte ſalutem Jehovæ, quod ſignificet ſalvationem a Domino ſolo, & nihil ab illis, conſtat ex ſignificatione conſiſtere & videre, quod ſit fidem habere; quod videre ſit intelligere, agnoſcere, & fidem habere, videatur n: 897. 2150. 2325. 2807. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 5400; & ex ſignificatione ſalutis Jehovæ, quod ſit ſalvatio a Domino; hic ubi de liberatione a tentationibus agitur, eſt ſalvatio a ſolo Domino, & nihil ab illis; quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6281. 6303. 6905. 6945. 6956. Dicitur hic quod fidem habituri, quod Salvatio a Domino Solo, & nihil ab illis, quia hoc principale fidei eſt in tentationibus; qui credit, cum tentatur, quod reſiſtere poſſit ex propriis viribus, is ſuccumbit, cauſa eſt, quia in falſo eſt, & quia inde ſibi meritum tribuit, ac ſic poſtulat ſalvari ex ſe, & tunc excludit influxum a Divino; at qui credit quod Dominus ſolus reſiſtat in tentationibus, is vincit, nam in vero eſt, ac Domino tribuit meritum, & percipit ſe a Domino ſolo ſalvari; qui in fide charitatis eſt, ille Domino acceptum fert omne ſalvationis, & nihil ſibi.

1173. Quam faciet hodie, quod ſignificet quæ in æternum, conſtat ex ſignificatione hodie, quod ſit æternum, de qua n: 2838. 3998. 4304. 6165. 6984.

8174. Quia quos videtis Ægyptios, non addetis videre illos amplius uſque in ſæculum, quod ſignificet quod falſa quæ ſemel amoventur erunt in æternum amota, conſtat ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua n: 8132. 8135. 8146. 8148, ita quoque ipſa falſa ex malo; & ex ſignificatione non videre amplius, quod ſit, cum de falſis dicitur, amoveri, nam falſa, quæ apud hominem, non ejiciuntur, ſed amoventur, detinetur homo a malis & inde falſis, ac tenetur in bono a Domino, n: 1581. 2256. 2269. 2406. 4564; & ex ſignificatione in ſæculum, quod ſit in æternum.

8175. Jehovah militabit pro vobis, quod ſignificet quod Dominus ſolus tentationum pugnas ſuſtineat, conſtat ex ſignificatione militare pro vobis, cum

cum de Jehovah in tentationibus, quod ſit tentationum pugnas ſolus ſiſtinere; quod Jehovah ſit Dominus videatur mox ſupra n:8172. Quod Dominus Solus ſuſtineat pugnas tentationum & vincat, eſt quia ſolum Divinum poteſt vincere inferna; niſi Divinum ageret contra illa irruerunt ſicut maximus oceanus, unum infernum poſt alterum, ad quibus reſiſtendum homo prorſus nihil valet; & eo minus, cum homo quoad ſuum proprium non eſt niſi quam malum, ita infernum, a quo Dominus illum tunc extrahit, ac poſtea detinet, videatur quæ n: 1581. 1661. 1692. 6574.

8176. Et vos taceatis, quod ſignificet quod ex ſuis viribus nihil efficient, conſtat ex ſignificatione tacere, quod ſit acquieſcere, & quia de tentationibus agitur non cogitare aut credere, quod aliquid ex ſuis viribus efficiant; de hac re videantur quæ ſupra n: 8172. 8175, dicta & oſtenſa ſunt. Quod uſque non ideo remittere debeant manus, & immediatum influxum expectare, ſed quod pugnaturi ſint ſicut a ſe, ſed uſque agnituri & credituri, quod a Domino, videatur n: 1712. 1937. 1907. 2882. 2883. 2891.

8177. Verſ: 15. 16. 17. 18. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, quid clamas ad Me, loquere ad filios Iſraelis, & proficiſcantur. Et tu tolle baculum tuum, & extende manum tuam ſuper mare, & diffinde illud, & veniant filii Iſraelis in medium maris in arido. Et Ego, ecce Ego indurans cor Ægyptiorum, & venient poſt illos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu illius, in curribus illius, & in equitibus illius. Et ſcient Ægyptii, quod Ego Jehovah, in glorificari Me in Pharaone, in curribus illius, & in equitibus illius.* Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat exhortationem: quid clamas ad Me, ſignificat quod interceſſione non opus: loquere ad filios Iſraelis, ſignificat influxum & perceptionem: & proficiſcantur, ſignificat ſucceſſivum continue uſque dum præparati: & tu tolle baculum tuum, ſignificat potentiam Divini Veri: extende manum tuam ſuper mare, ſignificat dominium potentiæ ubi infernum falſi ex malo: diffinde illud, ſignificat diſſipationem falſi inde: & venient filii Iſraelis in medium maris in arido, ſignificat ut tranſeant illi qui ab Eccleſia ſpirituali tuto & abſque influxu falſi: & Ego, ecce Ego indurans cor Ægyptiorum, ſignificat obſtinationem falſi ex malo: & venient poſt illos, ſignificat conatum violentiam inferendi per influxum falſi a malo: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu illius, & in curribus illius, & in equitibus illius, ſignificat quod viſuri effectum diſſipationis falſi ac ratiociniorum, ex Divino Bono Divini Humani Domini: & ſcient Ægyptii, quod Ego Jehovah, ſignificat ut notum ſit quod Dominus ſolus Deus, & præter Ipſum non alius: in glorificari Me in Pharaone, in curribus illius, & in equitibus illius, ſignificat, ut ſupra, ex eo quod viſuri effectum diſſipationis falſi, & doctrinalium ejus, & ratiociniorum, ex Solo Domino.

8178. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet exhortationem, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, cum agitur de elevatione & liberatione a tentatione, quod ſit exhortatio, ut n: 7033. 7090.

8179. Quid clamas ad Me, quod ſignificet quod interceſſione non opus, conſtat ex ſignificatione clamare ad Jehovam, quod ſit intercedere, nempe pro liberatione

ratione a tentatione, inde quid clamas ad Me, eſt cur intercedis quum interceſſione non opus; quare ſequitur, loquere ad filios Iſraelis, & proficiſcantur, per quæ ſignificatur, quod auxilium habebunt, ſed quod uſque tentatio continuabitur, uſque dum præparati. Cum hoc, quod interceſſione non opus, ita ſe habet; qui in tentationibus ſunt, ſolent remittere manus, & ſe unice ad preces, quas tunc ardenter fundunt, conferre; non ſcientes, quod preces non efficiant, ſed quod pugnandum contra falſa & mala, quæ ab infernis injiciuntur, pugna illa fit per vera fidei; hæc juvant, quia confirmant bona & vera contra falſa & mala; in pugnis tentationum etiam debet homo pugnare ſicut a ſe, ſed uſque agnoſcere & credere, quod ſit a Domino, videatur ſupra n: 8176; ſi homo non pugnat ſicut a ſe, non appropriatur ei bonum & verum quod influit per cœlum a Domino; at cum pugnat ſicut a ſe, & uſque credit quod a Domino, tunc illa appropriantur ei; inde ei novum proprium, quod vocatur proprium cœleſte, quod eſt nova voluntas. Præterea qui in tentationibus ſunt, & non in vita alia activa, quam precum, illi non ſciunt, quod, ſi tentationes intermitterentur, priuſquam plenæ peractæ ſunt, non ad cœlum præparati ſint, ita quod non ſalvari poſſint; quamobrem etiam preces illorum, qui in tentationibus, parum audiuntur; Dominus enim vult finem, qui eſt ſalvatio hominis, quem ipſe novit, non autem homo, & Dominus pro precibus contra finem, qui eſt ſalvatio, non agit: qui in tentationibus vincit, is quoque in illo vero confirmatur; qui autem non vincit, is quia non auditur, de Divina ope & potentia verſat dubium, & quandoque tunc, quia remittit manum, quoad partem ſuccumbit. Ex his conſtare poteſt, quid intelligitur per quod interceſſione non opus, quod nempe non fidendum orationi; nam in oratione ex Divino tunc ſemper cogitatur & creditur, quod Dominus Solus ſciat, num conducat vel non, quare orans auditionem ſubmittit Domino, ac tunc juxta ſupplicat, ut Domini voluntas non ſua fiat, ſecundum verba Domini in graviſſima Ipſius tentatione in Gethſemane, Matth: XXVI: 39. 42. 44.

8180. Loquere ad filios Iſraelis, quod ſignificet influxum & perceptionem, cum dicitur de Vero Divino, quod repræſentatur per Moſchen, ad illos, qui ab Eccleſia ſpirituali, qui ſunt filii Iſraelis, quod ſit influxus, & inde perceptio, ut quoque n: 2951. 5481. 5797. 7270. 8128.

8181. Et proficiſcantur, quod ſignificet ſucceſſivum continue uſque dum præparati, conſtat ex ſignificatione proficiſci, quod ſit ſucceſſivum & continuum, de qua n: 4375. 4554. 4585. 5996; nam per id ſignificatur, quod non clamandum, hoc eſt, ſupplicandum, ſed quod iter continuandum ad mare Suph, & dein per illud ad deſertum, ita per infernum, quod tuto pervadent, ad tentationes ſucceſſive continuas, uſque dum præparati; quod per mare Suph ſignificetur infernum, videatur n: 8099. 8137. 8148, & per deſertum ſtatus ſubeundi tentationes, n: 8098.

8182. Et tu tolle baculum tuum, quod ſignificet potentiam Divini Veri, conſtat ex ſignificatione baculi, quod ſit potentia, de qua n: 4013. 4015. 4876. 4936. 6947. 7011. 7026; & ex repræſentatione Moſchis, ad quem

 dicitur

dicitur quod tolleret baculum, quod ſit Divinum Verum, de qua prius ſæpe.

8183. Extende manum tuam ſuper mare, quod ſignificet dominium potentiæ ubi infernum falſi ex malo, conſtat ex ſignificatione extendere manum, quod ſit dominium potentiæ, de qua n: 7673; & ex ſignificatione maris, hic maris Suph, quod ſit infernum in quo falſa ex malo illorum qui fuerunt ab Eccleſia, de qua n: 8099. 8137. 8148: de hoc inferno ulterius, ex Divina Domini Miſericordia, ad finem Capitum ultimorum Exodi, ubi de Infernis ab experientia, dicetur.

8184. Diffinde illud, quod ſignificet diſſipationem falſi inde, conſtat ex ſignificatione diffindere mare illud, quod ſit diſſipare falſa ex malo quæ in illo inferno; falſa enim ibi apparent ſicut aquæ, ſecundum illa quæ ſupra n: 8099. 8137. 8148, oſtenſa ſunt; cum enim columna angelica, in qua Dominus eſt præſens, pervadit illud, tunc falſa recedunt, conſequenter ibi aquæ, quæ ſunt falſa, diſparantur: inde patet, quod per diffindere mare, ſignificetur diſſipatio falſorum, quæ inferni quod per mare Suph repræſentatur.

8185. Et veniant filii Iſraelis in medium maris in arido, quod ſignificet ut tranſeant illi qui ab Eccleſia ſpirituali tuto & abſque influxu falſi, conſtat ex ſignificatione venire ſeu intrare per medium, quod ſit tranſire; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpius; & ex ſignificatione in arido, quod ſit tuto & abſque influxu falſi; per aquas enim illius maris ſignificantur falſa ex malo, n: 8137. 8138, inde per aridum ſignificatur abſque falſo; ſimile per aridum & areſacere ſignificatur apud Davidem "Tu confregiſti capita Leviathanis, Tu *fidiſti fontem & fluvium*, Tu *areſeciſti fluvios roboris*" Pſalm: LXXIV: 14. 15; areſacere fluvios roboris, pro diſſipare falſa potentiora. Apud Sachariam "Congregabo illos, quia redimam illos, *reducam illos e terra Ægypti*, & ex Aſſyria congregabo illos; & ad terram Gileadis & Libanum adducam illos; *tranſibit per mare anguſtiæ*; ſed *percutiet in mari fluctus*, & *areſaciet omnes profunditates fluminis*: & dejicietur ſuperbia Aſchuris, & baculus Ægypti recedet; & potentes reddam illos in Jehovah" x: 8 ad fin: ibi agitur de illis qui fidunt ſibi ſuæque ſapientiæ in ſpiritualibus; ut & de diſſipatione falſorum per tentationes; terra Ægypti pro ſcientificis; Aſſyria pro ratiociniis inde; tranſire mare Anguſtiæ, pro tentationibus; percutere in mari fluctus, & areſacere profunditates fluminis, pro diſſipare falſa inde; dejicietur ſuperbia Aſchuris & baculus Ægypti recedet, pro quod non fident amplius ſuæ ſapientiæ, ſed ſapientiæ a Domino, quod ſignificatur per potentes reddam illos in Jehovah. Pariter apud Eſaiam "Dicens Hyeroſolymæ, habitaberis, & urbibus Jehudæ, ædificabimini, & vaſtitates ejus erigam, dicens Abyſſo, *exſiccare*, & *fluvios tuos areſaciam*" XLIV: 26. 27, dicere abyſſo exſiccare, & fluvios ejus areſacere, pro diſſipare mala & falſa. Ubi autem aquæ ſignificant vera, ibi areſactio ſignificat ſtatum non veri, ſeu abſque vero; ut apud Eſaiam "Effundam *aquas* ſuper ſitientem, & *rivulos ſuper aridam*" XXXVII: 2; aquæ & rivuli pro veris, arida pro ubi non verum. Apud Jeremiam "Gladie contra Chaldæos,

dæos, & contra habitatores Babelis; Gladie contra equcs ejus, & contra currus ejus, *ſiccitas ſuper aquas ut exareſcant*" L: 35. 37. 38, Chaldæi pro illis qui prophanant vera, & habitatores Babelis pro illis qui prophanant bona, n: 1182. 1283. 1295. 1304. 1306. 1307. 1308. 1321. 1322. 1326; gladius pro vero pugnante contra falſum, & pro falſo pugnante contra verum, & inde pro vaſtatione, n: 2799. 4499. 6353. 7102; equi pro intellectuali, n: 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6534; Currus pro doctrinalibus, n: 5321. 8146. 8148; ſiccitas ſuper aquas ut exareſcant, pro quod in veris nihil vitæ, ex falſificatione. Ubi autem Aridum ſeu Arefactio in Verbo dicitur de aliis rebus, ſicut de Arboribus, de herbis, de Meſſe, de Oſſibus, ſignificatur contrarium quod per illa: ipſa terra etiam vocatur arida reſpective ad mare, & tunc arida prædicatur de bono, ac mare de vero.

8186. Et Ego, ecce Ego indurans cor Ægyptiorum, quod ſignificet obſtinationem falſi ex malo, conſtat ex ſignificatione indurare cor, quod ſit obſtinatio, de qua n: 7272. 7300. 7305. 7616; ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua n: 8132. 8135. 8148: quod in Verbo dicatur, quod Jehovah induret cor, & quoque inducat malum, in ſenſu interno, ubi ipſum verum in ſuo nudo eſt, intelligatur, quod ipſi qui in falſo & malo ſunt indurent cor ſuum, & ſibi inducant malum, videatur n: 2447. 6073. 6992. 6997. 7533. 7632. 7877. 7926.

8187. Et venient poſt illos, quod ſignificet conatum violentiam inferendi per influxum falſi ex malo, conſtat ex ſignificatione venire poſt illos, quod ſit influxus falſi ex malo, tum conatus ſubjugandi, ita violentiam inferendi; nam per appropinquare ſignificatur influxus n: 8159; per proficiſci poſt illos, influxus & communicatio propior, n: 8161: & per perſequi poſt illos, conatus ſubjugandi, n: 8136. 8152. 8154, inde per venire poſt illos ſignificatur conatus violentiam inferendi per influxum falſi ex malo.

8188. Et glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu illius, & in curribus illius, & in equitibus illius, quod ſignificet quod viſuri effectum diſſipationis falſi & ratiociniorum, ex Divino Bono Divini Humani Domini, conſtat ex ſignificatione glorificari in Pharaone & exercitu illius, quod ſit immerſio illorum qui in falſo ex malo in infernum, & circumfuſio ibi a falſis ut ab aquis, ex ſola præſentia Divini Humani Domini, de qua ſupra n: 8137; ex repræſentatione Pharaonis, quod ſint qui in falſis ex malo; ex ſignificatione exercitus quod ſint falſa, ex ſignificatione curruum illius quod ſint doctrinalia falſi, & ex ſignificatione equitum illius, quod ſint ratiocinia falſa, de quibus ſupra n: 8146. 8148.

8189. Et ſcient Ægyptii quod Ego Jehovah, quod ſignificet ut notum ſit quod Dominus Solus Deus, & præter Ipſum non alius, conſtat ex illis quæ n: 7401. 7444. 7544. 7598. 7636, explicata ſunt, ubi ſimilia.

8190. In glorificari Me in Pharaone, in curribus illius, & in equitibus illius ſignificat quod viſuri effectum diſſipationis falſi, & doctrinalium, & ratiociniorum falſi ex ſolo Domino, ut mox ſupra n: 8188.

8191. Verſ: 19. 20. 21. 22. *Et profectus Angelus Dei incedens ante caſtra Iſraelis, & ivit poſt illos, & profecta columna nubis ab ante illos, & ſtetit poſt illos. Et venit inter caſtra Ægyptiorum, & inter caſtra Iſraelis, & fuit nubes & tenebræ, & illuminabat noctem; & non appropinquavit hic ad illum tota nocte. Et extendit Moſcheh manum ſuam ſuper mare, & abire fecit Jehovah mare vento orientali forti tota nocte, & poſuit mare ad ſiccum, & diffindebantur aquæ. Et venerunt filii Iſraelis in medium mare in arido; & aquæ illis murus a dextra illorum & a ſiniſtra illorum.* Et profectus Angelus Dei, ſignificat ordinationem a Divino Vero: incedens ante caſtra Iſraelis, ſignificat quæ circa vera & bona Eccleſiæ: & ivit poſt illos, ſignificat tutationem ne falſum mali in voluntarium influeret: & profecta columna nubis ab ante illos & ſtetit poſt illos, ſignificat præſentiam Domini tutantem voluntaria ſicut prius intellectualia: & venit inter caſtra Ægyptiorum & inter caſtra Iſraelis, ſignificat quod inter falſa mali ab una parte, & vera boni ab altera: & fuit nubes & tenebræ, ſignificat condenſationem falſi ex malo ab una parte: & illuminabat noctem, ſignificat illuſtrationem veri ex bono ab altera: & non appropinquavit hic ad illum, ſignificat inde nullam communicationem: tota nocte, ſignificat in ſtatu obſcuro: & extendit Moſcheh manum ſuper mare, ſignificat dominium potentiæ veri Divini ſuper infernum: & abire fecit Jehovah mare vento orientali forti, ſignificat medium diſſipationis falſi: tota nocte, ſignificat in ſtatu obſcuro: & poſuit mare ad ſiccum, ſignificat falſi diſſipationem: & diffindebantur aquæ, ſignificat ſeparationem a veris, & remotionem: & venerunt filii Iſraelis in medium mare in arido, ſignificat ingreſſum & tranſitum illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, tuto per infernum, & abſque influxu falſi: & aquæ illis murus a dextra illorum & a ſiniſtra illorum, ſignificat quod a falſis detenti fuerint undequaque.

8192. Et profectus Angelus Dei, quod ſignificet ordinationem a Divino vero, conſtat a ſignificatione proficiſci, quod hic ſit ordinatio, quod proficiſci ſit ordinatio, eſt quia columna nubis, quæ fuit chorus angelicus, quæ prius inceſſit ante filios Iſraelis, nunc contulit ſe inter caſtra Ægyptiorum & inter caſtra Iſraelis, ac ſic tenebras induxit Ægyptiis, & illuminavit filios Iſraelis; hæc quia ita ordinata ſunt a Domino, per profectionem angeli Dei ſeu columnæ, ac per interpoſitionem: ideo per proficiſci hic ſignificatur ordinatio; ex ſignificatione Angeli Dei, quod ſit Divinum Verum, Deus pariter, nam in Verbo ubi de vero agitur, dicitur Deus, ubi autem de bono, Jehovah, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921. 4402. 7010. 7268. 7873. Quod Angelos attinet, ſciendum quod Dominus per Angelos in Verbo intelligatur, n: 1925. 3039. 4085, quare Ipſe Dominus dicitur Angelus, n: 6280. 6831, inde Angeli ſignificant Divinum Verum, nam Divinum Verum procedens a Domino facit Cœlum, conſequenter etiam Angelos qui conſtituunt cœlum, nam quantum illi recipiunt Divinum Verum quod a Domino, tantum ſunt angeli; quod etiam ex eo conſtare poteſt, quod Angeli prorſus non velint, imo averſentur, quod illis aliquid veri & boni tribuatur, quia Domini eſt apud illos; inde etiam eſt, quod dicatur quod Dominus ſit omne in omnibus cœli, &

quod illi qui in cœlo dicantur eſſe in Domino; Angeli etiam, ex Divino Vero quod recipiunt a Domino, in Verbo vocantur dii, n: 4295. 7268; & inde Deus in Lingua originali pluralis numeri eſt. Præterea ſciendum, quod in Verbo dicatur Angelus, & tamen plures ſunt qui intelliguntur, ut hic, ubi dicitur Angelus Dei, ac intelligitur columna quæ inceſſit ante filios Iſraelis, quæ ex pluribus Angelis conſtituebatur. In Verbo etiam nominantur Angeli nomine, ſicut Michael, Raphael, & alii; qui non ſciunt Verbi ſenſum internum, credunt quod Michael vel Raphael, unus angelus ſit, qui ſupremus inter illos qui cum illo; ſed per nomina illa in Verbo non ſignificatur unus Angelus, ſed ipſa functio Angelica, ita quoque Divinum Domini quoad illud functionis eſt.

8193. Incedens ante caſtra Iſraelis, quod ſignificet quæ circa vera & bona Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione caſtrorum, quod ſint vera & bona; per caſtra enim ſignificatur totus cœtus Iſraelis & per cœtum Iſraelis ſignificantur omnia bona & vera in complexu, n: 7830. 7843; inde etiam caſtrametatio eſt ordinatio ſecundum vera & bona, n: 8103 fin. 8130. 8131. 8155; quod Iſrael ſit Eccleſia ſpiritualis, ſæpius oſtenſum eſt.

8194. Et ivit poſt illos, quod ſignificet tutationem ne falſum mali in voluntarium influeret, conſtat ex ſignificatione ire poſt filios Iſraelis, quod ſit tutatio ne Ægyptii invaderent, in ſenſu interno ne falſa ex malo, quæ per Ægyptios ſignificantur, influerent, n: 8132. 8135. 8148: quod ſit ne in voluntarium, eſt quia in Maximo Homine, ſeu in Spirituali Mundo, voluntaria ſiſtuntur a tergo ſeu poſt, & intellectualia a facie ſeu ante. Quod influxum attinet in voluntarium & in intellectuale hominis, ſciendum quod a Domino quam maxime præcaveatur, ne infernales influant in voluntarium hominis, ſi enim in voluntarium ejus, poſtquam regeneratus eſt ſeu factus Eccleſia, actum foret cum illo, nam voluntarium ejus non eſt niſi quam malum: inde eſt, quod homo Eccleſiæ ſpiritualis regeneretur a Domino quoad partem intellectualem & quod in hac parte novum voluntarium formetur; quod prorſus a voluntario quod homini ex hærditario eſt, ſeparatur, de qua re videatur n: 863. 875. 927. 1023. 1043. 1044. 2256. 4328. 4493. 5113: ex his nunc conſtare poteſt, unde eſt quod per ivit poſt illos, ſignificetur tutatio ne falſum mali in voluntarium influeret.

8195. Et profecta columna nubis ab ante illos & ſtetit poſt illos, quod ſignificet præſentiam Domini tutantem voluntaria ſicut prius intellectualia, conſtat ex ſignificatione columnæ nubis, quod ſit præſentia Domini, de qua n: 8110, erat chorus Angelicus in quo Dominus; ex ſignificatione ab ante illos, quod ſit intellectuale, & poſt illos quod ſit voluntarium, de qua mox ſupra n: 8194; quod ſit tutatio, patet.

8196. Et venit inter caſtra Ægyptiorum & inter caſtra Iſraelis, quod ſignificet quod inter falſa mali ab una parte, & bona veri ab altera, conſtat ex ſignificatione caſtrorum, quod ſint bona & vera in complexu, de qua mox ſupra n: 8193, ita in oppoſito ſenſu mala & falſa etiam in complexu, inde caſtra Ægyptiorum ſunt falſa mali, quia per Ægyptios ſignificantur falſa ex

malo,

malo, n: 8132. 8135. 8148, & caſtra Iſraelis ſunt bona veri, quia per Iſraelem ſignificantur vera quæ ex bono, n: 7956; quod venire intra illa, ſit inhibere ne falſa ex malo influant, patet.

8197. Et fuit nubes & tenebræ, quod ſignificet condenſationem falſi ex malo ex una parte; & quod illuminabat noctem, ſignificet illuſtrationem veri ex bono ex altera, conſtat ex ſignificatione nubis & tenebrarum, quod ſint condenſatio falſi ex malo, quod nubes ſit falſitas, videatur n: 1043. 1047. 8137. 8138; quod etiam tenebræ, n: 1839. 1860. 4418. 4531. 7688. 7711; ex ſignificatione illuminare noctem, quod ſit illuſtratio veri ex bono; quod columna ignis noctu, ſit ſtatus obſcuritatis veri temperatus per illuſtrationem a bono, videatur n: 8108. Cum hoc, quod columna induceret Ægyptiis tenebras, & illuminaret filios Iſraelis, ita ſe habet; præſentia Domini, quæ hic ſignificatur per columnam, eſt ipſa lux cœleſtis, cœlum inde ſuam lucem habet, quæ lux eſt millies illuſtrior luce meridiana mundi; ſed eadem lux ſit caligo apud malos, etiamſi in ipſa luce ſint; & ſit caligo eo major, quo denſius eſt falſum ex malo apud illos; cauſa eſt, quia Verum Divinum procedens a Domino apparet coram oculis Angelorum ut lux; ſed illis qui in falſis ex malo ſunt, non apparere poteſt ut lux, ſed ut caligo, nam falſum oppoſitum eſt vero, & exſtinguit verum; inde eſt quod columna, quæ erat præſentia Domini, induceret nubem & tenebras Ægyptiis, quia per Ægyptios ſignificantur qui in falſis ex malo, & quod illuminaret noctem apud filios Iſraelis, quia per filios Iſraelis ſignificantur qui in vero ex bono: quod Dominus appareat cuique ſecundum quale ejus, videatur n: 1861 fin: 6832.

8198. Et non appropinquavit hic ad illum, quod ſignificet inde nullam communicationem, conſtat ex ſignificatione appropinquare, quod ſit influxus & communicatio, de qua n: 8159.

8199. Tota nocte, quod ſignificet in ſtatu obſcuro, conſtat ex ſignificatione noctis, quod ſit ſtatus obſcuritatis quoad verum & bonum fidei, de qua n: 1712. 6000; per noctem hic intelligitur id obſcurum, quod ſequitur immediate poſt tentationes, nam qui inde liberantur, primum in obſcurum veniunt, antequam in clarum, falſa enim & mala injecta ab infernis aliquamdiu inhærent, & non niſi quam ſucceſſive diſſipantur.

8200. Et extendit Moſcheh manum ſuam ſuper mare, quod ſignificet dominium potentiæ Veri Divini ſuper infernum; conſtat ex ſignificatione extendere manum, quod ſit dominium potentiæ, de qua n: 7673. 8183; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum, de qua ſæpius; & ex ſignificatione maris, hic maris Suph, quod ſit infernum, de qua n: 8099. 8137. 8138. Dominium potentiæ Veri Divini dicitur, quia omnis potentia Divina eſt per Verum quod a Domino procedit; hoc creavit omnia, ſecundum hoc apud Johannem "Omnia per Verbum facta ſunt, & ſine Ipſo factum eſt nihil quod factum eſt" 1: 3, Verbum eſt Dominus quoad Divinum Verum; per Verum illud ordinantur omnia in cœlo & in inferno; inde omnis ordo etiam in terra; omnia miracula facta ſunt per illud; in ſumma, Divinum Verum in ſe omnem potentiam habet, adeo ut ſit ipſa potentia: ſunt

quidam

quidam in altera vita, qui in vero ſunt præ aliis, illi in tali potentia inde ſunt, ut inferno abſque ullo diſcrimine pervadere poſſint; illi qui in infernis ad præſentiam illorum hinc illinc aufugiunt: ſunt etiam quidam, qui per Verum a Divino magice exercent potentiam; de his & de illis ad finem Capitum, ubi de infernis, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur. Qui ab externis & a terreſtribus intuentur rerum cauſas, non aliter poſſunt percipere, quam quod Verum a Divino ſit modo cogitativum quid, nullius eſſentiæ realis, ſed eſt ipſiſſimum Eſſentiale, ex quo ſunt omnes eſſentiæ rerum in utroque mundo, nempe ſpirituali & naturali.

8201. Et abire fecit Jehovah mare vento orientali forti, quod ſignificet medium diſſipationis falſi, conſtat ex ſignificatione abire facere, quod ſit diſſipare; ex ſignificatione maris, quod ſit falſum, per mare hic ſignificantur aquæ ejus, quæ quod ſint falſa, videatur n: 8137. 8138; & ex ſignificatione venti orientalis, quod ſit medium deſtructionis, de qua n: 7679, hic deſtructionis falſi, ita diſſipationis illius.

8202. Tota nocte, ſignificat in ſtatu obſcuro, ut ſupra n: 8199.

8203. Et poſuit mare ad ſiccum, quod ſignificet falſi diſſipationem, conſtat ex ſignificatione maris, quod ſit falſum, ut mox ſupra n: 8201; & ex ſignificatione ponere ad ſiccum, quod ſit diſſipatio ejus; quod tranſire in ſicco ſeu arido, cum de aquis maris illius remotis dicitur, ſit tuto abſque influxu falſi, videatur ſupra n: 8145,

8204. Et diffindebantur aquæ, quod ſignificet ſeparationem a veris & remotionem, conſtat ex ſignificatione diffindi aquæ, quod ſit diſſipatio & diſparatio falſi, de qua ſupra n: 8184, ita ſeparatio a veris, ac remotio.

8205. Et venerunt filii Iſraelis in medium mare in arido, quod ſignificet ingreſſum & tranſitum illorum qui ab Eccleſia ſpirituali tuto per infernum & abſque influxu falſi, conſtat ex illis quæ ſupra n: 8185, explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

8206. Et aquæ illis murus a dextra illorum & a ſiniſtra illorum, quod ſignificet quod a falſis detenti fuerint undequaque, conſtat ex ſignificatione aquarum, nempe illius maris, quod ſint falſa ex malo, de qua n: 8137. 8138; ex ſignificatione eſſe illis murus, quod ſit detineri ab illis, de qua ſequitur; & a ſignificatione a dextra illorum & a ſiniſtra illorum, quod ſit undequaque. Quod eſſe illis murus, cum de aquis, per quas ſignificantur falſa, dicitur, ſit detineri a falſis, eſt quia ita cum homine ſe habet; is cum a Domino tenetur in bono & vero, tunc falſa & mala removentur, ac remota circumſtant ſicut murus, ingredi enim in ſphæram ubi bonum & verum non poſſunt; cauſa eſt, quia in bono & vero Dominus eſt præſens, & præſentia Domini amovet undequaque malum & falſum, bonum enim & verum ſunt prorſus oppoſita malo & falſo, quare non ſimul poſſunt eſſe, quin unum deſtruat alterum; ſed bonum cum vero, deſtruit, hoc eſt, removet malum cum falſo, quia illud Divinum eſt, & inde omnem potentiam habet, hoc autem infernale ac ideo nihil potentiæ habet, illud ab internis agit, hoc autem ab externis; cum

removentur

removentur mala cum falſis apud hominem, ſicut murus, ut dictum eſt, circumſtant, ac in perpetuo conatu irruendi ſunt, ſed irruere non poſſunt, quia præſentia Domini, quæ eſt in bono & vero, arcet: hæc ſunt quæ ſignificantur per quod aquæ illis eſſent ſicut murus a ſiniſtra & a dextra. Quod homo detineatur a malo & falſo per quod teneatur in bono & vero a Domino, videatur n: 1581. 2406. 4564: ſed a malo detineri, & in bono teneri, nemo poteſt, niſi per exercitium charitatis in mundo receperat illam facultatem; vita boni ſeu vita ſecundum vera fidei hoc facit, inde affectio ſeu amor boni; is, cui amor & affectio boni ex vita, poteſt in ſphæra boni & veri eſſe, non autem ille qui per vitam induerat naturam mali.

8207. Verſ: 23. 24. 25. *Et perſequuti Ægyptii, & venerunt poſt illos omnes equi Pharaonis, currus illius, & equites illius, ad medium maris. Et fuit in cuſtodia matutina, & proſpexit Jehovah ad caſtra Ægyptiorum in columna ignis & nubis, & perturbavit caſtra Ægyptiorum. Et dimovit rotam curruum illius, & duxit illam in gravitate: & dixit Ægyptius, fugiam coram Iſraele, quia Jehovah militat pro illis in Ægyptios.* Et perſequuti Ægyptii, ſignificat conatum falſi a malo violentiam inferendi: & venerunt poſt illos, ſignificat conatum influxus: omnes equi Pharaonis, currus illius, & equites illius, in medium maris, ſignificat ſcientifica ex intellectuali perverſo, doctrinalia falſi, & ratiocinia, quod implerent infernum: & fuit in cuſtodia matutina, ſignificat ſtatum caliginis & interitus illorum qui in falſo ex malo, & ſtatum illuſtrationis & ſalvationis illorum qui in vero & bono: & proſpexit Jehovah ad caſtra Ægyptiorum, ſignificat extenſionem inde influxus Divini verſus illos qui per falſa violentiam inferre conabantur: in columna ignis & nubis, ſignificat ſic præſentiam boni & veri Divini ibi: & perturbavit caſtra Ægyptiorum, ſignificat quod inde extenſiones falſi & mali relaberentur ſuper illos: & dimovit rotam curruum illius, ſignificat potentiam inferendi falſa ablatam: & duxit illam in gravitate, ſignificat reniſum & impotentiam: & dixit Ægyptius, ſignificat tunc cogitationem: fugiam coram Iſraele, ſignificat ſeparationem ab illis qui in bono veri & vero boni: quia Jehovah militat pro illis, in Ægyptios, ſignificat quod Dominus ſolus ſuſtineat pugnam contra falſa & mala.

8208. Et perſequuti Ægyptii, quod ſignificet conatum falſi a malo violentiam inferendi, conſtat ex ſignificatione perſequi, cum ab Ægyptiis, quod ſit conatus ſubjugandi, de qua n: 8136. 8152. 8154, ita violentiam inferendi; & ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua n: 8132. 8135. 8146. 8148, ita quoque falſa ex malo.

8209. Et venerunt poſt illos, quod ſignificet conatum influxus, conſtat ex ſignificatione venire poſt aliquem, cum de illis qui in falſis ex malo, quod ſit conatus inferendi violentiam per influxum falſi ex malo, de qua n: 8187; quod ſit conatus, eſt quia infernales genii & ſpiritus inferre bonis malum nequeunt, ſed uſque perpetuo conantur; eſt ſphæra quæ ab infernis exhalat, quæ vocari poteſt ſphæra conatuum, quæ eſt malefaciendi; hanc ſphæram etiam aliquoties percipere datum eſt; conatus ille eſt perpetuus, ac ut primum aliquid

aliquid copiæ datur, erumpit inde effectus; ſed illa ſphæra inhibetur a ſphæra conatuum cœli quæ a Domino, quæ eſt benefaciendi, cui, quia a Divino, ineſt omnis potentia. Uſque tamen inter conatus illos ſibi e diametro oppoſitos tenetur æquilibrium, ob cauſam ut homo in libero ſit, & ſic in electione, utque reformari queat, nam in libero omnis reformatio, & abſque libero nulla. Conatus ſpiritualis eſt idem ac voluntas; cum reformatur homo, tenetur ille in æquilibrio, hoc eſt, in libero, inter velle bonum & velle malum, & quantum tunc accedit ad velle bonum, tantum accedit ad cœlum, & recedit ab inferno; & tantum novum voluntarium, quod tunc accipit a Domino, prævalet contra proprium voluntarium, quod accepit per hæreditatem a parentibus & dein per actualem vitam; cum itaque homo tantum reformatus eſt, ut velit bonum, & afficiatur illo, tunc bonum removet malum, quia Dominus in bono eſt præſens, eſt enim bonum a Domino, ita eſt Ipſius, imo eſt Ipſe. Ex his conſtare poteſt, quomodo ſe habet cum conatu influxuum apud hominem.

8210. Omnes equi Pharaonis, currus illius, & equites illius, in medium maris, quod ſignificet ſcientifica ex intellectuali perverſo, doctrinalia falſi, & ratiocinia, quod implerent infernum, conſtat ex ſignificatione equorum Pharaonis, quod ſint ſcientifica ex intellectuali perverſo; ex ſignificatione curruum Pharaonis, quod ſint doctrinalia falſi, & ex ſignificatione equitum Pharaonis, quod ſint ratiocinia inde, de quibus omnibus ſupra n: 8146. 8148; & ex ſignificatione in medium maris, quod ſit implere infernum. Quod hic nunc iterum, memorentur hæc tria, quæ fuerunt exercitus Pharaonis, nempe equi, currus, & equites, eſt quia nunc adeſt ultimus ſtatus devaſtationis illorum qui ab Eccleſia fuerunt in fide ſeparata a charitate & in vita mali, qui ſtatus eſt ſtatus conjectionis in infernum; & conjectio in infernum, eſt conſtipatio a falſis e malo; cum enim mali devaſtati ſunt quoad omne verum & bonum, ac relicti ſuæ vitæ malo & inde falſo, tunc aperiuntur inferna, cum quibus per mala vitæ ſuæ communicaverant, inde irruunt in illos omnia illa mala, quæ ſibi appropriaverunt, falſa quæ ex malis exundant, conſtituunt tunc ſphæram circum illos, quæ ſphæra apparet ſicut denſa nubes, vel ſicut aqua; cum hoc factum eſt, tunc in inferno ſunt, nam tunc ſecluſi ſunt ab omni communicatione cum cœlo, & quoque tunc ſeparati ab infernis aliis; hoc dicitur conjectio in infernum: hæc cauſa eſt, quod nunc, cum intrarent in medium maris, memorentur equi, currus, & equites, nam, ut dictum eſt, mare Suph ſignificat infernum, ac equi, currus & equites, omnia falſa & omnia falſi ex malo, quæ nunc in illos immiſſa ſunt, ut ſic per omne quale falſi ex malo a reliquis infernis ſeparentur; hæc ſunt, de quibus in Verſibus nunc ſequentibus 24. 25. 26. 27. 28, in ſpecie agitur.

8211. Et fuit in cuſtodia matutina, quod ſignificet ſtatum caliginis & interitus illorum qui in falſo ex malo, & ſtatum illuſtrationis & ſalvationis illorum qui in vero ex bono, conſtat ex ſignificatione cuſtodiæ matutinæ, quod ſit ſtatus illuſtrationis & ſalvationis; & in oppoſito ſenſu ſtatus caliginis & interitus; cauſa quod cuſtodia matutina id ſignificet, eſt quia ſtatus fidei & amo-

ris in altera vita ſe habent ſicut tempora diei in mundo, nempe ſicut mane, meridies, veſpera & nox, quare etiam hæc illis correſpondent, n: 2788. 5672. 5962. 6110; variantur etiam ſtatus pæne ſimiliter; variationum illorum finis & principium eſt mane, & in ſpecie diluculum, nam tunc finitur nox, & incipit dies: in illo ſtatu cui mane correſpondet, incipiunt boni illuſtrari quoad illa quæ fidei ſunt, & incaleſcere quoad illa quæ charitatis, ac viciſſim, nam tunc mali incipiunt obumbrari a falſis, & frigeſcere a malis, conſequenter mane his eſt ſtatus caliginis & interitus, & illis ſtatus illuſtrationis & ſalvationis. Ex his ſtatibus in cœlo, exiſtunt ſtatus lucis & caloris, tum ſtatus caliginis & frigoris in terris, qui quovis anno alternantur, & quovis die; nam quicquid in mundo naturali exiſtit, hoc ortum & cauſam ducit ex illis quæ exiſtunt in mundo ſpirituali, quippe univerſa natura non eſt niſi quam theatrum repræſentativum Regni Domini, n: 3483. 4939. 5173. 5962, inde correſpondentiæ; variationes lucis & umbræ, tum caloris & frigoris in terris, ſunt quidem a Sole, nempe ab ejus altitudinum differentia, quovis anno & quovis die, ac in regionibus terræ; verum hæ cauſæ, quæ ſunt proximæ & in mundo naturali, creatæ ſunt ſecundum illa in mundo ſpirituali, ut per ſuas cauſas priores efficientes cauſarum poſteriorum, quæ in mundo naturali exiſtunt; nam nihil uſquam in naturali, quod in ordine, datur, quod non ducit cauſam & ortum a ſpirituali, hoc eſt, per ſpirituale a Divino. Quia mane ſignificat principium illuſtrationis & ſalvationis reſpective ad bonos, ac principium caliginis & interitus reſpective ad malos, ideo dicitur hic quod Jehovah in cuſtodia matutina proſpexerit ad caſtra Ægyptiorum, & perturbaverit illa, ac tunc dimoverit rotam curruum, & excuſſerit illos in medium maris; & viciſſim, quod ſalvaverit filios Iſraelis: ex his nunc patere poteſt, quid in ſenſu ſpirituali ſignificatur per hæc in Verbo, quæ ſequuntur, apud Eſaiam "*In die* plantam tuam creſcere facies, & *mane ſemen tuum efflореſcere*" xvii: 11. Apud Eundem "Circa *tempus veſperæ* ecce terror, *antequam mane, non* eſt" xvii: 14. Apud Eundem "Jehovah eſto brachium illorum *ſingulis matutis*, etiam ſalus noſtra tempore anguſtiæ" xxxiii: 2. Apud Ezechielem "Sic dixit Dominus Jehovih, malum, unum malum ecce venit, finis venit, venit finis, *venit mane ſuper te* habitator terræ, propinquus dies tumultus" vii: 5. 6. 7. Apud Hoſcheam "Sic dixit vobis Bethel, propter malitiam malitiæ veſtræ, *in matuta exſcindendo exſcindetur rex Iſraelis*" x: 15. Apud Davidem "Fac me audire *ſub matuta* miſericordiam tuam; libera me ab hoſtibus meis, Jehovah" Pſalm: cxliii: 8. 9. Tum quod Dominus *cum aurora aſcenderet*, ſalvaverit Lothum, & ſuper Sodomam & Amorram pluere fecit ſulphur & ignem" Geneſ: xix: 15 ſeq. Quia Mane ſignificat ſtatum illuſtrationis & ſalvationis bonorum, ac ſtatum caliginis & interitus malorum, ideo etiam Mane ſignificat tempus ultimi judicii, quando ſalvandi qui in bono, & perituri qui in malo; conſequenter ſignificat finem Eccleſiæ prioris, & principium Eccleſiæ novæ, quæ per ultimum judicium in Verbo ſignificantur, n: 900. 931. 1733. 1850. 2117 ad 2133. 3353. 4057. 4535; hoc per mane ſignificatur apud Danielem "Dixit ad me, uſque ad veſperam, *Mane*, bis mille

mille trecenta, & tunc juſtificabitur ſanctum" VIII: 14: & apud Zephaniam "Jehovah *in matuta, in matuta judicium dabit in lucem*, nec deerit; exſcindam gentes, & devaſtabuntur angeli eorum" III: 5. 6: tum apud Eſaiam "Ad me clamans e Seir, *Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte*, dixit cuſtos, *venit mane, etiamque nox*, ſi quæritis quærite, redite, venite" XXI: 11. 12; in his locis mane pro adventu Domini, ac tunc illuſtratione & ſalvatione, ita de nova Eccleſia, nox pro ſtatu hominis & Eccleſiæ tunc quod in meris falſis ex malo. Cuſtodia matutina dicitur, quia nox diviſa fuit in cuſtodias, quarum ultima noctis & prima diei fuit cuſtodia matutina: cuſtodes illi fuerunt ſuper muris, ſpeculantes num hoſtis veniret, & per clamorem annuntiantes quid viderent; per illos in ſenſu interno repræſentativo intelligitur Dominus, & per cuſtodiam Ipſius præſentia continua & tutela, n: 7989; ut apud Davidem "Non dormitabit *cuſtos tuus*, ecce non dormitabit neque dormiet *Cuſtos Iſraelis, Jehovah cuſtos tuus*; Jehovah umbra tua ſuper manu dextra tua, interdiu ſol non percutiet te, aut luna in nocte, *Jehovah cuſtodiet te* ab omni malo, cuſtodiet animam tuam" Pſalm: CXXI: 3. 4. 5. 6: & quoque per Cuſtodes intelliguntur Prophetæ & Sacerdotes, conſequenter Verbum, apud Eſaiam "*Super muros tuos*, Hieroſolyma, *conſtitui cuſtodes, tota die*, & *tota nocte*, non tacebunt, commemorantes Jehovam" LXII: 6: & apud Jeremiam "Dies eſt, *clamabunt cuſtodes* in monte Ephraim, ſurgite ut aſcendamus Zionem ad Jehovam Deum noſtrum" XXXI: 6.

8212. Et proſpexit Jehovah ad caſtra Ægyptiorum, quod ſignificet extenſionem inde influxus Divini verſus illos qui per falſa violentiam inferre conabantur, conſtat ex ſignificatione proſpicere, cum prædicatur de Jehovah, quod ſit extenſio influxus Ipſius; quod enim Dominus proſpiciat ad aliquem, ſit influere, patet, nam tunc præſentem ſe ſiſtit, & dat perceptionem boni & veri illis qui in vero ex bono ex Ipſo ſunt quod fit per influxum: inde eſt, cum Angeli inſpiciunt in aliquem, quod infundant in illum affectionem quæ vitæ illorum eſt; & ex ſignificatione caſtrorum Ægyptiorum, quod ſint falſa ex malo, de qua n: 8193. 8196; & quia tunc illi qui in falſis ex malo erant perſequebantur filios Iſraelis, ſignificatur etiam conatus per falſa violentiam inferendi, n: 8208.

8213. In columna ignis & nubis, quod ſignificet præſentiam boni & veri Divini ibi, conſtat ex ſignificatione columnæ ignis & nubis, quod ſit præſentia Domini, de qua n: 8110, conſequenter boni & veri Divini, nam ubi Dominus ibi bonum & verum; quid in ſpecie per columnam ignis & nubis ſignificatur, videatur n: 8106. 8107 fin: 8108.

8214. Et perturbavit caſtra Ægyptiorum, quod ſignificet quod inde extenſiones falſi ex malo relaberentur ſuper illos, conſtat ex ſignificatione perturbare caſtra Ægyptiorum, quod ſit relapſus falſorum ex malo ſuper illos, quæ conabantur inferre illis qui in vero & bono; quod hæc per illa verba ſignificentur, eſt quia præſentia Domini apud malos illum effectum ſiſtit; mali enim, qui per injectiones falſi & mali violentiam inferre bonis volunt, ſe conjiciunt

in pænam talionis, quæ eſt quod falſa & mala, quæ intendunt inferre, relabantur in illos: pæna hæc, quæ pæna talionis vocatur, venit ex hac lege ordinis in cœlo "Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis; hæc eſt Lex & Prophetæ" Matth: VII: 12; quapropter qui bonum faciunt ex bono ſeu ex corde, bonum recipiunt ab aliis, & quoque viciſſim, qui malum faciunt ex malo ſeu ex corde, malum recipiunt ab aliis; inde eſt, quod cuivis bono adjuncta ſit remuneratio ejus; & cuivis malo punitio ejus, n: 696. 967. 1857. 6559: ex his nunc patet, quod per quod Jehovah pertubavit caſtra Ægyptiorum, ſignificetur quod extenſiones falſi ex malo relaberentur ſuper illos, inde illis perturbatio: quod hoc exiſtat apud malos per præſentiam Domini, videatur n: 7989.

8215. Et dimovit rotam curruum illius, quod ſignificet potentiam inferendi falſa ablatam, conſtat ex ſignificatione dimovere, quod ſit auferre; ex ſignificatione rotæ, quod ſit potentia progrediendi, de qua ſequitur; ex ſignificatione curruum Pharaonis, quod ſint doctrinalia falſi, de qua n: 8146. 8148, ita falſa. Quid rota in genuino ſenſu ſignificat, conſtare poteſt ex ſignificatione currus; currus fuerunt duplicis generis, fuerunt per quos vehebantur merces, & fuerunt per quos pugnabant; per currus, per quos vehebantur merces, ſignificabantur doctrinalia veri, & in oppoſito ſenſu doctrinalia falſi; per currus autem, per quos pugnabant, ſignificabantur etiam doctrinalia in utroque ſenſu, ſed pugnantia, ita ipſa vera, & ipſa falſa, inſtructa ad pugnas; inde conſtare poteſt, quid intelligitur per rotam currus, quod nempe potentia progrediendi, hic inferendi falſa, & pugnandi contra vera; hæc potentia quia eſt partis intellectualis hominis, inde per rotam quoque intellectuale quoad illa quæ ſunt doctrinæ ſignificatur. In altera vita apparent multoties currus onerati varii generis mercibus, & illi in diſſimili forma & magnitudine; per illos, cum apparent, ſignificantur vera in ſuo complexu, ſeu doctrinalia quæ quaſi receptaculis veri ſunt, & per merces cognitiones varii uſus; hæc apparent, cum in cœlo apud angelos ſermo eſt de doctrinis; ſermo enim illorum, quia non poteſt comprehendi ab illis quæ infra ſunt, ſiſtitur repræſentive, & quibuſdam per currus, ut dictum eſt, in quibus omnia & ſingula ſermonis in forma & ante oculos ſiſtuntur, unde momento comprehendi & videri poſſunt contenta ſermonis, quædam in currus forma, quædam in ejus contextura, quædam in ejus colere, quædam in ejus rotis, quædam in equis qui trahunt, quædam in mercibus quas currus vehit; ex his repræſentativis eſt, quod currus in Verbo ſignificent doctrinalia: inde poteſt aliquatenus videri, quod per curruum rotam ſignificetur potentia quæ intellectuali; nam ſicut currus motum ſuum & progreſſionem habet per rotas, ita vera quæ doctrinalium, progreſſionem per intellectuale: hoc quoque ſignificatur per rotas apud Eſaiam "Cujus tela acuta, & omnes arcus tenſi, ungulæ equorum ejus ſicut rupes reputantur, *rotæ ejus ſicut procella*" V: 28, ibi de vaſtatore veri agitur, tela ſunt falſa, & arcus doctrina falſi, n: 2686. 2709; ungulæ equorum ſunt ſcientifica ſenſualia ex intellectuali perverſo, n: 7729; rotæ ſunt potentiæ pervertendi deſtruendique vera, ſicut procella.

procella. Apud Ezechielem "Vidi Animalia, *cum ecce rota una in terra* apud Animalia juxta quatuor facies ejus: *aſpectus rotarum & opera illarum* ſicut ſpecies Tharſchiſch, & ſimilitudo eadem quatuor illis: inſuper aſpectu illarum & opera illarum, *quaſi eſſet rota in medio rotæ*; ſuper quatuor quadraturis illarum qua ibant ibant, non convertebant ſe cum ibant: apſides illarum, & altitudo illis, & timor illis: inſuper *apſides illarum plenæ oculis circumcirca* quatuor illis: ita cum ibant animalia, *ibant rotæ apud illa*; *ſpiritus animalis in rotis*" I: 15 ad 21. tum Cap: X: 9 ad 14; per quatuor animalia, quæ fuerunt Cherubi, ſignificatur Providentia Domini, n: 308, per rotas Divina Intelligentia, ſeu prævidentia, inde dicitur quod rotæ irent ſimul cum animalibus, & quod apſides illarum eſſent plenæ oculis, tum quod ſpiritus animalis in illis, hoc eſt, verum ſapientiæ. Apud Danielem "Videns fui, uſque dum throni projecti ſunt, & Antiquus dierum ſedit, Veſtis Ipſius ſicut nix alba, crinis capitis illius ſicut lana munda, thronus Ipſius flammæ ignis, *rotæ Ipſius ignis ardens*" VII: 9, Antiquus dierum eſt ibi Dominus quoad Divinum Bonum; throni projecti ſunt falſa; Veſtis Ipſius eſt verum Divinum in forma externa; crinis capitis eſt Bonum Divinum in forma externa: thronus Ipſius eſt cœlum & Eccleſia; rotæ ſunt quæ ſapientiæ & intelligentiæ, ita vera Divina; ignis ardens ſunt quæ amoris & charitatis. Sub decem Labris circa Templum Salomonis erant quoque *Rotæ æris, opus rotarum ſicut opus rotæ currus, manus* illarum, & *terga* illarum, & *canthi* illarum, & *radii* illarum, omnia fuſile" 1 Reg: VII: 30. 31. 32. 33, per labra illa ſeu baſes ſignificabantur receptacula veri, per quod purificatur & regeneratur homo; per rotas potentiæ intellectuales, per quas progreſſio.

8216. Et duxit illam in gravitate, quod ſignificet reniſum & impotentiam, conſtat ex ſignificatione rotæ, quod ſit potentia inferendi falſa, de qua mox ſupra n: 8215, inde ducere illam in gravitate eſt impeditio per reniſum, & inde impotentia.

8217. Et dixit Ægyptius, quod ſignificet cogitationem, nempe illorum qui in falſis ex malo, conſtat ex ſignificatione dicere, cum malum ingruit, quod ſit cogitatio, ut n: 7094. 7107. 7244. 7937; & ex ſignificatione Ægyptii, quod ſit qui in falſis ex malo, de qua n: 8132. 8135. 8146. 8148.

8218. Fugiam coram Iſraele, quod ſignificet ſeparationem ab illis qui in bono veri & vero boni, conſtat ex ſignificatione fugere, quod ſit ſeparatio, de qua n: 4113. 4114. 4120; & ex repræſentatione Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, ſeu quod idem, qui in bono veri & vero boni, de qua n: 7956.

8219. Quia Jehovah militat pro illis in Ægyptios, quod ſignificet quod Dominus ſolus ſuſtineat pugnam contra falſa & mala, conſtat ex illis quæ ſupra n: 8175, explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

8220. Verſ: 26. 27. 28. *Et dixit Jehovah ad Moſchen, extende manum tuam ſuper mare, & revertantur aquæ ſuper Ægyptios, ſuper currus illius, & ſuper*

ſuper equites illius. Et extendit Moſcheh manum ſuam ſuper mare, ad vergere mane, ad vim fluxus ſui, & Ægyptii fugientes obviam ei, & excuſſit Jehovah Ægyptios in medium mare. Et reverſæ ſunt aquæ, & obtexerunt currus & equites, ad omnem exercitum Pharaonis, venientes poſt illos in mare, non relictus eſt in illis uſque ad unum. Et dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat influxum: extende manum tuam ſuper mare, ſignificat dominium potentiæ Veri Divini ſuper infernum: & revertantur aquæ ſuper Ægyptios, ſignificat quod falſa redundarent ad illos, & circumfunderent illos qui in falſis a malo ſunt: ſuper currus illius, ſuper equites illius, ſignificat doctrinalia falſi, ac ratiocinia ex intellectuali perverſo: & extendit Moſcheh manum ſuam ſuper mare, ſignificat, ut ſupra, dominium potentiæ Divinæ ſuper infernum: & reverſum eſt mare ad vergere mane, ad vim fluxus ſui, ſignificat redundationem falſorum ex malo ad illos, ex præſentia Domini: & Ægyptii fugientes obviam ei, ſignificat quod ipſe ſe falſis ex malo immergerent: & excuſſit Jehovah Ægyptios in medium mare, ſignificat quod ſic ipſi conjecerint ſe in infernum, ubi falſa ex malo: & reverſæ ſunt aquæ, ſignificat relapſum falſorum in illos: & obtexerunt currus & equites & omnem exercitum Pharaonis, ſignificat quod abſconderent illos falſa ſua: venientes poſt illos in mare, ſignificat quod occuparent illos: non relictus eſt in illis uſque ad unum, ſignificat omnes & ſingulos.

8221. Et dixit Jehovah ad Moſchen, quod ſignificet influxum, conſtat ex ſignificatione dixit Jehovah, cum de dominio potentiæ exercendo per Divinum Verum, quod repræſentatur per Moſchen, quod ſit influxus, ut quoque n: 7291. 7381.

8222. Extende manum tuam ſuper mare, quod ſignificet dominium potentiæ Veri Divini ſuper infernum, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 8200, explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

8223. Et revertantur aquæ ſuper Ægyptios, quod ſignificet quod falſa ex malo redundarent ad illos, & circumfunderent illos qui in falſis ex malo, conſtat ex ſignificatione aquarum, quod ſint falſa, de qua n: 6346. 7306. 8137. 8138; inde per revertantur aquæ, ſignificatur redundatio ſeu relapſus falſi, hic quoque circumfuſio, qui ab aquis maris Suph, quæ ſunt falſa ex malo illorum qui ab Eccleſia in fide ſeparata ac in vita mali fuerunt; & ex ſignificatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua ſæpius. Quomodo cum hoc ſe habet, quod falſa redundarent ſeu relaberentur ad illos, qui intendebant effundere ea ſuper illos qui in vero & bono, qui per filios Iſraelis repræſentantur, videatur ſupra n: 8214, quod nempe malum, quod intenditur aliis, relabatur ſuper ipſos, & quod hoc oriatur ex Lege ordinis Divini, *Ne alteri facias niſi quod vis ut alii faciant tibi*, Matth: VII: 12; ex hac Lege, quæ in mundo ſpirituali conſtans & perpetua eſt, Leges talionis, quæ latæ ſunt in Eccleſia repræſentativa, originem duxerunt, nempe hæ apud Moſchen "Si damnum contigerit, dabis animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, uſtionem pro uſtione, vulnus pro vulnere, plagam pro plaga". Exod: XXI: 23. 24. 25. Apud

Eundem

Eundem "*Si vir dederit defectum in proximo ſuo, quemadmodum fecit, ſic fiet illi*, fractura pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente; *quemadmodum defectum dederit in homine, ſic dabitur in ipſo*" Levit: XXIV: 19. 20. Apud Eundem "Si teſtis mendacium reſponderit contra fratrem ſuum, *facietis illi quemadmodum cogitavit facere fratri ſuo*" Deut: XIX: 18. 19: ex his maniſeſte patet, quod hæ leges ex univerſali illa, quæ in mundo ſpirituali conſtans & perpetua eſt, quod nempe non facias aliis, niſi quemadmodum vis ut alii tibi faciant, originem ducant; ſic liquet, quomodo intelligendum, quod falſa ex malo, quæ inferri aliis intenduntur, redundent ſeu relabantur ſuper ipſos. Sed cum illa Lege in altera vita ſe ita porro habet; ſimile ſeu talio, cum malum eſt, infertur a malis, & nuſquam a bonis, ſeu venit ab infernis, & nuſquam a cœlis; inferna enim ſeu mali qui ibi, in continua cupiditate ſunt malum faciendi aliis, nam id ipſum eſt vitæ eorum jucundum, quare ut primum permittitur, malum faciunt, nec curant cui, ſive malus ſit ſive bonus, ſive ſocius ſive hoſtis; & quia ex lege ordinis eſt, ut malum relabatur ſuper ipſos qui malum intendunt, inde cum ex lege permittitur, irruunt; hoc faciunt mali qui in infernis, nunquam boni qui in cœlis, hi enim in continuo deſiderio bonum faciendi aliis ſunt, nam id jucundum vitæ illorum eſt, quare ut primum datur copia, bonum faciunt, tam inimicis quam amicis; imo nec reſiſtunt malo, nam leges ordinis defendunt & tutantur bonum & verum; inde eſt, quod Dominus dicat "Audiviſtis quod dictum ſit, oculum pro oculo, & dentem pro dente; Ego vero dico vobis, non reſiſtendum eſſe malo: audiviſtis quod dictum ſit, amabis proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; Ego vero dico vobis, amate inimicos veſtros, benedicite maledicentibus vobis, benefacite odio vos habentibus; ut ſitis filii Patris veſtri in cœlis" Matth: V: 38. 39. 43. 44. 45. Sæpius in altera vita contingit, quod mali, cum inferre volunt malum bonis, graviter puniantur, & quod malum, quod aliis intendunt, relabatur ſuper ipſos; hoc apparet tunc ſicut vindicta ex bonis; ſed non eſt vindicta, nec eſt a bonis, ſed ex malis, quibus tunc ex lege ordinis datur copia; imo boni nec illis malum volunt, ſed uſque non poſſunt malum pænæ auferre, quia tunc in intentione boni tenentur, plane ſicut judex cum videt maleficum puniri, aut ſicut pater cum ſuum filium a magiſtro; mali, qui puniunt, faciunt id ex cupiditate malum faciendi, boni autem ex affectione bonum faciendi: ex his conſtare poteſt, quid intelligitur per Domini verba de dilectione inimici apud Matthæum ſupra; & de Lege talionis, quæ non a Domino abrogata eſt, ſed explicata, quod nempe qui in amore cœleſti ſunt, non jucundum in talione ſeu vindicta habere debeant, ſed in benefaciendo; & quod ipſa lex ordinis, quæ tutatur bonum, id ex ſe faciat, per malos.

8224. Super currus illius, & ſuper equites illius, ſignificat doctrinalia falſi, ac ratiocinia ex intellectuali perverſo, conſtat ex ſignificatione curruum Pharaonis, quod ſint doctrinalia falſi, de qua n: 8146. 8148. 8215; & ex ſignificatione equitum, quod ſint ratiocinia ex intellectuali perverſo, de qua n: 8146. 8148.

8225. Et extendit Moſcheh manum ſuam ſuper mare, ſignificat dominium potentiæ Divinæ ſuper infernum, ut ſupra n: 8200. 8222.

8226. Et reverſum eſt mare ad vergere mane ad vim fluxus ſui, quod ſignificet redundationem falſorum ex malo ad illos ex præſentia Domini, conſtat ex ſignificatione reverti, cum de falſis ex malo dicitur, quæ ſignificantur per aquas maris Suph, quod ſit redundatio ſeu relapſus ad illos, de qua mox ſupra n: 8223; ex ſignificatione maris, hic aquarum maris, quod ſint falſa ex malo quæ in interno, de qua n: 6346. 7306. 8137; ex ſignificatione vergere ad mane, quod ſit præſentia Domini, de qua ſequitur; & ex ſignificatione ad vim fluxus ſui, quod ſit ſecundum ſtatum communem & ordinem in inferno, nam in infernis eſt ordo æque ac in cœlis, in infernis enim eſt conſociatio per mala, ſicut in cœlis per bona, ſed conſociatio in infernis eſt qualis eſt latronum. Quod vergere ad mane, ſit præſentia Domini, conſtare poteſt ex illis, quæ ſupra de Mane n: 8211, oſtenſa ſunt, quod nempe Mane ſit ſtatus caliginis & interitus malis, & ſtatus illuſtrationis & ſalvationis bonis, & hoc ex ſola præſentia Domini, n: 7989. 8137. 8138. 8188; quodque ex præſentia Divini Humani Ipſius, n: 8159. Simile, quod hic de Ægyptiis, de Babele dicitur apud Jeremiam "Formator omnium Ille, imprimis baculi hæreditatis Ipſius; Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius; Malleus Tu Mihi, arma belli, & diſpergam per Te gentes, & perdam per Te regna, & diſpergam per Te *equum*, & *currum* illius, & diſpergam per Te *currum* & *vectum in eo: retribuam* Babeli & omnibus habitatoribus Chaldææ, omne malum illorum, quod fecerunt in Zione coram oculis veſtris" LI: 19. 20. 21. 24; per Babelem ibi ſignificantur qui ab Eccleſia fuerunt ac bonum prophanarunt, & per Chaldæam qui Verum; intellectuale illorum, ac inde doctrinalia & ratiocinia, ſignificantur hic quoque per Equum, Currum, & Vectum in illo; ac Vaſtatio per diſperſionem illorum; Dominus quoad Divinum Humanum, ex Cujus præſentia diſperſio illorum, intelligitur per hæc verba, Formator omnium Ille, imprimis baculi hæreditatis Ipſius, Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius, Malleus Tu Mihi, arma belli, diſpergam per Te gentes, & perdam per Te regna; gentes ſunt mala, & regna falſa. Ex his quoque patet, quod mala, quæ faciunt aliis, redundent ſeu relabantur ſuper ipſos, dicitur enim quod retribuetur illis malum; & quoque alibi paſſim, quod in die viſitationis ſumetur ultio ac vindicabitur.

8227. Et Ægyptii fugientes obviam ei, quod ſignificet quod ipſi ſe falſis ex malo immergerent, conſtat ex ſignificatione fugere obviam mari, quod ſit immergere ſemetipſos falſis ex malo, quæ per aquas maris illius ſignificantur, n: 8226. Hoc ita ſe habet, qui non interiora cauſarum novit, non aliter poteſt credere, quam quod mala quæ malis eveniunt, ſicut punitiones, vaſtationes, damnationes, ac denique conjectiones in infernum, ſint ex Divino; ita enim prorſus apparet, nam talia exiſtunt ex præſentia Divini, n: 8137. 8138. 8188; at uſque nihil tale evenit illis ex Divino, ſed ab ipſis; Divinum ac Ipſius præſentia unice pro fine habet tutelam ac ſalvationem bonorum, apud hos cum Divinum præſens eſt, ac tutatur illos contra malos, tunc mali exarde-

ardeſcunt adhuc magis contra illos, & adhuc magis contra Ipſum Divinum, nam hoc maximo odio habent, qui odio habent bonum, odio maxime habent Divinum; inde irruunt, & quantum irruunt, tantum ex lege ordinis conjiciunt ſemet in punitiones, vaſtationes, damnationem, & tandem in infernum; ex his conſtare poteſt, quod Divinum, hoc eſt, Dominus, nihil niſi bonum faciat, ac nulli malum, ſed quod ipſi qui in malo ſunt ſe in talia conjiciant: hæc ſunt quæ ſignificantur per quod Ægyptii fugerint obviam mari, hoc eſt, quod ipſe ſe falſis ex malo immerſerint. Quod hanc rem concernit, ulterius aliquid dicetur; creditur etiam quod ex Divino mala, ex eo, quia Divinum permittit, & non aufert, & qui permittit & non aufert cum poteſt, apparet ſicut quod velit, & ſic quod in cauſa ſit; ſed Divinum permittit, quia non inhibere nec auferre poteſt; Divinum enim non vult niſi bonum, ſi itaque inhiberet & auferret mala, nempe punitionum, vaſtationum, perſequutionum, tentationum, & ſimilia, tunc vellet malum, nam tunc non illi poſſent emendari, ac tunc malum incrementum caperet, uſque dum dominaretur ſuper bonum: ſe habet hoc ſicut cum Rege, qui abſolvit ſontes, is in cauſa eſt mali ab illis poſtea in regno, & quoque in cauſa quod licentia inde aliis, præter quod malus conformaretur in malo; quare Rex juſtus & bonus, tametſi auferre poteſt punitiones, uſque non poteſt, nam ſic non bonum ſed malum facit; ſciendum quod omnes punitiones, tum tentationes, in altera vita pro fine habeant bonum.

8228. Et excuſſit Jehovah Ægyptios in medium mare, quod ſignificet quod ſic ipſi conjecerint ſe in infernum, ubi falſa ex malo, conſtat ex ſignificatione excutere in mare, quod ſit conjicere in falſa ex malo, nam falſa illa per aquas iſtius maris ſignificantur, n: 6346. 7306. 8137. 8138. Quod mala, quæ in Verbi ſenſu literæ tribuuntur Jehovæ, hoc eſt, Domino, ſint ab ipſis qui in malo ſunt, & nihil a Domino, & quod Verbum in ſenſu ſuo interno ita intelligendum ſit, videatur n: 2447. 6073. 6992. 6997. 7533. 7632. 7643. 7679. 7710. 7877. 7926. 8227.

8229. Et reverſæ ſunt aquæ, quod ſignificet relapſum falſorum in illos, conſtat ex illis quæ ſupra n: 8223. 8226, explicata ſunt.

8230. Et obtexerunt currus & equites, & omnem exercitum Pharaonis, quod ſignificet quod abſconderent illos falſa ſua, conſtat ex ſignificatione obtegere, quod ſit operire & ſic abſcondere; & ex ſignificatione curruum & equitum Pharaonis, quod ſint doctrinalia falſi, & ratiocinia, pugnantia contra vera & bona, in genere ipſa falſa ex malo; quod currus ſint doctrinalia falſi, & equites ratiocinia ex intellectuali perverſo, videatur n: 8146. 8148; & quod ſint pugnantia contra vera & bona, n: 8215.

8231. Venientes poſt illos in mare, quod ſignificet quod occuparent illos, conſtat ex ſignificatione venire poſt illos, cum dicitur de aquis maris, per quas ſignificantur falſa ex malo, quod ſit occupare.

8232. Non relictus eſt in illis uſque ad unum, quod ſignificet omnes & ſingulos, conſtat abſque explicatione. In hoc Verſu actum eſt de immerſione ſeu conjectione illorum, qui in falſis ex malo fuerunt, in infernum; ſed quid immerſio & conjectio in infernum, pauci ſciunt, putant quod ſit dejectio in

quendam locum, ubi diabolus cum ſua turba, & quod hi crucient illos ibi; ſed res non ita ſe habet; conjectio in infernum non aliud eſt quam conſtipatio a meris falſis quæ a malo, in quo fuerunt cum in mundo: quando ab illis ibi conſtipati ſunt, tunc in inferno ſunt: ipſa mala & falſa, in quibus tunc ſunt, cruciant illos; ſed cruciatus non venit inde, quod doleant ex eo quod malum egerint, ſed ex eo quod non malum facere poſſint; eſt enim hoc jucundum vitæ illorum: cum enim ibi malum faciunt aliis, puniuntur & cruciantur ab illis, quibus id faciunt; imprimis ſibi mutuo malum faciunt, ex cupiditate imperandi, ac ob illam cauſam ſubjugandi alios, quod fit, ſi alteri ſe ſubjugari non patiuntur, per mille punitionum ac cruciatuum modos; ſed dominia ibi, quæ continue affectant, alternant vices, & ſic qui puniverant & cruciaverant alios, ab aliis dein puniuntur & cruciantur; & hoc tamdiu, uſque dum tandem ardor talis reſedit, ex timore pænæ. Ex his nunc conſtare poteſt, unde infernum, & quid infernum. Ignis inferni nec aliud eſt quam concupiſcentia quæ amoris ſui, quæ inflammat & cruciat, n: 6314. 7324. 7575.

8233. Verſ: 29. 30. 31. *Et filii Iſraelis iverunt in arido in medium maris, & aquæ illis murus, a dextra illorum & a ſiniſtra illorum. Et ſalvavit Jehovah in die hoc Iſraelem e manu Ægyptiorum; & vidit Iſrael Ægyptios mortuos ſuper litore maris. Et vidit Iſrael manum magnam, quam fecit Jehovah in Ægyptiis; & timuerunt populus Jehovam, & crediderunt in Jehovam, & in Moſchen ſervum Ipſius.* Et filii Iſraelis iverunt in arido in medium maris, ſignificat quod qui in bono veri & veri bono tuto abſque infeſtatione tranſirent id infernum: & aquæ illis murus a dextra illorum & a ſiniſtra illorum, ſignificat quod a falſis detenti fuerint undequaque: & ſalvavit Jehovah in die hoc Iſraelem e manu Ægyptiorum, ſignificat quod Dominus in hoc ſtatu tutatus ſit illos qui ab Eccleſia ſpirituali ab omni violentia ex falſis a malo: & vidit Iſrael Ægyptios mortuos in litore maris, ſignificat aſpectum damnatorum hinc inde diſperſorum: & vidit Iſrael manum magnam quam fecit Jehovah in Ægyptiis, ſignificat agnitionem omnipotentiæ Domini: & timuerunt populus Jehovam, ſignificat adorationem: & crediderunt, ſignificat fidem & fiduciam: in Jehovam & in Moſchen ſervum Ipſius, ſignificat Dominum quoad Divinum Bonum, & quoad Divinum Verum ab Ipſo procedens & miniſtrans.

8234. Et filii Iſraelis iverunt in arido in medium maris, quod ſignificet quod qui in bono veri & vero boni tuto abſque infeſtatione tranſirent id infernum, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 8185, explicata ſunt, ubi ſimilia verba. In bono veri & in vero boni dicitur, & intelligitur Eccleſia ſpiritualis; qui enim ab hac Eccleſia ſunt, primum ſunt in bono veri; deinde in vero boni; nam primum faciunt bonum, quia verum dictat quod faciendum, proinde ex obedientia; poſtea autem faciunt bonum ex affectione; tunc verum ex bono vident, & quoque faciunt; exinde patet, quod antequam homo Eccleſiæ ſpiritualis novam voluntatem accipit a Domino, hoc eſt, antequam regeneratus eſt, faciat verum ex obedienria, ſed poſtquam regeneratus eſt,

faciat

faciat verum ex affectione, & tunc verum ei fit bonum quia voluntatis eſt; nam facere ex obedientia, eſt ex intellectuali, at facere ex affectione eſt ex voluntario: inde quoque eſt, quod illi qui faciunt verum ex obedientia, ſint homines Eccleſiæ-Externæ, ſed qui faciunt ex affectione ſint homines Eccleſiæ-Internæ: ex his patet, quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali intelligantur, cum dicitur qui in boni vero & vero boni.

8135. Et aquæ illis murus a dextra illorum & a ſiniſtra illorum, quod ſignificet quod a falſis detenti fuerint undequaque, conſtat ex illis quæ ſupra n: 8206, explicata ſunt, ubi ſimilia verba.

8236. Et ſalvavit Jehovah in die hoc Iſraelem e manu Ægyptiorum, quod ſignificet quod Dominus in hoc ſtatu tutatus ſit illos qui ab Eccleſia ſpirituali ab omni violentia ex falſis a malo, conſtat ex ſignificatione ſalvare, quod ſit tutari; ex ſignificatione in die hoc, quod ſit in hoc ſtatu, quod dies ſit ſtatus videatur n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; ex repræſentatione Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, de qua ſæpius; ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis ex malo, de qua etiam ſæpius; inde, quod ſalvare e manu illorum, ſit tutari a violentia ab illis qui in falſis ex malo, patet.

8237. Et vidit Iſrael Ægyptios mortuos in litore maris, quod ſignificet aſpectum damnatorum hinc inde diſperſorum, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit aſpicere ſeu aſpectus; ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in falſis a malo; ex ſignificatione mortuorum, quod ſint damnati, de qua n: 5407. 6119. 7494; & ex ſignificatione in litore maris, quod ſit circa extrema inferni, quod litora ſint extrema, patet, & quod mare ſit infernum, prius oſtenſum eſt: inde eſt, quod per videre illos mortuos in litore maris, ſignificetur aſpectus damnatorum hinc inde diſperſorum. Quia aſpectus damnatorum dicitur, illuſtrandum eſt, quomodo cum hoc ſe habet: qui in infernis ſunt, non apparent illis qui in alio inferno ſunt, ne quidem illis qui in proximo ſeu viciniſſimo, nam prorſus ſeparati ſunt, ſed apparent illis qui in cœlo, quoties id Domino beneplacet; Dominus enim regit inferna etiam per Angelos, quibus datur copia e loco ubi ſunt videndi omnia quæ ibi exiſtunt; hoc fit ex cauſa, ut ibi quoque ordo ſit, & ne unus alteri violentiam inferat ultra quam permittitur: hoc munus Angelis datur, & per id dominium ſuper inferna: inſpicere in inferna, & videre ibi quæ fiunt, etiam aliquoties datur bonis ſpiritibus, nam ex ordine eſt, quod e ſuperiori videri queant inferiora, non autem ab inferioribus ſuperiora; ita ab illis qui in cœlo ſunt, videri poſſunt inferna, & illi qui ibi, non autem viciſſim: inde eſt, quod ex bono videri queant mala, non autem ex malo bona, nam bonum ſuperius eſt & malum inferius.

8238. Et vidit Iſrael manum magnam, quam fecit Jehovah in Ægyptiis, quod ſignificet agnitionem omnipotentiæ Domini, conſtat ex ſignificatione videre, quod ſit intelligere, agnoſcere, & fidem habere, de qua n: 897. 2150. 2325. 2807. 3796. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 5400 6805; ex ſignificatione manus magnæ, fortis, robuſtæ, excelſæ, cum dicitur de Jehovah,

hoc eſt, Domino, quod ſit omnipotentia, de qua n: 878. 7188. 7189. 7518. 8050. 8069. 8153; & ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in damnatione, nunc qui in inferno.

8239. Et timuerunt populus Jehovam, quod ſignificet adorationem, conſtat ex ſignificatione timere Jehovam, quod ſit cultus vel ex amore, vel ex fide, vel ex timore, de qua n: 2826, ita adoratio.

8240. Et crediderunt, quod ſignificet fidem & fiduciam, conſtat ex ſignificatione credere, quod ſit fidem habere, & quoque fiduciam, nam qui fidem habet, is quoque fiduciam habet; fiducia eſt amoris per fidem, conſequenter fiducia in Jehovam, hoc eſt, in Dominum, non datur niſi apud illos qui in amore nempe in Dominum & erga proximum ſunt, quia apud alios non eſt fides.

8241. In Jehovam & in Moſchen ſervum Ipſius, quod ſignificet Dominum quoad Divinum Bonum, & quoad Divinum Verum ab Ipſo procedens & miniſtrans, conſtat ex eo, quod per Jehovam in Verbo intelligatur Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5663. 6281. 6303. 6945. 6956, & quidem Dominus quoad Divinum Bonum, n: 2586. 2769. 2807. 2822. 4402. 6905; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Divinum Verum ab Ipſo procedens, de qua n: 6752. 7014. 7010. 7089. 7382: Dominus quoad Divinum Bonum & quoad Divinum Verum dicitur, quia Divinum Bonum eſt in Domino, ac Divinum Verum eſt a Domino; ſe habet Divinum Bonum ad Divinum Verum, ſicut ignis ſolis ad lucem quæ inde, lux non eſt in ſole, ſed ex ſole; & ex ſignificatione ſervi, quod ſit miniſtrans; quod ſervus nominetur qui inſervit, ita qui miniſtrat, videatur n: 7143; & quod ideo Dominus quoad Divinum Humanum, cum fuit in mundo, ſervus in Verbo dicatur, n: 3441; tunc enim miniſtravit, ut quoque Ipſe dicit "Quiſquis voluerit inter vos magnus fieri, eſſe debebit veſter miniſter, & quiſquis voluerit eſſe primus, eſſe debebit veſter ſervus: ſicut *Filius Hominis non venit ut Ipſi miniſtretur, ſed ut miniſtret*" Matth: xx: 26. 27. 28. Luc: x: 44. 45.

Continuatio de Spiritibus & Incolis Telluris Jovis.

8242. *QUALI facie ſunt Incolæ Telluris Jovis, etiam mihi oſtenſum eſt, non quod ipſi incolæ mihi viſi ſint, ſed quod ſpiritus in ſimili facie in qua fuerunt cum in ſua tellure: ſed antequam id oſtenſum eſt, apparebat unus ex Angelis illorum*

illorum poſt nubem candidam, qui dabat veniam; & tunc binæ facies oſtenſæ ſunt; erant ſicut facies hominum noſtræ telluris, candidæ, ſed pulchriores; eluxit ex illis ſincerum & modeſtum.

8243. *Cum Spiritus Joviales apud me erant, apparebant mihi facies incolarum noſtræ telluris ſolito minores; quod inde venit, quia ex ſpiritibus illis influebat idea quam habebant de ſuis faciebus, quod majores eſſent; credunt enim, cum vivunt homines in tellure ſua, quod poſt obitum facies ſuæ majores futuræ ſint, & quoad formam rotundæ; & quia hæc idea illis impreſſa eſt, inde quoque illa permanet, & cum fiunt ſpiritus, apparent ſibi majori facie: quod credant facies ſuas majores futuras, eſt quia dicunt faciem non eſſe corpus, ex cauſa quia per illam loquuntur ac ſiſtunt cogitata ſua, & quia ſic per illam mens quaſi tranſparet; inde de facie habent ideam ſicut de mente in forma; & quia ſciunt, quod ſapientiores futuri ſint poſt vitam in mundo, inde mentis formam, ſeu faciem, ampliorem fieri credunt.*

8244. *Cum in mundo ſunt, etiam credunt quod poſt obitum percepturi ſint ignem, qui calefaciet faciem illorum; hoc inde ducunt, quia ſapientiores illorum ſciunt, quod ignis ſpirituali mundo ſit amor, & quod ille ignis ſit ignis vitæ, & quod ex hoc igne ſit calor Angelis; etiam qui ex illis in amore cœleſti vixerunt, optato ſuo potiuntur, & percipiunt caleſcere faciem ſuam ſicut ex igne; & tunc interiora mentis illorum non calore ſed amore incenduntur.*

8245. *Propter illam cauſam etiam faciem ſuam multum lavant & mundant, & quoque ſollicite conſervant a ſolis æſtu; habent indumentum factum ex libro ſeu cortice cæruleſcente, quo circumcingunt caput, & ſic faciem contegunt: Corpus autem non multum curant.*

8246. *De faciebus hominum noſtræ telluris dicebant, quod non pulchræ eſſent; ac mirati quod aliquorum facies eſſent verrucoſæ & puſtulatæ, tum aliter deformatæ, dicebant quod apud illos nuſquam tales appareant: quædam facies uſque arridebant, nempe quæ hilares & ridentes erant; & quæ circum labra paulum prominebant.*

8247. *Quod facies ridentes & hilares arriderent, erat quia in illorum tellure facies pæne omnium tales ſint, & hoc ex cauſa, quia nulla illis ſollicitudo eſt de futuris, nec mundana illis curæ ſunt; nam hæc ſunt, quæ inducunt triſte & anxium animis, & inde faciebus; ſique apud non bonos eſt hilaritas & riſus in faciebus, eſt in cute externa*

terna, non autem in fibris ab interno; aliter apud incolas Jovis Quod facies arriderent, quæ circum labra prominebant, erat cauſa, quia plurimum loquelæ illorum fit per faciem, & imprimis per regionem ejus circum labra; & quoque quia nuſquam ſimulant, hoc eſt, aliter loquuntur quam cogitant; idcirco faciem ſuam non cogunt, ſed libere emittunt: aliter apud illos, qui a pueritia didicerunt ſimulare; eorum facies inde contrahitur ab interiori, ne inde aliquid cogitationis eluceat; ab exteriori autem nec immititur, ſed tenetur parata ad emittendum & ad contrahendum, prout calliditas ſuadet. Ex inſpectis fibris circumcirca labra veritas poteſt conſtare, ſunt enim fibrarum ſeries ibi multiplices, complicatæ & conſertæ, quæ non ad manducationem & ad loquelam per voces ſolum creatæ ſunt, ſed etiam ad exprimendas animi ideas.

8248. *Oſtenſum quoque eſt, quomodo ſiſtuntur cogitationes per faciem; affectiones quæ amoris manifeſtantur per vultus & eorum mutationes, & cogitationes in illis per variationes quoad formas interiorum; amplius deſcribi nequeunt. Eſt quoque Incolis Telluris Jovis loquela vocum, ſed non ita ſonora ſicut apud nos; adjuvat una loquela alteram, & loquelæ vocum inſinuatur vita per loquelam faciei.*

8249. *Informatus ſum ab Angelis, quod omnium prima loquela in unaquavis Tellure fuerit loquela per faciem, & hoc ex binis ibi originibus, a Labris & ab Oculis: cauſa quod talis loquela fuerit prima, eſt quia facies formata eſt prorſus ad effigiandum illa quæ homo cogitat & quæ vult; inde etiam facies vocata eſt effigies & index animi; tum quia in antiquiſſimis ſeu primis temporibus ſincerum fuit, n:* 8118, *& non aliud cogitavit homo, nec cogitare voluit, quam quod vellet ut eluceret ex facie: ita etiam potuerunt affectiones animi & ideæ cogitationis ſiſti ad vivum, & plene; ſic etiam apparebant ad oculum, ſicut in forma, & perplura ſimul; quæ loquela tantum ideo excellebat præ loquela vocum, quantum viſus præ auditu, hoc eſt, ſicut eſt videre campum, aut audire illum deſcriptum; addebant, quod talis loquela conveniret cum loquela angelorum, cum quibus homines illis temporibus etiam communicabant; etiam cum facies loquitur ſeu mens per faciem, eſt loquela angelica apud hominem in forma ultima naturali, ac eſt præſentia viſus interni ſeu cogitationis unius in alterius, non autem cum os loquitur per voces. Quod Antiquiſſimi in hac Tellure ſimiliter loquuti fuerint, videatur n:* 607. 608. 1118. 1120. 7361. *Quiſque etiam poteſt ſcire, quod loquela vocum*

non

non potuerit eſſe Antiquiſſimis, quia voces linguæ non erant immediate infuſæ, ſed inveniendæ & applicandæ rebus, quod non fieri niſi ſucceſſu temporis potuit.

8250. *Quamdiu ſincerum & rectum fuit apud hominem, tamdiu etiam talis loquela permanſit, ſed ut primum mens aliud cogitare cæpit & aliud loqui, quod factum cum homo ſe amavit & non proximum, tunc loquela vocum incrementa cepit, ſilente vel etiam ſimul mentiente facie, inde interna faciei forma mutata eſt, contraxit ſe, induruit, & pæne vitæ expers cæpit fieri; at externa ex igne amoris ſui inflammata ſicut viva videri, at vitæ expers quod ſubeſt, & interius pro plano eſt, non apparet coram oculis hominum, ſed coram oculis angelorum, nam hi vident interiora: tales ſunt facies illorum qui aliud cogitant & aliud loquuntur, ſimulatio enim, hypocriſis, aſtus, & dolus, quæ hodierna prudentia ſunt, talia inducunt. Sed aliter ſe res habet in altera vita, ibi non licet aliter loqui & aliter cogitare; diſſidentia etiam ibi luculenter percipitur in unaquavis voce, & in unoquovis vocis ſono; & cum percipitur, ejicitur ſpiritus, in quo talis diſſidentia, e conſortio, & mulctatur; poſtea redigitur variis modis ad loquendum ſicut cogitat, & ad cogitandum ſicut vult, uſque ut una ei mens ſit, & non diviſa; ſi bonus ut bonum velit, & verum ex bono cogitet & loquatur, & ſi malus, ut malum velit, & falſum ex malo cogitet & loquatur; bonus non prius in cœlum elevatur, & malus nec prius in infernum conjicitur, & hoc ob finem, ut in inferno non ſit niſi quam malum & falſum ibi ſit mali; ac ut in cœlo non ſit niſi quam bonum, ac verum ibi ſit boni.*

8251. *Continuatio de ſpiritibus & incolis telluris Jovis, ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

E X O D I

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Doctrina Charitatis.

8252. APUD hominem Eccleſiæ erit vita Pietatis & erit vita Charitatis; conjunctæ erunt: vita pietatis abſque vita Charitatis ad nihil conducit, ſed illa cum hac ad omnia.

8253. Vita pietatis eſt pie cogitare & pie loqui, multum vacare precibus, humiliter ſe tunc gerere, frequentare templa, & tunc prædicationes devote auſcultare, & ſæpe quotannis obire ſacramentum cænæ, & ſimiliter reliqua Cultus ſecundum Eccleſiæ ſtatuta. Vita autem Charitatis eſt bene velle & bene facere proximo, in omni opere agere ex juſto & æquo, & ex bono & vero, ſimiliter in omni functione; verbo, vita charitatis conſiſtit in uſibus præſtandis.

8254. Ipſiſſimus cultus Domini conſiſtit in vita charitatis, non autem in vita pietatis abſque illa; vita pietatis abſque vita charitatis eſt ſibi ſolum velle conſulere, non proximo; at vita pietatis cum vita charitatis eſt ſibi velle conſulere propter proximum; illa vita eſt ex amore erga ſe, hæc autem ex amore erga proximum.

8255. Quod facere bonum ſit colere Dominum, conſtat ex Domini Verbis apud Matthæum "*Omnis qui audit verba mea, & facit ea, comparabo viro prudenti; at omnis audiens verba mea & non faciens ea, comparabitur viro ſtulto*" VII: 24. 26.

8256. Homo etiam talis eſt, qualis ejus charitatis vita, non autem talis qualis ejus pietatis vita abſque illa: inde charitatis vita manet hominem in æternum, non autem pietatis vita, niſi quantum hæc concordat cum illa: quod Charitatis vita maneat hominem in æternum, etiam conſtat a Domini verbis apud Matthæum "*Venturus eſt Filius hominis in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis; & tunc reddet unicuique ſecundum facta ejus*" XVI: 27: & apud Johannem "*Exibunt, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt in reſurrectionem judicii*" V: 29; tum ex illis quæ apud Matthæum Cap: XV: 31 ad fin.

8257. Per Vitam, per quam principaliter colitur Dominus, intelligitur

tur vita ſecundum præcepta Ipſius in Verbo, per hæc enim novit homo quid fides & quid Charitas; hæc vita eſt vita Chriſtiana, & vocatur vita ſpiritualis: Vita autem ſecundum leges juſti & honeſti abſque illa, eſt vita civilis & moralis; hæc vita facit ut homo ſit civis mundi, illa autem ut ſit civis cœli.

CAPUT XV.

1. TUNC cecinit Moſcheh, & filii Iſraelis Canticum hoc JEHOVÆ, & dixerunt dicendo; Canticum JEHOVÆ, quia exaltando exaltavit, equum & equitem ejus projecit in mare.

2. Virtus mea, & Canticum JAH, & fuit mihi ad ſalutem; hic DEUS meus, & habitaculum conſtituam Illi, DEUS patris mei, & exaltabo Ipſum.

3. JEHOVAH vir belli, JEHOVAH nomen Ipſius.

4. Currus Pharaonis & exercitum illius projecit in mare; & electio ducum tertianorum ſubmerſi in mari Suph.

5. Abyſſi obtexerunt illos, deſcenderunt in profunditates ſicut lapis.

6. Dextra tua JEHOVAH magnificata in robore; dextra tua JEHOVAH confringis hoſtem.

7. Et in multitudine excellentiæ tuæ deſtruis inſurgentes Tibi, emittis excandeſcentiam tuam, comedit illos ſicut ſtipulam.

8. Et vento narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ, conſtiterunt ſicut cumulus fluenta, congelatæ abyſſi in corde maris.

9. Dixit hoſtis, perſequar, aſſequar, dividam ſpolium, implebitur illis anima mea, evacuabo gladium meum, expellet illos manus mea.

10. Spiraſti vento tuo, contegit illos mare, profundum petierunt ſicut plumbum in aquis ingentibus.

11. Quis ſicut Tu in diis JEHOVAH, quis ſicut Tu, magnificus in ſanctitate, venerandus laudibus, faciens mirabile.

12. Extendiſti dextram tuam, abſorbſit illos terra.

13. Duxiſti in Miſericordia tua populum illum, redemiſti, deduxiſti in virtute tua ad habitaculum ſanctitatis tuæ.

14. Audiverunt populi, contremuerunt, dolor apprehendit habitatores Philiſthææ.

15. Tunc conſternati ſunt duces Edom, potentes Moabi, apprehendit illos terror; colliquefacti omnes habitatores Canaanis.

16. Cecidit ſuper illos formido & pavor, in magnitudine brachii tui exſcinduntur, ſicut lapis, uſque dum tranſibit populus tuus, Jehovah, uſque dum tranſibit populus tuus, poſſediſti.

17. Introduces illos, plantabis illos in monte hæreditatis tuæ, loco ad habitare Te, operatus es Jehovah; ſanctuarium, Domine, præpararunt manus tuæ.

18. Jehovah regnabit in ſæculum & æternitatem.

19. Quia venit equus Pharaonis in curru ſuo & in equitibus ſuis in mare, & reduxit Jehovah ſuper illos aquas maris; & filii Iſraelis iverunt in arido per medium maris.

20. Et ſumſit Mirjam Prophetiſſa ſoror Aharaonis tympanum in manu ſua, & exiverunt omnes mulieres poſt illam in tympanis & in choreis.

21. Et reſpondit illis Mirjam, cantate Jehovæ, quia exaltando exaltavit, equum & equitem ejus projecit in mare.

22. Et proficiſci fecit Moſcheh Iſraelem a mari Suph, & exiverunt ad deſertum Schur, & iverunt tres dies in deſerto, & non invenerunt aquas.

23. Et venerunt ad Marah, & non potuerunt bibere aquas præ amaritudine, quia amaræ illæ, propterea vocavit nomen ejus Marah.

24. Et murmuraverunt populus contra Moſchen, dicendo, quid bibemus.

25. Et clamavit ad Jehovam, & monſtravit illi Jehovah lignum, & projecit ad aquas, & dulces factæ aquæ: ibi poſuit illi ſtatutum & judicium, & ibi tentavit illum.

26. Et dixit, ſi audiendo audiveris vocem Jehovæ Dei tui, & rectum in oculis Ipſius feceris, & auſcultaveris præceptis Ipſius, & cuſtodiveris omnia ſtatuta Ipſius, omnem morbum, quem poſui in Ægyptios, non ponam ſuper te, quia Ego Jehovah ſanator tuus.

27. Et venerunt ad Elim, & ibi duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ; & caſtrametati ſunt juxta aquas.

CONTENTA.

8258. IN ſenſu interno hujus Capitis, celebratur Dominus, quod poſtquam Humanum ſuum glorificavit, malos qui infeſtabant

bant bonos in altera vita, dejecerit in inferna; & bonos, qui infeſtati ſunt, elevaverit in cœlum: hæc ſunt, quæ in ſenſu interno continentur in Cantico Prophetico.

8259. Poſtea in ſenſu interno agitur de altera tentatione illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, quæ deſcribitur per murmurationem populi ad Marah, ubi aquæ amaræ; & dein de conſolatione, quæ ſignificatur per caſtremetationem ad Elim, ubi duodecim fontes & ſeptuaginta palmæ.

SENSUS INTERNUS.

8260. Verſ: 1. 2. TUNC *cecinit Moſcheh & filii Iſraelis Canticum hoc Jehovæ, & dixerunt dicendo, cantabo Jehovæ, quia exaltando exaltavit; equum & equitem ejus projecit in mare. Virtus mea, & Canticum Jah, & fuit mihi ad ſalutem; hic Deus meus, & habitaculum conſtituam Illi, Deus patris mei, & exaltabo Ipſum.* Tunc cecinit Moſcheh & filii Iſraelis canticum hoc Jehovæ, ſignificat glorificationem Domini ab illis qui ab Eccleſia ſpirituali propter liberationem: & dixerunt dicendo, ſignificat ita ex influxu: cantabot Jehovæ, ſignificat quod Domino ſoli gloria: quia exaltando exaltavit, ſignificat quod manifeſtaverit Divinum ſuum in Humano: equum & equitem ejus projecit in mare, ſignificat in eo quod ex ſola præſentia Ipſius falſa ex malo damnata ſint & conjecta in infernum: virtus mea, ſignificat quod omne potentiæ ab Ipſo: & Canticum Jah, ſignificat quod omne fidei & inde gloriæ ſit ex Divino Vero quod ab Ipſo: & fuit mihi ad ſalutem, ſignificat quod inde ſalvatio: & habitaculum conſtituam Illi, ſignificat quod in bono, quod ab Ipſo, erit ut in cœlo ſuo: Deus patris mei, ſignificat quod non aliud Divinum fuerit in Eccleſiis Antiquis: & exaltabo Ipſum, ſignificat quod etiam nunc Ipſi cultus Divinus.

8261. Tunc cecinit Moſcheh & filii Iſraelis canticum hoc Jehovæ, quod ſignificet glorificationem Domini ab illis qui ab Eccleſia ſpirituali propter liberationem, conſtat ex ſignificatione canere canticum, quod ſit glorificatio, de qua ſequitur; quod ſit glorificatio Domini, eſt quia per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus, n: 1343. 1736. 2921. 3003. 3035. 5041. 5663. 6280. 6281. 6905. 6945. 6956; & ex repræſentatione Moſchis & filiorum Iſraelis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali, Moſcheh enim una cum populo Eccleſiam illam repræſentat, Moſcheh Caput ejus, quia etiam Divinum Verum, & populus ſeu filii Iſraelis ipſam Eccleſiam; quod filii Iſraelis ſint

qui ab Eccleſia ſpirituali, videatur n: 6426. 6637. 6862. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223; quod glorificatio Domini ſit propter liberationem, patet ab illis quæ in Capite præcedenti oſtenſa ſunt, quod nempe illi qui ab Eccleſia ſpirituali unice ſalvati ſint per adventum Domini in mundum, & quod eo uſque detenti fuerint in terra inferiore, & ibi infeſtati a ſpiritibus qui in falſis ex malo, & liberati a Domino poſtquam Humanum in Se Divinum fecit; quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali unice ſalvati ſint per adventum Domini in mundum, videatur n: 2661. 2716. 2833. 2834. 6372; & quod eo uſque fuerint detenti in terra inferiore, ac liberati a Domino cum Humanum in Se Divinum fecit, n: 6854. 6914. 7035. 7091 fin: 7828. 7932. 8018. 8054. Quod canere canticum ſit glorificare, ac ita canticum glorificatio, eſt quia Cantica in Eccleſia Antiqua & poſtea in Judaica, erant prophetica, & agebant de Domino, imprimis quod venturus in mundum, ac diabolicam turbam, tunc plus quam uſquam graſſantem, deſtructurus, & fideles ab impugnationibus illorum liberaturus; & quia canticorum prophetica in ſenſu interno talia continebant, inde per illa ſignificatur glorificatio Domini, hoc eſt, Celebratio Ipſius ex lætitia cordis; lætitia cordis enim per cantum imprimis exprimitur, nam lætitia in cantu quaſi ex ſe in ſonorum erumpit: inde eſt, quod Jehovah, hoc eſt, Dominus, in canticis apelletur Heros, Vir belli, Deus exercituum, Victor, robur, propugnaculum, ſcutum ſolus; & diabolica turba, quæ deſtructa, hoſtis; qui percuſſus, adſorbtus, ſubmerſus, conjectus in infernum. Qui de ſenſu interno nihil noverunt, credebant etiam olim quod intelligerentur talia quæ in mundo erant, ſicut hoſtes ibi, pugnæ, victoriæ, clades, ſubmerſiones, de quibus cantica in ſenſu externo agebant; ſed qui ſciebant quod omnia prophetica involverent cœleſtia & Divina, & quod hæc repræſentarentur in illis, ſciebant quod ageretur ibi de damnatione infidelium, & de ſalvatione fidelium, a Domino cum venturus in mundum; & tunc hi qui id ſciebant, & id cogitabant, ac inde afficiebantur, internam lætitiam habebant, illi autem modo externam; Angeli etiam, qui apud homines, ſimul tunc in glorificatione Domini fuerunt; inde illis, qui canebant & qui audiebant cantica, ex ſancto & beato, quæ ex cœlo influebant, lætitia cœleſtis, in qua ſibi viſi quaſi ſublati in cœlum: talem effectum habebant Cantica Eccleſiæ apud Antiquos; talem quoque effectum haberent hodie, nam Angeli ſpirituales imprimis afficiuntur Canticis, quæ de Domino, Ipſius Regno, & de Eccleſia: quod Cantica Eccleſiæ illum effectum habuerint, erat non ſolum ex eo, quod lætitia cordis per illa facta ſit activa, & ab interiori uſque ad extremas corporis fibras eruperit, & has tremore læto & ſimul ſancto commoverint; ſed etiam quia glorificatio Domini in cœlis ſit per choros, ac ita per concentus plurium; inde quoque loquela Angelica eſt harmonica, cadens in numeros; de choris videatur n: 2595. 2596. 3350. 5182. 8115; de loquela Angelica, quod cadat in numeros, n: 1648. 1649. 7191 fin: inde eſt, quod glorificationes Domini apud Antiquos, qui ab Eccleſia, fierent per Cantica, pſalmos, inſtrumenta muſica varii generis; nam gaudium, quod exceſſit omnia gaudia, habebant antiqui, qui ab Eccleſia, ex recordatione

tione adventus Domini, & ſalvationis generis humani per Ipſum. Quod Cantica prophetica glorificationem Domini in ſenſu interno continerent, conſtat ex Canticis in Verbo, ut apud Eſaiam "Ego Jehovah vocavi Te in juſtitia, & apprehendam manum tuam, Ego cuſtodiam Te, *& dabo Te in fœdus populo, in lucem gentium*, ad aperiendum oculos cæcos, *ad educendum e carcere vinctum, e domo clauſtri ſedentem tenebris: Cantate Jehovæ Canticum novum*, laudem Ipſius extremitas terræ; extollant vocem deſertum & urbes ejus; *Cantent* habitatores petræ, *ponant Jehovæ gloriam*; Jehovah ſicut *heros* exibit, ſicut *vir bellorum*, excitabit Zelum, ſuper *hoſtes ſuos* invaleſcet" XLII: 6. 7. 8. 9, ſeqq: quod hic agatur de Domino quod venturus ad liberandum illos qui in Captivitate ſpirituali, patet; quare dicitur, Cantate Jehovæ canticum novum, & cantent habitatores petræ: ſimiliter apud Jeremiam "*Dedi Te in fœdus populi*, ad reſtituendum terram, ad dividendum hæreditates devaſtatas, *ad dicendum vinctis, exite*, illis qui in tenebris, revelamini: ſuper viis paſcent, & in omnibus clivis paſcuum illorum: *Cantate Cœli*, & *exulta* terra, & *perſonate montes cantu*, quia conſolatus Jehovah populum ſuum, & afflictorum ſuorum miſerabitur" XLIX: 8. 9. 10. 13. ſeq: ibi etiam agitur de adventu Domini, & de liberatione vinctorum. Apud Davidem "*Cantate Jehovæ Canticum novum*, benedicite Nomini Ipſius, enumerate in gentibus *gloriam* Ipſius: omnes dii populorum, vanitates; at Jehovah cœlos fecit, *gloria* & *honor* coram Ipſo, robur & decor in ſanctuario Ipſius; date Jehovæ *gloriam* & *robur*, date *Jehovæ gloriam Nominis Ipſius*; dicite inter gentes, Jehovah regnat, etiam orbis ſtabilitur, & non dimovetur; *Jehovah venit, venit ad judicandum terram*" Pſalm: XCVI: 1 ad fin: Apud Eundem "Jehovah fecit aſcendere me *e fovea vaſtationis*, e cæno luti; ac conſtituit ſuper petra pedes meos; *& dedit in os meum Canticum novum*, laudem Deo noſtro; videbunt multi & confident" Pſalm: XL: 3. 4; ex his quoque conſtat, quod Canticum ſit glorificatio Domini ob liberationem; Cantica enim involvebant lætitiam cordis, & exaltationem Domini; lætitiam cordis ob adventum Domini & ſalvationem tunc; & exaltationem ob victoriam ſuper hoſtes ſpirituales; lætitia cordis cum exaltatione Domini eſt quæ intelligitur per glorificationem. Quod lætitia cordis per cantica ſignificaretur, patet apud Davidem "Confitemini Jehovæ in cithara, in nablio decachordii, pſallite Illi, *cantate Ipſi canticum novum*, reddite egregium pulſare cum clangore, quia *colligit ſicut cumulum aqua maris*, dat in theſauris abyſſos" Pſalm: XXXIII: 2 ad 7. Apud Eſaiam "Ceſſabit gaudium tympanorum, ceſſabit tumultus hilarium, ceſſabit gaudium citharæ, *cum Cantu non bibent vinum*" XXIV: 8. 9. Et apud Amos "Convertam feſta veſtra in luctum, *& omnia cantica veſtra* in lamentum" VIII: 10. Quod exaltatio Jehovæ, hoc eſt, Domini, fieret per cantica, apud Davidem "Servus Jehovæ David, *qui loquutus eſt Jehovæ verba Cantici hujus*; Jehovah robur meum, Jehovah petra mea, & propugnaculum meum, & ereptor meus, Deus meus, rupes mea in qua confido, ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, refugium meum, laudatum invocabo Jehovam, tunc ab hoſtibus meis ſervabor" Pſalm: XVIII: 1. 2. 3. 4. ſeq:

Apud

Apud Eundem "Jehovah robur meum, & ſcutum meum, *unde Cantico confitebor Ipſum*; Jehovah robur illis, & robur ſalutem Uncti Ipſius" Pſalm: XXVIII: 7. 8. Apud Eundem "Salus tua Deus in altum deducet me, *laudabo Nomen Dei Cantico, & magnum faciam Ipſum* confeſſione" Pſalm: XLIX: 30. 31. Quod de Domino agerent Cantica, etiam conſtat apud Johannem "Viginti quatuor ſeniores *cecinerunt Canticum novum*, dicentes, dignus es qui accipias librum, & aperias ſigilla illius, quia occiſus es, & redemiſti Deo vos ſanguine tuo" Apoc: V: 9. 10: & apud Eundem "Vidi Angelos ſeptem, *qui canebant Canticum Moſchis ſervi Dei*, & *Canticum Agni*, dicentes, magna & mirabilia opera tua, Domine, Deus Omnipotens; juſtæ & veræ viæ tuæ, Rex ſanctorum; quis non timeat Te Domine, & non *glorificet Nomen tuum*" Apoc: XV: 2. 3; Canticum Moſchis & Agni, eſt Canticum quod in hoc Capite, vocatur Canticum Agni quia de glorificatione Domini ibi agitur.

8262. Et dixerunt dicendo, quod ſignificet ita ex influxu, conſtat ex ſignificatione dicere, cum agitur de glorificatione Domini per Canticum, quod ſit influxus; quod dicere etiam ſit influxus, videatur n: 5743. 6152. 6291. 7291. 7381. 8221.

8263. Cantabo Jehovæ, quod ſignificet quod Domino ſoli gloria, conſtat ex ſignificatione cantare Jehovæ, quod ſit glorificare Dominum, de qua mox ſupra n: 8261. ita quod Ipſi gloria; quod Ipſi ſoli, eſt quia Dominus eſt Jehovah in Verbo, n: 8261, ita ſolus Deus. In Verbo paſſim dicitur, quod ſoli Deo erit gloria & honor; qui non ſcit interiora Verbi, credere poteſt quod Dominus velit & amet gloriam ſicut homo in mundo, etiam ex cauſa quia Ipſi illa præ omnibus in univerſo competit; ſed Dominus non gloriam vult propter ſe, ſed propter hominem qui glorificat Illum; homo qui glorificat Illum, facit id ex ſancta veneratione pro Ipſo quod ſupremus ſit, & ex humiliatione ſui quod reſpective nihil ſit, & quia ſic in glorificatione Domini ab homine ineſt & ſancta veneratio & humiliatio, homo tunc in ſtatu eſt recipiendi influxum boni a Domino, ita quoque amorem in Ipſum, inde eſt quod Dominus velit glorificationem ab homine, videatur n: 4347. 4593. 5957; quod influxus boni a Domino ſit in cor humile, n: 3994. 7478.

8264. Quia exaltando exaltavit, quod ſignificet quod manifeſtaverit Divinum ſuum in Humano, conſtat ex ſignificatione exaltare ſe, cum de Domino, quod ſit manifeſtare Divinum in Humano; cauſa quod per exaltando exaltavit ſe id ſignificetur, eſt quia Divinum eſt Altiſſimum ſeu Supremum, ac Dominus, cum in mundo fuit, Humanum in Se Divinum fecit, ac ita exaltando exaltavit; quod per Altum in Verbo ſignificetur Divinum; videatur n: 8153: hic dicitur exaltando exaltavit, & per id ſignificatur manifeſtatio Divini in Humano, quia in Cantico hoc agitur de Domino, quod, poſtquam Humanum ſuum Divinum fecit, malos conjecerit in inferna, & bonos elevaverit in cœlum, n: 8258, & hoc per ſolam præſentiam ſuam, n: 7989, nam malos conjicere in inferna, & bonos elevare in cœlum, per ſolum præſentiam, eſt Divinum.

8265. Equum & equitem projecit in mare, quod ſignificet quod ex ſola præſentia Ipſius falſa ex malo damnata ſint & conjecta in infernum, conſtat ex ſignificatione equi, quod ſint falſa ex intellectuali perverſo, quod equus ſit intellectuale, videatur n: 2761. 2762. 3217. 5321, & in oppoſito ſenſu intellectuale perverſum, quod quia eſt nullum intellectuale, ſignificatur in hoc ſenſu falſum per equum, & per equum Pharaonis ſcientificum falſum, n: 6125. 8146. 8148; ex ſignificatione equitis, quod ſint ratiocinia inde, de qua n: 8146. 8148; & ex ſignificatione projicere in mare, quod ſit damnare & conjicere in infernum, quod mare, hic mare Suph, ſit infernum, ubi falſa ex malo illorum qui ab Eccleſia in fide ſeparata & vita mali fuerunt, videatur n: 8099. 8137. 8148; inde eſt, quod dicantur falſa ex malo; quod illa damnata ſint & conjecta in infernum ex ſola præſentia Domini, in Capite præced: oſtenſum eſt; mali enim nullatenus ſufferre & ſuſtinere poſſunt præſentiam Divinam, nam ex præſentia Divina anguntur, cruciantur, & quaſi exanimantur, ſe gerunt ſicut qui in agone mortis ſunt; cauſa eſt, quia Divino omnipotentiæ ineſt, & deſtruit ac exſtinguit quod oppoſitum eſt, ita falſum & malum; inde vita illorum qui in falſo & malo a præſentia Divina, laborat, & tunc in ſe infernum, ſecundum præſentiæ gradum, ſentit; ne autem deſtruantur prorſus & crucientur illi qui in falſis & malis, obvelantur ſuiſmet falſis & malis, ſicut nimbis, qui talis naturæ ſunt ut influxum Divini infringant, vel repellant vel ſuffocent, ſicut ſolent nimbi terreſtres aut nubes radios ſolis: hæc intelliguntur per verba apud Johannem "Dicent montibus & petris, ruite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper throno, & ab ira Agni, quia venit dies magna iræ Ipſius, quis ergo poterit conſiſtere" Apoc: VI: 16. 17, per montes & petras, quibus dicent ut ruerent ſuper illos & abſconderent illos, ſignificantur mala & falſa, per iram Agni ſignificatur cruciatus, apparet enim ſicut Divinum ex ira cruciaret, cum tamen ſunt ipſa falſa & mala; ſimiliter apud Eſaiam Cap: II: 10: apud Hoſcheam, Cap: X: 8. apud Lucam Cap: XXIII: 30; quod ex ſola præſentia Domini damnatio, etiam ſignificatur per ſequentia hæc in hoc Cantico "Emittis exſcandeſcentiam tuam, comedit illos ſicut ſtipulam; & vento narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ, conſtiterunt ſicut cumulus fluenta: ſpiraſti vento tuo, contegit illos mare, profundum petierunt: extendiſti dextram tuam, abſorbſit illos terra" Verſ: 7. 8. 12; ſimiliter in perpluribus aliis locis in Verbo.

8266. Virtus mea, quod ſignificet quod omne potentiæ ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione virtutis, quod ſit vis & potentia; & quia dicitur virtus mea, & de Jehovah ſeu Domino: eſt quod omne potentiæ ſit ab Ipſo.

8267. Et Canticum Jah, quod ſignificet quod omne fidei & inde gloriæ ſit ex Divino Vero quod ab Ipſo, conſtat ex ſignificatione Cantici, cum de Jehovah, quod ſit glorificatio Domini, de qua ſupra n: 8261; at cum de homine, ut hic, quod ſit gloria quæ ex fide, ita fides ex qua gloria, nam omne gloriæ, quæ homini, eſt ex fide in Dominum, quia fides quæ fides

eſt a Domino, & ſic Dominus in fide, proinde ipſa gloria: cauſa, quod gloria hominis ſit ex fide, etiam eſt, quia Divinum Verum, ex quo & per quod fides, apparet coram oculis angelorum ut lux, tum ſicut ſplendor & jubar lucis; hoc jubar lucis, una cum magnificis cœli quæ ex luce, appellatur gloria, quæ ſic non aliud eſt quam Divinum Verum, ita fides. Quod Jah ſit Divinum verum procedens a Divino Humano Domini, eſt quia Jah eſt ex Jehovah, & vocatur Jah, quia non eſt Eſſe, ſed Exiſtere ex Eſſe, Divinum enim Verum eſt Exiſtere, Divinum autem Bonum eſt Eſſe, videatur n: 6880; inde etiam dicitur Canticum Jah, quia per Canticum ſignificatur fides quæ eſt Divini Veri: per Jah quoque ſignificatur Divinum Verum apud Davidem "*Cantate Deo*, laudate Nomen Ipſius, extollite equitantem ſuper nubibus, *per Jah Nomen Ipſius*, & exultate coram Ipſo" Pſalm: LXVIII: 5, laudare & extollere Deum per Jah nomen Ipſius, eſt per Divinum Verum: etiam apud Eundem "In anguſtia invocavi *Jah*, reſpondit mihi in latitudine *Jah*; Jehovah auxiliatus eſt mihi, robur meum & *Canticum Jah*: non moriar ſed vivam, & annuntiabo opera *Jah*; intrabo per portas juſtitiæ, & confitebor *Jah*" Pſalm: CXVIII[5]; ibi Jah eſt Dominus quoad Divinum Verum; ſimiliter *Jah* in Hallelu-Jah, Pſ: CV: 46. Pſ: CVI: 1. 48. Pſ: CXI: 1. Pſ: CXII: 1. Pſ: CXIII: 1. 9. Pſ: CXV: 17. 18. Pſ: CXVI: 19.

8268. Et fuit mihi in ſalutem, quod ſignificet quod inde ſalvatio, conſtat abſque explicatione.

8269. Et habitaculum conſtituam Illi, quod ſignificet quod in bono, quod ab Ipſo, erit ut in ſuo cœlo, conſtat ex ſignificatione habitaculi, cum de Jehovah ſeu Domino dicitur, quod ſit bonum; quod habitaculum Domini ſit bonum, eſt quia omne bonum eſt a Domino, ita bonum eſt Domini, adeo ut dici poſſit quod Dominus ſit bonum, in hoc cum Dominus habitat, in ſuo Divino habitat, nec alibi habitare poteſt; ſecundum Domini verba apud Johannem "Jeſus dixit, ſi quis amaverit Me, verbum meum ſervat, & Pater meus amat illum, *& ad illum veniemus, & manſionem apud illum faciemus*" XIV: 21, bonum ex Divino hic deſcribitur per amare Dominum, & ſervare verbum illius, nam bonum eſt amoris; apud illum dicitur quod manſionem facerent, hoc eſt, in bono apud illum. Ut in ſuo cœlo dicitur, quia cœlum vocatur habitaculum Dei, ex eo quia bonum, quod a Domino, eſt ibi, & conſtituit cœlum: Dominus etiam in unoquovis homine eſt ut in ſuo cœlo, cum in bono ibi, nam cœlum hominis eſt bonum, & homo per bonum eſt apud Angelos in cœlo: inde nunc patet, quod per habitaculum conſtituam Illi, ſignificetur quod in bono, quod ab Ipſo, erit ut in ſuo cœlo.

8270. Deus patris mei, quod ſignificet quod non aliud Divinum fuerit in Eccleſiis Antiquis, conſtat ex ſignificatione patris, quod ſit Eccleſia Antiqua, de qua n: 6050. 6075. 7648. 8055, inde Deus patris eſt Divinum in Eccleſiis Antiquis; quod Divinum in illis Eccleſiis fuerit Dominus, videatur n: 6846. 6876. 6884; & quod non alius per Jehovam ab illis intellectus ſit quam Dominus, n: 1343. 5663.

8271.

8271. Et exaltabo Ipſum, quod ſignificet quod etiam nunc Ipſi cultus Divinus, conſtat ex ſignificatione exaltare, cum dicitur de homine quod exaltabit Jehovam, quod ſit cultus, nam cultus Divinus conſiſtit in exaltatione Domini reſpective ad ſe, quod fit ſecundum gradum humiliationis ſui coram Domino; humiliatio eſt eſſentiale cultus Divini; cum homo in hoc eſſentiali eſt, tunc eſt in ſtatu recipiendi a Domino verum quod fidei & bonum quod charitatis, conſequenter in ſtatu colendi Ipſum: ſi autem homo exaltat ſe coram Domino, tunc claudit interiora mentis ſuæ pro receptione boni & veri a Domino. Quid exaltare ſe, cum dicitur de Domino quod Ipſe ſe exaltet, videatur ſupra n: 8264.

8272. Verſ: 3. 4. 5. *Jehovah vir belli, Jehovah Nomen Ipſius. Currus Pharaonis & exercitum illius projecit in mare; & electio ducum tertianorum ſubmerſi in mari Suph. Abyſſi obtexerunt illos, deſcenderunt in profunditates ſicut lapis.* Jehovah vir belli, ſignificat quod Dominus contra omnia mala & falſa, quæ ab infernis, tutetur: Jehovah nomen Ipſius, ſignificat quod ſolus ſit a Quo omnia: currus Pharaonis & exercitum illius projecit in mare, ſignificat falſa ex malo in ſpecie & in genere illorum qui ab Eccleſia, & ibi in vita mali, quod ſe ad præſentiam Ipſius conjecerint in inferna: & electio ducum tertianorum, ſignificat omnia cum ſingulis: ſubmerſi in mari Suph, ſignificat quod concluſerint ſe falſis ex malo: abyſſi obtexerunt illos, ſignificat quod falſitates ex cupiditatibus operuerint illos: deſcenderunt in profunditates ſicut lapis, ſignificat quod ad inferiora lapſi ſint ſicut ex gravi.

8273. Jehovah vir belli, quod ſignificet quod Dominus contra omnia mala & falſa, quæ ab infernis, tutetur, conſtat ex ſignificatione viri belli, quod ſit qui contra falſa & mala, hoc eſt, contra inferna, pugnat & vincit, hic qui hominem contra illa tutatur; nam, ut prius oſtenſum eſt, Dominus ſolus pugnat pro homine, & tutatur illum, cum impugnatur ab infernis, & hoc continue, imprimis in tentationibus, quæ ſunt pugnæ ſpirituales: Dominus vir belli appellatur ex eo primum, quod, cum in mundo fuit, ſolus, hoc eſt, ex ſe pugnaverit contra inferna, quæ tunc quoad plurem partem aperta fuerunt, & omnes, quotcunque in alteram vitam veniebant, aggrediebantur & ſubjugare conabantur: cauſa quod diabolica turba, hoc eſt, inferna tunc ita graſſarentur, erat quia Divinum tranſiens per Cœlum, quod ante adventum Domini Divinum Humanum fuit, non valuit contra mala & falſa, quæ tam immenſum aucta fuerunt, idcirco Ipſi Divino placuit Humanum aſſumere, & hoc Divinum facere, & tunc ſimul per pugnas in ſe admiſſas turbam illam diabolicam in inferna conjicere, & ibi includere, ac ſubjicere cœlis; & ſimul etiam ipſos cœlos in ordinem redigere; ex his pugnis Dominus primum vocatur *Vir belli*; & poſtea, quod, cum ita vicerat inferna, & Juſtitia factus, ex Divina potentia tutetur homines, & hoc continue, & imprimis in pugnis tentationum. Quod Dominus Solus & ex Se pugnaverit contra inferna, & vicerit illa, ita apud Eſaiam "*Rejectum eſt retro judicium & juſtitia e longinquo ſtetit, nam impegit in platea veritas, & rectitudo non poteſt advenire; dum veritas ſublata eſt, & recedens a malo inſanus: vidit Jehovah, & malum*

 fuit

fuit in oculis Ipſius, quod non Judicium & vidit quod non vir, & obſtupuit quod non intercedens; ideo ſalutem præſtitit Ipſi brachium ſuum, & Juſtitia Ipſius ſuſcitavit Ipſum; unde induit juſtitiam ſicut loricam, & galeam ſalutis ſuper caput ſuum" LIX: 14. 15. 16. 17; deſcribitur hic ſtatus illius temporis in utroque mundo, & quod Dominus ex ſe Solus rem lapſam reſtituerit. Pariter alibi apud Eundem "*Quis hic qui venit ex Edom, conſperſus veſtes ex Bozra; Hic honorabilis in veſtitu ſuo, incedens in multitudine roboris ſui; Ego qui loquor in juſtitia, magnus ad ſalutem; torcular calcavi ſolus, & de populis non vir meum, unde ſparſa eſt victoria illorum ſuper veſtes meas; nam dies vindictæ in corde meo, & annus redemptorum meorum venerat: circumſpexeram, ſed non auxilians, & obſtupui, ſed non ſuffulciens, ideo ſalutem Mihi præſtitit brachium meum*" LXIII: 1. 2. 3. 4. 5: ex his conſtare poteſt, quod Dominus in mundo pugnaverit ſolus contra inferna, ac illa vicerit: cum pugnis & victoriis ſuper inferna ita ſe habet; qui ſemel illa vincit, perpetuo illa vincit, nam per victoriam comparat ſibi potentiam ſuper illa, tantum enim in ſe confirmat & tantum ſibi appropriat bonum quod amoris & verum quod fidei, contra quæ poſtea inferna nihil audent; Dominus, cum in mundo fuit, tentationum pugnas in Se ab omnibus infernis admiſit, & per illas Humanum in Se Divinum fecit, & ſimul tunc ſub obedientiam redegit inferna in perpetuum, videatur n: 1663. 1668. 1690. 1692. 1737. 1813. 1820. 2776. 2786. 2795. 2803. 2814. 2816. 4287; inde eſt, quod Solus Dominus ſuper inferna potentiam habeat in æternum; & ex Divina potentia pro homine pugnet. Inde nunc eſt quod Dominus dicatur Vir belli, & quoque Heros, ut quoque apud Eſaiam "Jehovah ſicut *Heros* exibit, ſicut *Vir bellorum* excitabit Zelum, ſuper hoſtes ſuos invaleſcet" XLII: 13: & apud Davidem "Quis hic Rex gloriæ, Jehovah *fortis & Heros*, Jehovah *Heros belli*, quis hic Rex Gloriæ, *Jehovah Zebaoth* (Exercituum)" Pſalm: XXIV: 8. 10. In Verbo ubi memoratur bellum, in ſenſu interno intelligitur bellum ſpirituale, quod contra falſa & mala, ſeu quod idem, quod contra diabolum, hoc eſt, inferna, n: 1664. 2686; de Bellis ſeu Pugnis Domini contra inferna agitur in ſenſu interno tam in Hiſtoricis Verbi quam in Propheticis; pariter de bellis, & pugnis Domini pro homine: apud Antiquos, apud quos Domini Eccleſia fuit, etiam fuit Verbum tam Hiſtoricum quam Propheticum, quod hodie non exſtat; Verbum Hiſtoricum vocatum eſt *Liber Bellorum Jehovæ*, & Verbum Propheticum *Enuntiata*, hoc Verbum memoratur apud Moſchen Numer: XXI: 14, & 27; quod per vocem illam ibi Verſ: 27 ſignificentur prophetica, patet ex ſignificatione illius vocis Num: XXIII: 7. 18. Cap: XXIV: 3. 15; per *Bella Jehovæ* ibi intellecta fuerunt pugnæ & victoriæ Domini, cum fuit in mundo, contra inferna; & quoque pugnæ & victoriæ Ipſius perpetuæ poſtea pro homine, pro Eccleſia & pro Regno ſuo; nam inferna continue ſe efferre volunt, nihil enim aliud ſpirant quam dominatum, ſed reprimuntur a Solo Domino, conatus illorum enitendi apparent ſicut Ebullitiones, ac ſicut Ejectiones dorſi ab homine; ſed quoties hoc conantur, toties plures ibi profundius dejiciuntur.

8274. Jehovah Nomen Ipſius, quod ſignificet quod ſolus ſit a quo omnia, conſtat ex ſignificatione Nominis Jehovæ, quod ſint omnia fidei & amoris, ſeu omnia veri & boni in complexu, per quæ Dominus colitur, de qua n: 2724. 3006. 6674, & quod in ſupremo ſenſu ſit Divinum Humanum Domini, n: 2628. 6887, ex Quo omnia illa; inde & quoque ex eo, quod Jehovah ſit ipſum Eſſe, ita eſſe omnium, patet, quod per Jehovah Nomen Ipſius, ſignificetur quod Dominus ſolus ſit a Quo omnia.

8275. Currus Pharaonis & exercitum illius projecit in mare, quod ſignificet falſa ex malo in ſpecie & in genere illorum qui ab Eccleſia & ibi in vita mali, quod ſe ad præſentiam Ipſius conjecerint in inferna, conſtat ex ſignificatione curruum, quod ſint falſa, de qua n: 8146. 8148. 8215, hic falſa in ſpecie, quia etiam dicitur exercitus, per quem ſignificantur falſa in genere; quod exercitus ſint falſa, videatur n: 3448. 8138. 8146. 8148; ex repræſentatione Pharaonis & Ægyptiorum, quod ſint qui ab Eccleſia in fide ſeparata ac in vita mali, ac inde in meris falſis ex malo, de qua n: 7926. 8132. 8135. 8138. 8148; ex ſignificatione maris, hic maris Suph, quod ſit infernum, ubi ii qui in illis falſis, de qua n: 8099. 8137. 8148; inde, projecit in mare, eſt quod conjecit in infernum, in ſenſu interno quod ſeipſos ad ſolam præſentiam Domini illuc conjecerint, videatur n: 8266: ex his patet, quod per currus Pharaonis & excercitum illius projecit in mare, ſignificetur quod falſa ex malo in ſpecie & in genere illorum qui ab Eccleſia & ibi in vita mali, ſe ad præſentiam Domini conjecerint in mare.

8276. Et electio ducum tertianorum, quod ſignificet omnia cum ſingulis, conſtat ex ſignificatione ducum tertianorum, quod ſint communia ſub quibus particularia in ſerie, de qua n: 8150, ita omnia & ſingula; nam cum dicuntur communia, intelliguntur etiam particularia quæ ſub illis & in illis, & quoque ſingularia quæ ſub particularibus & in illis, nam commune abſque illis non eſt aliquid, commune enim dicitur ab illis, quia eſt complexus plurium; inde eſt quod per duces tertianos ſignificentur omnia cum ſingulis: electio dicitur, & per eam ſignificantur præcipua, nempe falſa, ſub quibus reliqua ſunt.

8277. Submerſi in mari Suph, quod ſignificet quod concluſerint ſe falſis ex malo, conſtat ex ſignificatione ſubmergi, hic aquis maris Suph, quod ſit includere ſe falſis ex malo, per aquas enim illius maris ſignificantur falſa, n: 8137. 8138; & per ſubmergi ſignificatur includi; nam qui in infernis ſunt, includuntur & circumdantur falſis, ſicut aquis qui ſubmerguntur; quod ſeipſos illis immergant ſeu includant, videatur n: 7927. 8227. 8228.

8278. Abyſſi obtexerunt illos, quod ſignificet quod falſitates ex cupiditatibus operuerint illos, conſtat ex ſignificatione abyſſorum, quod ſint falſitates quæ ex cupiditatibus; per Abyſſos in Verbo intelliguntur aquæ & aquarum copiæ in profundis, & per aquas in bono ſenſu ſignificantur vera, & in oppoſito falſa, n: 739. 790. 2702. 3058. 3424. 4976. 5668, & per profunda ſignificantur inferna; inde eſt quod abyſſi ſint falſitates ex cupiditatibus, tum quod ſint inferna. Quod per Abyſſos in Verbo intelligantur aquæ in pro-

fundis & aquarum copiæ, conſtat apud Ezechielem "Aquæ creſcere fecerunt Cedrum, *Abyſſus altam fecit illam*, ita ut fluviis ſuis iverit circum plantam tuam, & aquæductus emiſerit ad omnes arbores agri" XXXI: 4. Apud Davidem "Diffidit petras in deſerto, & *bibere fecit abyſſos magnas*, eduxit fluenta e petra, & deſcendere fecit aquas ſicut fluenta" Pſalm: LXXVIII: 15. 16. Apud Moſchen "Terra bona, terra fluviorum aquæ, fontium, & *abyſſorum exeuntium e valle & e monte*" Deut: VIII: 7, in his locis abyſſi pro aquis in copia; & aquæ in copia ſeu abyſſi pro veris fidei in abundantia; bibere fecit abyſſos magnas e petra, pro quod vera fidei abſque defectu, nam Petra eſt fides a Domino, ita Dominus quoad fidem; abyſſi exeuntes e valle & e monte, pro veris fidei ex amore; inde etiam inter benedictiones Joſephi fuerunt *Benedictiones abyſſi cubantis infra*" Geneſ: XLIX: 25. Deut: XXXIII: 13. Quod Abyſſi ſint falſitates ex cupiditatibus, proinde etiam Inferna, conſtat apud Eſaiam "Expergiſcere juxta dies antiquitatis, generationes æternitatis; nonne Tu exſiccas mare, *aquas Abyſſi magnæ*, & ponis *profunditates maris* in viam, ut tranſeant redempti" LI: 9. 10. 11. Apud Eundem "Jehovah Qui diſcidit aquas coram illis, *Qui duxit illos per Abyſſos*, ſicut equus in deſerto, non oſtenderunt" LXIII: 13. 14. Apud Ezechielem "Sic dixit Dominus Jehovih, cum dedero te urbem deſolatam, ſicut urbes quæ non habitantur, *cum aſcendere fecero contra te Abyſſum*, & *obtexerint te aquæ multæ*" XXVI: 19. Apud Johannem "Vidi ſtellam e cœlo lapſam in terram, cui data eſt *clavis putei Abyſſi*, & *aperuit puteum Abyſſi*" Apoc: IX: 1. 2. 11. Apud Eundem "Beſtia quæ aſcendit *ex Abyſſo*, fecit bellum cum illis" Apoc: XI: 7. Porro apud Eundem "Beſtia, quam vidiſti, erat, & non eſt, *& aſcenſura eſt ex Abyſſo*, & in perditionem abitura" Apoc: XVII: 8; in his locis Abyſſi pro infernis, ita quoque pro falſitatibus a cupiditatibus, nam hæ ſunt in infernis, & faciunt ea. Quia hæc ſignificantur per Abyſſos, etiam per illas ſignificantur Tentationes, nam tentationes fiunt per injecta falſa & mala ab infernis; in hoc ſenſu apud Jonam "Circumdederunt me aquæ uſque ad animam, *Abyſſus circumcinxit me*" II: 6: apud Davidem "*Abyſſus ad abyſſum clamans*, ad vocem Canticorum tuorum, omnes confractiones tuæ & fluctus tui ſuper me tranſiverunt" Pſalm: XLII: 8: apud Eundem "Qui oſtendiſti mihi anguſtias multas & malas; revertere & vivifica me, & *ex abyſſis terræ fac reverti & aſcendere me*" Pſalm: LXXI: 28.

8279. Deſcenderunt in profunditates ſicut lapis, quod ſignificet quod ad inferiora lapſi ſunt ſicut ex gravi, conſtat ex ſignificatione deſcendere, cum ad inferiora, ſicut ex gravi, quod ſit labi; ex ſignificatione profunditatum, quod ſint inferiora, ubi inferna, de qua ſequitur; & ex ſignificatione ſicut lapis, quod ſit ſicut ex gravi; ſicut lapis dicitur, quia per lapidem in genuino ſenſu ſignificatur Verum, de qua n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798. 6426, inde in oppoſito ſenſu falſum; falſum etiam ex malo talis naturæ eſt, ut verſus inferiora delabatur, ſicut grave in mundo; verum autem ex bono talis naturæ eſt, ut ad ſuperiora aſcendat ſicut leve in mundo;

mundo; inde eſt, quamdiu mali nondum devaſtati ſunt quoad vera, quod ſint in regione ſupra inferna, aſt ut primum devaſtati ſunt, hoc eſt, privati veris, eſt quaſi alæ illis amputatæ forent, & tunc ſicut pondera delabuntur, & quo falſa ex malo pejora ſunt, eo profundius; inde eſt, quod per profunditates æque ac per abyſſos ſignificentur inferna; ſed pro Profunditates Inferna reſpective ad mala, & per abyſſos Inferna reſpective ad falſa quæ ex illis; ut apud Jeremiam "Fugite, averterunt ſe, *in profundum dimiſerunt ſe ad habitandum*" XLIX: 8. 30: apud Davidem "Venerunt aquæ uſque ad animam, ſubmerſus ſum *in luto profunditatis*, nec conſiſtens; veni in *profunditates aquarum*, & fluctus obruit me: eripe me e luto ne ſubmeigar, eripiar ab oſoribus meis, & *e profunditatibus aquarum*, ne obruat me fluctus aquarum, *neque abſorbeat me profunditas*, nec claudat ſuper me fovea os ſuum" Pſalm: LXIX: 2. 3. 15. 16. Apud Micham "Projiciet *in profunditatem maris* omnia peccata mea" VII: 19. Quod Profundum ſit infernum reſpective ad malum, eſt quia oppoſitum eſt *Alto*, per quod ſignificatur Cœlum & quod prædicatur de bono, n: 8153: malum etiam correſpondet Gravi in terra, quod ex pondere ſuo delabitur, ita quoque gravitati lapidis, cum per lapidem ſignificatur falſum.

8280. Verſ: 6. 7. 8. 9. 10. *Dextra tua Jehovah, magnificata in robore; dextra tua, Jehovah, confringis hoſtem. Et in multitudine excellentiæ tuæ deſtruis inſurgentes Tibi; emittis excandeſcentiam tuam, comedit illos ſicut ſtipulam. Et vento narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ, conſtiterunt ſicut cumulus fluenta, coagulatæ abyſſi in corde maris. Dixit hoſtis, perſequar, aſſequar, dividam ſpolium, implebitur illis anima mea, evacuabo gladium meum, expellet illos manus mea: Spiraſti vento tuo, contegit illos mare, profundum petierunt, ſicut plumbum in aquis ingentibus.* Dextra tua Jehovah magnificata in robore, ſignificat omnipotentiam Domini oſtenſam: dextra tua Jehovah confringis hoſtem, ſignificat omnipotentiæ effectum in mala & inde falſa, quorum potentia annihilatur: & in multitudine excellentiæ tuæ deſtruis inſurgentes Tibi, ſignificat quod ex Divino oppoſita ut nihili rejiciantur: emittis exſcandeſcentiam tuam, ſignificat cupiditatum furorem & conatum violentiam inferendi apud malos: comedit illos ſicut ſtipulam, ſignificat inde devaſtationem & damnationem ex ſeipſis: & vento narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ, ſignificat falſa in unum collecta per præſentiam cœli: conſtiterunt ſicut cumulus fluenta, ſignificat quod continue conantes malum ne hilum poſſent infeſtare: congelatæ abyſſi in corde maris, ſignificat quod meræ falſitates ex malo cupiditatum amoris ſui nequicquam poſſint emergere: dixit hoſtis, ſignificat cogitationem illorum qui in malis & inde falſis ante Domini adventum: perſequar, ſignificat infeſtationem: aſſequar, ſignificat ſubjugationem: dividam ſpolium, ſignificat ſervitium: implebitur anima mea, ſignificat jucundum: evacuabo gladium, ſignificat pugnam falſi ex malo continuam: expellet illos manus mea, ſignificat quod ex potentia deſtruetur cœlum: ſpiraſti vento ſuo, ſignificat præſentiam Domini cum angelis: contexit illos mare, ſignificat quod omne falſum quod illis obſtipaverit: profundum petierunt ſicut plumbum, ſignificat

ſignificat quod mala detraxerint illos ad inferiora, ſicut gravia in mundo: in aquis ingentibus, ſignificat circumfuſionem a falſorum immenſa copia.

8281. Dextra tua Jehovah magnificata in robore, quod ſignificet omnipotentiam Domini, quod oſtenſa, conſtat a ſignificatione dextræ Jehovæ, quod ſit omnipotentia, de qua ſequitur; & ex ſignificatione magnificata robore, quod ſit oſtenſa, nam Divina potentia per robur, quo magnificatur, oſtenditur. Quod dextra Jehovæ ſit Omnipotentia, eſt quia per manum in Verbo ſignificatur potentia, & ſic per dextram eminens potentia; inde cum manus ſeu dextra dicitur de Jehovah, eſt Divina potentia, ſeu omnipotentia; quod manus & dextra ſit potentia, videatur n: 878. 4931 ad 4937. 6292. 6947. 7188. 7189, 7518, & cum prædicatur de Jehovah, quod ſit omnipotentia, n: 3387. 7518. 7673. 8050. 8069. 8153. Quod dextra Jehovæ ſit Divina potentia ſeu Omnipotentia, conſtat etiam a ſequentibus his locis in Verbo; apud Matthæum "Jeſus dixit, *ex nunc videbitis Filium Hominis ſedentem a dextris potentiæ*, & venientem ſuper nubibus cœli" xxvi: 64. Marc: xiv: 62: apud Lucam "*Ex hoc nunc erit Filius Hominis ſedens a dextris virtutis Dei*" xxiii: 69: tum apud Davidem "Dictum Jehovæ ad Dominium meum, *ſede ad dextram meam*, uſque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: Tu ſacerdos in æternum, juxta modum Malki-Zedechi, *Dominus ad dextram tuam* percuſſit in die iræ reges" Pſalm: cx: 1. 4. 5, Matth: xxii: 41. 42; qui non ſcit, quod dextra, cum dicitur de Jehovah, ſignificat omnipotentiam, non poteſt aliam ideam ex his Domini verbis capere, quam quod Dominus ſedebit ad dextram Patris ſui, ac dominium habebit ſicut is qui ad dextram regis in terra ſedet; ſed ſenſus internus inſtruit, quid in illis locis per ſedere ad dextram intelligitur, quod nempe omnipotentia Divina; inde quoque dicitur ſedere a dextris *potentiæ*, & a *dextris virtutis Dei*. Quod Dominus ſit Cui omnipotentia, patet, nam de Domino dicitur, & per Dominum apud Davidem intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, & quoque per Filium hominis apud Evangeliſtas; Divinum enim Verum eſt cui omnipotentia ex Divino Bono; quod Divino Vero ſit omnipotentia, videatur n: 6948. 8200; in genere quod potentia ſit Veri ex bono, n: 3091. 3563. 4931. 6344. 6413; & quod inde manus prædicetur de vero, n: 3091. 4931, & quod filius hominis ſit Divinum Verum procedens a Domino, n: 2159. 2803. 2813. 3704. Potentia Divina ſeu Omnipotentia per dextram etiam in ſequentibus locis ſignificatur apud Davidem "Nunc novi quod ſalvet Jehovah Unctum ſuum, reſpondent Ipſi in Cœlo, *per virtutes ſalutis dextræ ſuæ*" Pſalm: xx: 7. Apud Eundem "Jehovah reſpice e cœlis, & vide, & viſita vitem hanc, & ſpurculum, quem plantavit *dextra tua*, ſuper filium, confortaveras Tibi" Pſalm: lxxx: 15. 16. Apud Eundem "Tibi *brachium* cum virtute, fortis eſt *manus tua*, exaltabitur *dextra tua*" Pſalm: lxxxix: 14. Apud Eundem "Robur meum, & Canticum Jah, factus eſt mihi in ſalutem; vox jubili & ſalutis in tentoriis juſtorum, *dextra Jehovæ fecit fortitudinem*, *dextra Jehovæ* exaltata, *dextra Jehovæ fecit*

fortudinem"

fortitudinem" Pſalm : cxviii : 14. 15. 16 ; in his locis dextra Jehovæ pro omnipotentia, & in ſupremo ſenſu pro Domino quoad Divinum Verum ; hoc manifeſtius alibi apud Davidem "Sit *manus tua* Jehovah pro *viro dextræ tuæ*, pro filio hominis, confortaſti Tibi" Pſalm : lxxx : 18, vir dextræ Jehovæ & filius hominis pro Domino quoad Divinum Verum. Apud Eundem "Tu *manu tua* expuliſti gentes, non gladio ſuo poſſederunt terram, & *brachium* illorum non ſervavit illos, ſed *dextra tua*, & *brachium tuum*, & lux facierum tuarum", Pſalm : xliv : 3. 4, lux facierum Jehovæ eſt Divinum Verum ex Divino Bono, ita quoque dextra & brachium : & apud Eſaiam "Juravit Deus per *dextram ſuam*, & per *brachium roboris ſui*" lxii : 8, hic quoque dextra Dei, & brachium roboris Ipſius pro Domino quoad Divinum Verum, Jehovah enim ſeu Dominus non per alium jurat quam per Se, n : 2842, ita per Divinum Verum, nam Hoc eſt Ipſe, quia ab Ipſo : inde eſt, quod in Verbo paſſim Dominus non modo dicatur dextra & Brachium Jehovæ, ſed etiam robur, per quod confringit hoſtes, & quoque Malleus, ut apud Jeremiam Cap : li : 19. 20. 21 ſeq : Dominus etiam in mundum venit, & ibi Divinum Verum factus, ac poſtea Divinum Bonum, ex quo Divinum Verum, ut omnia mala & falſa includeret infernis, ac bona & vera colligeret in cœlos, ac ibi in Divinum ordinem illa diſponeret. Ex his nunc conſtat, quod per dextram Jehovæ in Verbo ſignificetur Omnipotentia, quæ Divino per Divinum Verum. Quod dextra ſit eminens potentia trahit inde originem, quia illi, qui in Maximo Homine ſeu Cœlo, referunt humeros, brachia, & manus, ſint qui potentes ſunt ex Vero quod ex bono, hoc eſt, ex fide quæ ex amore, n : 4931 ad 4937. 7518.

8282. Dextra tua Jehovah confringis hoſtem, quod ſignificet omnipotentiæ effectum in mala & inde falſa, quorum potentia annihilatur, conſtat ex ſignificatione dextræ Jehovæ, quod ſit omnipotentia Domini, de qua nunc ſupra n : 8181 ; ex ſignificatione confringere, quod ſit annihilare ; & ex ſignificatione hoſtis, quod ſint mala & falſa, nam non aliud in ſenſu ſpirituali per hoſtes, inimicos & oſores in Verbo intelligitur : hoſtes, inimici, & oſores, vocantur, non quod Dominus illis hoſtis ſit, aut odio habeat, ſed quia illi oſores & hoſtes ſunt contra Divinum ; cum autem ipſi ſe devaſtant, inque damnationem & in infernum conjiciunt, apparet ſicut id veniat ex Divino : apparentia illa ſeu fallacia ſe habet, ſicut qui videt ſolem quotidie circum tellurem noſtram facientem gyrum, & inde credit, quod motus ille ſit ſolis, cum tamen eſt telluris : ſe que habet, ſicut qui contra leges peccat, & propterea judicatur a rege vel judice, & punitur, quod credat id ex rege vel judice venire, cum tamen ab ipſo qui facit contra leges : pariter ſicut qui ſe in aquam vel in ignem, vel qui contra gladium extenſum, vel contra turmam hoſtilem, conjicit, quod crediturus quod inde veniat ei perditio, cum tamen ab ipſo : ita ſe habet cum illis qui in malo ſunt, qui ſe contra Divinum efferunt, & conjiciunt in medium ejus.

8283. Et in multitudine excellentiæ tuæ deſtruis inſurgentes Tibi, quod ſignificet quod ex Divino oppoſita ut nihili rejiciantur, conſtat ex ſignificatione

tione multitudinis excellentiæ, quod ſit Divinum quoad potentiam ſuper illa, quæ ſe Illi opponunt; ex ſignificatione deſtruere, quod ſit ut nihili rejicere; & ex ſignificatione inſurgentium, quod ſint qui ſe opponunt, ita oppoſita.

8284. Emittis excandeſcentiam tuam, quod ſignificet cupiditatum furorem & conatum violentiam inferendi apud malos, conſtat ex ſignificatione excandeſcentiæ, cum tribuitur Jehovæ ſeu Domino, quod ſit deſtructio & punitio conatum apud illos qui ſe opponunt Divino, & violentiam inferre volunt illis quos Divinum tutatur; quod id appareat ſicut ira & excandeſcentiæ a Divino, & tamen quod ſit apud illos, videatur n: 5798. 6073. 6997: quod non modo ira & exſcandeſcentia, ſed etiam omnia mala quæ fiunt, tribuantur Divino, cum tamen ſunt ab ipſis, n: 2447. 6073. 6992. 6997. 7533. 7632. 7643. 7679. 7643. 7710. 7877. 7926. 8223. 8227. 8228: quod ſphæra conatuum faciendi malum ſit perpetua ab infernis, ſed ſphæra conatuum faciendi bonum ſit perpetua e cœlis, n: 8209.

8285. Comedet illos ſicut ſtipulam, quod ſignificet inde devaſtationem & damnationem ex ſeipſis, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit conſumere, & in ſpirituali ſenſu devaſtare & damnare, nam conſumtio illorum qui in malo ſunt, eſt devaſtatio & damnatio, tunc enim non in aliquo vero ſunt, ſed in meris falſis ex malo, inde in nulla vita ſpirituali amplius; ſicut ſtipulam dicitur, quia ſignificatur plenaria vaſtatio, hoc eſt, devaſtatio.

8286. Et vento narium tuarum coacervatæ ſunt aquæ, quod ſignificet falſa in unum collecta per præſentiam cœli, conſtat ex ſignificatione venti narium, quod ſit cœlum, de qua ſequitur; ex ſignificatione coacervari, quod ſit in unum colligi; & ex ſignificatione aquarum, quod ſint falſa, de qua n: 7307. 8137. 8138; quod damnatio & conjectio in infernum ſit collectio omnium falſorum ex malo, & obſtipatio ab illis, videatur n: 8146. 8210. 8232; & quod hoc fiat ex ſola præſentia Domini, n: 8266. Quod ventus narium Jehovæ ſeu Domini, ſit cœlum, eſt quia per illum intelligitur ſpiraculum vitæ, ita vita Divina, quæ quia facit vitam cœli, per ventum narium Jehovæ ſignificatur cœlum; inde quoque eſt, quod eadem vox in Lingua originali, ſignificet & ventum & ſpiritum. Quod per Ventum Jehovæ ſeu ſpiraculum Ipſius, ſignificetur vita quæ eſt cœli, & quæ eſt hominis qui in cœlo, hoc eſt, regenerati, conſtat apud Davidem "Per Verbum Jehovæ cœli facti ſunt & *per ſpiritum* (ventum) *oris Ipſius* omnis exercitus illorum" Pſalm: XXXIII: 6. Apud Eundem "Colligis *ſpiritum illorum*, exſpirant, & ad pulverem ſuum relabuntur; *emittis ſpiritum tuum* (ventum,) creantur" Pſalm: CIV: 29. 30. Apud Ezechielem "Jehovah dixit ad me, num vivent oſſa hæc; tum dixit, propheta *ſuper ſpiritu*, propheta, fili hominis, & *dic ad ventum*, ſic dixit Dominus Jehovih, *a quatuor ventis veni ſpiritus*, & *inſpira* in occiſos hos, ut vivant, & *venit in eos ſpiritus*, & revixerunt" XXXVII: 3. 9. 10. Apud Johannem "Vidi quatuor angelos ſtantes ſuper quatuor angulis terræ, *retinentes quatuor ventos terræ*, ut *non flaret ventus ſuper terram*, neque ſuper mare, neque ſuper ullam arborem" Apoc: VII: 1; hic ventus pro vita

cœli,

cœli, hoc eſt, Divina; ut quoque apud Hiobum "*Spiritus Dei* fecit me, & *ſpiraculum Schaddai vivificavit me*" xxxiii : 4 : quia ventus ſignificabat vitam, ideo cum Dominus de regeneratione hominis docet, etiam dicit "*Spiritus* (ſeu ventus) *ubi vult*, *ſpirat*, & vocem ejus audis, atque non ſcis, unde venit, aut quo abit, *ſic eſt omnis qui generatus eſt a ſpiritu*" Joh : iii : 8 : & quia per ventum Jehovæ aut ſpiraculum Ipſius, ſignificata eſt vita a Divino, idcirco ubi agitur de nova vita Adami, dicitur, quod Jehovah *inſpiraverit in nares illius ſpiraculum vitarum*, & factus homo in animam viventem" Gen : ii : 7 ; per nares dicitur, quia per illas reſpiratio, & per reſpirationem vita ; ut apud Eſaiam "Deſiſtite ab homine, *in cujus naſo ſpiritus*" ii : 22. Apud Jeremiam "*Spiritus Narium noſtrarum*, Unctus Jehovæ, captus eſt in foveis illorum, de quo dixeramus in umbra illius vivemus inter gentes" Thren : iv : 20, Unctus Jehovæ pro Domino, ſpiritus narium noſtrarum pro vita ab Ipſo. Apud Hiobum "Quamdiu anima mea in me, *& ventus Dei in naſo meo*" xxvii : 3. Quia nunc per ventum narium Jehovæ ſignificatur vita quæ a Domino, & ſic in univerſali ſenſu cœlum, & quia per præſentiam Domini, ſeu per præſentiam Cœli ubi Dominus, mala & falſa conjiciuntur in infernum n : 8266, ideo quoque ille effectus per ventum narium Jehovæ ſignificatur, ut apud Davidem "Apparuerunt alvei maris, revelata ſunt fundamenta orbis, ob increpationem Jehovæ, *a flatu ſpiritus naſi Ipſius*" Pſalm : xviii : 9. 16. ii Sam : xxii : 16. Apud Eſaiam "*Flatus Jehovæ* ſicut ignis ſulphuris accendit illum" xxx : 33, Apud Eundem "Etiam non plantantur, etiam non conſeruntur, etiam non radicatur in terra truncus illorum, *& etiam ſpirat in illos*, & exareſcunt, ut procella ſicut ſtipulam tollat illos" xl : 24 ; & apud Davidem "*Mittit ventum ſuum*, & liquefacit illa, *ſpirare facit ventum ſuum*, fluunt aquæ" Pſalm : cxlvii : 17. 18 ; inde quoque eſt, quod *per naſum*, cum prædicatur de Jehovah ſeu Domino, etiam ſignificetur excandeſcentia, ita punitio, vaſtatio & damnatio illorum, qui in malis & falſis, ut Num : xlv : 4. Deut : vii : 4. Judic : ii : 14. Eſai : ix : 11. Jerem : iv : 5. Hoſch : xiv : 5. Pſalm : vi : 2. Pſalm : lxxxvi : 15. Pſalm : ciii : 8. Pſalm : cxlv : 8, & perpluries alibi : tum per *flare naribus* ſeu *ſpirare* ſignificatur iraſci, Deut : iv : 21. Eſai : xii : 1. Pſalm : ii : 2. Pſalm : iv : 21. Pſalm : lx : 3. Pſalm : lxxix : 5. Pſalm : lxxxv : 6.

8287. Conſtiterunt ſicut cumulus fluenta, quod ſignificet quod continue conantes malum ne hilum poſſent infeſtare, conſtat ex ſignificatione conſiſtere ſicut cumulus, cum de falſis ex malo, quod ſit continue conari malum, nam cum fluenta ſicut cumulus conſiſtunt, imminent, & in niſu illabendi ſunt, ſed a vi fortiori retinentur ; & ex ſignificatione fluentorum, quod ſint falſa ex malo, ſimiliter ac aquæ, n : 7307. 8137. 8138, ſed dicuntur fluenta, ob influendi, hoc eſt, infeſtandi.

8288. Congelatæ abyſſi in corde maris, quod ſignificet quod meræ falſitates ex malo cupiditatum amoris ſui nequicquam poſſent immergere, conſtat ex ſignificatione congelatæ eſſe, cum de illis qui in infernis, quod ſit non poſſe emergere ; ex ſignificatione abyſſorum, quod ſint falſitates ex cupiditatibus,

& quod

& quod ſint inferna, de qua ſupra n: 8278. 8279; & ex ſignificatione cordis maris, quod ſit malum amoris ſui & inde falſa; cor enim in genuino ſenſu ſignificat bonum cœleſte, quod eſt amoris in Dominum, de quo n: 3635. 3883 ad 3896. 7542, inde in oppoſito ſenſu malum amoris ſui, nam hoc malum oppoſitum eſt bono amoris in Dominum, & malum amoris mundi oppoſitum eſt bono ſpirituali quod eſt amoris erga proximum; exinde patet, quod per congelatæ abyſſi in corde maris, ſignificentur mære falſitates ex malo cupiditatum amoris ſui quod nequicquam poſſent emergere. Quod non poſſint emergere, dicitur, quia per abyſſos & per cor maris, ſignificantur inferna, ubi falſitates ex cupiditatibus, ſive ubi falſa ex malo; inde, quia ibi a ſuis falſis a malo circumſtipati ſunt, non amplius poſſunt eniti, quia falſis ibi obſtat Divinum Domini.

8289. Dixit hoſtis, quod ſignificet cogitationem illorum qui in malis & inde falſis ante adventum Domini, conſtat ex ſignificatione dixit, quod ſit cogitatio, ut n: 3395. 7244. 7937; & ex ſignificatione hoſtis, quod ſint qui in malis & falſis, hoſtis enim in ſpirituali ſenſu non alii ſunt, n: 8282. Quod cogitatio ab illis ante adventum Domini ſignificetur, eſt quia turba infernalis tunc pæne libere graſſabatur, ac infeſtabat & ſubjugare conabatur omnes ibi; cogitatio illorum tunc deſcribitur in hoc Verſu, per perſequar, aſſequar, dividam ſpolium, implebitur anima mea, evacuabo gladium, expellet illos manus mea; ſed hæc gloriatio illorum mutata eſt in lamentum, cum Dominus venit in mundum, hoc deſcribitur in Verſu mox ſequenti, per ſpiraſti vento tuo, contexit illos mare, profundum petierunt ſicut plumbum in aquis ingentibus; de mutatione ſtatus apud illos per adventum Domini, videatur n: 6854. 6914. 7091. 7828. 7932. 8018. 8054.

8290. Perſequar, quod ſignificet infeſtationem, conſtat ex ſignificatione perſequi, cum dicitur ab illis qui in malo de illis qui ſunt in bono, quod ſit infeſtare, & conari ſubjugare.

8291. Aſſequar, quod ſignificet ſubjugationem, conſtat ex ſignificatione aſſequi, cum dicitur ab illis qui in malo de illis qui in bono, quod ſit ſubjugare.

8292. Dividam ſpolium, quod ſignificet ſervitium, conſtat ex ſignificatione ſpolii, quod ſint illi qui ſubjugati ſunt, inde dividere ſpolium eſt illos in ſervos redactos inter ſe diſtribuere, ita eſt ſervitium.

8293. Implebitur anima mea, quod ſit jucundum, conſtat abſque explicatione. Implebitur anima mea dicitur, quia ipſum jucundum illorum, qui in inferno ſunt, eſt malum inferre aliis, apud quoſdam ob nullum finem, ſolum propter jucundum; apud quoſdam propter finem ut redigantur ad ſervitia, quæ crudeliter poſtea tractare volunt: quod tale jucundum in altera vita ſit illis qui in malo vitæ ſunt, vix aliqui poſſunt credere, & ne quidem ipſi, nam quamdiu in mundo ſunt, coercentur a timoribus, qui ſunt pænarum legis, tum jacturæ honorum, opum, famæ, & quoque vitæ, hi timores tunc faciunt ut abſtineant malis in externis, ac inde putant quod non tales ſint; ſed cum reflexiones ſuper jacturam vitæ, opum, honorum, famæ, illis adimuntur,

tur, ut ſit in altera vita, & relinquuntur ſuo malo, tunc jucundum malum faciendi, quod latuit in voluntate, & exſeruit ſe quoties removere potuiſſent timores illos, ſe manifeſtat; id jucundum tunc facit vitam illorum, quæ vita eſt vita infernalis.

8294. Evacuabo gladium, quod ſignificet pugnam falſi ex malo continuam; conſtat ex ſignificatione gladii, quod ſit verum pugnans contra falſum & malum, & in oppoſito ſenſu falſum pugnans contra verum & bonum, de qua n: 2799. 4499; & ex ſignificatione evacuare ſeu denudare illum, quod ſit pugna continua, uſque dum hoſtis ſtratus eſt: pugna continua per evaginatum ſeu evacuatum gladium etiam ſignificatur apud Moſchen "Vos diſpergam inter gentes, & *evacuabo poſt vos gladium*" Levit: XXVI: 33: apud Ezechielem "Omnem turmam ejus diſpergam in omnem ventum, & *gladium evaginabo poſt illos*" XII: 14: apud Eundem "Sic dixit Jehovah, ecce Me contra te, *educam gladium meum e vagina ejus*, & exſcindam ex te juſtum & impium; *exibit gladius meus e vagina ſua* contra omnem carnem, e meridie ſeptentrionem; ut cognoſcant omnis caro, quod ego Jehovah *eduxerim gladium e vagina ejus, nec reverſurus ſit amplius*" XXII: 8. 9. 10, hic evaginare ſeu evacuare gladium pro non ceſſare a pugnando, uſque dum ſtrati hoſtes; ita pro pugna continua: pugna continua contra mala & falſa etiam ſignificatur *per gladium evaginatum principis exercitus Jehovæ*, qui viſus Joſchuæ, cum venit in terram Canaanem" Joſch: V: 13, quo ſignificabatur quod pugnarent contra gentes ibi & deſtruerent illas; per gentes, quæ terram Canaanem tunc poſſederunt, ſignificantur qui ante adventum Domini occuparunt regionem cœli, quæ poſtea dabatur illis qui e Regno Spirituali Domini, n: 6914. 8054.

8295. Expellet illos manus mea, quod ſignificet quod ex potentia deſtruetur cœlum, conſtat ex ſignificatione expellere, quod ſit dejicere & ſic deſtruere, & ex ſignificatione manus, quod ſit potentia, de qua n: 878. 4931 ad 4937. 6292, 6447. 7188. 7189. 7518; quod ſignificetur cœlum, eſt quia dicitur quod expellet illos, ita a cœlo, nam mali, cum illis frænum laxatur, eo audaciæ & impudentiæ ſunt, ut putent ſe poſſe ipſum cœlum deſtruere; ſunt enim omnes qui in infernis in oppoſito contra cœlum, quia contra bonum & verum, & inde in continua cupiditate deſtruendi illud, & quantum illis permittitur, tantum id conantur, n: 8273 fin. Velle deſtruere cœlum, ſeu velle dijicere illos qui ibi, non fit per invaſionem hoſtilem, ſicut in terra, nam talis invaſio, ſeu talis pugna, non datur in altera vita; ſed id fit per deſtructionem veri quod fidei & boni quod amoris, nam verum fidei & bonum amoris ſunt cœlum; in his conſiſtunt pugnæ & bella in altera vita, quæ quam dira & atrocia ſint, ad finem Capitum ubi de Infernis, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur: bellum, de quo apud Johannem "Factum eſt *bellum* in cœlo, Michael & Angeli ejus *pugnarunt* contra draconem, draco autem *pugnavit* & angeli ejus, ſed non prævaluerunt" Apoc: XII: 7. 8, non aliter intelligendum eſt.

8296. Spiraſti vento tuo, quod ſignificet præſentiam Domini cum Angelis, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 8286, explicata ſunt.

8297. Contexit illos mare, quod ſignificet quod omne falſum quod illis obſtiparet, conſtat ex ſignificatione contegere, quod ſit obſtipare; & ex ſignificatione maris, hic aquarum maris Suph, quod ſint falſa ex malis, & quod id mare ſit infernum, de qua n: 8099. 8137. 8138. 8148; quod ibi obſtipati ſint falſis a malo, n: 8210. 8232.

8298. Profundum petierunt ſicut plumbum, quod ſignificet quod mala detraxerint illos ad inferiora ſicut gravia in mundo, conſtat ex ſignificatione profundi, quod ſint inferiora & inferna quoad mala, de qua n: 8279, inde profundum petere, eſt detrahi a malis ad illa: quod mali a ſuis malis delabantur ad inferna, ſicut gravia in mundo, videatur n: 8279: ſicut plumbum dicitur, quia per plumbum ſignificatur malum; ſupra autem dictum eſt, deſcenderunt in profunditates maris ſicut lapis, Verſ: 5, quia per lapidem ibi ſignificatur falſum; utrumque grave eſt, tam falſum quam malum, & inde utrumque delabitur, ſed uſque eſt malum quod facit grave in ſpirituali ſenſu, & ſic quod velut ex gravi delabitur, non autem falſum per ſe, ſed ex malo quod in illo, nam falſum ex ſe nihil ponderis habet, ſed ex malo habet ut delabatur. Sciendum, quod omnia metalla ſignificent bonum aut verum, & in oppoſito ſenſu malum aut falſum; plumbum, quia reliquis metallis eſt ignobilius, ſignificat malum quod infimum, quale eſt malum naturalis exterioris, in bono autem ſenſu ſignificat bonum ejuſdem gradus; ut apud Jeremiam, "Omnes illi refractarii refractariorum, obtrectatores, *æs* & *ferrum*, omnes illi perditores; incaluit follis, *ab igne conſumtum eſt plumbum*, fruſtra conflavit conflando, mali namque non avulſi ſunt; *argentum reprobatum* vocabunt illos, quia reprobravit Jehovah eos" vi: 28. 29. 30: & apud Ezechielem "Fili hominis, facti Mihi ſunt domus Iſraelis in ſcoriam, omnes illi *æs* & *ſtannum* & *ferrum*, & *plumbum* in medio fornacis, *ſcoriæ argenti* facti ſunt" xxii: 18.

8299. In aquis ingentibus, quod ſignificet circumfuſionem a falſorum immenſa copia, conſtat ex ſignificatione aquarum, quod ſint falſa ex malo, de qua mox ſupra n: 8297; inde aquæ ingentes ſunt falſa immenſa copia; quod ab illis circumfuſi ſint ſeu circumſtipati, videatur n: 8210. 8232.

8300. Verſ: 11. 12. 13. *Quis ſicut Tu in diis Jehovah, quis ſicut Tu, magnificus in ſanctitate, venerandus laudibus, faciens mirabile. Extendiſti dextram tuam, & abſorbſit illos terra. Duxiſti in Miſericordia tua populum illum, redemiſti; deduxiſti in virtute tua ad habitaculum ſanctitatis tuæ.* Quis ſicut Tu in diis Jehovah, ſignificat quod omne verum boni a Divino Humano procedat: quis ſicut Tu in ſanctitate, ſignificat ab Ipſo omne ſanctum: venerandus laudibus, ſignificat quod Ipſi Soli gloria & gratiarum actio: faciens mirabile, ſignificat quod ab Ipſo omnia media per quæ potentia: extendiſti dextram tuam, ſignificat quod dominium potentiæ ſuper omnia inde apperuit: abſorbſit illos terra, ſignificat quod ex ſola præſentia illis damnatio ac infernum:

duxiſti

duxiſti in miſericordia tua populum illum, ſignificat Divinum influxum apud illos qui abſtinuerant a malis & ſic receperant bonum: redemiſti, ſignificat quos liberavit ab inferno: deduxiſti in virtute tua ad habitaculum ſanctitatis tuæ, ſignificat quod Divina Domini potentia elevaverit illos ad cœlum in Divinum ibi.

8301. Quis ſicut Tu in diis Jehovah, quod ſignificet quod omne verum boni a Divino Humano Domini procedat, conſtat ex ſignificatione deorum, quod ſint vera, de qua n: 4402. 7268. 7873, hic vera ex bono, quia comparatio fit cum Jehovah, dicitur enim, quis ſicut Tu in diis Jehovah; quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1343. 1736. 2921. 3023. 3035. 5041. 5663. 6280. 6281. 6303. 6905. 6945. 6956: quod Divinum Humanum per Jehovam hic intelligatur, eſt quia in hoc Cantico agitur de ſalvatione illorum qui ab Eccleſia ſpirituali, per adventum Domini in mundum, & tunc per Divinum Humanum Ipſius, videatur n: 2661. 2716. 2833. 2834. 6372. 6854. 6914. 7035. 7091 fin: 7828. 7932. 8018. 8054. Quod per illa verba ſignificetur, quod omne verum boni a Divino Humano Domini procedat, eſt quia vera procedere poſſunt a quibuſcunque, ſed vera boni non niſi quam a Domino, conſequenter ab illis qui in bono ſunt a Domino: vera ſeparata a bono etiam cogitant & loquuntur illi qui in fide perſuaſiva ſunt, & uſque in vita mali, & quoque plures alii intra Eccleſiam, ſed illa vera non ſunt boni, ita non procedunt a Domino, ſed ab ipſis. Quod Vera ex bono procedant a Domino, conſtare poteſt ex eo, quod Dominus ſit Ipſum Bonum, quia eſt Ipſe Amor, ab Hoc procedit Verum, ſicut lux a flamma ſolis; eſtque hoc Verum ſicut lux tempore veris & æſtatis, quæ calorem in ſinu habet, & facit ut omnia telluris quaſi vitam accipiant; at verum quod non ex bono, eſt ſicut lux tempore hyemis, quando omnia telluris emoriuntur. Quod dii ſint vera boni, eſt quia per deos in bono ſenſu intelliguntur Angeli, qui dii dicuntur, quia ſunt ſubſtantiæ ſeu formæ recipientes veri in quo bonum a Domino. Angeli proinde vera boni quæ a Domino, etiam intelliguntur per deos in his locis; apud Davidem "Deus conſiſtit *in cætu Dei in medio deorum* judicabit: Ego dixi, *dii vos*, & filii Altiſſimi omnes vos" Pſalm: LXXXII: 1. 6, quod ſint vera quæ procedunt a Domino quæ hic per deos intelliguntur, conſtat ex eo, quod primum dicatur cætus Dei in ſingulari, & poſtea in medio deorum; quod Deus dicatur in Verbo, ubi agitur de Vero, videatur n: 2769. 2807. 2822. 3921. 4287. 4402. 7010; & quod Deus in ſupremo ſenſu ſit Divinum verum procedens a Domino, n: 7268. Apud Eundem "Confitebor Tibi in toto corde meo, *coram diis pſallam Tibi*" Pſalm: CXXXVIII: 1. Apud Eundem "*Non eſt ſicut Tu inter deos, Domine*" Pſalm: LXXXVI: 8. Apud Eundem "Deus magnus eſt Jehovah, & *Rex magnus ſuper omnes deos*" Pſalm: XCV: 3. Apud Eundem "Tu Jehovah ſuper omnem terram, *valde exaltatus es ſuper omnes deos*" Pſalm: XCVII: 9. Apud Eundem "Ego novi quod magnus Jehovah, & *Dominus noſter præ omnibus diis*" Pſalm: CXXXV: 5; inde etiam Jehovah Dominus dominorum,

& *Deus*

& *Deus deorum* dicitur, Deut: x: 17. Joſch: xxii: 22. Pſalm: cxxxvi: 2. Quod toties dicatur, quod Jehovah ſit ſuper omnes deos, & quod ſit Deus deorum, erat quia illo tempore plures dii colebantur, & gentes diſtinguebantur per deos quos colebant, & unaquævis gens credebat quod ſuus deus eſſet omnium ſupremus, & quia inde inſidebat omnium mentibus pluralitas deorum, ac diſceptabatur quiſnam eorum major eſſet, ut ſatis conſtare poteſt ex Hiſtoricis Verbi pluribus in locis, & hæc opinio inſidebat mentibus Judæorum præ aliis, ideo in Verbo toties dicitur, quod Jehovah omnibus diis major eſſet, & quod eſſet Rex & Deus deorum: quod opinio illa de pluribus diis inſederit mentibus Judæorum præ aliis gentibus, conſtare ſatis poteſt a frequente apoſtaſia illorum ad cultum aliorum deorum, de qua in Libris Hiſtoricis Verbi plures, ut Judic: ii: 10 ad 13. 17. 19. Cap: iii: 5. 6. 7. Cap: viii: 27. 33. Cap: x: 6. 10. 13. Cap: xviii: 14. 17. 18. 20. 25. 31. i Sam: vii: 3. 4. Cap: viii: 8. i Reg: xiv: 23. 24. Cap: xvi: 31. 32. 33. Cap: xviii: 20 ſeq: Cap: xxi: 26. Cap: xxii: 54. ii Reg: xvi: 1. 10 ſeq: Cap: xvii: 7. 15. 16. 17. Cap: xxi: 3 ad 7. 21. Cap: xxiii: 4. 5. 7. 8. 10. 11. 12. 13: & alibi. Gens illa tali veſania fuit, ut Jehovam ſolum ore confiterentur, ſed uſque alios deos corde agnoſcerent, quod manifeſte conſtare poteſt ex eo, quod poſtquam viderunt tot miracula in Ægypto, tot quoque poſtea, mare coram illis diviſum, & exercitum Pharaonis immerſum, columnam nubis & ignis continue apparentem, mannam e cœlo quotidie depluentem, & ipſam præſentiam Jehovæ cum tanta majeſtate & tanto terrore ſuper monte Sinai, & poſtquam ediderant confeſſionem quod Jehovah ſolus Deus, uſque tamen poſt aliquot ſeptimanas, modo quia retardabat Moſcheh, deos fuſiles, quod adorarent, ſibi poſtulabant, quos etiam factos ab Aharone divino cultu proſequebantur, per feſtum, per holocauſta & ſacrificia, & per choreas; inde conſtare poteſt, quod cordibus illorum inhæſerit cultus plurium deorum: quod illa gens præ omni alia gente in univerſa tellure, talis fuerit, etiam conſtat apud Jeremiam "*Num mutavit Gens deos, & populus meus permutavit gloriam ſuam cum eo quod non prodeſt; obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & cohorreſcite, trepidate valde: juxta numerum urbium tuarum fuerunt dii Judah,*" ii: 11. 12. 28: indoles etiam iſtius gentis talis eſt, ut præ omnibus aliis gentibus adorent externa, ita idola, & quod de internis prorſus nihil ſcire velint; ſunt enim omnium gentium avariſſimi, & avaritia, qualis illorum, quod ametur aurum & argentum propter aurum & argentum, & non propter aliquem uſum, eſt affectio maxime terreſtris, & mentem prorſus in corpus detrahit & ei immergit, & claudit interiora in tantum, ut prorſus non aliquid fidei & amoris e cœlo intrare poſſit: inde patet, quantum errant, qui credunt, quod gens illa iterum eligetur, ſeu quod Eccleſia Domini iterum ad illos, rejectis reliquis, iterum tranſibit; cum tamen ad fidem in Dominum prius convertes lapides quam illos: ad illos iterum Eccleſia tranſibit, creditur, quia in Propheticis Verbi multis in locis dicitur, quod reverſuri ſint; ſed non ſciunt, quod per Jehudam ibi, per Jacobum, & per Iſraelem, non illa gens intelligatur, ſed illi apud quos Eccleſia.

8302.

8302. Quis ſicut Tu ſanctitate, quod ſignificet quod ab Ipſo omne ſanctum, conſtat a ſignificatione quis ſicut Tu ſanctitate, quod ſit quod nemo ita ſanctus ſit, in ſenſu autem interno, quod ab Ipſo omne ſanctum, quia eſt ipſa ſanctitas: per Sanctum intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, hoc ſanctum dicitur, ac intelligitur quoque per Spiritum Sanctum, qui ideo dicitur Spiritus Veritatis, Joh: XIV: 16. 17. Cap: XV: 26. 27. Cap: XVI: 13; & miſſus a Domino" Joh: XV: 26. 27; & quod a Domino accipiet quod annuntiabit, Joh: XVI: 15: quia ſanctitas prædicatur de Divino Vero quod procedit a Domino, ideo Angeli, quia recipiunt illud, vocantur ſancti" Matth: XXV: 31. Marc: VIII: 38. Luc: IX: 26, & quoque Prophetæ, imprimis Verbum, quod eſt ipſum Verum Divinum: Dominus etiam ex Divino Vero quod Ipſe quia ab Ipſo, vocatur Sanctus Iſraelis, Sanctus Jacobi & Sanctum Dei.

8303. Venerandus laudibus, quod ſignificet quod Ipſi Soli gloria & gratiarum actio, conſtat ex ſignificatione venerandi laudibus, cum de Jehovah, quod ſit quod celebrandus & colendus, ita quod Illi ſoli gloria & gratiarum actio.

8304. Faciens mirabile, quod ſignificet quod ab Ipſo omnia media per quæ potentia, conſtat ex ſignificatione mirabilium & miraculorum, quod ſint media potentiæ Divinæ, de qua n: 6910: quod mirabilia ſint media potentiæ Divinæ, eſt quia per illa adducebantur ad credendum, quod Jehovah ſupremus Deorum eſſet, imo quod non Deus præter Ipſum, proinde quod ſolus colendus; & qui in hoc vero erant, deinde in vera cultus Ipſius introducti ſunt, quæ ſunt media potentiæ, nam omnis potentia in ſpirituali ſenſu ineſt veris quæ a Divino, n: 3091. 6344. 6413. 6948. 8200; potentia in ſpirituali ſenſu eſt fugare & a ſe ejicere infernalem turbam, quod unice fit per Vera: inde nunc eſt, quod per faciens mirabile, ſignificetur quod a Domino omnia media, per quæ potentia: media potentiæ Divinæ per mirabilia etiam ſignificantur apud Davidem "Cantate Jehovæ, pſallite Ipſi, *meditamini in mirabilibus Ipſius omnibus*, gloriamini in Nomine ſanctitatis Ipſius; quærite Jehovam, & robur Ipſius, quærite facies Ipſius jugiter, *memorate mirabilia Ipſius*, prodigia Ipſius, *& judicia oris Ipſius*" Pſalm: CV: 1 ad 5. Quod omnis potentia ſit veris quæ fidei a Domino, patet a Domini verbis ad Petrum "Ego Tibi dico, Tu es Petrus, & *ſuper hanc petram* ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt illi, & dabo tibi claves Regni cœlorum" Matth: XVI: 18. 19, per Petrum ibi repræſentatur fides, & per petram in Verbo ſignificatur fides, & per clavem intelligitur potentia, videatur Præfatio ad Geneſ: Cap: XXII; tum n: 4738 fin: 6344 fin.

8305. Extendiſti dextram tuam, quod ſignificet quod dominium potentiæ ſuper omnia inde apparuerit, conſtat ex ſignificatione extendere, quod prædicetur de dominio potentiæ, & cum dicitur de Jehovah, de omnipotentia, de qua n: 7673; & ex ſignificatione dextræ, quod ſit potentia Divina, de qua ſupra n: 8281; quod ſit quod inde apparuerit, nempe dominium poten-

tiæ

tiæ ſuper omnia, conſtat ex nunc ſequentibus "quod abſorpſerit illos terra," per quæ ſignificatur quod ex ſola præſentia Domini illis damnatio ſeu infernum.

8306. Abſorbſit illos terra, quod ſignificet quod ex ſola præſentia illis damnatio & infernum, conſtat ex ſignificatione abſorberi a terra, quod ſit damnatio & infernum; nam per abſorptionem illam ſignificatur delapſus ſeu dejectio in infernum; infernum etiam eſt infra profunde, quia longiſſime a Sole cœli, qui eſt Dominus, ibi eſt Altiſſimum, remotiones abinde ſunt ſecundum malorum & inde falſorum qualitates & quantitates, inde eſt quod Cœlum appareat ſupra & infernum infra; apparet etiam, ubi illi qui in falſis a malo, proinde in damnatione, ſicut terra deſerti, quæ vocatur terra damnata ſub illam dejiciuntur, qui in infernum, n: 7418; quod hoc ex ſola præſentia Domini, videatur n: 8266; inde nunc eſt, quod per abſorpſit illos terra, ſignificetur damnatio & infernum; ut patet apud Moſchen "Moſcheh dixit ad Concionem de Koracho, Dathane & Abiramo, ſi creationem creaverit Jehovah, & *aperuerit terra os ſuum*, & *abſorpſerit illos*, & omne quod illis, *ut deſcendant vivi in infernum*, cognoſcetis quod irritaverint viri hi Jehovam: & *diſrupta eſt terra* quæ ſub illis, *& aperuit terra os ſuum*, & *abſorbſit illos*, & *deſcenderunt* illi, & omnes qui illis, *vivi in infernum*" Num: XVI: 30. 31. 32. 33.

8307. Duxiſti in Miſericordia tua populum illum, quod ſignificet Divinum influxum apud illos qui abſtinuerant a malis, & ſic receperant bonum, conſtat ex ſignificatione ducere in miſericordia, quod ſit recipere Divinum, & quia illi recipiunt Divinum qui abſtinent a malis, ſignificatur Divinus influxus apud illos. Cum Miſericordia a Domino ita ſe habet; Miſericordia Domini perpetua eſt apud unumquemvis hominem, nam Dominus omnes homines, quotcunque ſunt, ſalvare vult; ſed miſericordia illa non poteſt influere priuſquam mala remota ſunt, mala enim & inde falſa obſtant & inhibent; ut primum autem mala removentur, influit Miſericordia, hoc eſt, bonum ex Miſericordia a Domino, quod eſt charitas & fides: inde conſtare poteſt: quod Miſericordia Domini ſit univerſalis, hoc eſt, erga omnes, & quoque peculiaris erga illos qui abſtinent a malis. Abſtinere a malis homo poteſt ex ſe, ſed recipere bonum non poteſt ex ſe; quod homo abſtinere a malis poſſit a ſe, eſt quia Dominus continue influit in voluntatem hominis cum conatu illo, & per id ponit in ejus libero deſiſtere a malis, tum applicare ſe ad bonum, etiam Dominus dat ei facultatem intelligendi verum, ſed quod non intelligat eſt quia non vult intelligere, & hoc propter malum quod vitæ, nam falſum defendit malum, & verum damnat illud; inde eſt quod homo donari bono ſpirituali a Domino non poſſit, ita non duci ex Miſericordia, niſi deſiſtat a malis.

8308. Redemiſti, quod ſignificet quos liberavit ab inferno, conſtat ex ſignificatione redimere, quod ſit liberare ex inferno, de qua n: 7205. 7445.

8309. Deduxiſti in virtute tua ad habitaculum ſanctitatis tuæ, quod ſignificet

ficet quod Divina Domini potentia elevaverit illos ad cœlum in Divinum ibi, conſtat ex ſignificatione ducere in virtute, cum dicitur de elevatione in cœlum a Domino, quod ſit elevare ex Divina potentia; quod virtus ſit potentia, patet, & ex ſignificatione habitaculi ſanctitatis, quod ſit cœlum ubi Divinum, ſanctitas enim prædicatur de Divino Vero quod a Domino procedit, n: 8302, & Divinum hoc Verum facit Cœlum. Quod habitaculum Jehovæ ſeu Domini ſit cœlum, & quoque bonum quia in bono eſt cœlum, conſtat ex his locis; apud Moſchen "*Reſpice ex Habitaculo ſanctitatis tuæ e cælo*, & benedic populo Iſraelis" Deut: XXVI: 15. Apud Eſaiam, "*Proſpice e cælo*, & vide, *ex Habitaculo ſanctitatis* & decoris tui" LXIII: 15. Apud Davidem "Si dedero ſomnum oculis meis, uſque dum invenero locum Jehovæ, *Habitacula* fortis Jacobi: ecce audivimus de Ipſo in Ephrata, invenimus ipſum in agris ſylvæ, *intrabimus in Habitacula Ipſius*" Pſalm: CXXXII: 4. 5. 6. 7. Quod habitaculum Jehovæ, hoc eſt, Domini ſit in bono, apud Zachariam "Jubila & lætare filia Zionis, ecce Ego veniens *ut habitem in medio tui*, adhærebunt gentes multæ Jehovæ in die illo, & erunt Mihi in populum, *habitabo namque in te*" II: 14. 15: & apud Ezechielem "Ponam ſanctuarium meum in medio eorum in æternum, *ſic erit Habitaculum meum apud illos*" XXXVII: 26. 27, ſanctuarium eſt ubi Divinum Verum in quo Divinum Bonum;

8310. Verſ: 14. 15. 16. *Audiverunt populi, contremuerunt, dolor apprehendit habitatores Philiſthææ. Tunc conſternati ſunt duces Edomi, potentes Moabi, apprehendit illos terror, colliquefacti omnes habitatores Canaanis. Cecidit ſuper illos formido & pavor; in magnitudine brachii tui exſcinduntur ſicut lapis, uſque dum tranſibit populus tuus, Jehovah, uſque dum tranſibit populus hic, poſſediſti.* Audiverunt populi, ſignificat omnes qui in falſo ex malo ubique: contremuerunt, ſignificat terrorem: dolor apprehendit habitatores Philiſthææ, ſignificat deſperationem amplificandi dominium apud illos qui in fide ſeparata a bono: tunc conſternati ſunt duces Edomi, ſignificat ſimile apud illos qui in vita mali ex amore ſui: potentes Moabi, ſignificat qui in vita falſi ex illo amore apprehendit illos terror, ſignificat quod nihil auſi ſint: colliquefacti omnes habitatores Canaanis, ſignificat ſimile apud illos qui ab Eccleſia & adulteraverunt bona & falſificaverunt vera: cecidit ſuper illos formido & terror, ſignificat quod abſque ulla ſpe dominationis: in magnitudine brachii tui, ſignificat ex omnipotentia: exſcindentur ſicut lapis, ſignificat delapſum ſicut grave: uſque dum tranſibit populus tuus, ſignificat quod ſic abſque diſcrimine infeſtationis ſalvabuntur omnes qui in facultate recipiendi verum boni & bonum veri: uſque dum tranſibit populus hic, ſignificat quod ſic ſalvabuntur qui in vero & bono ab Eccleſia: poſſediſti, ſignificat qui ſic facti ſunt Domini.

8311. Audiverunt populi, quod ſignificet omnes qui in falſo ex malo ubique, conſtat ex ſignificatione populorum, quod ſint qui in veris ex bono, & in oppoſito ſenſu qui in falſis ex malo, de qua n: 1259. 1260. 3295. 3581. 4619; in falſis ex malo dicitur, ut diſtinguantur ab illis qui in falſis ſunt &

tamen in bono; in falſis & ſimul in bono ſunt intra Eccleſiam, qui in hæreſibus & in vita boni, & extra Eccleſiam omnes, qui in bono; ſed falſa apud hos non damnant, niſi talia falſa ſint, quæ contra bonum ſunt, ac ipſam vitam boni deſtruunt; falſa autem quæ non ſunt contra bonum, in ſe quidem falſa ſunt, ſed reſpective ad bonum vitæ, contra quod non ſunt, qualitatem falſi pæne exuunt, quod fit per applicationem ad bonum; falſa enim talia applicari ad bonum poſſunt, & applicari ad malum, ſi ad bonum, mitia fiunt, at ſi ad malum, dura fiunt; nam falſa æque ad bonum applicare poſſunt, ſicut vera ad malum, nam vera quæcunque per applicationes ad malum falſificantur: ſit pro exemplo, quod ſola fides ſalvet, hoc in ſe falſum eſt, imprimis apud malos, qui ſic excludunt bonum charitatis, ſicut quod prorſus nihil ad ſalutem conferat; at hoc falſum miteſcit apud illos qui in bono vitæ ſunt, nam applicant id ad bonum, dicendo, quod ſola fides ſalvet, ſed quod non ſit fides niſi una cum fructu ſuo, conſequenter niſi ubi bonum; ita in reliquis. In nunc ſequentibus agitur de omnibus qui in falſis a malo, & in malo a falſis fuerunt, & in infernum conjecti ſunt cum Dominus in mundum venit; ſunt enim perplura genera mali, & inde quoque falſi, nam unumquodvis genus mali habet ſuum falſum ſibi adjunctum, falſum enim producitur a malo, & eſt malum in forma, plane ſicut eſt intellectuale apud hominem forma voluntatis ejus, nam voluntas per intellectuale exſerit ſe in luce, ſeque effigiat & format, & ſiſtit ſe per imagines, & has per ideas, & has iterum per voces: hæc dicta ſunt, ut ſciatur quod plura genera mali ſint & inde falſi; illa primum deſcripta ſunt per Ægyptios, nunc ſeu in his Verſibus per habitatores Philiſthææ, per duces Edomi, per potentes Moabi, & per habitatores Canaanis, de quibus dicitur, quod conſternatio & terror illos occupaverit, quia audiverunt quod in infernum conjecti ſint qui in fide ſeparata a charitate & in vita mali, qui ſignificati ſunt per Ægyptios, & quod illi ſimiliter in infernum dejiciendi ſint, propterea ut illi qui in vero & bono tuti & inviolati poſſent tranſire & ad cœlum perduci; ultimum hoc ſignificatur per verba Verſuum ſequentium 16 & 17, hæc "Cecidit ſuper illos formido & pavor, in magnitudine brachii tui exſcinduntur ſicut lapis, uſque dum tranſibit populus tuus Jehovah, uſque dum tranſibit populus hic, poſſediſti: introduces illos, & plantabis illos in monte hæreditatis tuæ loco ad habitare Te."

8312. Contremuerunt, quod ſignificet terrorem, conſtat abſque explicatione.

8313. Dolor apprehendit habitatores Philiſthææ, quod ſignificet deſperationem amplificandi dominium apud illos qui in fide ſeparata a bono, conſtat a ſignificatione doloris, quod ſit deſperatio, propter id quod dominium amplificare amplius non poſſent, de qua ſequitur; & ex ſignificatione habitatorum Philiſthææ, quod ſint qui in ſola fide ſeparata a bono charitatis, de qua n: 1197. 1198. 3412. 3413. 8093. 8096. 8099; diſtinguuntur ab Ægyptiis in eo, quod excludant bona charitatis, credendo quod homo abſque illis ſalvetur per fidem; ex hoc principali doctrinæ illorum naſcuntur plures errores,

ſicut quod Salvatio ſit Miſericordiæ utcunque homo vixerat; quod per fidem omnia peccata & mala abluantur; & quod ſic incedat homo juſtificatus, tum quod ſalvatio fieri poſſit momento, etiam per fiduciam fidei in ultima mortis hora, conſequenter quod non affectio amoris cœleſtis faciat cœlum apud hominem; hi ſunt Philiſthæi, & vocati ſunt præputiati, ex malis amoris ſui & mundi, in quibus vita illorum. Quod dolor hic ſit deſperatio, eſt quia intelligitur ſummus dolor, qualis eſt parturientium; vox illa in lingua originali etiam ſignificat dolorem talem; deſperatio ſeu ſummum doloris in Verbo etiam deſcribitur per dolorem parturientis, ut apud Davidem "Reges ſe congregarunt, terror arripuit illos, *dolor ſicut parturientis*" Pſalm: XLVIII: 5. 7. Apud Jeremiam "Habitans in Libano, nidum habens in cædris, quantum gratiæ invenies, cum venerint tibi dolores, *dolor ſicut parturientis*" XXII: 23. Apud Eundem "Audivit rex Babelis famam illorum, inde remiſſæ factæ ſunt manus ejus, *Anguſtia apprehendit illum, dolor ſicut parturientis*" L: 43. Apud Eſaiam "Propinquus dies Jehovæ, ſicut devaſtatio a Schaddai, propterea omnes manus remittuntur, & omne cor hominis liqueſcit, & perterriti ſunt, *tormina & dolores apprehendunt, ſicut pariens parturiunt*" XIII: 6. 7. 8. Apud Jeremiam "Ecce populus veniens e terra ſeptentrionis, & gens magna excitabitur e lateribus terræ, arcum & haſtam prehendunt, crudelis ille nec miſerantur, vox eorum ſicut mare reſonat, & ſuper equis equitant, paratus ut vir ad bellum, contra te filia Zionis, audivimus famam ejus, remiſſæ ſunt manus noſtræ, *anguſtia prehendit nos, dolor ſicut parturientis*" VII: 22. 23. 24, agitur hic de vaſtatione veri apud illos qui in malo; populus e terra ſeptentrionis pro illis qui in falſis a malo; gens magna e lateribus terræ pro illis qui in malis prorſus oppoſitis bono; arcum & haſtam prehendunt, pro quod pugnent ex doctrinali falſo; vox ejus ſicut mare reſonat, pro ratiocinatione inde; ſuper equis equitant pro argumentatione ſicut ex intellectuali: paratus vir ad bellum pro cupiditate impugnandi verum; filia Zionis pro Eccleſia ubi bonum; anguſtia prehendit pro dolore quod vera infeſtarentur; dolor ſicut parturientis pro deſperatione quod bonum læderetur; inde patet quod per dolorem hic ſignificetur deſperatio propter læſionem boni. Quod dolor apprehendit habitatores Philiſthææ, ſit deſperatio ſeu nulla ſpes amplificandi dominium, eſt quia Philiſthæi, hoc eſt, illi qui ſalvationem ex ſola fide abſque bonis charitatis, ſtatuunt, in altera vita jugiter affectant dominium, pugnando contra alios, & hoc quamdiu nondum devaſtati quoad ſcientiam cognitionum fidei ſunt; unuſquiſque enim in altera vita retinet principia ſuæ fidei quæ habuerat in vita corporis, nec alii mutant illa in vera, quam qui in bono vitæ fuerunt, nam bonum deſiderat verum, & recipit illud libenter, quia homogeneum eſt; ſed qui in malo vitæ fuerunt non mutant, ſunt quaſi duri, & quoque rejiciunt vera, & quoque ſunt in obſcuro, ut ne quidem poſſint videre illa, vident ſolum confirmativa principiorum ſuorum, & ne hilum quæ contra illa ſunt; tales uſque credunt ſe intelligentiſſimos omnium eſſe, ſed nihil ſciunt niſi quam ratiocinari ex principio capto; quare ſunt illi qui maxime impugnant charitatem, conſequenter qui dominari

 volunt;

volunt; nam qui in charitate ſunt, humiles ſunt, & ſicut infimi volunt omnibus ſervire; at qui in fide abſque charitate, ſunt elati, & volunt ut ſicut ſupremi ab omnibus ſerviantur; quare etiam cœlum ponunt in gloria dominationis, & putant, quia intelligentiores ſe credunt omnibus aliis, quod futuri archangeli, & ſic quod plures alii illis ſerviturі; & quoque ſecundum verba apud Danielem "Quod intelligentes ſplendebunt ſicut ſplendor expanſi, & juſtificantes multos ſicut ſtellæ in ſæculum & æternitatem" XII: 3, ſed pro ſplendore illis ſunt tenebræ.

8314. Tunc conſternati ſunt duces Edomi, quod ſignificet ſimile apud illos qui in vita mali ex amore ſui, conſtat ex ſignificatione ducum, quod ſint præcipui, ita omnes & ſinguli, de qua ſequitur; & ex repræſentatione Edomi, quod ſint qui ex malo amoris ſui arripiunt falſa & rejiciunt vera, in ſenſu a perſona abſtracto, quod ſit malum amoris ſui cui adjungitur falſum & rejicitur verum; ita quoque qui in vita mali ex illo amore ſunt, nempe ex amore ſui. Quod duces attinet, ſignificantur per illos præcipui, in ſenſu a perſona abſtracto, præcipua, ita omnia & ſingula, nam cum duces nominantur, ſignificantur communia ſub quibus reliqua, ſeu præcipua, ſicut duces tertiani, n; 8150. 8276, & prædicantur de bono, ac in oppoſito ſenſu de malo; per principes autem ſignificantur etiam communia ſub quibus reliqua, ſeu primaria, n: 1482. 2089. 5044, ſed prædicantur de vero: ſciendum, quod in Verbo ſint voces, quæ ad claſſem ſpiritualium pertinent, & quæ ad claſſem cœleſtium, hoc eſt, quæ exprimunt talia quæ ſunt veri ſeu fidei, & quæ talia quæ ſunt boni ſeu amoris; etiam ſunt voces quæ prædicantur de utriſque; qui hæc novit, is poteſt ex prima intuitione ſeu lectione Verbi, imprimis in Lingua ejus originali, ſcire ubinam in ſenſu interno agitur de talibus quæ ſunt veri, aut de talibus quæ ſunt boni: ita ſe habet cum ſignificatione principum & ducum; principes ſignificant primaria, & prædicantur de fidei veris, at duces ſignificant præcipua, & prædicantur de amoris bono, in oppoſito ſenſu principes de fidei falſis, & duces de amoris malis: inde eſt, quod qui in Edomo regnarunt, dicti ſint Duces, ut patet a Geneſ: Cap: XXXVI: Verſ: 15. 16. 17. 18. 19. 21. 29. 30. 40. 41. 42. 43, cauſa eſt quia per Edomum ſignificatum eſt bonum amoris cœleſtis, & in oppoſito ſenſu malum amoris ſui; at apud filios Iſmaelis, qui reliquis præfuerunt, non dicti ſunt duces, ſed principes, Geneſ: XXV: 16, quia per Iſmaelem ſignificati ſunt qui in vero, n: 3263. 3268. 4747: ex illa cauſa etiam principes dicebantur qui præerant in Iſraele, Num: VII: 2. 10. 18. 24. 30. 16. 42. 48. 54, nam per Iſraelem repræſentabantur qui in vero & bono fidei, at qui præerant Jehudæ dicebantur duces, quia per Jehudam repræſentabantur qui in bono amoris, ut apud Sachariam "Sit ſicut *dux in Jehudah*" IX: 7: & apud Eundem "*Dicent duces Jehudæ* in corde ſuo, confirmabo mihi habitatores Hieroſolymæ in Jehovah Zebaoth Deo illorum; in die illo ponam *duces Jehudæ* ſicut fornacem ignis in lignis" XII: 5. 6.

8315. Potentes Moabi, quod ſignificet qui in vita falſi ex illo amore, conſtat ex ſignificatione potentium, quod ſint regnantia & prævalentia; & ex

ex repræſentatione Moabi, quod ſint qui in bono naturali ſunt, & facile ſe ſeduci patiuntur, de qua n: 2468, ita qui in vita falſi inde ſunt, nam qui in bono naturali ſunt, & non in bono ex vero fidei, ita non in bono ſpirituali, illi ſe abduci patiuntur ad credendum falſa quælibetcunque, ita ad videndum ſecundum illa; abducuntur a veris ad falſa imprimis per illa quæ favent amoribus illorum; hi ſunt, qui per Moabum intelliguntur; quod illi qui in bono naturali & non in bono ſpirituali nequaquam per aliquem influxum e cœlo duci queant, videatur n: 3470. 3471. 3518. 4988. 4992. 5032. 6208. 7198. 8002. Vox, per quam exprimuntur potentes in Lingua originali, prædicatur de illis qui in vero ſunt ex bono, & in oppoſito ſenſu qui in falſo ſunt ex malo; in hoc ſenſu eſt vox illa apud Ezechielem Cap: XXXI: 11. II Reg: XXIV: 15.

8316. Apprehendit illos terror, quod ſignificet quod nihil auſi ſint, conſtat ex ſignificatione apprehendi terrore, quod ſit nihil audere, nam apud illos qui in terrore ſunt, frigeſcit ſanguis, ruit in venas, deſinit circulatio, inde flacceſcunt nervi & cadunt vires, ſic ut nihil auſint.

8317. Colliquefacti omnes habitatores Canaanis, quod ſignificet ſimile apud illos qui ab Eccleſia, & adulteraverunt bona, & falſificaverunt vera, conſtat ex ſignificatione habitatorum Canaanis, quod ſint qui ab Eccleſia, & quod ſint qui ibi bona adulteraverunt & vera falſificaverunt: quod per habitatores Canaanis ſignificentur qui ab Eccleſia, eſt quia Eccleſia Domini fuerat in terra Canaane ab Antiquiſſimis temporibus, videatur n: 3686. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. 6516; quod etiam ſignificentur qui adulteraverunt bona & falſificarunt vera, eſt quia per gentes ibi, quas filii Iſraelis expulſuri erant, repræſentantur mala & quoque falſa fidei, videatur n: 8054, hoc quia illæ prius ab Eccleſia fuerunt.

8318. Cecidit ſuper illos formido & pavor, quod ſignificet quod abſque ulla ſpe dominationis, conſtat ex ſignificatione formidinis & pavoris, cum dicitur de illis qui in amore ſui & inde falſis & malis, qui ſignificantur per duces Edomi & potentes Moabi, quod ſit quod abſque ſpe dominationis; qui enim in malo amoris ſui ſunt, continue cupiunt dominari, at cum cadit ſuper illos terror pro hoſte victore, tunc cadit ſpes dominandi. Sciendum, quod mala ſint ex duplici origine, nempe ex amore ſui & ex amore mundi; qui in malis ex amore ſui ſunt, illi ſe ſolos amant, & omnes reliquos contemnunt, præter illos qui unum faciunt cum ipſis, quos cum amant non illos amant ſed ſe, quia vident ſe in illis; mala ex hac origine ſunt omnium peſſima, nam non ſolum omnes alios præ ſe contemnunt, ſed etiam vituperiis proſequuntur, & ex levi cauſa odio habent, & tunc perniciem illorum ſpirant; fitque ſic vindicta & crudelitas jucundum vitæ illorum; qui in malo illius amoris ſunt, in inferno ſunt profunde ſecundum amoris illius quale & quantum. Qui autem in malo ex amore mundi ſunt, illi etiam proximum nauci habent, & illum æſtimant ſolum ex opulentia, ita opes non autem ipſum; illi cupiunt omnia poſſidere quæ proximi ſunt, cum in hac cupiditate ſunt, tunc abſque omni charitate & miſericordia ſunt; privare enim proximum

mum ſuis bonis eſt jucundum vitæ illorum, imprimis illorum qui ſordide avari ſunt, qui nempe amant aurum & argentum propter aurum & argentum, non autem propter aliquem uſum ex illis: illi apud quas malum hujus amoris dominatur, etiam in infernis ſunt, ſed non in tam profundis ut illi qui in malo amoris ſui ſunt. Præter binas has origines mali, etiam datur tertia, quæ eſt malum facere ex principiis falſæ religionis; ſed hoc malum audit malum apud illos qui in amore ſui & mundi ſunt, non autem apud illos qui in amore erga proximum & in Deum ſuum ſunt; nam finis eſt bonum, & finis qualificat reliqua, videatur n: 8311.

8319. In magnitudine brachii ſui, quod ſignificet ex omnipotentia, conſtat ex ſignificatione brachii, quod ſit potentia, de qua n: 878. 4931. ad 4937; & cum dicitur de Divino, quod ſit omnipotentia.

8320. Exſcindentur ſicut lapis, quod ſignificet delapſum ſicut grave, conſtat ex illis quæ ſupra n: 8279; 8298, explicata ſunt.

8321. Uſque dum tranſibit populus tuus, quod ſignificet quod ſic abſque diſcrimine infeſtationis ſalvabuntur omnes qui in facultate recipiendi verum boni & bonum veri, conſtat ex ſignificatione tranſire, quod ſit abſque diſcrimine infeſtationis ſalvari, nam cum injecti inferno & remoti ſunt illi qui in falſis a malo, qui infeſtaverunt, tunc non ſunt qui obſtant, injiciendo falſa & mala, & ſic inhibent a receptione boni & veri a Domino; hæc ſunt quæ hic per tranſire ſignificantur; nam quamdiu mali non conjecti fuerunt in infernum, vix aliqui potuerunt tranſire, hoc eſt, ſalvari, nam tunc mali continue excitabant mala & falſa apud illos qui in alteram vitam veniebant, & ſic retrahebant a bono & vero: ut itaque illi qui in bono & vero a talibus liberarentur, Dominus in mundum venit, & cum in mundo fuit, tunc per continuas tentationes in Se admiſſas, & per continuas in illis victorias, ſubjugavit omnes tales, & dein per præſentiam ſuam fecit, ut conjicerentur in infernum, ubi obſeſſi a ſuis malis & falſis in æternum vincti tenerentur. Per populum hic intelliguntur qui in facultate recipiendi verum boni & bonum veri ſunt, nam populus in genere ſignificat illos qui in vero & bono fidei, n: 1259. 1260. 3295. 3581. 4619, hic ſignificat Iſraelem, hoc eſt, illos qui ab Eccleſia ſpirituali, ſeu quod idem, qui in vero boni & in bono veri, n: 7956. 8234. In facultate recipiendi verum boni & bonum veri dicitur, quia non alii in facultate illa ſunt, quam qui vitam charitatis vixerunt; hæc vita dat facultatem illam: quammaxime errant, qui credunt, quod fides abſque charitate hoc quale poſſit dare, nam fides abſque charitate eſt dura & reſiſtens, & rejicit omnem influxum a Domino, ſed charitas cum fide eſt cedens & mollis, & recipit influxum; inde eſt, quod charitas det illam facultatem, non autem fides abſque charitate; & quia charitas dat illam facultatem, etiam illa eſt quæ ſalvat, nam qui ſalvantur, non ſalvantur per charitatem a ſe, ſed per charitatem a Domino, conſequenter per facultatem recipiendi illam.

8322. Uſque dum tranſibit populus hic, quod ſignificet quod ſic ſalvabuntur qui in vero & bono ab Eccleſia, conſtat ex illis quæ nunc ſupra explicata ſunt.

8323.

8323. Poſſediſti, quod ſignificet qui ſic facti ſunt Domini, conſtat ex ſignificatione poſſidere, quod ſit eſſe illius, hic quia agitur de illis qui in vero & bono ſunt, ad quos ſalvandos Dominus in mundum venit, ſunt illi qui ſignificantur, quod ſint Domini; illi vocantur alibi redempti, ut apud Eſaiam "Nonne Tu illud quod exſiccavit mare, aquas abyſſi magnæ, quod poſuit profunditates maris viam, *ut tranſirent Redempti*, ſic *redempti Jehovæ* revertantur" LI: 10. 11.

8324. Verſ: 17. 18. 19. *Introduces illos, plantabis illos in monte hæreditatis tuæ, loco ad habitare Te, operatus es Jehovah, ſanctuarium, Domine, præpararunt manus tuæ. Jehovah regnabit in ſæculum & æternitatem. Quia venit equus Pharaonis in curru ſuo & in equitibus ſuis in mare, & reduxit Jehovah ſuper illos aquas maris; & filii Iſraelis iverunt in arido per medium maris.* Introduces illos, ſignificat elevationem: & plantabis illos, ſignificat regenerationem continue: in monte hæreditatis tuæ, ſignificat cœlum ubi bonum charitatis: loco ad habitare Te, ſignificat ubi Dominus: operatus es Jehovah, ſignificat quod a Domino ſolo: ſanctuarium, Domine, præparunt manus tuæ, ſignificat cœlum ubi illi qui in vero fidei a Domino: Jehovah regnabit in ſæculum & æternitatem, ſignificat quod Dominus ſolus ſit Dominus cœli & terræ: quia venit equus Pharaonis in curru ſuo, & in equitibus ſuis, ſignificat omnia falſa ex intellectuali perverſo apud illos qui in fide ſeparata & vita mali: in mare, ſignificat damnationem: & reduxit Jehovah ſuper illos aquas maris, ſignificat quod falſa ex malis, quæ intenderunt bonis, relapſa ſint ſuper illos, ex præſentia Domini apud illos qui in bono: & filii Iſraelis iverunt in arido per medium maris, ſignificat quod illi qui in bono veri & vero boni tuto tranſiverint inferni illius regionem.

8325. Introduces illos, quod ſignificet elevationem, conſtat ex ſignificatione introducere, cum ad cœlum, quod ſit elevatio; elevatio dicitur, quia cœlum coram viſu ſpirituum externo eſt in alto, ac coram viſu interno, qualis eſt angelorum, eſt cœlum in interno; omne enim internum in altera vita ſiſtitur repræſentative ſicut ſupra, & externum ſicut infra, inde cœlum apparet ſupra & infernum infra, n: 2148. 3084. 4599, 5146; ſunt enim ſtatus veri & boni, & in oppoſito ſenſu ſtatus falſi & mali, qui per altitudines & profunditates, verbo qui per diſtantias & loca in altera vita repræſentantur; videatur n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5606. 7381. Solum ex hac experientia concludi poteſt, quam ægre poſſit naturalis homo capere ſpiritualia, conſequenter illa quæ cœli ſunt; quis illorum poteſt comprehendere quod ſpatia & tempora non dentur in cœlo, ſed pro illis ſtatus, nempe ſtatus boni ſeu ſtatus eſſe per ſpatia, ac ſtatus veri ſeu ſtatus exiſtere per tempora; mere naturalis homo annon credet, quod prorſus inane ac nihil ſit, ubi non tempus ac ſpatium; inde patet, ſi naturalis homo apud ſe concludit, quod nihil credendum ſit niſi quod capit, quod tunc in enormes errores ſe conjiciat; ſicut ſe habet cum ſpatiis & temporibus, ita etiam ſe habet in multis aliis; ſicut pro exemplo, naturalis homo non poteſt non in phantaſticum de Divino labi, cum cogitat ex tempore, quid Divinum fecerat ante creationem mundi, hoc

hoc eſt, quid egerat ab æterno eouſque; nec poteſt extricari e nodo iſto, priuſquam ideæ temporis & ſpatii removentur; Angeli cum de æterno hoc cogitant, nuſquam de illo cogitant ex tempore, ſed ex ſtatu: in altera vita apparent binæ ſtatuæ partim carneæ, & partim lapideæ, locatæ in termino univerſi creati anterius verſus ſiniſtrum, dicitur, de illis quod deglutiant illos qui cogitant de Divino quid ab æterno fecerat, antequam creavit mundum; deglutitio repræſentat, quod homo, quia non cogitare poteſt niſi ex ſpatio & tempore, non poſſit ſe inde extricare ex ſe, ſed ex Divino, quod fit vel per cogitationis illius diſſipationem, vel per remotionem idearum temporis.

8326. Et plantabis illos, quod ſignificet regenerationem continue, conſtat ex ſignificatione plantare, quod ſit regenerare, nam regeneratio ſe habet ſicut plantatio; arbor enim cum plantatur, creſcit in ramos, folia & fructus, & ex ſeminibus fructuum creſcit in novas arbores, & ſic porro; ſimiliter ſe habet cum regeneratione apud hominem, quare etiam homo in Verbo comparatur arbori, & regeneratus homo horto aut paradiſo; vera fidei apud illum comparantur foliis, & bona charitatis fructibus, ſemina a quibus novæ arbores veris quæ ex bono, ſeu quod idem, fidei quæ ex charitate. Regeneratio continue dicitur, quia regeneratio apud hominem inchoat, ſed nuſquam deſinit, perficitur continue non modo cum vivit in mundo, ſed etiam in altera vita in æternum; & tamen nuſquam ad aliquam talem perfectionem pervenire poteſt, ut poſſit cum Divino comparari.

8327. In monte hæreditatis tuæ, quod ſignificet cœlum ubi bonum charitatis, conſtat ex ſignificatione montis hæriditatis, quod ſit cœlum, nam per montem ſignificatur bonum amoris, n: 795. 796. 2772. 4210. 6435, & per hæreditatem vita alterius, hic Domini, ita vita boni & veri quæ a Domino, nam qui in hac vita ſunt, hæredes Regni ac filii vocantur, n: 2658. 2851. 3672. 7211; quia hæc ſignificantur per montem hæreditatis, etiam ſignificatur cœlum; nam cœlum eſt cœlum ex bono amoris, & eſt hæreditas illis qui ſunt Domini.

8328. Loco ad habitare Te, quod ſignificet ubi Dominus, conſtat ex ſignificatione loci, quod ſit ſtatus, de qua mox ſupra n: 8325, hic ſtatus boni ex Divino, quia intelligitur cœlum; & ex ſignificatione habitaculi Jehovæ, ſeu habitare Te, quod ſit ubi Dominus; quod habitare prædicetur de bono, videatur n: 2712. 3613, & quod habitaculum Jehovæ ſit bonum, & inde cœlum, n: 8268. 8309; quod Dominus ſit Jehovah in Verbo, videatur ſupra n: 8261. A Domino pluries dicitur *Pater qui in cœlis*, & tunc intelligitur Divinum in cœlo, ita Bonum ex quo cœlum, Divinum in Se ſpectatum eſt ſupra cœlos, ſed Divinum in cœlis eſt Bonum quod in Vero quod procedit a Divino, hoc intelligitur per Patrem in cœlis; apud Matthæum "Ut ſitis filii *Patris qui in cœlis*; ut ſitis perfecti, ſicut *Pater veſter qui in cœlis* perfectus eſt" v: 45. 48. Cap: vi: 1. "*Pater noſter qui in cœlis*, ſanctificetur Nomen tuum" vi: 9. Faciens voluntatem *Patris qui in cœlis*" vii: 21, & præterea Matth: Cap: x: 32. 33. Cap: xvi: 17. Cap:

xviii:

xviii: 10. 14. 19. Divinum quod in cœlis eſt Bonum quod in Divino Vero quod procedit a Domino, at Divinum ſupra cœlos eſt Ipſum Divinum Bonum: per locum habitare Te, ſignificatur cœlum, ubi Divinum Verum procedens a Domino, nam hoc facit cœlum. Quomodo ſe habet, cum Divino Vero quod procedit a Domino, quod ſit in cœlo bonum, illuſtrari poteſt per comparationem cum ſole, & cum luce quæ a ſole; in ſole eſt ignis, ſed a ſole procedit lux, hæc lux in ſe habet calorem, ex quo germinantur horti, & fiunt ſicut paradiſi; ipſe ignis ſolis non tranſit ad tellurem, nam ille exureret & conſumeret omnia, ſed lux in qua calor ab igne ſolis; lux illa in ſpirituali ſenſu eſt Divinum Verum, calor eſt bonum in Vero ex Divino Bono, & paradiſus inde eſt cœlum.

8329. Operatus es Jehovah, quod ſignificet quod a Domino ſolo, conſtat ex ſignificatione operari, cum de regeneratione & de cœlo, quod ſit a Domino ſolo, nam omne regenerationis, & omne cœli eſt a Domino.

8330. Sanctuarium, Domine, præpararunt manus tuæ, quod ſignificet cœlum ubi illi qui in vero fidei a Domino, conſtat ex ſignificatione Sanctuarii, quod ſit cœlum ubi verum fidei, de qua ſequitur; & ex ſignificatione præpararunt manus tuæ, quod ſit quod a Domino: quod de Sanctuario dicatur, quod præpararunt manus, eſt quia manus prædicantur de Vero, & ſignificat potentiam; quod manus prædicentur de vero, videatur n: 3091. 8283; & quod ſint potentia, n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6292. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8069. 8153. 8281: ſimiliter ac ſanctuarium, quod hoc prædicetur de Vero, n. 8302; voces autem quæ præcedunt, ut locus ad habitare Te, & operatus es Jehovah, prædicantur de bono, quia referuntur ad montem hæreditatis, per quem ſignificatur cœlum in quo bonum charitatis, n: 8327; quod voces ſint quæ in Verbo prædicantur de bono, & voces quæ prædicantur de Vero. videatur n: 8314. Quid cœlum in quo bonum charitatis, quod per montem hæreditatis ſignificatur, & quid cœlum in quo verum fidei, quod eſt ſanctuarium, paucis dicetur; Cœlum in quo bonum Charitatis, eſt in quo interiores, qui a Regno ſpirituali Domini ſunt, & cœlum in quo verum fidei, eſt in quo ſunt exteriores qui ab illo Regno; qui interiores ſunt, illi in ipſa charitate ſunt, & inde in fide; qui autem exteriores, ſunt qui in fide ſed nondum in charitate; hi bonum faciunt ex obedientia, illi autem ex affectione; ex his patet, quid per cœlum in quo bonum charitatis, & per cœlum in quo verum fidei, intelligitur. Quod Sanctuarium attinet, eſt illud in ſenſu ſupremo Verum fidei quod a Domino, & inde in ſenſu repræſentativo eſt Regnum ſpirituale Domini, tum Eccleſia ſpiritualis, & inde homo regeneratus qui eſt Eccleſia; eſtque ſic in ſenſu ab illis abſtracto, Verum fidei, ita ipſa fides, quid ſanctum videatur ſupra n: 8302: inde nunc eſt, quod cœlum a Vero fidei quod a Domino dicatur Sanctuarium; ut apud Davidem "Reſpondeat tibi Jehovah, in die anguſtiæ, *mittat auxilium tibi e Sanctuario*, & ex Sione ſuſtentet te" Pſalm: xx: 2. 3, ſanctuarium ibi pro cœlo ubi verum fidei, Zion pro cœlo: ubi bonum amoris. Apud Eundem "Viderunt greſſus tuos, Deus,

greſſus Dei mei, Regis mei *in Sanctuario*; formidabilis Deus "e ſanctuariis Deus Iſraelis" Pſalm: LXVIII: 25. 36, ſanctuarium pro cœlo ubi verum fidei, inde Deus dicitur & non Jehovah, tum quoque Rex, quia Deus dicitur ubi agitur de vero, ac Jehovah ubi de bono, n: 2586. 2769. 2807. 3822. 3921 fin: 4402. 7010. 7268; & quia Rex eſt Verum, n: 1672. 1728. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148. Apud Eundem "Laudabit Jah, quia proſpexit ex *alto Sanctuarii ſui*, Jehovah *e cælis* ad terram reſpexit, ad audiendum gemitum vincti, ad aperiendum filiis mortis" Pſalm: CII: 19. 20. 21, ſanctuarium hic quoque pro cœlo quoad Verum fidei. Apud Eundem "*Laudate Deum in Sanctuario Ipſius*, laudate Ipſum in expanſo roboris Ipſius" Pſalm: CL: 1, laudare in ſanctuario pro a Vero fidei quod a Domino, laudare in expanſo roboris, pro ex bono charitatis quod a Domino.

8331. Jehovah regnabit in ſæculum & æternitatem, quod ſignificet quod Dominus ſolus ſit Dominus cœli & terræ, conſtat ex eo, quod de Jehovah, hoc eſt, de Domino dici poſſit quod regnabit in ſæculum & æternitatem, de angelis quod quidem regnaturi, ſed ex Domino, ita uſque eſt ſolus Dominus per illos. Apud Antiquos, qui ab Eccleſia, ſolenne fuit dicere, *Deus regnat*, tum *Deus regnabit in æternum*, per quod ſignificabatur, quod cum Eccleſia bene ſit quia ibi tunc bonum & verum a Divino, in genere per illud ſignificabatur quod Jehovah ſolus Deus; & qui inſtructi de adventu Domini, quod Dominus ſit ſolus Dominus cœli & terræ: quia in Eccleſia apud antiquos ſolenne fuit dicere, *regnabit Deus*, ideo apud Davidem aliquot pſalmi inſcribuntur per *Jehovah regnabit*, ut Pſalm: XCIII: 1. Pſalm: XCVII: 1. Pſalm: XCIX: 1: & apud Eundem "*Regnabit Jehovah in æternum, Deus tuus* Zion, in generationem & generationem, Alleluja" Pſalm: CXLVI: 10. Apud Eſaiam "Quam jucundi ſunt ſuper montibus pedes evangelizantis, dicentis Zioni, *regnabit Deus tuus*" LII: 7, ibi de Domino. Apud Johannem "*Facta ſunt regna mundi Domini noſtri*, & Chriſti Ipſius, & *regnabit in ſæcula ſæculorum*" Apoc: XI: 15: & apud Eundem "Audivi vocem dicentis Alleluja, *quia regnat Dominus Deus*" Apoc: XIX: 6; ex his etiam patet, quod verba illa fuerint verba gaudii, inde exclamatio Alleluja, & inde dicitur, quam jucundi ſunt pedes evangelizantis, dicentis, regnat Deus tuus. Quod Dominus ſit Dominus cœli & terræ, conſtat apud Matthæum "Jeſus dixit ad diſcipulos, data eſt Mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra" XXVIII: 18.

8332. Quia venit equus Pharaonis in curru ſuo & in equitibus ſuis, quod ſignificet omnia falſa ex intellectuali perverſo apud illos qui in fide ſeparata & vita mali, conſtat ex ſignificatione equi Pharaonis, tum currus ejus, & equitum ejus, quod ſint omnia falſa ex intellectuali perverſo, de qua n: 8146. 8148; & ex repreſentatione Pharaonis & Ægyptiorum, quod ſint qui in fide ſeparata a charitate & in vita mali, de qua n: 7926. 8148.

8333. In mare, quod ſignificet damnationem, conſtat ex ſignificatione maris Suph, quod ſit infernum, de qua n: 8099. 8137. 8138; hic damnatio, quia

quia dicitur quod venerint in mare, & dein quod reduxerit Jehovah ſuper illos aquas maris, per quæ ſignificatur quod delapſi in infernum; nam in damnationem veniunt, antequam in infernum.

8334. Et reduxit Jehovah ſuper illos aquas maris, quod ſignificet quod falſa ex malis, quæ intenderunt bonis, relapſa ſint ſuper illos, ex præſentia Domini apud illos qui in bono, conſtat ex ſignificatione reduxit Jehovah ſuper illos aquas maris, quod ſit quod falſa mali quæ intenderunt bonis ſuper illos relapſa ſint: quod falſa ex malis colligantur in unum, & infundantur in illos qui in malo ſunt, & quod ab illis circumſtipentur, videatur n: 8146. Quod falſa ex malo quæ intendunt aliis relabantur ſuper ipſos ex lege ordinis, n: 8214. 8223. 8226; quod obſtipatio a falſis mali ſit conjectio in infernum, n: 8210. 8232: & quod hoc fiat ex ſola præſentia Domini apud bonos, cum illos tutatur, ac cœlo & cœli gaudio donat, n: 8137 fin: 8266.

8335. Et filii Iſraelis iverunt in arido per medium maris, quod ſignificet quod illi qui in bono veri & vero boni tuto tranſiverint inferni illius regionem, conſtat ex illis quæ n: 8099 & 8185, explicata ſunt.

8336. Verſ: 20. 21. *Et ſumſit Mirjam prophetiſſa ſoror Aharonis tympanum in manu ſua; & exiverunt omnes mulieres poſt illam in tympanis & choreis. Et reſpondit illis Mirjam, Cantate Jehovæ, quia exaltando exaltavit; equum & equitem ejus projecit in mare.* Et ſumſit Mirjam prophetiſſa ſoror Aharonis tympanum in manu ſua, ſignificat glorificationem Domini ex bono fidei: & exiverunt omnes mulieres poſt illam, ſignificat omnia bona veri: in tympanis & in choreis, ſignificat celebrationem ex gaudio & lætitia: & reſpondit illis Mirjam, ſignificat reciprocum: cantate Jehovæ, ſignificat quod Domino Soli gloria: quia exaltavit exaltando, ſignificat quod manifeſtaverit Divinum ſuum in Humano: equum & equitem ejus projecit in mare, ſignificat ex eo quod ex ſola præſentia Ipſius falſa fidei & mala vitæ ſe conjecerint in infernum.

8337. Et ſumſit Mirjam prophetiſſa ſoror Aharonis tympanum in manu ſua, quod ſignificet glorificationem Domini ex bono fidei, conſtat ex repræſentatione Mirjam, quod ſit bonum fidei, Moſcheh enim repræſentat Verum fidei quod immediate a Domino procedit, ita verum internum, Aharon autem verum fidei quod mediate a Domino procedit, ita verum externum, n: 7009. 7089. 7302, inde Mirjam eſt bonum fidei quod mediate a Domino procedit, viri enim cum repræſentant verum, mulieres illorum repræſentant bonum, n: 6014; quia Mirjam cum mulieribus bonum externum repræſentat, ideo additur ſoror Aharonis, & non dicitur ſoror Moſchis, bonum etiam & verum ſe habent ſicut ſoror & frater, n: 3160; at ſciendum, quod mulieres repræſentent bonum & viri verum cum agitur de Eccleſia ſpirituali, at mulieres repræſentant verum ac viri bonum ubi agitur de Eccleſia cœleſti, n: 4823; ex ſignificatione prophetiſſæ, quod ſit docens, de qua n: 2534. 7269, hic collaudans Dominum, ſeu quod idem, glorificans Ipſum ex bono fidei, quia cantavit Jehovæ, prout Moſcheh & viri ex Iſraele, quod cantare ſit glo-

 rificare,

rificare, videatur n: 8261. 8263. 8267; & ex ſignificatione ſumere tympanum in manu, quod ſit glorificare ex bono fidei, tympanum enim prædicatur de bono ſpirituali, ſeu quod idem, de bono fidei, n: 4138. Olim in cultu Divino adhibebantur plura genera inſtrumentorum muſicorum, ſed cum multa diſtinctione; in genere per Inflatoria exprimebantur affectiones boni, & per Chordacea affectiones veri, & hoc ex correſpondentia ſonori cujuſvis cum affectionibus: notum eſt, quod per quædam genera inſtrumentorum muſicorum exprimantur hæ affectiones naturales, per quædam illæ, & cum harmonium conveniens conſpirat, quod actualiter illas affectiones emoveant; qui gnari Muſices ſunt, hæc ſciunt, & quoque convenienter illa in uſum mittunt; cauſa hujus rei exiſtit ab ipſa natura ſonori, & ejus convenientia cum affectionibus: hoc homo didicerat primum non ex ſcientia & arte, ſed ex auditu & ejus exquiſito ſenſu: inde liquet quod id non veniat ex origine in naturali mundo, ſed ex origine in ſpirituali, & tunc ex correſpondentia rerum quæ ex ordine fluunt in naturali mundo cum rebus in mundo ſpirituali; ſonorum harmonicum & ejus varietates correſpondent ſtatibus gaudii & lætitiæ in ſpirituali, & ſtatus gaudii & lætitiæ ibi exiſtunt ab affectionibus, quæ in illo mundo ſunt affectiones boni & veri: inde nunc conſtare poteſt, quod inſtrumenta muſica correſpondeant jucundis & amænis affectionum ſpiritualium & cœleſtium, & quod quædam inſtrumenta his, quædam illis affectionibus, videatur quæ de his prius n: 418. 419. 420. 4138, dicta & oſtenſa ſunt. Quod tympanum in ſpecie attinet, correſpondet illud bono ſpirituali, hoc eſt, bono veri; cauſa eſt quia tympanum non eſt inſtrumentum chordaceum, nec eſt inflatorium, ſed quia eſt coriaceum, eſt chordaceum quaſi continuum, & quoque quia ſonorum ejus eſt gravius & altius ſonoro chordaceorum; hoc quoque conſtare poteſt ex Verbo, ubi tympanum nominatur, ut apud Eſaiam "*Ceſſabit gaudium tympanorum*, ceſſabit tumultus hilarium, ceſſabit gaudium citharæ" XXIV: 8, gaudium tympanorum pro jucundis affectionum boni fidei; gaudium citharæ pro jucundo affectionis veri fidei. Apud Jeremiam "Denuo ædificabo te, ut ædificata ſis, virgo Iſraelis, *denuo adornabis tympana tua*, & exibis *in choream* ludentium" XXXI: 4, adornare tympana pro glorificare Deum ex bono ſpirituali, agitur enim de Eccleſia ſpirituali, quæ eſt virgo Iſraelis. Similiter apud Sachariam "In Eden, horto Dei fuiſti: *opus tympanorum tuorum* & fiſtularum tuarum in te, in die quo creata es, præparata ſunt" XXVIII: 13, ibi de Tyro, per quam ſignificantur cognitiones boni & veri, & per tympana & fiſtulas illarum affectiones & harum gaudia. Apud Davidem "Viderunt greſſus tuos, Deus, greſſus Dei mei in ſanctuario: præcefferunt cantantes poſt pulſantes *in medio virginum tympanizantium*" Pſalm: LXVIII: 25. 26. Apud Eundem "Acclamate Deo Jacobi, extollite cantum, & *date tympanum*, citharam jucundam cum nablio" Pſalm: LXXXIII: 2. 3. Apud Eundem "Cantate Jehovæ Canticum novum, laudent Nomen Ipſius in chorea, *cum tympano* & cithara pſallent Ipſi" Pſalm: CXLIX: 1. 3, ibi laudare cum tympano pro glorificare ex jucundo affectionis boni fidei, & laudare cum cithara pro amæno affectionis veri fidei. Apud Eundem "*Lau-*

date

date Deum cum tympano & chorea, laudate Ipſum cum fidibus & organo, laudate Ipſum cum cymbalis ſoni, laudate Ipſum cum cymbalis clangoris" Pſalm: CL: 3. 4. 5, laudare cum tympano & chorea pro ex bono & vero fidei; ex fidibus & organo, pro ex veris & inde bono. Quia inſtrumenta quælibet correſpondentia ſignificabant jucunda & amæna affectionem ſpiritualium & cœleſtium, inde etiam pſalmis pluribus Davidis inſcriptum, ac indicatum quomodo pſallerentur; prout ſuper Neginoth, ſuper Nechiloth, ſuper Octava, Schigajon, Gitthith, Muthlabbean, Scheminith, Schuſchannin, Machalath.

8338. Et exiverunt omnes mulieres poſt illam, quod ſignificet omnia bona veri, conſtat ex ſignificatione mulierum, quod ſint affectiones boni, cum viri ſunt affectiones veri, de qua nunc ſupra n: 8337.

8339. In tympanis & choreis, quod ſignificet celebrationem ex gaudio & lætitia, conſtat ex ſignificatione tympani, quod prædicetur de affectione boni ſpiritualis, ſeu de bono veri, & quod ſignificet ejus jucundum ſeu gaudium, de qua mox ſupra n: 8337; & ex ſignificatione choreæ, quod prædicetur de affectione veri ſpiritualis, & quod ſignificet ejus amænum ſeu lætitiam, de qua ſequitur. Antiquis temporibus teſtificata fuit lætitia cordis non modo per inſtrumenta muſica & per cantus, ſed etiam per choreas; gaudia enim cordis ſeu interiora in corpore erumpebant in varios actus, ut in cantus & quoque in choreas: quia antiquis temporibus lætitiæ, quæ reliquis præcelluerunt, fuerunt lætitiæ ſpirituales, hoc eſt, ex affectionibus amorum ſpiritualium, quæ fuerunt boni & veri, ideo quoque tunc licuit cantibus & harmoniis muſicis adjungere choreas, & ſic quoque his modis teſtificari gaudium: inde eſt, quod choreæ in Verbo memorentur, & per illas ſignificantur lætitiæ affectionum veri ſeu fidei ex bono ſeu charitate; ut apud Jeremiam "Denuo adornabis tympana tua, *& exibis in choreas ludentium.* Fiet anima illorum ſicut hortus irriguus, & non addent dolere amplius, *tunc lætabitur virgo in chorea*, & adoleſcentes & ſenes ſimul" XXXI: 4. 12. 13. Apud Eundem "Ceſſabit gaudium cordis noſtri, *converſa eſt in luctum chorea noſtra*" Thren: V: 15. Apud Davidem "*Convertiſti luctum meum in choream mihi*" Pſalm: XXX: 12. Apud Eundem "*Laudent Nomen Ipſius in chorea*, cum tympano & cithara pſallent Ipſum" Pſalm: CXLIX: 3. Pſalm: CL: 4: quod etiam Gentiles in cultu ſuo divino luſerint & egerint choreas, conſtat in Exod: Cap: XXXII: 6. 19. Gaudium & lætitia dicitur, quia gaudium in Verbo prædicatur de bono & lætitia de vero; inde in verbo pluries dicitur gaudium & lætitia, utrumque ſimul; ut apud Eſaiam "Ecce *gaudium* & *lætitia* occidere bovem" XXII: 13. Apud Eundem "*Gaudium* & *lætitia* aſſequentur, & fugient triſtitia & gemitus" XXXV: 10. Apud Eundem "*Gaudium* & *lætitia* invenietur in Zione, confeſſio & vox cantus" LI: 3, 11. Apud Jeremiam "*Vox gaudii* & *vox lætitiæ*, & vox ſponſi & vox ſponſæ" XXIII: 11. Apud Sachariam "Jejunium decimi erit domui Jehudæ in *gaudium* & lætitiam" VIII: 19. Apud Davidem "Audire facies me *gaudium* & *lætitiam*" Pſalm: LI: 10: in his locis quia gaudium prædi-

cacur

catur de bono & lætitia de vero, utrumque dicitur, alioquin fuiſſet una vox ſatis; talis eſt loquutio ſancta, quæ in Verbo, ex cauſa ut in ſingulis ibi ſit conjugium cœleſte, hoc eſt, boni & veri, n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 4138 fin: 5138. 5502. 7945.

8340. Et reſpondit illis Mirjam, quod ſignificet reciprocum, conſtat ex ſignificatione reſpondere, cum agitur de glorificatione Domini per canticum, quod ſit reciprocum: apud Antiquos in cultu ſacro etiam ſolenne fuit cantare per choros, ut nempe unus aut aliqui eſſent qui reſponderent, per quæ repræſentabatur reciprocum, & reſponſum, quale eſt Eccleſiæ e cœlo, & cœli a Domino: tale ſignificatur apud Hoſcheam "Ego *reſpondebo*, & cantabo Ipſi" xiv: 9; & apud Moſchen "Tunc cecinit Iſrael canticum hoc, aſcende fons, *reſpondete ſuper eo*" Num: xxi: 17.

8341. Cantate Jehovæ, quod ſignificet quod Domino ſoli gloria, conſtat ex illis quæ ſupra n: 8263 explicata ſunt, ubi eadem verba.

8342. Quia exaltando exaltavit, quod ſignificet quod manifeſtaverit Divinum ſuum in Humano, conſtat ex illis ſupra n: 8264, ubi eadem verba.

8343. Equum & equitem ejus projecit in mare, quod ſignificet quod ex ſola præſentia Ipſius falſa fidei & mala vitæ ſe conjecerint in infernum, conſtat ex ſignificatione equi & equitis, quod ſint falſa ex malo, de qua n: 8146. 8148; & ex ſignificatione projicere in mare, quod ſit in infernum, de qua n: 8099. 8137. 8138; quod factum ſit ex ſola præſentia Domini, videatur n: 8137 fin: 8266. Dicitur quod falſa & mala ſe conjecerint in infernum, ex cauſa quia ipſa falſa ſunt & mala, quæ conjiciuntur in infernum, quæ trahunt ſecum illos quibus adhærent; fiunt enim homines, per malum vitæ, formæ falſorum ex malo, quare quum ipſa mala cum falſis dejiciuntur, etiam formæ, quibus adhærent, una detrahuntur; falſa enim & mala ſunt exhalationes ab infernis, & influunt apud illos, qui per mala vitæ fecerunt interiora ſua formas receptionis; quod omne cogitationis & voluntatis influat, bonum e cœlo, malum autem ex inferno, videatur n: 2886. 2887. 2888. 4151. 4249. 5846. 6189. 6213. 6191. 6193. 6203. 6206. 6324. 6325. 7147. 7343; inde nunc eſt, quod dicatur, quod falſa fidei & mala vitæ ſe conjecerint in infernum: idcirco Angeli, cum de infernis cogitant & loquuntur, de falſis & malis abſtracte ab illis qui ibi cogitant & loquuntur; nam Angeli removent ſemper ideas perſonæ, & manent in ideis rerum, n: 5225. 5287. 5424.

8344. Verſ: 22. 23. 24. 25. 26. *Et proficiſci fecit Moſcheh Iſraelem a mari Suph, & exiverunt ad deſertum Schur, & iverunt tres dies in deſerto, & non invenerunt aquas. Et venerunt ad Marah, & non potuerunt bibere aquas præ amaritudine, quia amaræ illæ, propterea vocavit nomen ejus Marah. Et murmuraverunt populus contra Moſchen, dicendo, quid bibemus. Et clamavit ad Jehovam, & monſtravit illi Jehovah lignum, & projecit ad aquas, & dulces factæ aquæ: ibi poſuit illum ſtatutum & judicium, & ibi tentavit illum. Et dixit, ſi audiendo audiveris vocem Jehovæ Dei tui, & rectum in oculis Ipſius feceris, & auſculta-*

auſcultaveris præceptis Ipſius, & cuſtodiveris omnia ſtatuta Ipſius, omnem morbum, quem poſui in Ægyptios, non ponam ſuper te, quia Ego Jehovah ſanator tuus. Et proficiſci fecit Moſcheh Iſraelem a mari Suph, ſignificat ſucceſſivum ſecundum ordinem Veri Divini, poſtquam tranſiverunt regionem inferni: & exiverunt ad deſertum Schur, ſignificat ſtatum tentationis in quem dein perducti: & iverunt tres dies in deſerto, & non invenerunt aquas, ſignificat quod vera deficerent, & tandem plane: & venerunt ad Marah, ſignificat ſtatum tentationis: & non potuerunt bibere aquas, præ amaritudine, quia amaræ illæ, ſignificat quod vera illis apparerent injucunda, quia abſque affectione boni: propterea vocavit nomen Marah, ſignificat ſtatum & quale illius tentationis: & murmuraverunt populus contra Moſchen, ſignificat indolentiam ex tentationis acerbitate: dicendo, quid bibemus, ſignificat quod non ſuſtineant vera, quia injucunda ex nulla illorum affectione: & clamavit ad Jehovam, ſignificat ſupplicationem ad dominum ex indolentia: & monſtravit illi Jehovah lignum, ſignificat quod Dominus bonum inſpiraverit: & projecit in aquas, ſignificat quo affecit vera: & dulces factæ aquæ, ſignificat quod inde vera jucunda facta: ibi poſuit illi ſtatutum & judicium, ſignificat verum ordinis tunc revelatum: & ibi tentavit illum, ſignificat quoad tentationes in genere: & dixit, ſignificat inſtructionem: ſi audiendo audiveris vocem Jehovæ Dei tui, ſignificat fidem præceptorum Domini: & rectum in oculis Ipſius feceris, ſignificat vitam ſecundum illa: & auſcultaveris præceptis Ipſius, ſignificat obedientiam & vitam ſecundum bona fidei quæ ſunt interiora Eccleſiæ: & cuſtodiveris omnia ſtatuta Ipſius, ſignificat vitam ſecundum vera fidei, quæ ſunt exteriora Eccleſiæ: omnem morbum, quem poſui in Ægyptios, non ponam ſuper te, ſignificat quod detinendi a malis quæ illis qui in fide ſeparata & in vita mali: quia Ego Jehovah ſanator tuus, ſignificat quod Dominus ſolus præſervet a malis.

8345. Et proficiſci fecit Moſcheh Iſraelem a mari Suph, quod ſignificet ſucceſſivum ſecundum ordinem Veri Divini, poſtquam tranſiverunt regionem inferni, conſtat ex ſignificatione proficiſci, quod ſit ſucceſſivum & continuum quoad vitam & ejus ordinem, de qua n: 4375. 4554. 4585. 5996. 8182; ex repræſentatione Moſchis, quod ſit Verum Divinum, de qua n: 7010. 7014. 7382; inde proficiſci fecit Moſcheh, ſignificat ſucceſſivum ſecundum ordinem veri Divini; ex repræſentatione Iſraëlis, quod ſint qui ab Eccleſia ſpirituali in terra inferiore detenti fuerunt ad adventum Domini, & tunc liberati, de qua n: 6854. 6514. 6854. 7828. 7932. 8018. 8321; & ex ſignificatione maris Suph, quod ſit infernum, ubi illi qui ab Eccleſia in fide ſeparata a charitate, & in vita mali, de qua n: 8099. 8137. 8148; quod illi, cum liberati, perducti fuerint per infernum, quod ſignificatur per mare Suph, videatur n: 8099.

8346. Et exiverunt ad deſertum Schur, quod ſignificet ſtatum tentationis in quem dein perducti, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit perduci; & ex ſignificatione deſerti Schur, quod ſit ſtatus tentationis; quod deſertum ſit ſtatus ſubeundi tentationem, videatur n: 6828. 8098, & quod Schur ſint

ſcientifica Eccleſiæ quæ nondum vitam ſunt adepta, n: 1928, ita talia quæ vitam adeptura ſunt per tentationes, nam vita ſpiritualis acquiritur per tentationes, quæ ſunt pugnæ ſpirituales ſeu pugnæ contra mala & falſa, ac per victorias in pugnis: quod qui ab Eccleſia ſpirituali poſt adventum Domini in mundum ſubiverint tentationes, & quod prius non potuerint, videatur n: 8159.

8347. Et iverunt tres dies in deſerto, & non invenerunt aquas, quod ſignificet quod vera deficerent, & tandem plane, conſtat ex ſignificatione trium dierum, quod ſit plenum, de qua n: 2788. 4495. 7715; ex ſignificatione deſerti, quod ſit ſtatus ſubeundi tentationes, de qua mox ſupra n: 8346; ex ſignificatione aquarum, quod ſint vera fidei, de qua n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668; inde non invenire aquas, eſt quod vera deficerent; quod plane deficerent, ſignificatur per ire tres dies: in deſerto dicitur, quia ibi tentati ſunt, ut ſequitur.

8348. Et venerunt ad Marah, quod ſignificet ſtatum tentationis, conſtat ex eo, quod ibi tentati ſint; quod etiam in ſequentibus dicitur his verbis "Ibi poſuit illi ſtatutum & judicium, *& ibi tentavit illum*" Verſ: 25.

8349. Et non potuerunt bibere aquas præ amaritudine, quia amaræ illæ, quod ſignificet quod vera illis apparerent injucunda, quia abſque affectione boni, conſtat ex ſignificatione bibere aquas, quod ſit recipere vera, & applicare illa ſub bono, de qua n: 3069. 5709; ex ſignificatione aquarum, quod ſint vera, de qua mox ſupra n: 8347; & ex ſignificatione amari, quod ſit injucundum, de qua n: 7854; inde patet, quod per non potuerunt bibere aquas præ amaritudine, quia amaræ illæ, ſignificetur quod vera illis apparerent injucunda; quod ſit quia abſque affectione boni, eſt quoniam omne jucundum veri exiſtit a bono; quod affectio veri originem ſuam ducat a bono, eſt quia bonum amat verum & verum bonum, ſunt enim bina illa ſicut conjugio conjuncta: notum eſt, quod unuſquiſque velit inſtrui in illis quæ amat & pro fine habe; qui amat bonum, hoc eſt, qui vult ex corde colere Deum, & benefacere proximo, is amat inſtrui in illis quæ ducunt ad illa, proinde in Veris; ex quibus conſtare poteſt, quod omnis affectio veri ſit ex bono: ſunt quidem qui male vivunt, & tamen volunt inſtrui in veris, ſed non eſt affectio veri apud illos, ſed ſolum affectio confirmandi doctrinalia Eccleſiæ, propter ſui gloriam, hoc eſt, famam, honores, lucrum; affectio veri genuina eſt velle ſcire quid verum propter vitam in mundo, & propter vitam æternam: hi in tententationum veniunt, quando illis vera incipiunt deficere, & magis quando vera quæ ſciunt apparent injucunda; tentatio illa originem ducit ex eo, quod intercepta ſit communicatio cum bono; hæc communicatio intercipitur, ut primum homo venit in ſuum proprium, nam ſic illabitur in malum amoris ſui aut mundi, illo ſtatu emergit, vera fiunt jucunda: hoc intelligitur in ſequentibus per quod aquæ amaræ ſanatæ ſint per lignum illis injectum, nam per lignum ſignificatur bonum.

8350. Propterea vocavit nomen Marah, quod ſignificet ſtatum & quale illius

illius tentationis, conſtat ex eo, quod nomina quæ induntur rebus, de quibus in Verbo, comprehendant quale & ſtatum rei, de qua agitur, n: 2643. 3422. 4298. 4442; hic itaque Marah ſignificat quale & ſtatum tentationis, de qua in his Verſibus agitur; Marah etiam ſignificat amarum.

8351. Et murmuraverunt populus contra Moſchen, quod ſignificet indolentiam ex tentationis acerbitate, conſtat ex ſignificatione murmurare, quod ſit querimonia, qualis in tentationibus, ita indolentia ex tentationis acerbitate. Tentationes, quæ ſubiverunt illi qui ab Eccleſia ſpirituali Domini, poſtquam liberati ab infeſtationibus, tum quoque tentationes quas ſubituri qui ab illa Eccleſia, deſcribuntur per murmurationes filiorum Iſraelis in deſerto; & quia tentationes ſpirituales communiter perducuntur ad deſperationem, n: 1787. 2694. 5279. 5280. 7147. 7166. 8165, ideo per murmurare ſignificatur querimonia ex indolentia in tentationibus, ut Exod: xvi: 2. 3. Cap: xvii: 3. Num: xiv: 27. 29. 36. Cap: xvi: 11: contra Moſchen dicitur, quia contra Divinum, nam per Moſchen repræſentatur Divinum Verum, n: 6723. 6752. 6771. 6827. 7010. 7014. 7089. 7382. Quod tentationes attinet, quas ſubiverunt qui ab Eccleſia ſpirituali, & quas ſubituri qui ab illa Eccleſia, ſciendum quod fides nuſquam implantari queat illis qui ab Eccleſia ſpirituali, quam per tentationes, ita nec charitas; nam in tentationibus eſt homo in pugna contra falſum & malum; hæc, nempe falſum & malum, influunt in externum hominem ab infernis, bonum autem & verum influunt per internum a Domino; ita ex pugna interni hominis cum externo, quæ vocatur tentatio; & quantum tunc homo externus redigitur ad obedientiam ſub interno, tantum implantatur fides & charitas; eſt enim externum ſeu naturale hominis receptaculum veri & boni ab interno; ſi receptaculum non eſt accommodatum, non recipit aliquid quod influit ab interiori, ſed id vel rejicit, vel exſtinguit, vel ſuf at, unde nulla regeneratio: inde eſt, quod tentatio erit, ut regeneratur homo, quod fit per implantationem fidei & charitatis, & ſic per formationem novæ voluntatis & novi intellectus; quare etiam Eccleſia Domini dicitur pugnans: videantur quæ de his prius, n: 3928. 4249. 4341. 4572. 5356. 6574. 6611. 6657. 7090 fin: 7122. 8159. 8168. 8179. 8273, dicta & oſtenſa ſunt.

8352. Dicendo, quid bibemus, quod ſignificet quod non ſuſtineant vera quia injucunda ex nulla illorum affectione, conſtat ex ſignificatione bibere, quod ſit inſtrui in veris, ac illa recipere, tum quoque illis affici, & inde ſibi illa appropriare, de qua n: 3069. 3168. 3772. 4017. 4018, hic illa non ſuſtinere, ex cauſa quia injucunda propter nullam affectionem boni, quæ ſignificantur per quod aquæ amaræ eſſent, ſecundum illa quæ ſupra n: 8349, explicata ſunt. Tentatio hæc in eo conſiſtit, quod querantur & indoleant quod vera, quæ prius illis jucunda fuerunt, & quæ ſic fecerunt vitam ſpiritualem ſeu vitam cœli illorum, nunc illis appareant injucunda, uſque adeo ut vix poſſint illa ſuſtinere. Mere naturalis homo crederet, quod tale nihil doloris poſſet cauſari, cogitat enim quid mihi cum veris, ſive jucunda ſive injucunda

ſint, ſi injucunda, rejiciantur; at ſpiritualis homo prorſus aliter ſentit; jucundum vitæ illius eſt inſtrui in veris & illuſtrari in talibus quæ animæ ejus ſunt, ita quæ vitæ ſpiritualis, quare cum illa deficiunt, laborat & patitur vita illa, inde dolor & anxietas; cauſa eſt, quod affectio boni jugiter influat per internum hominem a Domino, & excitet in externo convenientia, quæ prius cauſata ſunt jucundum affectionis veri, quæ cum impugnantur a malis amoris ſui & mundi, quæ prius etiam ut jucunda perceperat, inde conflictio jucunditatum ſeu affectionum, ex qua anxietas, & ex hoc indolentia & querimonia. Paucis dicetur, quomodo cum tentatione, quæ exiſtit per deficientiam veri, ſe habet, nutritio vitæ ſpiritualis eſt bonum & verum, ſicut nutritio vitæ naturalis eſt cibus & potus; ſi deficit bonum eſt ſicut deficit cibus, & ſi deficit verum eſt ſicut deficit potus; indolentia inde ſe habet ſicut indolentia ex fame & ſiti: comparatio hæc eſt ex correſpondentia, cibus enim correſpondet bono, & potus vero, & quia correſpondentia eſt, etiam cibus & potus nutriunt corpus melius & convenientius, cum homo ad cænam aut prandium ſimul eſt in jucundo loquelæ cum aliis de talibus quæ amat, quam cum ſolus abſque conſortio ad menſam ſedet; cum homo in hoc ſtatu eſt, tunc apud illum vaſa recipientia cibi conſtricta ſunt, at cum in illo ſtatu eſt, tunc eadem aperta ſunt; talia facit correſpondentia cibi ſpiritualis & cibi naturalis: dicitur jucundum loquelæ cum aliis de talibus quæ amat, quia omne id ſe refert ad bonum & verum, non enim datur aliquid in mundo, quod non ad utrumque hoc ſe refert, ad bonum apud hominem ſe refert id quod amat, & ad verum quod inſtruit de bono, & ſic cum illo ſe conjungit.

8353. Et clamavit ad Jehovam, quod ſignificet ſupplicationem ad Dominum ex indolentia, conſtat ex ſignificatione clamare, quod ſit imploratio, de qua n: 6801, & quoque lamentatio interior, n: 7782, inde etiam eſt ſupplicatio ex indolentia: quod Jehovah in Verbo ſit Dominus, videatur n: 8261.

8354. Et monſtravit illi Jehovah lignum, quod ſignificet quod Dominus bonum inſpiraverit, conſtat ex ſignificatione monſtrare, cum a Jehovah, hoc eſt, Domino, quod ſit dare perceptionem, quod quia fit per influxum, eſt inſpirare; & ex ſignificationi ligni, quod ſit bonum, de qua n: 643. 2784. 2812. 3720.

8355. Et projecit in aquas, quod ſignificet quo affecit vera, conſtat ex ſignificatione projicere lignum in aquas, cum lignum eſt bonum & aquæ ſunt vera, quod ſit bono afficere vera; quod lignum ſit bonum, videatur mox ſupra n: 8354, & quod aquæ ſint vera, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8349.

8356. Et dulces factæ aquæ, quod ſignificet quod inde vera jucunda facta, conſtat ex ſignificatione dulcis, quod ſit jucundum, nam dulce in ſpirituali ſenſu eſt dulce vitæ, quod unum eſt cum jucundo; & ex ſignificatione aquarum, quod ſint vera, de qua mox ſupra n: 8355. Cum hoc ita ſe habet; quod homo afficiatur vero eſt ex bono, nam bonum & verum conjuncta ſunt

ſicut

ſicut conjugio, proinde amat unum alterum ſicut conjux conjugem, inde quoque conjunctio boni & veri comparatur in Verbo conjugio, ac vera & bona quæ inde naſcuntur vocantur filii & filiæ: ex his conſtare poteſt, quod jucundum affectionis veri non aliunde cauſam ducat quam a bono; hoc etiam ab experientia patet, qui enim in bono vitæ ſunt, hoc eſt, qui amant Deum & proximum, illi etiam amant vera fidei; inde eſt, quod quamdiu bonum influit & recipitur, tamdiu verum appareat jucundum; ſed ut primum bonum non influit, hoc eſt, ut primum malum prædominari & influxum boni arcere incipit, illico pro vero ſentitur injucundum; nam verum & malum ſe mutuo rejiciunt & averſantur. Ex his nunc conſtare poteſt, cur juſſum ut in aquas amaras projiceretur lignum, tum cur aquæ illæ ex injecto ligno dulces factæ ſunt: hæc nequaquam a Divino mandata fuiſſent, niſi talia ſignificaviſſent, nam Divinum potuit abſque ligno medio aquas illas dulces reddere.

8357. Ibi poſuit illi ſtatutum & judicium, quod ſignificet verum ordinis tunc revelatum, conſtat ex ſignificatione ſtatuti, quod ſit verum Eccleſiæ externum; & ex ſignificatione judicii, quod ſit verum Eccleſiæ internum; inde ponere alicui ſtatutum & judicium, eſt ordinare ſecundum vera, conſequenter revelare illa; quod ſtatutum ſit verum ordinis externum, eſt quia omne externum Eccleſiæ dictum fuit ſtatutum, & omne verum ordinis internum dictum fuit judicium.

8358. Et ibi tentavit illum, quod ſignificet quoad tentationes in genere, conſtat ex illis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur; in illis quæ præcedunt, actum eſt de tentatione prima in deſerto; in illis quæ ſequuntur agitur de inſtructione quomodo vivent, ut in tentationibus non ſuccumbant.

8359. Et dixit, quod ſignificet inſtructionem, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah de vero ordinis quoad tentationis, quod ſit inſtructio, ut quoque n: 6879. 6881. 6889. 6891. 7186. 7287. 7304. 7380. 7517. 8127.

8360. Si audiendo audiveris vocem Jehovæ Dei tui, quod ſignificet fidem præceptorum Domini, conſtat ex ſignificatione audire, quod ſit apperceptio & fides, de qua n: 3921. 5017. 7216; & ex ſignificatione vocis Jehovæ, quod ſit enuntiatum ex verbo, ita præceptum Domini, de qua n: 6971.

8361. Et rectum in oculis illius feceris, quod ſignificet vitam ſecundum illa, conſtat ex ſignificatione rectum facere, quod ſit vivere ſecundum dictamen veri; & ex ſignificatione in oculis Jehovæ, quod ſit coram Domino, ita ſecundum præcepta Ipſius, nam Dominus eſt in præceptis ſuis cum vivitur ſecundum illa; is quoque dicitur in oculis Domini eſſe, qui in fide in Ipſum eſt. Quod vocem audire attinet, ſignificat ille proprie obedientiam, n: 2542. 3869. 5017; ſed cum quoque dicitur facere, ut hic, tunc audire ſignificat fidem, & facere vitam; ut conſtare poteſt a Domini verbis; apud Matthæum "Omnis *qui audit mea verba*, & *facit ea*, comparabo viro prudenti, at omnis *audiens verba mea*, *ſed non faciens ea*, comparabitur viro ſtulto" VII: 24.

24. 26. Apud Lucam "Omnis qui venit ad Me, & *audit ſermones meos facitque eos*, monſtrabo vobis cui ſimilis eſt" VI: 47. Apud Eundem "Semen quod in terra bona, hi ſunt qui in corde ſimplici & bono *audiunt verbum*, retinent, & *fructum faciunt* in patientia" VIII: 15. Apud Eundem "Jeſus dixit, Mater mea & fratres mei hi ſunt, *qui audiunt verbum Dei & faciunt illud*" VIII: 23; in his locis audire ſignificat percipere, intelligere & fidem habere, & facere ſignificat vivere ſecundum illa: at ubi audire dicitur, & non ſimul facere, tunc audire ſignificat fidem voluntate & actu, ita obedientiam; cauſa eſt, quia quod auditur hoc tranſit in viſum internum qui intellectus, & ibi excipitur a voluntate, & tranſit ſicut per circulum in actum; inde voci audire ineſt ex natura ſignificatio obedientiæ, prout audire aut auſcultare alicui, videatur n: 4652 ad 4660.

8362. Et auſcultaveris præceptis Ipſius, quod ſignificet obedientiam & vitam ſecundum bona fidei, quæ ſunt interiora Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione auſcultare, quod ſit obedientia & vita; & ex ſignificatione præceptorum, quod ſint vera Verbi interna, de qua n: 3382, ita vera fidei quæ ſunt interiora Eccleſiæ; hæc vocantur bona fidei; nam ſunt voluntates.

8363. Et cuſtodiveris omnia ſtatuta Ipſius, quod ſignificet vitam ſecundum vera fidei, quæ ſunt exteriora Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione cuſtodire, quod etiam ſit vivere; & ex ſignificatione ſtatutorum, quod ſint vera Verbi externa, de qua n: 3382. 8357, ita vera fidei quæ ſunt exteriora Eccleſiæ. Pluribus in locis in Verbo nominantur ſtatuta & præcepta, & cum unum cum altero dicitur, tunc ſtatutum ſignificat externum Eccleſiæ, & præceptum internum illius.

8364. Omnem morbum quem poſui in Ægyptios, non ponam ſuper te, quod ſignificet quod detinendi a malis quæ illis qui in fide ſeparata & in vita mali, conſtat ex ſignificatione morbi, quod ſit malum, de qua ſequitur; ex repræſentatione Ægyptiorum, quod ſint qui in fide ſeparata & in vita mali, de qua n: 7097. 7317. 7926. 8148; & ex ſignificatione non ponere ſuper te, cum dicitur de morbo, per quem ſignificatur malum, quod ſit quod detinendi a malo, nam Jehovah, hoc eſt, Dominus, non aufert malum, ſed detinet hominem ab illo, & tenet in bono, n: 929. 1581. 2256. 2406. 4564. 8206; inde eſt, quod per non ponere morbum ſuper illos, ſignificetur quod detinendi a malis. Quod morbus ſit malum, eſt quia in ſenſu interno ſignificantur talia quæ afficiunt vitam ſpiritualem; morbi, qui illam afficiunt, ſunt mala, & vocantur cupiditates & concupiſcentiæ: vitam ſpiritualem facit fides & charitas, illa vita ægrotat cum falſum eſt loco veri quod fidei, & malum loco boni quod charitatis, hæc enim perducant illam vitam ad mortem, quæ vocatur mors ſpiritualis, & eſt damnatio, ſicut morbi perducunt vitam naturalem ad ſuam mortem; inde eſt, quod per morbum in ſenſu interno ſignificetur malum, & per morbos Ægyptiorum mala in quæ illi qui in fide ſeparata & in vita mali, ſe conjecerunt, per quod infeſtaverint probos; quæ mala in præcedentibus ubi de plagis in Ægypto actum eſt. Mala intelligun-

tur

tur per morbos etiam alibi in Verbo, ut apud Moſchen "Si cuſtodiveris *præcepta* & *ſtatuta*, & *judicia*, quæ Ego præcipiens tibi hodie, *removebit* Jehovah a te *omnem morbum*, & *omnes languores Ægypti malos*, quos noſti, *non ponet ſuper te*, ſed dabit eos ſuper oſores tuos" Deut: VII: 11. 15. Apud Eundem "Si non obediveris voci Jehovæ Dei tui, cuſtodiendo ad faciendum *omnia præcepta Ipſius* & *ſtatuta Ipſius*, mittet Jehovah in te maledictionem, conturbationem, & increpationem, in omni miſſione manus tuæ, quam facies, uſque dum perdaris; propter malitiam operum tuorum, quibus deſeruiſti Me, *adhærere faciet* Jehovah *tibi peſtem*, donec conſumſerit te deſuper terra; *percutiet te* Jehovah *tabe*, & *febri calida*, & *febri ardente*, & *febri æſtuante*, & *ſiccitate*, & *uredine*, & *aurigine*, quæ perſequentur te, uſque dum pereas: *percutiet te* Jehovah *ulcere Ægypti*, & *hæmorrhoidibus*, & *ſcabie*, & *prurigine*, ut non poſſis ſanari: *percutiet te* Jehovah *furore*, & *cæcitate*, & *ſtupore cordis*: fies *inſanus* ab aſpectu oculorum tuorum: *percutiet te* Jehovah *ulcere malo*, *ſuper genubus*, & *ſuper femoribus*, a quibus non poſſis ſanari, a vola pedis uſque ad verticem tuum: *rejiciet in te omnem languorem Ægypti*, etiam *omnem morbum* & *omnem plagam*, quæ non ſcripta in Libro Legis hujus: *dabit tibi* Jehovah *cor trepidans*, *conſumtionem oculorum*, & *dolorem animæ*" Deut: XXVIII: 15. 20. 21. 22. 27. 28. 34. 35. 60. 61. 65; per omnes morbos hic nominatos ſignificantur morbi ſpirituales, quæ ſunt mala deſtruentia vitam voluntatis boni, & falſa deſtruentia vitam intellectus veri, verbo deſtruentia vitam ſpiritualem quæ eſt fidei & charitatis; morbi naturales etiam talibus correſpondent, nam omnis morbus in Genere humano eſt inde, quia ex peccato, n: 5712. 5726; unuſquiſque etiam morbus correſpondet ſuo malo; cauſa eſt, quia omne vitæ hominis eſt ex ſpirituali mundo; quare ſi vita ejus ſpiritualis ægrotat, etiam derivatur inde malum in vitam naturalem, quod ibi fit morbus; videantur quæ de Correſpondentia morborum cum malis ab experientia n: 5711 ad 5727. Similia per morbos ſignificantur alibi, ut apud Moſchen "Coletis Jehovam Deum veſtrum, ut benedicat pani tuo & aquis tuis, & *amoveam morbum e medio tui*" Exod: XXIII: 25. Apud Eundem "Si *ſtatuta mea* reprobaveritis, ſique judicia mea faſtidiverit anima veſtra ut non faciatis omnia *præcepta mea*, dum irritum feceritis fædus meum, mandabo ſuper vobis *terrori*, cum *tabe*, & *cum ardente febri*, *quæ conſumtura oculos*, & *cruciatura animam*" Levit: XXVI: 15. 16; tales pro decreſcentia veri & increſcentia falſi; ardens febris pro cupiditate mali. Porro apud Eſaiam "Quare addetis receſſionem, *totum caput in morbum*, & *totum cor languidum*, a vola pedis uſque ad caput non in eo integritas, *vulnus*, & *cicatrix*, & *plaga recens*, non expreſſa, & non obligata, & non emollita olea" I: 6, quod hic per morbum, vulnus, cicatricem, & plagam, intelligantur peccata, neminem latet. Similiter apud Ezechielem "Væ paſtoribus Iſraelis, *oves infirmas* non confirmaſtis, *ægrotum non ſanaſtis*, & fractam non obligaſtis" XXXIV. 4. Apud Davidem "Iniquitates meæ tranſiverunt caput meum, *computruerunt*, *contabuerunt vulnera mea*, propter ſtultitiam meam, *nam inteſtina mea repleta ſunt ardore*; *nec integritas in carne mea*" Pſalm: XXXVIII: 5. 6. 7.

Quia

Quia per morbos ſignificantur vitia & mala vitæ ſpiritualis, idcirco per morborum varia genera ſignificantur etiam varia genera vitiorum & malorum illius vitæ; quod per peſtem ſignificetur vaſtatio boni & veri, videatur n: 7102. 7505; & quod per lepram, prophanatio veri, n: 6963. Quod in genere per morbos ſignificentur peccata, conſtare etiam poteſt apud Eſaiam "*Vir dolorum, & notus morbi*; unde quaſi occultatio facierum ab Ipſo, contemtus, ut non reputaverimus Ipſum: veruntamen *morbos noſtros ille tulit*, & *dolores noſtros portavit*, & *per vulnera Ipſius* ſanitas data nobis" LIII: 3. 4. 5, ubi de Domino. Quia morbi repræſentabant iniqua & mala vitæ ſpiritualis, idcirco per morbos, quos Dominus ſanavit, ſignificat liberatio a variis generibus mali & falſi, quæ Eccleſiam & Humanum Genus infeſtabant, & quæ mortem ſpiritualem inductura eſſent; miracula enim Divina a miraculis aliis diſtinguuntur per id, quod illa involvant & ſpectent ſtatus Eccleſiæ & Regni cœleſtis; propterea miracula Domini imprimis fuerunt ſanationes morborum; hæc intelliguntur per Domini verba ad diſcipulos a Johanne miſſos "Annuntiate Johanni, quæ auditis & videtis, *cæci vident*, & *claudi ambulant*, *leproſi mundantur*, & *ſurdi audiunt*, *mortui reſurgunt*, & pauperes audiunt evangelium" Matth: XI: 4. 5: inde eſt, quod toties dicatur, quod Dominus *omnem morbum & languorem ſanaverit*" Matth: IV: 23. Cap: IX: 35. Cap: XIV: 14. 35. 36. Luc: IV: 40. Cap: V: 15. Cap: VI: 17. Cap VII: 21. Marc: I: 32. 33. 34. Cap: III: 10.

8365. Quia Ego Jehovah ſanator tuus, quod ſignificet quod Dominus ſolus præſervet a malis, conſtat ex ſignificatione ſanare, quod ſit mederi & quoque præſervare a malis, nam cum morbi ſignificant mala, ſanare ſignificat medelam & præſervationem ab illis; ut quoque pluries in Verbo, ut apud Moſchen "Ego occido & vivifico, percutio & *ſano*" Deut: XXXIII: 39. Apud Jeremiam "*Sana me Jehovah, ut ſaner, ſerva me ut ſerver*" XVII: 14. Apud Eundem "*Aſcendere faciam ſanitatem tibi, & a plagis tuis ſanabo te*" XXX: 17. Apud Davidem "Totum cubile ejus vertiſti *in morbo ejus*; ego dixi, Jehovah, miſerere mei, *ſana animam meam quia peccavi tibi*" Pſalm: XLI: 4. 5; præter multis aliis in locis, ut Eſai: VI: 10. Cap: LIII: 5. Cap: LVII: 18. 19. Jerem: III: 22. Cap: XVII: 14. Hoſch: VI: 1. Cap: VII: 1. Cap: XI: 3. Cap: XIV: 5. Zachar: XI: 16. Pſalm: XXX: 2, & alibi; & quia ſanare id ſignificabat, etiam Dominus ſe vocat Medicum "*Non opus habent valentes Medico*; ſed male habentes; non veni vocare juſtos ſed peccatores ad pænitentiam" Matth: IX: 12. 13. Marc: II: 17. Luc: V: 31. 32.

8366. Verſ: 27. *Et venerunt ad Elim, & ibi duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtrametati ſunt ibi juxta aquas.* Et venerunt ad Elim, ſignificat ſtatum illuſtrationis & affectionis, ita conſolationis poſt tentationem: & ibi duodecim fontes aquarum, ſignificat quod illis ibi vera in omni copia: & ſeptuaginta palmæ, ſignificat veri bona ſimiliter: & caſtrametati ſunt ibi juxta aquas, ſignificat quod poſt tentationem ordinata vera fidei per bonum amoris.

8367.

8367. Et venerunt ad Elim, quod ſignificet ſtatum illuſtrationis & affectionis, ita conſolationis poſt tentationem, conſtat ex ſignificatione Elim, quod involvat & ſignificet ſtatum & quale rei, de qua agitur, ſicut omnia alia loca, ad quæ venerunt filii Iſraelis, videatur n: 2643. 3422. 4298. 4442, hi ſtatum poſt tentationem, nempe ſtatum illuſtrationis & affectionis, ita conſolationis; nam poſt omnem tentationem ſpiritualem venit illuſtratio & affectio, ita amænum & jucundum, amænum ex illuſtratione per verum, & jucundum ex affectione boni; quod ſuccedat conſolatio poſt tentationes, videatur n: 4572. 5246. 5628. 6829; cauſa eſt, quia per tentationes implantantur vera & bona, & conjunguntur; inde homo quod ſpiritum ſuum interius in cœlum introducitur, adque ſocietates cœleſtes cum quibus prius fuerat; cum tentatio finita eſt, aperitur communicatio cum cœlo, quæ prius quoad partem clauſa fuit, inde illuſtratio & affectio, proinde amænum & jucundum; nam angeli tunc, cum quibus datur communicatio, influunt per verum & per bonum Illuſtratio per verum & inde amænum, ſignificatur per duodecim fontes aquarum, nam fontes ſignificant vera, affectio veri ex bono & inde jucundum, ſignificatur per ſeptuaginta palmas, de quibus ſequitur.

8368. Et ibi duodecim fontes aquarum, quod ſignificet quod illis ibi vera in omni copia, conſtat ex ſignificatione duodecim, quod ſint omnia in complexu, de qua n: 2089. 2129 f. 2130 f. 3272. 3858. 3913. 7973, ita omnis copia; & ex ſignificatione fontium, quod ſint vera fidei, de qua n: 2702. 3096. 3424. 4861; inde patet, quod per duodecim fontes aquarum ſignificentur vera in omni copia: ex quibus ſequitur, quod per illa verba etiam ſignificetur illuſtratio ac inde amænum, nam cui vera ſunt in omni copia, ei quoque eſt illuſtratio, & cui illuſtratio, ſi deſiderat verum ex affectione, illi eſt amænum.

8369. Et ſeptuaginta palmæ, quod ſignificet veri bona ſimiliter, nempe in omni copia, conſtat ex ſignificatione ſeptuaginta, quod ſint omnia in complexu, ſimiliter ac duodecim, de qua n: 7973; & ex ſignificatione palmarum, quod ſint bona ſpiritualis Eccleſiæ, quæ ſunt bona veri; & quia per palmas bona ſignificantur, etiam per illas ſignificatur affectio boni, & inde jucundum, nam ex affectione boni eſt omne jucundum: quia id per palmas ſignificabatur, ideo etiam palmæ adhibebantur in feſtivitatibus ſanctis, ut in feſto tabernaculorum, ſecundum hæc apud Moſchen "Accipietis vobis in die primo fructum arboris honoris, *ſpathas palmarum*, & ramum arboris denſæ, & ſalices torrentis; & *lætemini coram Jehovah* Deo veſtro ſeptem diebus" Levit: XXIII: 40, per fructum arboris honoris ſignificatur bonum cœleſte; per palmas bonum ſpirituale ſeu bonum veri; per ramum arboris denſæ verum ſcientificum; & per ſalices torrentis vera infima naturalis; ita per quatuor illa ſignificantur omnia bona & vera in ſuō ordine. Quod palmæ feſtivitatem ſanctam quæ ex bono, ſignificaverint, conſtat quoque ex his apud Johannem "Multa turba, quæ venerat ad feſtum, cum audirent, quod veniret Jeſus in Hieroſolymam, *ſumſerunt termites palmarum*, & iverunt obviam Ipſi, & clamaverunt, Oſanna, benedictus qui venit in Nomine Domini,

Rex

Rex Iſraelis" XII: 12. 13: & apud Eundem in Apocalypſi "Vidi, cum ecce turba multa, ſtantes coram throno, & coram Agno, induti ſtolas albas, & *palmæ in manibus illorum*" VII: 9. Apud Joelem "Vitis exaruit, & ficus languet, malus punica, *etiamque palma, exaruit omne gaudium* de filiis hominis" I: 12. Apud Davidem "*Juſtus ſicut palma florebit,* ſicut cedrus in Libano creſcet" Pſalm: XCII: 13, hic palma pro bono, & cedrus pro vero. Quia palma ſignificat bonum, etiam ſignificat ſapientiam, nam ſapientia eſt boni; illam ſignificabant palmæ, quæ una cum cherubis & floribus ſculptæ fuerunt ſuper parietibus Templi; Templum enim ſignificabat Ipſum Dominum, & in ſenſu repræſentativo cœlum, n: 2777. 3720, Cherubi, palmæ & flores ſuper parietibus ſignificabant Providentiam, Sapientiam, & Intelligentiam, quæ a Domino, ita omnia quæ cœli ſunt: quod illa parietibus Templi inſculpta ſint, conſtat in Libro 1 Regum "Salomo omnes parietes Domus in circuitu *ſculpſit aperturis ſculpturarum Cheruborum* & *Palmarum*, & *aperturis florum*; & ſuper binas fores ex lignis olei, *ſculpſit ſculpturas Cheruborum*, & *Palmarum*, & *aperturas florum*, & obduxit auro, ita ut diduceret *ſuper Cherubos* & *ſuper palmas* aurum" VI: 29. 32; per ſculpturas illas repræſentatus eſt ſtatus Cœli, per Cherubos Providentia Domini, ita quod ab Ipſo omnia; quod Cherubi ſint Providentia, videatur n: 308, per Palmas ſapientia, quæ eſt boni a Domino, & per Flores intelligentia quæ eſt Veri ab Ipſo; per aurum, quo obducebantur Cherubi & palmæ, ſignificabatur bonum amoris, quod in cœlis eſt univerſaliter regnans, quod aurum ſit bonum amoris, videatur n: 113. 1551. 1552. 5658: ideo quoque, ubi de Novo Templo, per quod ſignificatur cœlum Domini, agitur apud Ezechielem, dicitur, quod *Cherubi* & *palmæ* eſſent ſuper parietibus ubique" XLI: 17. 18. 20. 25. 26.

8370. Et caſtrametati ſunt ibi juxta aquas, quod ſignificet quod poſt tentationem ordinata vera fidei per bonum amoris, conſtat ex ſignificatione caſtrametari, quod ſit ordinatio veri & boni, de qua n: 8103 fin: 8130. 8131. 8155; & ex ſignificatione aquarum, quod ſint vera fidei, de qua n: 2702. 3058. 3474. 4976. 5668; quod per caſtrametati ibi juxta aquas, ſignificetur quod ordinata ſint vera fidei per bonum amoris, eſt quia per caſtra ſignificantur vera & bona, n: 8193. 8196, & per caſtrametari ordinatio illorum, & per juxta aquas, ſecundum vera quæ a Divino: per bonum amoris dicitur, quia omnis ordinatio verorum fit per bonum amoris, eſt enim bonum ſub quo & ſecundum quod vera ſe applicant, & faciunt cum bono ſicut unum corpus; ad imaginem hominis, in quo ſunt, dicitur, quia imago ſpiritus hominis, qui eſt ipſe homo, nam eſt internus homo, eſt prorſus ſecundum ordinationem verorum a bono apud illum; inde eſt, cum angeli ſiſtuntur præſentes, quod ſphæra boni amoris ex illis exundet, & afficiat præſentes, & vera fidei eluceſcant ex faciebus illorum; in ſpirituali mundo talia apparent & percipiuntur manifeſte. Dicitur, quod ordinatio illa fiat poſt tentationem, quoniam bona & vera implantantur homini per tentationes, ſed non ordinantur

tur quam poſtea; ſtatus enim tentationis eſt turbulentus, at ſtatus poſt tentationem eſt tranquillus; in tranquillo fit ordinatio; idcirco etiam poſt tentationes ſuccedit amænum ex illuſtratione a vero, & jucundum ex affectione boni, de qua re mox ſupra n: 4367.

Continuatio De Spiritibus & Incolis Telluris Jovis.

8371. PORRO a *Spiritibus, qui ex illa Tellure, informatus ſum de variis, quæ apud Incolas ibi, ut de illorum greſſu, de cibis, & domiciliis, & ſimilibus. Quod Greſſum illorum concernit, non ambulant erecti, ſicut incolæ hujus telluris & plurium aliarum, nec repunt more animalium, ſed cum gradiuntur, adjuvant ſe palmis, & alternis vicibus ſe ad dimidium ſuper pedes elevant, & quoque in gradiendo quovis tertio paſſu facie ſpectant ad latus & poſt ſe, & tunc etiam paulum inflectunt corpus, quod fit repente; nam apud illos indecorum eſt, ab aliis ſpectare quam a facie.*

8372. *Cum ita ambulant, ſemper tenent faciem antrorſum, & ſic ante ſe ſpectant, nuſquam deorſum ſeu ad terram; ſpectare deorſum, vocant damnatum; viliſſimi apud illos hoc faciunt; qui ſi non adſueſcunt ſpectare antrorſum, e ſocietate illorum exterminantur.*

8373. *Cum autem ſedent, apparent ſicut homines noſtræ Telluris quoad ſuperiorem partem corporis erecti, ſed ſedent decuſſatim quoad pedes: ſollicite cavent, non modo cum ambulant, ſed etiam cum ſedent, ne ſpectentur a tergo, ſed a facie; libenter etiam volunt, ut facies ſuæ videantur, quia inde mens eorum apparet; nam nuſquam alienam a mente faciem oſtendunt, quod nec poſſunt; præſentes ſciunt etiam manifeſte inde, quo animo erga ſe ſunt, quod nec abſcondunt; imprimis num apparens amicum ex ſincero ſit, vel num ex ſimulato.*

8374. *Hæc mihi oſtenſa ſunt ab eorum ſpiritibus, & confirmata ab eorum Angelis: inde quoque eorum ſpiritus videntur non ſicut alii erectim ambulare, ſed pæne ſicut natatores in aquis progreſſum adjuvare manibus, ac per vices circumſpicere.*

8375. *Qui in Zonis illorum calidis vivunt, nudi vadunt, uſque tamen cum velamine circum lumbos; nec erubeſcunt nuditatem; nam*

mentes illorum caſtæ ſunt, nec amant niſi conjuges, & adulteria abhorrent. Maxime mirati ſunt, quod Spiritus noſtræ telluris, cum viderent illos ita ambulantes, & quoque nudos, illos ſubſannarent, & quoque cogitarent laſcive; & quod prorſus nihil attenderint ad vitam illorum cœleſtem, ſed modo ad talia: dicebant, quod hoc ſignum ſit, quod corporea & terreſtria præ cœleſtibus illis curæ ſint, & quod indecentia occupent mentes. Dictum eſt illis, quod nuditas non pudori ſit nec ſcandalo illis qui in caſtitate & ſtatu innocentiæ vivunt, ſed quod illis qui in laſcivia & impudicitia.

8376. *Quando incolæ telluris illius cubant in lecto, convertunt faciem ſuam antrorſum, ſeu in conclave, non autem retrorſum, ſeu ad parietem: hoc mihi ſpiritus illorum narrabant, & dicebant cauſam, quod credant ſe faciem ſic ad Dominum vertere, ſi autem retrorſum, quod illam averterent: tale mihi aliquoties obvenerat, cum eſſem in lecto, ſed unde id, non prius ſciveram.*

8377. *Delectant ſe diu comedendo, non ita ex jucundo cibi, quam ex jucundo ſermonis tunc: dum ad menſam ſunt, non ſedent ſuper ſellis aut ſcamnis, aut elevatis toris gramineis, nec ſuper herba, verum ſuper foliis cujuſdam arboris; nec dicere volebant cujus arboris folia eſſent, ſed cum plures ex conjectura nominarem, affirmabant tandem cum dicerem folia ficus.*

8378. *Inſuper dicebant, quod non præpararent cibum ſecundum guſtum, ſed imprimis ſecundum uſum; addebant, quod cibus utilis illis ſapidus ſit. De hac re inter ſpiritus ſermo factus eſt, & dictum quod hoc conveniat homini, nam ſic ei cordi eſt, quod mens ſana ſit in corpore ſano; aliter ac apud illos, apud quos Guſtus imperat, inde corpus ægrotat, ad minimum intus languet, conſequenter etiam mens, nam hæc ſe gerit ſecundum ſtatum partium recipientium, quæ ſunt corporis, ſicut viſus ſecundum ſtatum oculi, inde inſania quod in luxurie & voluptate ponatur omne vitæ jucundum, ac ut vocant, ſummum bonum; inde etiam obeſitas in talibus quæ cogitationis & judicii ſunt, & ſolertia in talibus quæ ſunt corporis & mundi; ex hoc fit ſimilitudo hominis cum animali bruto, cum quo etiam tales non incongrue ſe comparant.*

8379. *Habitacula illorum etiam mihi oſtenſa ſunt; ſunt humilia, ex ligno, ſed intus circuminducta libro ſeu cortice albe cæruleo, & circumcirca ac ſupra punctata ſicut ſtellulis, ad imaginem cœli, nam volunt intus inducere domibus ſuis inſtar cœli aſpectabilis cum*

ſuis

ſuis ſideribus, cauſa eſt, quia ibi credunt domicilia Angelorum eſſe. Præterea etiam Tentoria habent, ſuperne rotundata, ac protenſa in longum, etiam intus punctate ſtellulis in plano cæruleo; in illa ſe conferunt interdiu, ne ab æſtu ſolis lædantur facies illorum, nam faciem maxime conſervant, quoniam illam non conſiderant ut corpus: illorum multa cura eſt, tentoria hæc ſua formare & mundare: in illis etiam comedunt.

8380. *Parum curant mundana, nam familiæ inter ſe vivunt, nec plus ambiunt quam ut nutriantur & habitent: quod ſupra eſt, quia non ad neceſſitates, inde nec ad utilitates referunt: cura illorum maxima eſt educatio infantum, quos tenerrime amant.*

8381. *Spiritus Joviales cum viderent equos hujus telluris, apparebant equi mihi ſolito minores, tametſi erant ſatis robuſti & alti; hoc fuit ex idea ſpirituum illius telluris de equis ibi; dicebant, quod etiam apud illos eſſent ſimiles, at multo majores, ſed quod ſint feri ſeu in ſylvis, & quod cum viſuntur terrificent illos, tametſi nihil nocent; addunt quod pro illis ſit timor inſitus ſeu naturalis: inde dabatur ad cogitandi de cauſa illius timoris; Equus enim repræſentat in [illegible]li mundo intellectuale formatum ex ſcientificis, n: 2761. 2762. 2763. 6534, & quia timent excolere intellectuale per ſcientias, inde influxus timoris: quod ſcientifica, quæ eruditionis humanæ ſunt, non curent, videbitur in ſequentibus.*

8382. *Spiritus Joviales aliquoties habebant emiſſarios ſeu ſubjecta apud me, communicationis cauſa, & hoc ſatis diu; inde dabatur ſcire qua indole eſſent, & quod prorſus different a ſpiritibus noſtræ telluris; cum apud me erant, ſæpe infeſtabantur a ſpiritibus noſtræ telluris, ſed non id curabant, modo hoc narrabant ſocietati ſpirituum ſuorum, a quibus emiſſi ſunt; & cum narrabant, paulum a me recedebant.*

8383. *Quondam etiam permittebatur ſpiritibus malis noſtræ Telluris agere per artes ſuas malas, & infeſtare ſpiritus Joviales, qui apud me, hi illos admodum diu ſuſtinebant, ſed tandem faſſi ſunt quod non poſſent amplius, & quod crederent pejores non dari, nam pervertebant illorum imaginationem, & quoque cogitationem ita, ut ſibi viderentur quaſi ligati, & non niſi quam ope Divina inde extricandi. Cum legerem in Verbo aliquid de Paſſione Salvatoris noſtri, tunc Spiritus quidam Europæi inferebant dira ſcandala, animo ſeducendi ſpiritus Joviales; inquirebatur quinam eſſent, & quid in*

mundo

mundo fuerant, & compertum, quod quidam illorum fuerint prædicatores, non diſſimiles illis, qui ſe ex ſocietate Domini ſeu Jeſuitas vocant, & quod tunc per prædicationes de Paſſione Domini commovere potuerunt vulgus ad lachrymas; dicebatur illis cauſa, quod in mundo aliter cogitarent, & aliter loquerentur, ita alia corde gererent, & aliud ore ferrent, & quod nunc non ita fraudulenter illis liceat loqui; nam cum fiunt ſpiritus, adiguntur ad loquendum prorſus ſicut cogitant. Obſtupuerunt Spiritus Jovis, maxime, quod tale diſſidium interiorum & exteriorum apud hominem dari poſſet nempe prorſus aliter loqui & aliter cogitare; quod ſibi impoſſibile eſſet.

8384. *Spiritus Jovis allapſum habent ſuavem, & ſermonem prudentem, penſitant quid dicunt: hoc trahunt a vita ſua in mundo; nam ibi ſi contra ordinem aliquid agunt aut loquuntur, ab aliis per varios modos ad reſipiſcendum rediguntur, & qui refractarii ſunt, per caſtigationem.*

8385. *Obſervarunt, quod cogitarem, quod talia vulgare vellem in noſtra Tellure; hoc non volebant, quia illis vetitum eſt vulgare, quod illis a ſpiritibus illorum dicitur: mirabantur quod talia vulgari poſſent, ſolum per ſcripta; at tunc informabantur de typis, tum de Verbo, & quoque de Doctrinalibus Eccleſiæ in noſtra Tellure; & dictum, quod Verbum ac Doctrinalia ita exſtent vulgata, & ſic diſcantur.*

8386. *Continuatio de Spiritibus & Incolis Telluris Jovis ad finem Capitis ſequentis.*

FINIS

PARTIS SEPTIMÆ.

BINDING SECT. SEP 8 1964

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED